114-7
10

Theological Seminary.
PRINCETON, N. J.

Part of the
ADDISON ALEXANDER LIBRARY,
which was presented by
MESSRS. R. L. AND A. STUART.

Case, Division
Shelf, Section
Book, No,

BS1145
.R815
1828
v.3

Rosenmüller on the
Psalms.

J. Addison Alexander

Princeton

Decr 17 1834

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

PSALMOS

IN COMPENDIUM REDACTA.

Jos. A. Alexander

Princeton

1838

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXI.

ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERI

THEOL. DOCT. ET LITTERR. OO. IN UNIV. LIPS. P. P. O.

SCHOLIA

IN

VETUS TESTAMENTUM

IN COMPENDIUM REDACTA.

VOLUMEN TERTIUM,

SCHOLIA IN PSALMOS

CONTINENS.

LIPSIAE,

SUMTIBUS JO. AMBR. BARTHII

MDCCCXXXI.

PROLEGOMENA.

1.

Psalmorum origo et argumentum.

Psalmorum liber (de cujus appellationibus vid. infra in Explicat. Titulor. s. v. תְּהִלִּים) complectitur carmina, inter cultum sacrum veterum Hebraeorum ad organorum musicorum concentum decantari solita. Apud omnes enim fere populos paulo humaniores id ab ipsis usque primordiis derivatum semper obtinuisse videmus, ut in re divina facienda et religionibus celebrandis carminum et hymnorum usus dominaretur. Ex antiqua illa musica et poësi, quam aliquando apud suos legibus constitutam fuisse testatur, eam speciem primo recenset Plato (*de Legibus* L. III.), qua continebantur preces ad Deos, quique dicebantur Hymni. In Latina poësi nihil memoratur aeque vetustum ac Saliare Numae carmen, una cum primis sacrorum et ceremoniarum institutis a pio rege conditum, quod Salii ad tibiam canebant cum tripudiis solennique saltatu (*Livius* I, 20.). Quid? quod carmen omnium, quae nunc exstant, antiquissimum (eorum dico, quorum aetas certo cognoscitur, et quae justa sunt poëmata), est ipsa Mosis ode εὐχαριστικὴ post transitum sinus Arabici (Exod. 15.), piorum erga Deum affectuum verus et naturalis foetus. Atque poëseos cum arte musica connubii exemplum praebet Maria, Aaronis soror, maris rubri transitum canens ad tympanum (Exod. 15, 20.). Ita lyrici carminis origo ad ipsum poëseos initium recurrit, quod cum religionis, hoc est, cum ipsius humanae naturae ortu conjunctum videtur.

Hanc poëseos speciem prae ceteris omnibus excolebant Hebraei, et in eadem perinde eminent. Solenne erat per omnes Hebraeae nationis aetates ob res feliciter gestas prosperosque bellorum exitus laetis carminibus Deo servatori publice grates agere. Hinc Mosis, Deborae, Davidis ἐπινίκια. Cum ipsis forsan reipublicae primordiis initia sua habuerunt *scholae prophetarum;* regum certe tempora antecedebant. De illarum institutis et disciplina quamquam paucis tantummodo atque obiter mentionem faciunt veterum Hebraeorum monumenta historica; nihilominus in eo saepe multumque occupatos fuisse intelligimus, ut hymnis et carminibus, cum fidium et tibiarum cantu et symphonia, Dei laudes celebrarent (vid. 1 Sam. 10, 5—10. Cf. Herder *vom Geist der hebr. Poësie* P. II. p. 64. sqq. et p. 301. Nachtigal *über Salomo's Sängerversamml. oder Prophetenschule* in *dem Magazin für Exegese* cet. ab Henkio edit.). Sub Davide autem praecipue florebat musica et poësis: ex illius instituto, si Chronicorum libris fides sit habenda, quater mille cantores sive musici e numero Levitarum (1 Paral. 23, 5.), sub praefectis ducentis octoginta octo, distributi in classes viginti quatuor, quae per singulas hebdomadas vicibus suis in templo fungerentur, sacrorum hymnorum ministerio unice deserviebant (1 Paral. 25, 1—7.), partim voce, partim diversi generis instrumentis musicis canentes. Quum igitur Davides Musas istas cum sacris publicis firmissime copularet; fieri non potuit, quin suo exemplo suaque auctoritate vehementer confirmaret et ad altiora artis fastigia eveheret omnes alios, quos iisdem colendis natura initiaverat, lyricaeque potissimum poëseos inter Hebraeos princeps evaderet auctor, quid? quod futuris quoque temporibus eadem studia provide servaret, et restauranda subinde ac perficienda traderet. Manente nimirum illo vinculo, quo cum cultu Jovae artem musicam poëticamque semel copularat Davides, quicquid insignius unquam evenit Israelitarum rei publicae et sacrae; nova genii poëtici tentamina, nova artis incrementa attulit, aut ad antiquiora saltim carmina, denuo adhibenda, tractanda, colligenda ansam praebuit.

Carminum, quae Psalmorum volumine continentur, argumentum latissime patet. Nam et hymnos exhibet, qui Dei laudes concelebrant, et gratias acceptis beneficiis referunt, et humillimas ad Deum preces, quibus poëtae vel peccatorum veniam rogant, vel Dei opem atque auxilium implorant, et acerbas ultro citroque querimonias de aerumnis et afflictationibus, quibus parum absit, quin querentes succumbant. Alia carmina solatia in quavis calamitate uberrime suppeditant, spem quoque ac fiduciam vel testantur, vel corroborant. Sunt, quae egregias ad omne virtutum genus complectuntur, ab impiorum vero consuetudine avocant, atque a vitiis serio deterrent. Quaedam divinorum in Hebraeam gentem beneficiorum memoriam, ac superiorum temporum Deo adjutore feliciter gesta recolunt. Nonnulla denique canunt magnum illum regem, *Unctum* (מָשִׁיחַ, *Χριστὸν*) sensu eminentiori dictum, e Davidica familia oriundum, quem Hebraei sperabant futuro aliquo tempore rem ipsorum multo ampliorem et augustiorem, quam unquam antea fuisset, restauraturum, orbisque terrarum populos una cum suis regibus sub potestatem suam redacturum (veluti Ps. 2. 21. 45. 72. 110.).

2.

Quibus temporibus et a quibus auctoribus Psalmi sint editi.

Explosa jam dudum est ejectaque Patrum Rabbinorumque sententia, esse Psalmos omnes et singulos a Davide concinnatos. Neque longa refutatione digna illa videtur, quum non inscriptiones tantum, sed, quod majus est, argumentorum etiam stylique diversitas, diversa tempora diversosque auctores manifeste prodant. Nec impedit Apostolorum, Davidem speciatim laudantium auctoritas, quo minus ita statuamus, quum satis notum sit, ejus nomine universam horum carminum syllogen ita dictam esse, quod primum locum inter Psalmos ii obtinebant, quorum Davides auctor fuerat, quemadmodum Psalmorum nomine universum *Hagiographorum* volumen vocatum est. Age vero, tempora et auctores, quibus haec carmina vel inscriptionibus assignantur, vel

edita esse, probabili conjectura colligi potest, nunc perlustrabimus.

1) *Mosi* Ps. 90. tribuit Hebraica inscriptio, et ad eundem ipsum auctorem Talmudici (quibuscum consentiunt Origenes et Hieronymus) referunt decem, quae sequuntur carmina, propterea quod illis alius auctoris nomen non est praescriptum, quod quam nihil valeat, in promptu est examinare cuique ac res ipsa demonstrat. Ps. 90. vero quod attinet, ut nihil habet, quod Mose sit indignum, aut illi non congruat, ita rursus nihil ei inest, quod Mosaicis rebus et temporibus ita sit proprium, ut non ab alio quovis auctore, aut quovis alio tempore concinnatum esse possit. Antiquiora igitur hoc volumen carmina continebit nulla.

2) *Davidicis* temporibus, quibus longe pleraque erunt assignanda. Horum vero plurimis *a*) *Davidis* praescriptum est nomen in libris hebrr. hodiernis, 71 videlicet, sed in Graeca Alexandrina interpretatione 11 aliis etiam. In his tamen reperiuntur non pauca, quae a Davide minime possunt esse confecta, ut omnia ea, in quibus exsilii Babylonici, desolati templi, reditus ex terris exteris, aliarumque rerum, quae ad Davidis tempora referri nequeunt, mentio manifesto est facta. Rursus magna carminum pars, quibus nec Davidis, nec ullius omnino auctoris inscriptum est nomen, ita est comparata, ut a nemine facile dubitari possit, quin a Davide sint confecta. Non solum enim stylus conspirat, sed quae in ipso carmine interdum occurrunt, ita se habent, ut ad alia tempora prorsus referri nequeant. Sed prorsus rejicienda est sententia eorum, qui Davidi tribuenda censent omnia ea carmina, quibus poetae nomen praescriptum est nullum. Argumento utuntur potissimum hoc, quod tam 1 Chr. 16, 7. sqq. Psalmi *ἀδεσποτοὶ*, 96. et 105., quam in N. T. Psalmus 2. (Act. 4, 25.) et 95. (Hebr. 4, 7.), itidem nullis auctorum nominibus insigniti, Davidi auctori assignantur. Verum quod ex Chronicorum libro petitur testimonium, ita comparatum est, ut hic in censum venire prorsus nequeat. Non integra enim carmina excitat auctor *τῶν* Paralip., quisquis ille fuerit, sed imperfecta

tantum fragmenta, et memoria insuper infida adeo, ut comma octavum Ps. 95. cum initio Ps. 29. permutaverit, ob sententiarum affinitatem. Sed ex 1 Chr. 17, 7. Asaphus et socii non minore jure horum carminum auctores credi possunt, quam Davides. Quod ad testimonia e N. T. petita attinet, his quoque parum auctoritatis hac in re tribui potest, quum notissimum sit, Apostolos saepe ex sententia apud Judaeos recepta Vet. Testamenti oraeula excitare. Itaque carmina anonyma ab auctoribus valde diversis erunt perscripta, quorum quum ignorarent nomina, qui dispersa haec carmina collegerunt, memoria eorum oblivione sepulta est. Alii Davidis esse videntur ex his Pss., alii Asaphi, alii temporibus longe posterioribus compositi. *b*) Carminibus 12 *Asaphi* nomen praescriptum est. Plures vero quum extiterint illo nomine appellati, is, qui titulos his Pss. praefixit, Asaphum haud dubie intellexit, Berachiae filium, Levitam (1 Chr. 6, 24. 15, 17.), cantorum Davidicorum praefectum musicesque moderatorem (1 Chr. 16, 4. 5.), quem tamen et carmina edidisse, colligitur inde, quod Hiskias rex Jovam carminibus a Davide et Asapho compositis jubet celebrandum (2 Chr. 29, 30.), quo ipso loco Asaphus praeterea *sapiens* (חֹזֶה, propr. *videns*) dicitur. Verum Ps. 50. si excipias, cetera omnia (73 — 83.) ab illo Asapho, qui Davidis temporibus floruit, nequaquam possunt esse consignata, alia enim de Chaldaeorum queruntur imperio, deque templi urbisque subversione, alia de Assyriorum strage triumphum canunt, de quibus omnibus suo loco videbimus. *c*) *Hemanis Esrachitae* nomen praefixum est Ps. 88. Quum autem secundum genealogias in Annalium libris *duo* fuerint hujus nominis viri celebres, alter (1 Chr. 2, 4. 6. coll. 1 Reg. 5, 11.) e posteris *Serachi*, filii Judae, Patriarchae (Gen. 38, 30. 46, 12.), alter Levita, e Cahatitis, atque Samuelis prophetae e filio Jocle nepos (1 Chr. 6, 18. sqq. 15, 27.), qui cum sociis, Asapho et Jeduthune, sacrae musicae a Davide praefectus fuit (1 Chr. 25, 1. coll. 2 Chr. 29, 30.); perquam ambigitur, horum utrum designaverit is, qui titulos praefixit. Quia vero noster *Esrachita* dicitur, quemadmodum *Ethan* in

Psalmi, qui proxime sequitur, limine; nihil sane probabilius videri possit, quam hosce Esrachitas eosdem fuisse cum Serachi filiis, Judae posteris. Sed illud ipsum, *Esrachitam* (אֶזְרָחִי) esse nomen patronymicum a *Seracho*, valde dubium est, quum א hujusmodi nominibus nusquam alias praefixum reperiatur. Quare alii Hemanem *Esrachitam* nominatum putant a patre *Esrach*, ut hic Heman prorsus diversus sit a duobus illis, antea commemoratis; alii vero Hemanem, Levitam, Davidicorum Musicorum praefectum intelligunt, ut *Esrachita* non *familiam* sed *patriam* indicet. Hoc tantum certum videtur, esse carmen ipsum in exsilio scriptum. *d*) Eadem sententiarum diversitas est de eo, cui Ps. 89. assignatur, *Ethane*, quem plerique quidem eundem existimant cum Ethane Levita (1 Chr. 6, 29—32.), nec diversum a *Jeduthune*, qui una cum Hemane inter chori musici a Davide instituti moderatores appellatur (1 Chr. 15, 1.). Sed quum in carminis inscriptione Ethani illi cognomen *Esrachitae* inditum sit, alii eum diversum putant a Davidico illo. De quo tamen cognomine diximus modo antea. Videtur vero et hoc carmen Babylonicis potius quam Davidicis temporibus congruere. *e*) *Samuelis* quoque, aliorumque poetarum ab ipso institutorum, carmina huic volumini inesse, licet nulli nomina eorum sunt praescripta, NACHTIGALII conjectura est minime improbabilis. Vid. Nachtigalii Psalmorum versio: *Psalmen gesungen vor Dav. Thronbest., od. in Bezieh. auf seine frühere Lebensperiode.* Hal. 1797. p. 37. Verum singula carmina quibus sint assignanda, hodie frustra quaerimus.

3) Ex *Salomonicis* temporibus plura nobis superesse carmina, vix est, quod dubitemus. Atque Salomon quidem ipse 5000 carmm. composuisse fertur 1 Reg. 4, 32. (al. 5, 12.). Sed hodie ejus nomen tantummodo Pss. 72. et 127. praescriptum legitur, quae tamen eum magis spectant, quam ab ipso composita esse videntur. Ad Salomonica tempora praeterea referendus est Ps. 132., qui in templi Salomonici consecratione decantatus est.

4) Ex *Regum* autem, qui Salomonem sequuti sunt, omnium temporibus, non reperio quos cui tribuam praeter *Josaphatum*,

cui in periculis Ammoniticis illis quaeratur, an tribui possit Ps. 83. Inter epinicia vero victoriae, ab illo tunc reportatae, referendus fuerit Ps. 48.

5) Inde jam magno saltu transilimus ad *Exsilii* tempora, ad quae haud exiguus horum carminum numerus referendus videtur. Inter ea praecipuum locum tenent, quae a *Corahitis*, inscriptionibus jubentibus, decantanda erant, veluti Pss. 84. 85. 87. (cf. argum. ad Ps. 42.). Et Ps. 137. contestationem continet doloris, quem in exsilio exsulantes a loco templi et patriae pertulerint, unde non tam *Jeremiae* erit assignandus (ut a LXX Interpp. factum est), qui quidem Babylonem non est abductus, quam alii potius cuidam Israelitarum, ibi degentium.

6) Nec pauca carmina ad tempora revertentis e terris Persicis populi Isr. sunt referenda, ex his manifeste 102. et 126., quae inter ipsa initia restaurationis templi et urbis videntur cantata esse. Templo autem secundo exstructo, et consecrationi hujus areaeque introductioni, et primi cultus ibi temporibus, multo plura fortasse horum carminum sunt facta, quam nunc vulgo creditur. Atque *Haggaeo* ac *Zachariae* in graeca versione tribuuntur carmina quaedam (138. 146. 147.), quibus in Hebraeis libris nullum praescriptum est nomen.

7) Sunt etiam carmina, quae *Maccabaicis* temporibus facta putantur a quibusdam interpretibus, ut Ps. 44. 74. 76. 79. 83. 119. Verum etsi haudquaquam incredibile sit, fuisse iis temporibus priscorum carminum assiduo studio, eorumque continua cantione plura ingenia excitata, ut et ipsa ad illorum imitationem carmina, in sacris publice decantanda, concinnarent; tamen talia carmina in nostro Psalmorum libro servata esse ut credamus, potissimum obstat hoc, quod veri est dissimillimum, in libro illo, qui in numero eorum, qui כְּתוּבִים vocantur, primum locum obtinet, ideo haud dubie, quod reliquis antiquior est, mediis carminibus vetustissimis seriore tempore intrusa fuisse carmina recentissima. Quodsi carmina Maccabaicis temporibus composita in librorum sacrorum corpus referre visum fuisset iis, quibus

hoc negotii commissum fuit, vix dubium est, eos illa carmina singulari libello comprehensa Psalmorum libro jam dudum absoluto addituros fuisse, quum et Danielis et Chronicorum libros nec priorum nec posteriorum prophetarum syntagmati jam absoluto insertos, sed, quod seriore tempore illi scripti essent, extremae tertiae parti sacrorum librorum subjectos videamus. (Cf. CONR. DIT. HASSLER Commentat. crit. de Psalmis Maccabaicis, quos ferunt Part. I. Ulmae, 1827. 4.). Psalmum 79., qui, si quis alius, Maccabaicorum temporum speciem prae se ferre videtur, tamen longe vetustiorem esse, inde apparet, quod primi Maccabaeorum libri auctor 7, 17. versum 2. illius, tanquam in libris sacris perscriptum (*κατὰ τὸν λόγον*), applicat ad caedem sexaginta sacerdotum aliorumque piorum ex Judaeis ab Alcimo Pontifice commissam.

3.

De Psalmorum collectione, partitione et numero.

Davidem ipsum carminum, quae in sacris conventibus cantanda essent, collectionem quandam fecisse, conjectura est non improbabilis. Jam quum post carmen illud, quod hodie est 72., scriptum sit, *finiri* illo *Davidis carmina;* opinio est satis pervulgata, ea 72 carmina effecisse ipsam illam a Davide collectam syllogen. Cui sententiae potissimum obstat, quod plura inter illa carmina deprehenduntur, in quibus manifesta serioris Davide aetatis indicia occurrunt (e. c. Ps. 2. 48. 66. 51, 20. 21. 53, 7.). Nec facile credi potest, a Davide Ps. 14. bis receptum (coll. Ps. 53.), aut 70. adjectum fuisse, quum aliquot 40^{mi} commata contineat. Probabilior EICHHORNII (*Einl.* P. 3. p. 421. sqq. ed. 2.) videtur conjectura, volumen 72 carminum primum ex collectionibus hominum privatorum, in quorum manibus minora carminum Davidis aliorumque poetarum syntagmata fuerint, originem duxisse, quae tandem in unum corpus essent redacta. Quod ipsum tamen post exstructum demum templum secundum factum esse crediderim, quo tempore, quae ex vetustate supercssent, carmina,

denuo recensita, atque, quum in sacris publice essent decantanda, recentioribus illis temporibus subinde accommodata esse videntur; cujus rei exemplum deprehendisse putamus in Ps. 14. Vid. et Ps. 51, 20. 21. Quae nostra conjectura si vera est, reliqua carminum pars multo serius erit addita. Huic vero parti posteriori quamvis prisca quaedam carmina, post absolutam priorem illam collectionem reperta, inscrta esse non negaverim; longe pleraque tamen vel proxime ante exsilii tempora, vel in ipso exsilio, vel denique post reditum ex eo, temploque sacrisque restitutis esse facta, vix dubitari potest. Quae quum ita sint, non ante *Maccabaica* tempora altera illa carminum pars priori subjuncta fuerit.

Hodie in libris Masorethicis Psalmorum volumen in 5 libros distributum est, quorum cuique finis ibi constituitur, ubi carmen in *Amen Amen*, vel *Amen Hallelujah* desinit. Ut itaque *primus* liber Ps. 41., *secundus* 72., *tertius* 89., *quartus* 106., *quintus* 150. finiat. Quae dividendi ratio, quamvis jam Hieronymi tempore fuerit recepta, tamen minime ita vetus esse potest, ut Judaeorum fert opinio, qui vel ad ipsum Davidem, vel certe ad Esram illam referunt. Causam quidem illius divisionis plerique putant fuisse hanc, quod Pentateucho assimilare Psalterium Judaeis placuerit (ita jam Epiphanius *de mensuris et ponderibus* §. 5. *Opp.* T. 2. p. 162.). Aliis vero et quinque partium illarum inaequalitas, et Psalmorum, qui in singulis continentur, ratio ipsa, arguere videtur, partitionis istius originem repetendam esse a totidem diversis carminum collectionibus, quae ordine, quo paulatim sunt factae, se excipiant. Omnino ut ita statuamus, res ipsa suadere videtur; de ratione tamen singulorum illorum syntagmatum, et quibus temporibus sint facta, nil certi definiri poterit. Cf. Bertholdti *Einleit.* Vol. 5. P. 1. p. 2009. sqq.

In singulorum carminum divisione ac numero libri Hebraici hodie non plane consentiunt. Ps. 1. in quibusdam Codd. *secundo* jungitur, ut, qui in libris typis exscriptis *tertius* numeretur, sit *secundus*. Item carmen, quod nobis est 43., in nonnullis libris manuscriptis jungitur praecedenti, ut, quod in plerisque est 44.,

in illis sit 42. Ita eadem numerandi ratio obtinet ad Ps. 117., qui iterum antecedenti junctus est, ut qui nobis est 118., in Mss. sit 115. A Vs. 5. Ps. 118. autem novum carmen incipit, atque ab hoc inde commate in illis Mss. numeratur Ps. 116., ut qui nobis est 150. ibi sit 148. Carmen quod nobis est 118., in nonnullis libris mss. in tres partes distribuitur. Magna quidem harum varietatum pars recentiorum temporum librariis est tribuenda, et iis praecipue, qui numeros addiderunt; hos enim saepissime ab iis qui ipsum textum exararunt, diversos fuisse, libri mss. testes sunt. Accidit hoc praecipue in Codd. στιχηρῶς descriptis, ubi quae singulis carminibus intercedunt interstitia, parum nonnunquam observata sunt. At ab antiquissimis inde temporibus hunc dissensum in libris regnasse, clarius demonstrant antiquae versiones. Ps. 2. pro 1. in Graecis libris olim habitus fuit. Et hodie in Graecis libris longe plerisque, cum quibus Vulgata Latina consentit, a Ps. 10. usque ad Ps. 147. ea est ab Hebraeis numerandi discrepantia, ut 9. et 10. in unum sint conjuncti, et qui nobis est 11., Graecis et Latinis sit 10., et sic porro, usque ad Ps. 147., quem rursus in duos distribuerunt, ut 150 Psalmorum numerum integrum servarent. Praeterea Graeci et Latini Psalmum nobis 115. jungunt cum 114., ut isti junctim constituant ipsis Psalmum 113. Hinc Ps. nobis 116. ipsis est 114., ubi binario numero dissident ab Hebraeo. Sed mox in ordinem redeunt, Ps. 116. in duos partiendo, et a Vs. 10. Psalmum novum, ipsis 115. incipiendo, atque ita Psalmus sequens, nobis 117., ipsis est 116. At nec haec numerandi ratio in omnibus Codd. est recepta. In Hebraicis vero libris hodie saepenumero carmina diversa a librariis juncta esse, et rursus alia perperam divisa et separata, jam observavit Eichhornius, et nos ipsi exemplum vidimus in Ps. 18.

4.

De Psalmorum inscriptionibus.

Psalmis longe plerisque tituli (Pss. ἀνεπίγραφοι 25 sunt: 1. 2. 10. 24. 33. 43. 71. 91. 93—97. 99. 104. 105. 107.

114—119. 136. 137.) sunt praescripti, qui *vel* personas designant, tum auctorum (Ps. 4—9.), tum, quibus commissi sunt, cantorum (4. 5. 6. 8. 9.), tum corum quoque, in quorum gratia sunt conscripti (72. 102.); *vel* res et facta indicant, quibus poetae ad carmina componenda excitati fuerint (7. 59. 34. 63.); *vel* argumenta singulorum Pss. declarant (תפלה Ps. 17. 86., תודה Ps. 100., תהלה Ps. 145.); *vel* denique docent, quae musices et cantionis ratio in iis decantandis fuerit adhibenda (4. 5. 6. 54, 55. al.). De quorum titulorum fide tamen et auctoritate magna semper fuit sententiarum varietas. Alii enim omnes Psalmorum titulos sine omni discrimine respuendos esse arbitrantur, quum quae in textu hebr. leguntur, a recentioribus Judaeis, seu iis, qui Psalmos collegerunt, sint adposita, quae Graeca vero, Arabica, Syriaca, et vetus Latina versio habet, pro interpretum lubitu adscripta sint. Alii contra omnes inscriptiones, Graecas non minus atque Hebraicas pro genuinis et fide dignis habent, ut plurimi Patrum, qui eandem Graecae versioni reverentiam exhibuerunt, quam ipsis fontibus Hebraeis solemus. Alii denique Hebraicas tantum inscriptiones recipiunt, et ab ipsis Psalmorum auctoribus profectas esse credunt, rejectis omnibus, quae in Graeca, Arabica et Syriaca translatione leguntur. His denique adnumerandi sunt, qui licet ab ipsis Pss. auctoribus inscriptiones profectas esse non credant, ab Esra tamen et Nehemia carminibus illas adscriptas existimant. At quamvis mire diversae sint hae opiniones, nulla tamen earum est, quae argumentis haud prorsus contemnendis non instructa sit, nulla adeo falsa est, quin veritatis particulam aliquam habeat. Atque ab ipsis quidem Pss. auctoribus titulos praescriptos esse, ex poetarum orientalium consuetudine perquam fit verisimile. Hi enim in carminis limine poetae nomen, atque interdum quoque tempus, quo carmen dictum est, ponere solent. Idem quoque Hebraeis mos fuisse videtur. Prophetarum vaticiniis, quae poemata esse nemo dubitat, longe plerisque nomen vatis et tempus, quo dictum est, praefixum reperies. Idem factum est in carmine triumphali Ex. 15., hymno

Mosis Deut. 31, 30. 32, 1. 33, 1., in carmine Deborae, Jud. 5, 1. Atque quorundam Psalmorum titulos genuinos esse vix dubitari potest. Eadem inscriptio, quae Ps. 18. praefixa est, legitur quoque 2 Sam. 22, 2. Quaedam etiam horum carminum ita sunt comparata, ut ea ipso illo tempore, cujus inscriptio mentionem facit, composita esse, ex ipso carminis argumento pateat, etiamsi nulla inscriptio praefixa foret. Sic Ps. 3. cum historia Davidis, quum filius patrem regno spoliaret, conspirat, ut vix dubium esse possit, quin iis temporibus dictus sit, etiamsi nullam ejus rei inscriptio mentionem faceret. Idem valet de Graecis et Syriacis inscriptionibus, quae ita interdum sunt comparatae, ut de carum αὐθεντία neutiquam sit dubitandum. Quare minime probandi videntur, qui sine omni discrimine omnes inscriptiones repudiandas judicant. Neque tamen omnes veteres uno eodemque modo de Psalmorum titulis sensisse, certum est. Syri novas saepenumero inscriptiones effinxerunt, rejectis priscis illis, quae textus Hebr. et LXX exhibent. Nec exigua earum pars, quae in Bibliis Polyglottis expressae, insipidas fabulas, et allegoricas mysticasque explicationes, ex Patrum scriptis petitas, sapit. In quibusdam vero libris mss. omnes omnino tituli desunt, et Davidis tantum nomen carminibus inscriptum est, iis quoque, quae aliis poetis tribuuntur in libris Hebraicis, quod de iis praecipue Codd. valet, qui ecclesiastico usui a librariis destinati fuerunt. Ex quibus satis patet, non tantam auctoritatem Hebraicis inscriptionibus Syros tribuisse, et cujusque arbitrio relictum fuisse, quem sensum, quamque explicationem carmini accommodare velit. Theodoretus non omnes promiscue inscriptiones accipit, ut in Graecis et Hebraicis libris leguntur, sed probe Graecas ab Hebraicis discernit, illasque tanquam spurias et adulterinas rejicit, quae in Graecis tantum inveniuntur, ab Hebraicis vero exemplaribus absunt. Ac Theodoreti quidem vestigia plerique ex nostris Theologis olim secuti sunt, ex praejudicatis illis de librorum Hebraicorum ἀκριβείᾳ et integritate opinionibus. Ut enim e Graecis multae a librariis et interpretibus additae sunt, ita quoque ex Hebraicis

nonnullas manifesto falsas esse, vidimus supra §. 2. Quae quum ita sint, non dubito STARKII *(Davidis aliorumque Poet. Hebrr. Carminum Libri* V. *Ex Codd. mss. et antiquis verss. accurate recens. et commentariis illustr.* Vol. I. [Prolegg. continens] P. II. p. 411. sqq.) accedere sententiae, omnibus Pss. ab initio auctoris nomen, et interdum quoque tempus, quo sint dicta, praescriptum fuisse. Quae autem musicam modulationem, et instrumentum, quo canendum erat carmen, in inscriptione tangunt, ab iis profecta videntur, qui haec carmina diversis temporibus sacris publicis accommodarunt. Ita 2 Sam. 22., ubi Ps. 18. relatus est, nulla τοῦ מנצח in titulo mentio occurrit. Quod ipsum tamen causa esse potuit, ut antiquiorum inscriptionum, quae auctoris nomen, carminisque argumentum et tempus commemorarunt, plures vel mutilarentur, vel prorsus interirent. Hanc lacunam resarcire cupientes, qui diversis temporibus haec carmina collegerunt, utut eorum ferebat opinio, inscriptiones addiderunt, non semper habita ratione librorum mss. et carminum ipsorum indole; nec paucae commentatoribus, librariis, quid quod ipsis lectoribus tribuendae videntur, quorum arbitrio ea saepe addita est inscriptio, quae ipsis commodissima esse videretur. Probant hoc Graeci, Syriaci, Arabici, Latini Codd., nec hi tantum, sed ipsi quoque interdum Hebraici. Exemplum luculentum Starkius affert Codicem 32. Sorbonicum, in quo interdum ad marginem, a postera licet manu, argumentum notatum est, e Rabbinorum scholiis petitum. Sic ad Ps. 11. notatum est: על כהני נוב *de sacerdotibus Nob*, de quibus Vs. 2. verba לב ישרי in glossa explicantur. Item ad Ps. 14. notatum est: נבוכדנצר *de Nebucadnezare.* Est nempe in scholio Vs. 1.: דוד נתנבא נבוכדנצר שעתיד *vaticinatus est David de Nebucadnezare, qui futurus erat.* Ps. 17. in margine legitur: על בתשבע *de Bathseba*, ex Rabbinorum interpretatione Vs. 3. Ejusmodi autem figmenta quam facile in ipsum textum irrepere potuerint, praesertim ubi vera inscriptio excidit, non necesse est demonstrare. Hinc vero simul intelligitur, qui factum sit, ut nonnullae harum inscriptionum cum carminis ar-

gumento minime conspirent, et auctorem indicent, a quo nisi ubi vaticinia in subsidium vocare velis, carmen compositum esse prorsus non potuit. Neque omnes itaque, quae in libris Hebraicis leguntur, inscriptiones, temere rejiciendae, neque omnes sine discrimine recipiendae erunt; sed, crisi atque sanae interpretandi ratione duce, dispiciendum, quae ab ipsis poetis sint profectae, quaeque a postera manu additae.

Restat, ut eas dictiones, quae plurium carminum titulis communes sunt, recenseamus atque illustremus; ubi literarum ordinem servabimus, utpote illis, qui harum rerum explicationes quaerunt, commodissimum.

Explicatio dictionum nonnullarum, in Psalmorum titulis frequentius obviarum.

א

אַל־תַּשְׁחֵת, *ne perdas*, praescriptum reperitur Pss. 57. 58. 59. 75. Quae dictio *de initio carminis alicujus* interpretanda videtur, ad cujus modos carmina haec a Magistro chori musici fuerint cantanda. Ita jam Aben-Esra. Syri quoque canticis suis sacris praeponere solent prima verba eorum canticorum, ad quorum modulos illa sint canenda. Cf. *das alte u. neue Morgenl.* P. 4. p. 21.

ג

גִּתִּית Pss. 8. 81. 84. plerique pro *instrumenti musici* nomine habent. Atque alii quidem 1) instrumentum putant esse allatum ex urbe *Gath Rimmon* (quae a tribu Manassitica et Danitica familiae Cahathitarum attributa legitur Jos. 21, 24., unde gentile nomen in masculina terminatione גִּתִּי, *Gitthaeus*, atque feminina גִּתִּית). Neque haec sententia prorsus videtur repudianda esse. Nihil enim usitatius est, quam instrumenta musica nomen apud veteres sortiri a loco, ubi primitus inventa, aut frequentissime tractata essent. Nota sunt instrumenta *Lydia*, *Phrygia;* noti in Musicis toni *Dorii*, *Lydii*, *Aeolici*, *Ionici*. Alii vero 2) nomen גִּתִּית referunt ad appellativum גַּת, *cupa*, in qua uvae pedibus conculcantur, *torcular*, in Plur. גִּתּוֹת. Discedunt tamen et hi invicem. Alii enim *a*) instrumentum aliquod musicum ita appellatum existimant, quod formam et speciem torcularis quodammodo referret; aliis *b*) est musicum instrumentum, in gaudiis torcularium, sive vindemiae usitatum. Michaelis *(Suppll. ad Lexx. Hebrr.* P. 2. p. 382.): „Solebant, inquit, solentque adhuc ab

his, qui uvas calcant, laeta cantari cantica, atque ad ea gressus attemperari; quid si גתית sit instrumentum, ad quod haec cantica canebantur, vindemiae et calcationis tempori proprium? Jam duo ex Pss. ad גתית canendis, 81. et 84. videntur mihi festo tabernaculorum insigniter apti, quod Octobri medio vindemiam peractam sequebatur, erantne ergo ad idem instrumentum canendi, ad quod calcabantur toreularia?" Sunt vero non pauci, qui גתית nullius omnino instrumenti musici nomen, sed *carminis argumentum* ea voce existiment indicari. Quorum iterum alii 1) nomen *gentilicium* putant esse, sed ab urbe *Philisthaeorum*, *Gath* (Jos. 11, 22. 13, 3. 1 Sam. 17, 4. 21, 12. al.), ad quam Davides a Saule confugerat (1 Sam. 21, 10. sqq.), ut גתית vertendum sit *Gitthiticum* sc. carmen, quo significari putant vel tale, quod Davides, dum Gathae commoraretur, composuerit, vel quod ea, quae illo tempore ipsi acciderent, caneret. Reperitur tamen in nullo illorum carminum quidquam, quod ad illa tempora referri possit. 2) Qui vero a גת *torcular*, גתית deductum opinantur, hoc voc. significari putant carmen vindemiae tempore cantari solitum. Vindemiantes enim tam inter ipsum vindemiandum, quam eo confecto hymnos decantasse, colligitur ex Jud. 9, 27. Jes. 16, 8. sqq. Jer. 48, 33. Quemadmodum et Graeci apud torcularia ὕμνους ἐπιληνίους decantatos docet Anacreon Od. 52. Praeivit hanc sententiam de voc. גתית Alexandr. interp., qui ὑπὲρ τῶν ληνῶν, *de torcularibus* reddidit, comprobavitque Lutherus. Vid. et A. F. Pfeifferus *Ueb. d. Musik d. alt. Hebr.* Erlang. 1779. 4. p. 33. Quo minus tamen ego calculum huic sententiae addam, me impedit, quod credam, eum, qui titulos illis carminibus praefixit, si ad *torcularia* ea canenda esse significare voluisset, posuisse potius הַגִּתִּיּוֹת, quam הַגִּתִּית.

ה

הִלֵּל *celebravit*, hinc תְּהִלָּה *laus*, *laudatio*, Plur. תְּהִלּוֹת et תְּהִלִּים. סֵפֶר תְּהִלִּים *liber laudum*, vel, ut Hieronymus interpretatur, *liber hymnorum*, ab Hebraeis inscribitur nostrum carminum volumen, a potiori illorum parte petita denominatione, quod emineant in iis ea carmina, quae Graecis proprie *hymni* sunt, atque si quae etiam in aliis argumentis versantur, tamen plerumque conjungunt summi numinis laudem et celebrationem. Vulgo per syncopen, lit. ה elisa, Judaei scribunt ספר תלים, s. Chald. terminatione, ס' תלין. In N. T. (Luc. 20, 42. Act. 1, 20.) volumen hoc *βίβλος ψαλμῶν* vocatur, a Graecis autem vulgo *ψαλμοὶ* et *ψαλτήριον*, vocis significatione leviter inflexa, atque ad carmina ipsa accommodata. Est enim *ψάλλω* primo in universum *tango*, *leni motu percutio*, tum praecipue *fides tango*, *increpo*, fidibus cano. Hinc *ψαλτήριον* dicitur instrumentum musicum, quo psallitur; sive ad nostrae chelydis formam modumque proxime accesserit, sive, quae communis est aliorum sententia, triangularis

formae, decemque instructum fidibus fuerit; unde *ψάλτριαι* dictae, quae fides pulsando victum sibi quaerebant; et *ψαλμὸς* harmonicus ille Psalterii percussi sonus et melodia. Hinc factum, quod utraque illa vox de ipsis etiam illis carminibus diceretur, quae ad modos musicos, citharaeque vel fidium pulsum in sacris publicis cantari solebant.

ז

זָמַר *cecinit, psallit, modulatus est*, unde מִזְמוֹר *cantio, carmen.* Frequentissime in Psalmorum inscriptionibus legitur מִזְמוֹר לְדָוִד, ubi praefixum ל *alii* existimant denotare i. q. בעבור, ut indicetur carmen in gratiam Davidis a quodam praecentore vel Phonasco compositum: *alii* vero *de* exponunt (coll. Gen. 20, 13. 26, 7. 2 Sam. 11, 7. al.), ut significetur *carmen, quod de Davide agat.* Communis tamen sententia est, ל hic esse tale, quod *opus* ad *auctorem* suum *referat*, ut nomen, cui praefixum est, in Genitivo nobis sit vertendum, *carmen Davidis*, quomodo innumeris aliis locis V. T. occurrit, veluti Hab. 3, 2. *preces Habacuci vatis*, 1 Sam. 14, 6. *speculatores Saulis.* Eodem modo ad designandum auctorem in librorum inscriptionibus Arabes suum ل usurpant. Atque quum eorum Pss., quibus מזמור לדוד praescriptum est, non pauci ipso argumento Davidem auctorem prodant, non est, quod dubitemus, indicare voluisse illud ipsum ea dictione, qui titulos praefixit, quamvis minime negari possit, illum saepe hac in re errasse, ut supra §. 2. vidimus.

י

יְדוּתוּן, in trium Pss. (39. 62. 77.) titulis obvium, nonnullis est nom. *appellat.* Aben-Esra indicari existimat *initium cantionis* celebris, ad cujus modos Pss. illi essent cantandi. Cui sententiae obstat, quod in Ps. 39. titulo nomini ידותון part. ל est praefixa. Aliis est *instrumenti musici* nomen. Sed nusquam alias inter organa musica hujus fit mentio. Rectius vero voc. ידותון pro nom. *proprio* habetur, quum 1 Chr. 25, 1. inter chori musici a Davide instituti moderatores etiam *Jeduthun* memoretur, cujus *filii*, seu ceteri musici, quibus praeerat, Vs. 3. recensentur; item c. 16, 41. 42. *Heman* et *Jedithun* dicuntur concentum fecisse cum organis musicis et hymnis divinis. Hinc Ps. 39. titulus interpretandus: *Hoc carmen composuit David tradiditque Jeduthuni, Cantori.* Sed in Ps. 62. et 77. inscriptione, ubi לַמְנַצֵּחַ עַל־יְדוּתוּן scribitur, *Jeduthunis* nomine totus ille musicorum chorus, cui ille praeerat, designari videtur, ut vertendum sit: *praefecto Jeduthunaeorum*, subaudi: *tradendum*; eadem loquendi formula, quae reperitur 2 Chr. 2, 2. מְנַצְּחִים עֲלֵיהֶם *praepositi illis*; 1 Chr. 23, 4. לְנַצֵּחַ עַל־מְלֶאכֶת *ut praeessent operi*; Esr. 3, 8. 9. לְנַצֵּחַ עַל־עֹשֵׂה הַמְּלָאכָה *ut praeessent facientibus opus in domo Jehovae.* Possit tamen etiam לַמְנַצֵּחַ לִידוּתוּן in Ps. 39.

titulo verti: *praefecto Jeduthunaeis*, quemadmodum in Ps. 44. inscriptione dicitur מְנַצֵּחַ לִבְנֵי קֹרַח *praefectus Corahitis.*

כ

מִכְתָּם praenotatur Pss. 16. 56—60. Varie explicant. 1) Quum כֶּתֶם *aurum* Hebraeis denotet, fuerunt non pauci, qui מִכְתָּם *Aureolum, insigne aureum* esse putarent. Quam sententiam pracivit Aben-Esra, qui Psalmos illos ita inscriptos conjicit, *quod pretiosi essent instar auri optimi et amabilis.* Sed vix intelligitur, quid ea carmina aliis praestent, ut digna sint, qui *aureoli* nomine ab aliis distinguantur. 2) Verbum כָּתַם, quod Jer. 2, 22. occurrit, quidam ex Arab. כתם *abscondidit se* interpretantur. Hinc HEZEL in Not. ad Ps. 16, 1. nostrum מכתם *carmen occultationis* explicat, eoque nomine hoc carmen appellatum conjicit, quod Davides illud patriae exsul fecisset. Quod tamen non omnibus, quibus hoc voc. praescriptum est, carminibus congruit, veluti 58., quod de partium studio magistratuum queritur, et 60., quod Jehovam pro reportata de gentibus vicinis victoria celebrat. 3) Syris verbum כתם significat *foedare*, *notam inurere*, unde Gal. 6, 17. כְּוִיתָא *nota, stigma.* Hinc fuerunt, qui hebr. כָּתַם *insculpendi*, *incidendi* notionem inesse putarent, ut מִכְתָּם primo quidem in universum sit *Insculptum* aliquid, in Pss. vero illorum titulis vertendum sit *carmen*, monumentum, lapidi insculptum. Ita LXX et Theodotion, qui στηλογραφίαν interpretati sunt, quod Vulgatus *tituli*, i. e. monimenti aerei aut lapidei *inscriptionem* vertit, et Chaldaeus: *sculptura erecta*, scriptura lapidi erecto insculpta. Quod plures ex recentioribus interpp. sequuti sunt. Verum prolixiora sunt illa carmina, quam ut credam, tabulis aereis aut lapideis fuisse insculpta. 4) Probabilis mihi videtur eorum sententia, qui מִכְתָּם non diversum putant a מִכְתָּב, lit. ם posita pro ב, id enim frequenter in hebrr. et arabb. literis usu venit, ut altera similis pro altera, prolatione simili, ponatur; utraque vero ם et ב labiis pressis pronuntiatur, unde et apud Arabes illarum permutatione nihil frequentius. Quemadmodum igitur Hiskiae, regis, carmen, quod Jes. 38, 9 — 20. legitur, מִכְתָּב לְחִזְקִיָּהוּ *scriptum Hiskiae* inscribitur, ita sex istis Pss. מִכְתָּם לְדָוִד praenotatum est, quod non dubito interpretari: *scriptum Davidis.* Et fortassis מכתם vetus ille titulus est, vel a Davide ipso, vel ab alio quodam, qui ipsi aequalis esset, praescriptus, qui in paucis illis carminibus servatus est, quum in aliis plurimis usitatius posterioribus temporibus מִזְמוֹר pro illo substitueretur.

מ

מַחֲלַת, praemissa part. עַל, reperitur Ps. 53. et 88. Atque ex loco quidem posteriore, ubi cum לַעֲנוֹת, *alternis* choris *canendum*, sive simpliciter *canendum*, jungitur, musici instrumenti nomen esse apparet; sed qualis? hodie vix aliquis definiat. Pie-

risque *tibiarum* videtur genus esse, a חָלַל *perforavit*, quod esset instrumentum musicum *perforatum*. G. B. Winer in Simonisii *Lex. Hebr.* post Eichhornium a se edito, p. 328. מַחֲלַת e lingua Aethiop. interpretatur *canticum*.

נ

נָגַן significatione convenit cum verbo הִפַּשׁ *attrectavit*, quod Genes. 4, 21. de musicorum instrumentorum tractatione dicitur (תּוֹפֵשׂ כִּנּוֹר *tractans citharam*), imprimis vero cum Graeco *κρούειν*, *pulsare*, i. e. digitis vel plectro, radiolo, calamo aut paxillo attrectare instrumentum musicum, ut sonum concinnum edat. Ita 1 Sam. 16, 23. *David* לָקַח אֶת־הַכִּנּוֹר וְנִגֵּן בְּיָדוֹ, *prehendit citharam et pulsavit manu sua.* Hinc נְגִינוֹת, quod in Pss. 6. 54. 55. 61. 76. inscriptione legitur, *instrumenta pulsatilia* denotat; et fortasse omnium eorum instrumentorum, quae fidibus instructa essent, commune erat nomen. Quare recte Aquila *ἐν ψαλμοῖς*, atque Symmachus, et is quidem elegantius, *διὰ ψαλτηρίων* vertit.

נְחִילוֹת Ps. 5., praemissa part. אֶל, inscribitur. Qua dictione non pauci *carminis argumentum* existimant indicari. Nec hi tamen consentiunt. 1) Graeci vertunt *ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης*, *pro ea, quae haereditatem consequitur*, ut Vulgatus reddit. Videntur *gentem Israeliticam* intellexisse, cui Cananaea terra, ex veteri opinione, haereditas obtigit, unde Ps. 105, 11.: concedam *terram Cananaeam* חֶבֶל נַחֲלַתְכֶם *portionem haereditatis vestrae.* Sed confuderunt נְחִילוֹת cum נַחֲלוֹת, quod *terras* denotat, *quae jure haereditario* possidentur, Jos. 19, 51. Jes. 49, 8. 2) Quum Chaldaeis נְחִיל *examen apum* significet, Jarchi nostro נחילות *multitudinis, exercitus* notionem inesse existimat, ut carmen illud esset oratio, a Davide populi universi nomine fusa, propter exercitus hostiles Israelitas oppugnantes. Cui sententiae carminis argumentum minime videtur suffragari. Equidem adstipulor iis, quibus נְחִילוֹת *organi musici* est nomen, quive נְחִילוֹת, vel potius נְחִלּוֹת (ut נְסִבָּה a סָבַב 2 Chr. 10, 15.) diei putant *organa cavata, quae inflantur*, quod genus tibia, quae propterea simpliciter חָלִיל audit, a חָלַל. Chaldaeus quoque *tibias* vertit. Nec obstat instrumento musico, quod part. אֶל, non עַל, praemittitur. Est enim loquutio, qualis illa Latinorum: *canere ad tibiam.*

נָצַח *vicit, praevaluit, eminuit*, hinc לַמְנַצֵּחַ 53 Pss. praescriptum, in cujus explicatione in duas potissimum partes discedunt. 1) Aliqui *Infinitivum* esse putant, atque ad vocem referunt, et horum quidem rursus *a*) alii simpliciter *ad canendum* vertunt, Chaldaeo praeeunte, qui *ad laudandum*, i. e. ad hymnum canendum reddit. Atque *canendi* quidem notionem verbo נָצַח tribuunt nonnulli ex 1 Chr. 15, 21., veluti J. D. Michaelis, qui verba, quae illo loco occurrunt, בְּכִנֹּרוֹת עַל־הַשְּׁמִינִית לְנַצֵּחַ, sic

vertit: *cum citharis octo chordarum ad canendum*, vel pulsandum. Verum hoc ipsum: נִצַּח eo loco *canere* significare, perquam dubium est, et a multis aliis non male vertitur: *ut praeessent.* *b*) Alii vero *eminentiae superantis* significationem, quae est in verbo נָצַח, atque hinc vocabulo מְנַצֵּחַ, de *vocis* et *soni eminentia* interpretantur, ut existiment, eos Pss., quibus hoc praescribitur, *acuta voce*, et modis clamosis et intensissimis, qui superent ceteros, decantandos. Sed quum voc. מְנַצֵּחַ ceteris omnibus V. T. locis v. c. 2 Chr. 2, 2. 17. 34, 13. manifesto *Adjectivum* sit, ego adstipulor iis, qui 2) מְנַצֵּחַ de *Magistro Cantorum* interpretantur, quum verbum, ut statim initio monuimus, significet *eminentiam superantem* alios, qualis est eorum, qui praefecti sunt aliis, et operas aliorum gubernant ac regunt, unde 2 Chr. 2, 2. 17. 34, 13. מְנַצְּחִים *praefecti* et inspectores *operariorum.* Illam igitur inscriptionem si ad Musicam templi referamus, מְנַצֵּחַ erit *Magister Cantorum*, aut Chori musici, qui Chorus cum cymbala, buccinas, nabla, citharas, id est, et quae inflantur, et quae fidibus intenduntur, organa habuerit, quorum modi ad verba carminum, et vocis humanae musicam adhiberentur; nimirum *utriusque musicae*, et chirurgicae, et voce canentium, *Magister* s. *Praefectus* intelligitur. Cum igitur in Ps. 4. titulo לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת legitur, id haud dubie ita explicandum erit: *chori musici praefecto* tradendum, ut *cum fidicinibus caneretur.* — Alexandrinus לַמְנַצֵּחַ fere ubique εἰς τὸ τέλος, *in finem*, ut Vulgatus reddit, vertere solet. Quam versionem plerique quidem sensu prorsus carere existimant. Quod tamen aliter visum est AGELLIO (*Commentarii in Psalmos et in divini officii cantica.* Romae 1606. tum Coloniae 1607. denique Paris. 1611. in forma max. in *Prooemio* in Pss. p. 9.), qui illa loquendi formula et *assiduitatem* ac *diuturnitatem*, et *consummatae rei perfectionem*, pro eo, quod est *prorsus*, *omnino*, *penitus*, significari observat. „Prioris exemplum est Ps. 74, 10. *Usque quo, Domine, improperabit inimicus, irritat adversarius tuus* nomen tuum εἰς τέλος, h. e. *assidue*, *perpetuo irritat*, et Ps. 103, 9. quum in Graeco sit οὐκ εἰς τέλος, *non in finem ulciscetur*, docte vertit Vulgatus: *non in perpetuum ulciscetur.* Ejusmodi exemplum etiam est Luc. 18, 5. ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με, *ne assidue veniens mihi iniquitatis notam inurat.* Alterius modi exemplum est Ps. 38, 6. *Miser factus sum et curvatus sum usque ad finem*, εἰς τέλος, quod in Hebraeo est, עַד־מְאֹד, *usque ad summum*, quo loco clarum est, eos vertisse *usque in finem*, pro eo quod est *prorsus*, *penitus*, *curvatus sum.*“ Priori igitur significatu si accipiatur illud εἰς τὸ τέλος, indicabitur, Psalmos, quibus ea verba sunt praescripta, non statis certisque diebus cantatos fuisse, sed *assidue resonasse.* Si vero altera significatione ista loquutio accipiatur, indicabitur, Psalmos illos *summa contentione*, summo nisu atque conatu, ac perfectissime cantatos fuisse.

ש

שִׁגָּיוֹן, quod Ps. 7. praescribitur, a שָׁגָה *erravit*, plerique *Oden* notare existimant *erraticam*, i. e. talem, quae non uno metrorum genere, sed varie intercurrentibus et inaequalibus versibus constat; seu in qua cantanda uni non insistatur tono, sed ab alio ad alium transeurratur, id quod magnis animi motibus, atque angustiis, quibus oppressus Davides illud carmen edidit, optime conveniat. Sed aptius etymon offert Arab. شغر, *anxius, moestus fuit*, ut שִׁגָּיוֹן sit *carmen viri moerore oppressi*, qualis inscriptio non illi tantum Psalmo, verum Habacuci quoque carmini (c. 3.), cui eadem praeposita est, bene congruit.

שִׁיר *carmen omne cantioni destinatum* significat, sive assa voce, sive fidibus conjunctis canendum. Ubi vero in titulo carminum שִׁיר מִזְמוֹר (ut Ps. 48. 66. 83. 88. 108.), vel ordine transposito, מִזְמוֹר שִׁיר (ut Ps. 30. 37. 60. 65.) extat; pleonastica ea loquutio est, sermoni hebr. perquam familiaris, ex qua saepe conjunguntur voce. synonyma, veluti Dan. I, 20. חָכְמַת בִּינָה *sapientia intelligentiae*, Jes. 33, 23. עַד־שָׁלָל *praeda spolii*, Num. 19, 2. חֻקַּת הַתּוֹרָה *statutum legis*.

שִׁיר הַמַּעֲלוֹת Vid. argum. Ps. 120.

שָׂכַל praeter alia plura etiam *intellexit* significat, unde nomen מַשְׂכִּיל, quod in 13 Pss. titulis legitur, *carmen didascalicum* vertere solent. Primus quidem illo insignis 32., carmen didascalicum s. erudiens, recte dici possit, sed aliis non aeque aptum. Quare Michaeli adstipulor, qui a *ligandi* notione, quae Arab. سكل inest, Hebr. מַשְׂכִּיל *ligatam orationem*, *carmen* dictum putat, quod genericum poematis nomen forte ex usu ad certum aliquod poematum genus restrictum fuerit.

שְׁמִינִית Pss. 6. et 12. praenotatum, organi alicujus musici nomen fuisse, cognoscitur ex 1 Chr. 15, 21., atque quum שְׁמִינִי *octavum* alias denotet, plerique *citharam*, *octo chordis* instructam, s. *octochordon* illud fuisse putant. Aliis est organon musicum, reliquis Octavâ (ut musicis dicitur) respondens, quale nobis *Viola*.

עַל־שׁוֹשַׁנִּים Pss. 45. 60., atque עַל־שׁוֹשַׁנִּים Pss. 69. 80. inscribitur. Quod alii de *organo musico*, quod forma *lilio* simile fuisset (ejus enim floris nom. hebr. שׁוֹשַׁן est); alii de noti cujusdam illorum temporum carminis initio, ad cujus modos et illa cantanda essent, interpretantur. Alii *argumentum* carminis referunt, vertuntque *de laetitia*. Sed quemadmodum nos עַל־שְׁמִינִית, עַל־הַגִּתִּית, עַל־מָחֲלַת de organis musicis, ad quorum concentum carmina illis titulis insignita canenda essent; ita nec istae inscriptiones aliter capiendae videntur, quamvis quale organorum genus nomine שׁוֹשַׁן significetur, hodie frustra quaeratur. Multo minus de ejus, quod Ps. 60, 1. 80, 1. additur, עֵדוּת, significatione quidquam afferri potest, quod veri aliqua specie se commendaret.

Usitatam *testimonii* notionem parum utrique loco aptam esse, quisquis intelliget ipse.

ת

תְּהִלִּים Vid. supra תְּהִלָּל.

תְּפִלָּה *oratio, supplicatio*, Pss. 17. 86. 90. 102. et Habacuci Odae cap. 3. praenotatur. Vid. EICHHORNII *Bibl. lit. bibl.* P. 5. p. 552. et nos ad Habac. 3, 1.

ADDITAMENTUM.

De vocabuli סֶלָה *significatione potiores sententiae breviter enarrantur.*

De significatione voc. סֶלָה, in Pss. *septuagies semel*, et in Habacuci Elegia *ter* obvii, in duas potissimum partes Interpp. discedunt. 1) Alii סלה pro *singulari integroque vocabulo* habent, quorum *a*) alii illo *certam sententiam*, et quidem vel *perpetuitatem* significari existimant, ut Aquila, qui εἰς τὸν αἰῶνα, *in aeternum*, atque Chaldaeus, qui *in secula seculorum*, vertit: id quod nonnullis quidem locis aptum est, sed longe pluribus minime, veluti Ps. 81, 8. Hab. 3, 3. 9. 13., imo sensum plane absonum efficit Ps. 32, 4. 7. Anne enim *semper* aestas? Anne *semper* securi omnes homines? Ps. 68, 8. Anne Deus *in aeternum* coram populo praecessit in deserto? Vel *confirmationem* et *asseverationem* notare existimant, ut vertendum sit *certe, sic est;* vel *votum* et *apprecationem*, γένοιτο, *ita fiat!* vel denique *admirationem* et *exclamationem*, quasi nota quaedam ἐμφατική et ἐπιφωνηματική esset. Quae omnia merae sunt conjecturae, argumentis prorsus destitutae, ut taceam, nullam illarum significationum *omnibus*, quibus סלה positum est, locis, aptum esse. Quare multo magis eorum probanda videtur sententia, qui *b*) סלה *notam musicam* esse censent. Nec hi tamen consentiunt. Alii *cantus et modorum musicorum immutationem*, quasi novorum modorum introductionem, illo notari putant, quod LXX praeiverunt, qui διάψαλμα vertere solent, quod Suidas μέλους ἐναλλαγήν esse dicit. Alii, quod verbum סָלַל *elevavit*, *exaltavit* significat, *elevandam* esse *vocem*, voc. סלה juberi existimant. Ab *elerandi* significatu KAISER (*Histor. Erklär. der Psalmen* Erlang. 1827. p. 14. seqq.) סֶלָה habet pro voce, qua Deus ad ferendum auxilium invocetur, ut קוּמָה *surge*, cum arca sacra sursum tollebatur, Num. 10, 35. Alii *intermissionem cantus*, *pausam*, ut, cantoribus silentibus, sola organa musica audirentur, ea nota significari arbitrantur; cui sententiae patrocinatur Syriacum ܣܠܐ *quievit, siluit*. Quod mihi

quidem omnium optime placet. Cf. not. ad Habac. 3, 3. et vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. 4. p. 10. — 2) Alii, qui סלה pro *scriptionis compendio plurium vocabulorum habent* (frequentia enim hujusmodi scribendi artificia Syris, Arabibus et Judaeis, solentque ejusmodi literis conjunctis suas etiam vocales addere), in eo quidem consentiunt, significare vocabula ad musicam pertinentia, sed qualia magnopere dissentiunt. Marc. Meibomius in *Interpretatt. Novv. in Cod. V. T.* Specim. 1. p. 87. sic interpretatur: סֹב לְמַעֲלָה חָשָׁר, *redi sursum cantor*, ut conveniat cum Italorum *da Capo.* Alias conjecturas in medium attulit Vir quidam Doctus in Eichhornii *Biblioth. Lit. Univers. Bibl.* P. 5. p. 545. sqq. J. D. Michaeli quoque in *Supplemm.* סלה compendium scriptionis esse videtur, literis initialibus, vel etiam aliis, pro integris vocibus positis, quas voces quidem aliquid musici significare existimat, quid autem? de eo conjecturam facere audax ipsi videtur, quum tota prope musicae Hebraeorum notitia nobis una cum vocabulis perierit.

SCHOLIA
IN
PSALMOS.

Ps. 1.

Docet, pios in Jehovam, ac legum ejus studiosos et amantes beatos existere (Vs. 1 — 3.), contraque omnes improbos miseros esse (Vs. 4 — 6.). Nihil in hoc Ps. occurrit, quod de certis quibusdam personis, aut certis rebus gestis cogitari nos jubeat. Nec an Davidis, aliusve poetae carmen legamus, definiri potest. Commendatur in universum probitatis et virtutis studium, proposita diversa piorum et impiorum sorte. Axioma illud a Stoicis olim tantopere decantatum exprimitur, quod strictim Socrates apud Platonem: *οἱ ἀγαθοὶ τῶν ἀνθρώπων εὐδαίμονες, οἱ κακοὶ ἄθλιοι.* Quae probitatis commendatio ab eo, qui collegit Psalmos, ceteris non incommode prooemii loco praemissa est. Ex quo factum videtur, ut primum hoc carmen in aliis Codd. non sit numeratum, in aliis vero secundo junctum. Sed ut Pss. 1. et 2. olim unum fecisse credamus, vetat styli diversitas. Nam quum in Ps. 1. stylus sit planus et facilis, in 2. est elatior, animosior, fortior, qualis esse solet viri indignabundi et confidentis, quique hostium insultus cum contemtu adspicit. Cf. argumentum Ps. 2.

1. אַשְׁרֵי הָאִישׁ *Beatitudines illius viri! Felicia viro!* ἐπιφωνηματικῶς. Vim enim interjectionum accipiunt nomina quaedam, abrupte, ob adfectum animi commoti enuntiata, e. g. חָלִילָה *profanum*, pro *absit!* 1 Sam. 20, 2. אִישׁ pronominis vices sustinet; nam uti saepe *quemlibet*, *aliquem* significat, sic h. l. est i. q. lat. *homo*, i. e. *ille*. רְשָׁעִים — אֲשֶׁר *Qui non ambulat in consilio impiorum*, i. e. qui non versatur cum improbis, qui non instituit vitam de consilio et sententia improborum. Praeteritum (הָלַךְ) saepe de eo, quod quis facere *solet*, vel quod omni tempore eodem modo se habet, ἀοριστῶς usurpatur, atque per nostrum Praesens commode exponitur. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 763. וּבְדֶרֶךְ חַטָּאִים לֹא עָמָד *Neque in via peccatorum consistit*, i. e. perstat (Coh. 8, 3.), eam non persequitur, sed si vel errore in eam

abreptus fuerit, revocatus statim revertitur. דֶּרֶךְ *via*, saepissime pro *instituto* et *ratione vivendi*. רְשָׁעִים et חַטָּאִים etymis ita differunt, ut illi sint proprie *turbidi*, *turbulenti*, חטאים vero *lapsabundi*. H. l. tamen utrumque voc. promiscue positum est pro *improbis* et *impiis*. וּבְמוֹשַׁב לֵצִים לֹא יָשָׁב *Et in sede irrisorum non sedet*, non considet in communi subsellio cum his, quibus lusus jocusque est religio et veritas, horum amicitias et consuetudines fugit. יָשַׁב saepe congressum et familiaritatem significat, ut Ps. 26, 4. לֵצִים (a לָצַץ i. q. לוּץ propr. *torquere*, praesert. labia irridendo) *sanniones*, h. l. sunt *irrisores*, qui eos, qui virtutem et pietatem colunt, deridet, vel homines nefarii et scelesti, qui non tam verbis, quam factis injuriam aliis inferunt, ut Prov. 3, 34., ubi לֵצִים et עֲנָוִים opponuntur, coll. ibid. 21, 24. Ceterum in tribus hujus Vs. membris gradationem sibi reperisse videntur nonnulli interpretes hanc, ut verbis singulis respondeant in membro quolibet sequenti verba graviora; quam quidem gradationem et in substantivis לצים, חטאים, רשעים, et in vocc. עצה, משב, דרך, et verbis ישב, עמד, הלך inesse existimant. Sed non dubium, esse *ἐπιμονήν*, distributione trimembri illustratam.

2. כִּי אִם *At vero*, *e contrario*, ut Vs. 4. Prov. 18, 2. Jes. 59, 2. בְּתוֹרַת יְהוָה חֶפְצוֹ *In legem Jovae est propensio ejus*, cujus omne studium est in lege Jovae. תּוֹרָה propr. *monstratio* (Gen. 46, 28. Ex. 15, 25.), hinc *doctrina*, *lex*, qua monstratur, quod oportet facere, *institutio*. חֵפֶץ (a חָפֵץ) prorsus respondet lat. *inclinatio*, pro *affectu propenso* in aliquid. וּבְתוֹרָתוֹ יֶהְגֶּה יוֹמָם וָלָיְלָה *Et de lege ejus meditatur dies noctesque*, commentatur ea, quae lex Jovae postulat, et commentatione tali assidua dies noctesque se occupat. Eadem locutio occurrit Jos. 1, 8. הָגָה et de *animi cogitatione*, et de *sermone* dici, docent loca luculenta. Priori sensu occurrit Ps. 19, 15. (ubi הֶגְיוֹן לֵב opponitur אִמְרֵי־פִי), 49, 4. Prov. 24, 2. Jes. 33, 18.; posteriori Ps. 35, 28. 37, 30. Prov. 8, 7. Hic significat *meditari* sensu latissimo, i. e. non solum memoria et animo repetere praecepta Dei, sed etiam iis exsequendis exerceri. *Die et nocte*, i. e. perpetuo, indefesso studio, ex usu omnium linguarum.

3. וְ ante הָיָה h. l. vert. *nam*, ut Ps. 60, 13. 108, 13. Prov. 4, 18. al., rationem enim, cur pius beatus sit praedicandus, reddit: probus est felix, similis arbori, laetissime florenti etc. מַיִם — פֶּלֶג *Estque sicut arbor plantata ad rivos aquarum.* עֵץ h. l. quidam de singulari aliquo arborum genere volunt intelligendum, quod ad pii felicitatem exprimendam quaelibet arbor non sit apta. Atque plerique quidem ad *palmam* (coll. Ps. 92, 13.) alludi putant, quae centum fere annos viret laetissime, quotannis fructum largum reddit, atque loca irrigua amat. Ceterum eadem imagine utitur Jeremias 17, 8. de homine, qui in Jehova fiduciam ponit. פַּלְגֵי־מַיִם *divisiones, divortia aquarum* (LXX: *διέξοδοι*

τῶν ὑδάτων) videntur esse canales ad rigationem hortorum arte diducti. Jes. 58, 11. prosperitas reipublicae Judaicae renovata comparatur *horto irriguo*. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. 4. No. 180. בְּעִתּוֹ — אֲשֶׁר *Qui fructus reddit tempore suo*, i. e. quotannis, eo, quo exspectatur, tempore. Haec vero verba in comparatione non ad similitudinem diriguntur, sed ad perpetuam felicitatem et conservationem tota comparatio dirigitur, ut docent quae sequuntur. וְעָלֵהוּ לֹא־יִבּוֹל *Cujus folium non marcescit.* Statum hominis fortunae copiis florentis Orientis poetae imagine *arboris laete vigentis* amant exprimere. Vid. Job. 8, 16. 15, 32. וְכֹל — יַצְלִיחַ *Et quidquid faciat, prospere succedet.* Quum עָשָׂה etiam de arbore dicatur, fructus proferente, ut Jes. 5, 4. 37, 31. neque non צָמַח Ez. 17, 9. 10. de arbore feliciter vireseente usurpetur; fuerunt interpretes, qui haec verba non ad *probum*, verum ad *arborem* referrent. Sed non desunt exempla similis in uno eodemque Vs. translatorum eum propriis permutationis. Cf. Lowth *de sacra poesi Hebr.* p. 111. edit. Lips. Accedit, quod, quum jam praecessisset: *quae edit fructum stato tempore, cujus folia non marcescunt*; ταυτολογία vix toleranda esset, si etiam verba: *quidquid fructuum producit, prospere perficiet*, ad arborem referrentur. Sensus potius est hic: erit pius instar arboris fructiferae, et omnia prospere ipsi succedent.

4. Contra impii homines paleis similes sunt, quarum levitas ventorum exagitationi exposita est, et ab his jactatur et abripitur. Imago inde est repetita, quod, vel eum frumentum more orientalium teritur in loeis editis (מֹץ הָרִים Jes. 17, 13.), vel ventilatur in areis, quae in istis terris sub dio erant, et etiamnum sunt, palea vento dispergitur. Vid. *d. a. u. n. Morgenl.* P. 4. No. 781. Atque haec quidem imago adeo apta visa est poetis hebraeis, ad subitam, qua infelix redditur improbus, conversionem rerum exprimendam, ut eam saepius usurpent, veluti Ps. 35, 5. Hos. 13, 3. In verbis: אֲשֶׁר־תִּדְּפֶנּוּ Pron. relat. אשר absolute positum est: *ad quam* (paleam) *quod attinet, dispellit eam* ventus, ut ex genio linguarum Occidentis illud אשר modo relationi indicandae inserviat, ut Jer. 1, 2. אֲשֶׁר אֵלָיו *ad quem*, Deut. 28, 49. אֲשֶׁר לֹא־תִשְׁמַע לְשֹׁנוֹ *cujus linguam non intelligis.* In priori hujus Vs. membro LXX pro לֹא־כֵן הָרְשָׁעִים ponunt: *οὐκ οὕτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ οὕτως*, quasi לֹא־כֵן bis legissent. Idem sequuntur Vulgatus et Arabs, qui ex Graeco verterunt. Sed et Syrus, qui e textu hebr. vertit, in Cod. Erpenii suum לא הכנא repetiit, quod tamen in Cod. Usserii margini adscriptum fuit. Et recte quidem, ut mihi videtur.

5. בַּמִּשְׁפָּט — עַל *Itaque improbi non consistent* scelerum convicti prae metu et horrore *in judicio.* Eo nonnulli intelligunt humanum tribunal, coram quo impii causa cadant. Sed recte Chaldaeus: *non insontes erunt in die magna*, i. e. in extremo

judicio, ut Cohel. 11, 9. 12, 14., quod *judicium* κατ' ἐξοχήν dicitur, et h. l. indicatur per ה artieuli, cujus nota est Pathach sub ב praefixo. וְחַטָּאִים בַּעֲדַת צַדִּיקִים *Neque facinorosi* scil. consistent *in coetu justorum*, reis enim inter insontes locus non est, damnati cum his commune nihil habent.

6. צַדִּיקִים — כִּי *Novit enim Deus viam proborum*, hos solos agnoscit et curat, et vitam et studia corum approbat atque adjuvat. יָדַע, *nosse*, saepe: *curare*, *curae cordique habere* (ut Prov. 12, 10.), unde *non nosse* i. q. *non approbare*, *improbare*, Ps. 101, 4. Hos. 8, 4. וְדֶרֶךְ רְשָׁעִים תֹּאבֵד *Via autem improborum perit*, omnia eorum studia et instituta in nihilum rediguntur. תֹּאבֵד *perit*, *irrita fit*, ut Ps. 9, 19. *spes miserorum non semper irrita erit.* 112, 10. *spes impiorum irrita est.* Non assequitur improbus, quod quaerit, verum in damnum et malum irruit. Quod verba יָדַע et אָבַד non satis sibi opposita sunt, quod antithetorum parallelismus flagitat, id explicandum est ex more poetarum hebrr., quo in antithetis membrorum oppositum saepe reticent, ex alterius oppositione supplendum. Proinde h. l. antithesis ut plene constet, in utraque periochae parte ex parte altera aliquid supplendum, hoc pacto: *Novit Deus probatque studia atque consilia proborum, eaque ideo consistent et perstabunt, at non novit probatve, imo odio habet, studia et consilia malorum, eaque itaque irrita fient.*

Ps. 2.

Contra regem aliquem Israeliticum hostes ad bellum consurgunt (Vs. 1 — 3.); horum molitiones tamen irritae erunt, quum a Jova rex ille sit constitutus, summa accepta in hostes potestate (3 — 9.). Dehortatur itaque poeta hostes a vanis conatibus (10 — 12.).

Davidis esse hoc carmen, vetus opinio est, jam usque ab Apostolorum ducta temporibus (Act. 4, 25. 26. 13, 33.). Sed de Davide cogitare vetat, quod Vs. 6. rex, qui hoc carmine celebratur, in *Sione* monte inauguratus dicitur. Quod Davidi minime convenit, qui primum, Saulo vivente, *Bethlehemi*, a Samuele (1 Sam. 16, 1 — 3.), postea, quum regnum ipsum capesseret, *Hebrone* (2 Sam. 2, 1 — 4.), a tribus Judae proceribus, rex esset consecratus. Accedit, quod hoc carmine gentes inerepari videntur imperio Israelitarum jam subjectae, quae, quum novum regem electum esse audissent, in seditionem consurgerent. Sed quum Davides imperium susciperet, nullae gentes exterae Israelitis paruerunt. — Sunt, qui Salomonem hoc Ps. celebrari statuant, hac potissimum ratione moti, quod omnium, qui unquam regnum Israeliticum tenuerunt, solus ille, postquam ad Gihonem fontem rex unctus atque renunciatus esset, regali pompa Sionem conscendebat (1 Reg. 1, 45.). Tum etiam, quod oratio, quae Vs. 7. proponitur, ad

Salomonem optime congruat. Narrat enim ibi aliquis, se appellatum quandoque esse Dei filium. Jam vero quum totus hic locus pendeat ex auctoritate alterius loci, qui 2 Sam. 7, 12. 13. commemoratur, ad hujus loci sententiam nostri interpretatio attemperanda videtur; ibi vero non Davides Dei filius dicitur, sed aliquis ex ejus posteris, cujus nomen nondum editum est. Quae quum pugnare videantur cum Ps. 89, 27. 28., ubi certa hujus appellationis vestigia de Davide expressa sunt; respondent, potiorem esse loci in secundo Samuelis libro obvii praerogativam, et videri illum locum aliter intellectum esse ab Ethane vate, Ps. 89. auctore, et certis de causis ad Davidem traductum. Verum enimvero ut ad Salomonem carmen referamus, potissimum illud vetat, quod Psalmi initium invehitur in populos, qui regis a Jova constituti imperio se nolunt subjicere. Sed neque in Regum commentariis, neque in Annalibus brevioribus, populos finitimos, quos Davides sibi subjecerat, Salomone regnante adversus eum rebellasse perscriptum reperitur. Contra 1 Reg. 5, 4. 5. 18. 1 Chr. 22, 9. diserte dicitur, omnia pacata illo rege fuisse. — Jam quum neque ad Davidem, neque ad Salomonem hocce carmen commode referri queat, multo minus seriorum Hebraeorum alicui accommodari apte poterit; tam magna enim et praeclara sunt, quae de rege, de quo vates loquitur, praedicantur, ut in nullum eorum regum cadant, qui post Salomonem Judaicum aut Israeliticum regnum tenuerunt. Quare tutissimum erit, vetustiorum Hebraeorum sententiam sequi, canere Psalmum magnum illum regem, המשיח, *unctum κατ' ἐξοχήν* dictum, quem Hebraei sperabant futuro aliquo tempore rem ipsorum multo ampliorem et augustiorem, quam unquam antea fuisset, restauraturum, orbisque terrarum populos una cum suis regibus sub potestatem suam redacturum. Illorum igitur vanos conatus, tanti regis, a Jova ipso constituti et adjuti, imperio sese subtrahendi, jugumque ipsis impositum excutiendi, forma dramatica vates describit. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. 4. p. 783. Tempus tamen, quo compositum sit carmen, nemo facile definiverit. Ceterum Messiam hoc Ps. cani, persuasum erat quoque Petro (Act. 4, 25.) et Paulo (Act. 13, 33.), et ei qui Ep. ad Hebraeos scripsit (Hebr. 1, 5.), sed accommodarunt carmen illi, quem verum Messiam praedicarunt. (Nisi ipsis etiam Apostolis persuasum fuerit, esse in his librorum sacrorum locis, qui tunc temporis ad Messiam referebantur, Jesu Nazaretani personam adumbratam; quae res nondum satis est explicata. Interim legisse juvabit, quae scripsit V. D. quidam in literis ad Eichhornium datis, insertis *der allgem. Biblioth. d. bibl. Lit.* Vol. 5. p. 420. sqq.) Ipsum tamen Jesum Salvatorem vatis menti obversatum fuisse, nemo credat, qui, nulla praeconcepta opinione occupatus, secum reputet, quae Vs. 9. de crudeli, quod in populos devictos rex ille exerciturus sit, imperio leguntur. — Ceterum hic Ps. olim primus fuit, quod Ps. 1. tanquam prooemium, numeratus non esset. Hinc factum, ut Act. 13, 33.

carminis nostri Vs. 7. ut ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ extans in quibusdam exemplaribus Graecis excitetur. Et inveniuntur etiamnum Codd. Hebrr., in quibus nostrum carmen numero est primum. In aliis utrumque unum facit.

1. Abrupto initio statim prorumpit animi concitati affectus in acclamationem indignatione plenam. Videt pocta hostium turbas atque bellicosos tumultus, et nescius quasi et admirabundus, quid gentes commoveat, exclamat: *Quid tumultuantur insano cum strepitu gentes? et nationes meditantur inania?* רָגַשׁ, in dialecto Arab. proprie *tremuit fragore concussum coelum*, usurpatur etiam de *barritu cameli vehementiore*, *strepituque ac fremitu maris*. Syris etiam hoc verbum cum derivatis *strepitum*, *fragorem*, *fremitum* denotat. Hinc apud Hebraeos translatum ad strepitum tumultuantis multitudinis, quae, irarum ac minarum plena, murmura miscet, et in dira ac minantia verba erumpit, atque in aliorum capita irruit. Hinc רִגְשָׁה *turba* cum *strepitu* concurrens Ps. 64, 3. 58, 15. גּוֹי etsi propr. *populum quemcunque*, Israeliticum quoque significet (Gen. 12, 2. Exod. 19, 6.), Pluralis tamen גּוֹיִם constanter dicitur de gentibus aliis, quae non sunt stirpis Israeliticae. De nationibus aliis et לְאֻמִּים in altero hemistichio intelligendum esse, ostendit parallelismus. יֶהְגּוּ־רִיק *Meditantur vanum*, moliuntur inane quid, quod nullum eventum habebit, dum imperio ejus regis, quem Jova constituit, sese subtrahere conantur.

2. *Consurgunt in arma reges terrae, principes in foedera coëunt contra Jehovam, et, quem ipse unxit, regem.* מַלְכֵי־אֶרֶץ *reges terrae*, quos postea רוֹזְנִים *principes* appellat, sunt exterarum gentium reges, qui Jovae regisque ab eo constituti imperium amoliri conantur. הִתְיַצֵּב cum partic. עַל conjunctum plerumque valet *apparere*, *operam dare*, *ministrare* (Job. 1, 6. 2, 1. Zach. 6, 5. 2 Chr. 11, 13.), h. l. autem in malam partem ponitur de iis, *qui oppugnant alios*, *qui coëunt*, *conjurant*, atque adeo *consilia capiunt adversus aliorum caput et salutem*. Huic par est in membro altero הוֹסֵד, quod primum significat *recumbere super pulvino* (coll. arab. وساد *cervical*, *lectulus*, a وسد *ponere*, *supponere*, capiti, corpori, unde hebr. יָסַד *fundare*), etenim pro *sellis* etiamnum in Oriente in usu sunt *pulvinaria*, s. *lecti*, *omnes camerae parietes ambientes*, in quo et amici considere confabulantes solent, et consiliarii regum. Hinc translatum ad *deliberandum*, atque *consilia capessenda* (quemadmodum יָשַׁב et מוֹשָׁב Ps. 1, 1.). Atque cum יַחַד junctum verbum intimam familiaritatem designat, qua super *uno pulvino* recumbunt, et communia capiunt consilia, similiter Ps. 31, 14. *dum consilia contra me ineunt*. Hostes illi vero ipsi Jovae sese opponunt, dum cum aggrediuntur, quem *proregem* sibi constituit, עַל־מְשִׁיחוֹ, *quem sibi unxit* regem; ungebantur enim oleo et reges et sacerdotes, tanquam ad solennem renunciationem et consecrationem muneris

divini, quod gererent. Similiter Saulus 1 Sam. 24, 7. *a Jova unctus* appellatur. Summus enim Israelitarum rex erat Jova (Ex. 19, 4. sqq. coll. Deut. 33, 5.), qui sui vicarium sibi constituit; quare reges Israelitici dignitatem suam Jovae debere censebantur, vid. 1 Sam. 10, 17. sqq. 16, 1. sqq. coll. infra Vs. 6.

3. Hostes ipsi in scenam producuntur. Audimus clamores, quibus se mutuo ad seditionem ac bellum contra Hebr. regem exhortantur: *Vincula eorum rumpamus, abjiciamus a nobis eorum funes!* מוֹסְרוֹת *vincula*, et עֲבוֹת *funes* h. l. *imperii* et *dominatus* imagines sunt. Alterum enim Vs. membrum: וְנַשְׁלִיכָה מִמֶּנּוּ עֲבוֹתֵימוֹ vix aliter accipi potest, quam de jugo servili, quod populi subjugati a suis cervicibus dejicere conabantur. Verbum נָתַק in Arab. praeter alia etiam significat: *detraxit*, veluti pellem de corpore, atque *extraxit*, ut ex puteo urnam, ut prioris huj. Vs. membri sensus esset: *detrahamus vincula eorum.* Sed proprius Verbi נתק usus est in *filis, funibus* et *vinculis, quae rumpuntur*, veluti Jes. 5, 27. Jud. 16, 9. Eccl. 4, 12. Praecipue vero forma Piel de *rumpendis captivorum vinculis* usurpatur, ut h. l. et Jes. 2, 20. Jer. 30, 8. He paragogica in נְנַתְּקָה et נַשְׁלִיכָה vim *optativam* vel Subjunctivi modi habent, ut alias saepe in Futuris, v. c. Ps. 9, 3. אֶשְׂמְחָה וְאֶעְלְצָה *laeter et exsultem*, et Jes. 5, 19. יָחִישָׁה *acceleret*, תָּבוֹאָה *veniat*, et נֵדְעָה *cognoscamus*. Ceterum pronominibus affixis in מוֹסְרוֹתֵימוֹ et עֲבוֹתֵימוֹ adjuncta est *Vau paragogica*, ut in libris poeticis saepius, metri, ut puto, causa. Sic Ps. 21, 11. פִּרְיָמוֹ *foetus eorum*, 17, 10. פִּימוֹ *os eorum*, Deut. 32, 36. 37. אֱלֹהֵימוֹ et זְבָחֵימוֹ.

4. Sed impiae potentiae inanes conatus ridiculi sunt: *Qui in coelo habitat, ridet eos; subsannat eos Dominus.* יוֹשֵׁב בַּשָּׁמַיִם *in coelo habitans* vocatur Jova, ut Ps. 123, 1., quemadmodum Zeus apud Homerum: *αἰθέρα ναίων*, et dii apud Hesiod. *οἱ ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες*. Aben-Esra observat, regibus *terrae* opponere poetam illum, qui in *sublimi* resedeat. Verba לָעַג et שָׂחַק proprie ita differunt, ut hoc *ridere*, *deridere*, illud *subsannare* significet. Utriusque verbi proprietatem bene expresserunt LXX, cum pro יִשְׂחַק posuerunt *ἐχγελάσεται αὐτούς*, et pro יִלְעַג *ἐκμυκτηριεῖ αὐτούς*, quod verbum, a *μυκτήρ*, *nasus*, factum, proprie subsannationem indicat, quae fit cum crispatione et corrugatione nasi, ut *sanna* apud Latinos, unde Persius *Sat.* 5, 91. *rugosa sanna cadat naso.* Nec minus apte Aquila *μυχθίσει* posuit, quod Suidas *χλευάζειν*, *μυκτηρίζειν* interpretatur, i. e. *naso suspenso deridere.* Ad utrumque verb. h. l. subaudiend. est לָהֶם, expressum a LXX interpp. et in loco parallelo Ps. 59, 9.: *Tu vero, Jova,* תִּשְׂחַק לָמוֹ *deridebis eos* (hostes suos impios intelligit, quibus poenas denuntiat), תִּלְעַג לְכָל־גּוֹיִם *subsannabis omnes gentes.*

5. Sed ubi in vanis conatibus contumaciter persistent, Jova minis eos terrebit et percellet: *Tunc vero iratus eos compellabit,*

indignabundus perturbabit. אָז sunt quibus est adverb. temporis futuri, *jam*, *mox*, i. q. Vs. 12. מְעַט, ut יְדַבֵּר respiciat ad Jovae effatum Vs. 6. Mihi tamen אָז vertendum videtur *tunc*, sc. cum in vanis conatibus persistent; nam in iis quae sequuntur Jovae verbis, nihil iracundiae inest. Prius hujus Vs. membrum olim quidam ex Judaeis interpretati sunt: *tunc iratus heroas eorum perdet;* retulerunt יְדַבֵּר ad דֶּבֶר *mors*, *pestis* (Ex. 9, 3.), quo sensu דֶּבֶר etiam occurrit 2 Chr. 22, 10.; אֲלֵימוֹ vero, a nomine אֵילִים *fortes*, putarunt esse *proceres*, *heroas* gentium vicinarum, ut Ez. 17, 13. *abduxit terrae proceres.* Sed jam Aben-Esra observavit, אילים *fortes*, semper cum *Jod* scribi, neque hoc excidere posse, quum radix אַיִל (Ps. 88, 5.) *robur* sit. Quod in uno Kennicotti Cod. (76.) h. l. אילימו scriptum reperitur, scribae negligentiae tribuendum videtur. Quum apud Arabes vb. בהל inter alia etiam *exsecrare* significet, Michaelis hebr. בָּהַל h. l. eadem *exsecrandi* significatione sumit, quam parallelismo membri antecedentis, *loquetur ad illos in ira sua*, aptiorem putat. Verum ut taceam, ejus significationis vestigium nusquam alias in V. T. extare, ut itaque linguae hebr. usu ne recepta quidem olim fuisse videatur; certe vulgaris interpretatio sententiam magis poeticam atque fortiorem exprimit: *sola voce iracunda Jova hostium consilia confundit ac perturbat.* בָּהַל enim, quod apud Arabes in genere *solutum* et *praecipitem abire* significat, apud Hebraeos 1) de *festinatione* et *praecipitante cursu* (Esr. 4, 23. Coh. 5, 1.), 2) de *mentis perturbatione* usurpatur, quae cum *praecipitantia* et *soluto impetu* conjuncta est, ut 1 Sam. 28, 21. *vidit*, כִּי־נִבְהַל מְאֹד *eum valde esse perturbatum.* Ps. 83, 16. *Persequere*, Jova, *eos* hostes *tempestate tua* וּבְסוּפָתְךָ תְבַהֲלֵם *et turbine tua conturba eos*, et Vs. 18. יֵבֹשׁוּ וְיִבָּהֲלוּ *erubescant et conturbentur.* De exercitu, cujus ordines *turbantur* atque in fugam vertuntur, hoc vb. dicitur Jer. 51, 32.

6. Jova ejus, quem ipse regem constituit, contemtum ferre non potest: *Ipse ego unxi regem meum in Sione, monte mihi sacro.* נָסַכְתִּי Aben-Esra recte המלכתי *regnare feci*, interpretatur, nam in regis inaugurandi caput *effundebatur* (נָסַךְ) oleum; hinc נָסִיךְ i. q. מָשִׁיחַ, i. e. *princeps*, veluti Jos. 13, 21. Ez. 32, 30. Dicit autem Jova מַלְכִּי *regem meum*, quia is suo jussu regnat. Eodem sensu 1 Sam. 16, 1. *elegi ex filiis ejus* לִי מֶלֶךְ *mihi regem*, qui me colat, meaque jussa exsequatur. Sionem appellat: *montem sanctitatis meae*, quod *sanctuarium* ibi esset constitutum, vid. 2 Sam. 6, 17. LXX quum vidissent, Vs. 7. regem loqui, qui et in Vss., qui proxime praecesserant, locutus erat, ne hoc Vs. ejusdem personae oratio interrumpatur, hoc etiam comma regi tribuit: *ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιον αὐτοῦ*, quod sequuti etiam sunt, qui Alexandrinum verterunt, Arabs et Vulgatus: *ego autem constitutus sum rex ab eo*

super Sion montem sanctum ejus. Reliqui veteres omnes in vulgari versione consentiunt, ut adeo superflua sit quorundam opinio, qui LXX aliter in Codice hebr. legisse conjicerent. Subita autem personarum mutatio neminem offendet, qui complurium aliorum exemplorum in Pss. et alias obviis meminerit; illa potius perquam apta erat, si Psalmi diversis choris recitabantur (vid. 1 Chr. 16, 16—21.), quos, ubi carminis argumentum postularet, unius cantoris vox interpellabat. Nec h. l. illam Alexandrini interpretationem contextus admittit. Vid. ad Vs. sq. init.

7. sqq. Quod Vs. 6. attulerat, Jovae effatum, rex nunc disertius exponit, ut magis adhuc appareat, quam parum de hostium seditionibus sibi timendum sit. Provocat ad oraculum illud divinum, de quo Nathanes olim ad Davidem retulerat (2 Sam. 7, 12—14.): *Completis diebus tuis, si cum majoribus tuis obdormieris, filio tuo a te nato regnum confirmabo. Is mihi templum aedificabit, huic thronum regni sui stabiliam in perpetuum. Ego patris instar ero, ipse mihi instar filii.* Quod oraculum h. l. ad magnum illum regem, quem Ps. canit, trahitur: (Vs. 7.) *Jovae dictum promulgabo:* „*Tu, inquit, filius mihi es, ego hodie te genui.* (8.) *Roga, et gentes tibi dubo possessionem, terrae fines peculium.* (9.) *Ferreo baculo eos conteres, ut vasa figulina eos contundes!*“ חֹק est *decretum, statutum, edictum.* Verba אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק, quae Masorethae a יְהוָה divellunt, nos in vertendo, perspicuitatis causa, conjunximus, quum sensus eodem redeat, sive vertas: *narrabo decretum, Jova dixit mihi*, sive: *narrabo decretum Jovae, dixit mihi.* Quidam Hebraeorum interpp. particulam אֶל pro ל positum putant, ut vertendum sit: *enarrando ad statutum*, sc. quod Jova mihi dixit, i. e. tam sollicite promulgabo, ut abeat mihi in *consuetudinem* et *morem*, quam notionem חֹק interdum habet, veluti Jud. 11, 39. Haud pauci interpp. particulae אֶל h. l. vim notae Accus. אֵת tribuunt. Sed quae hunc in finem afferunt loca plane aliena sunt. In aliis enim, veluti Ps. 69, 34. Jer. 50, 29. אֶל conjunctum est cum verbo שָׁמַע, in aliis, Jer. 4, 23. 10, 2. Ez. 6, 10., ubi cum aliis verbis conjunctum est, latine quidem in vertendo Accus. exprimi vel potest, vel debet, sed ex linguae hebr. genio non alia, quam usitata significatione, *ad*, s. *secundum* sumendum est. Qua part. אֶל potestate retenta, et nostra verba vertenda existimo: *narrabo secundum*, juxta *decretum Jovae*, q. d. fas sit, totam rem disertius exponere, juxta celebre illud Jovae effatum. Vel etiam, ut alii volunt: *mundata Dei ad homines perferam ad praescriptum*, h. e. *ut nihil dissimulem simulemve.* LXX: *διαγγέλλων τὸ πρόσταγμα Κυρίου. Κύριος εἶπε πρὸς μέ.* Voc. *Κύριος* non bis legerunt, sed perspicuitatis causa repetierunt. Syrus hoc ineisum ad Vs. 6. trahit, ut partem orationis divinae efficiat, vertitque: *Ego constitui regem meum super Sion, montem sanctitatis meae,*

ut annuntiet statutum meum: ut Vs. 7. his verbis incipiat: *Dominus dixit mihi.* Itaque non absona conjectura esset Syrum literas אספרה ita pronuntiasse, ac si Fut. Hiphil cum suffixo 3. pers. exprimerent: אַסְפְּרֵהּ *narrare faciam eum*, pro חק vero in suo Cod. legisse חֻקֵּי, cujus vocis suffixum eo facilius librariorum multorum oculis effugere poterat, quod proximum יהוה eadem litera incipit. Sed redeundum est ad carminis contextum. Profertur divinum oraculum, quo Davide oriundus princeps Hebraeorum rex declaratus erat: בְּנִי אַתָּה אֲנִי הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ *Tu mihi filius, hodie te genui!* i. e. hodie te regem declaravi, pronuntiavi, elegi. Dei filius rex hic et alias (Ps. 89, 27. 28. 2 Sam. 7, 14.) dicitur non modo quod talis credebatur, qui Deo ipso sit magistro usus, qui sapientiam, prudentiam, animum in periculis intrepidum, in consiliis promtum, aequitatis et justitiae amantem a Deo acceperit (cf. 1 Reg. 3, 5. sqq. coll. 4, 29. sqq. 1 Sam. 16, 13.), sed maxime etiam ideo, quod regiam potestatem a Jova, summo Israelitarum rege, ex imperii forma theocratica, accipiebat, cujus vicarius itaque et prorex erat. C. D. Ilgen *de notione tituli Filii Dei, Messiae, h. e. uncto Jovae, in libris sacris tributi*, Jenae 1794. (insert. etiam P. 7. *der Memorabilien*), praecipue §. 4. 5., illam opinionem ad Israelitas manasse existimat ab Aegyptiis, quorum imperium a vetustissimis inde temporibus theocraticum fuit. Eadem de regia dignitate opinio pervaserat per animos Graecorum antiquissimorum, qui theocraticam imperii formam a Cecrope, Aegyptio, videntur accepisse. Hinc apud Homerum innumeris locis reges *διογενεῖς*, *διοτρεφεῖς*, *Διὸς υἱοὶ* etc. appellantur. Apud Graecos etiam, ut apud Hebraeos et Aegyptios regnum deus regi deferebat; nec raro, si plures de regia dignitate contenderent, res ad deorum oracula est delata. Verbis בני אתה ex parallelismi lege, tanquam idem significantia statim subjiciuntur: היום ילדתיך. Idem plane parallelismus, qui apud Jer. 2, 27. *qui ligno dicunt: pater meus es; lapidi: tu me genuisti!* הַיּוֹם vero ad illud tempus est referendum, quo oraculum hoc editum erat. Ilgen l. l. p. 162. verba nostra ita vertit: *Tu filius mihi eris, hodie te adopto*, ut בֵּן sit filius *adoptivus* (Ex. 2, 10.) et יָלַד *adoptare*. בֶּן־אֱלֹהִים igitur existimat esse posse, *quem Deus adoptavit filium.* In punctis vocalibus, quae verbo ילדתיך h. l. subjecta sunt, haeserunt non pauci interpp.; nam quemadmodum a פָּקַד ex praeceptis grammaticis פְּקַדְתִּיךָ formatur, ita a יָלַד debebat יְלַדְתִּיךָ poni. Sed quum praeteritum *Kal* vocalem terminalem non *Pâtach* modo, sed saepissime etiam *Zere* habeat (ut גָּדֵל *crevit*, יָבֵשׁ *aruit*, חָדֵל *flaccidus fuit, cessavit*); nostrum יְלַדְתִּיךָ ad יָלַד est referendum, unde accedente affixo et accentu deducto longa vocalis *Zere* in brevem *Chirek* erat immutandum, scribendumque legibus congruenter יְלִדְתִּיךָ. Ex eadem forma יָלַד est יְלִדְתָּנִי Jer. 15, 10., יְלִדְתָּנוּ 2, 27. et יְלִדְתִּיהוּ Num. 11, 12.

8. Dignum tali filio posce aliquid: aequum enim est, filii preces ad patrem deferri; omnem terrarum gentiumque orbem, tuae potestati, si poscas, submittam. גּוֹיִם enim ut de omnibus omnino gentibus, non tantum de vicinis, atque אַפְסֵי־אָרֶץ de totius terrae finibus accipiamus, suadet orationis poeticae vis et gravitas. De finibus s. terminis certae alicujus regionis גְּבוּל s. גְּבוּלָה usurpari solet, veluti Deut. 32, 8. 2 Reg. 14, 25. Num. 34, 3.; אֶפֶס autem est *finis rei*, ultra quem nihil est, ita ipso loco, quo ii nituntur, qui אפסי־ארץ hic fines Palaestinae interpretantur, Ps. 72, 8., ubi cf. not. De totius orbis terrarum finibus אפסי־ארץ etiam sumitur Ps. 59, 14. Jes. 45, 22. Ceterum parallela נַחֲלָה et אֲחֻזָּה proprie ita differunt, ut prius illud sit, quod jure haeredis accipitur, hoc latius, quod proprietatis et dominii jure tenetur, ut Graec. *κατοχή*, vid. Gen. 47, 11. Lev. 14, 34.

9. Quicunque ex his rebellabunt tibi, eos baculi ferrei ictibus confringes, et tanquam testas fictiles comminues. Verba תִּרְעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל LXX vertunt: *ποιμανεῖς αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ*. תִּרְעֵם itaque (ut formam *Pohel*) ad רָעָה *pavit* retulerunt. Alexandrinum vero secuti sunt non modo ex veteribus Syrus, Vulgatus et Arabs, verum etiam posteriores multi. Regem describi putant, qui gentibus duro imperio sit dominaturus, quod nimirum tumultuentur; hinc dici: *pasces eos*, i. e. reges hos *pedo* s. sceptro *ferreo*. Tum רָעָה, proprie *pascere*, per translationem de *regibus* usurpatur, ut 2 Sam. 5, 2. Ps. 28, 9. 78, 71., שֵׁבֶט autem de *pastoris pedo* accipiendum est, ut Lev. 28, 32. Ez. 20, 37. Ps. 23, 4. Quomodo *ποιμένες λαῶν*, *reges* apud Hom. ILGEN quoque (Memorabil. P. 7. p. 162.) *ferrea virga eos pasces*, vertit auctoritate locc. 2 Sam. 7, 7. 1 Chr. 11, 2. Ps. 78, 71. 72. Mich. 7, 14. Addit, רָעָה interdum etiam malo sensu legi, v. c. Mich. 5, 5. Me tamen parallelismi membrorum leges movent, ut תִּרְעֵם cum aliis, praeeunte Chaldaeo, qui *franges eos* vertit, ad רָעַע *conquassare*, *comminuere*, referam (forma eadem est, ut תִּסְכֵּם, sed *Dagesch* non recipitur a gutturali, ideo longa pro brevi vocali restituitur). Sic Jer. 15, 12. הֲיֵרָע בַּרְזֶל *an quis confringet ferrum?* Job. 34, 24. יְרֹעַ כַּבִּירִים *conquassat magnates*. בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל *Baculo* s. *sceptro ferri*, ferreo. Significatur regis a Jova constituti potestas invicta, labore facili graviterque pessundans adversarios quoslibet, adeo ut nemo eam queat cludere, vel impune ei resistere. Alluditur autem voce שֵׁבֶט ad baculos s. sceptra ducum militarium, quomodo v. c. Ulysses apud Homerum *Il.* 2, 265. sceptro suo percutiebat dorsum humerosque Thersitis. Ita Num. 24, 17. ex Israele dicitur surrecturum *sceptrum*, שבט, s. *baculus*, *confracturus duces Moabitarum*. Cf. Hab. 3, 10., ubi eodem modo synonymum מַטֶּה usurpatur. כְּלִי solum positum *instrumentum quodvis*, atque יוֹצֵר ex etymo quemvis fabrum significare potest; sed ex usu loquendi כְּלִי יוֹצֵר conjunctum semper *vas figuli*, a figulo

fictum, denotat. Ita 2 Sam. 17, 28. et in loco nostro parallelo, Jer. 19, 11. Eadem comparatio Jes. 30, 14., quo in loco נֵבֶל יוֹצְרִים aperte pro כְּלִי יוֹצֵר, quod apud Jerem. et h. l. exstat, positum est. נָפַץ, ut cognatum arab. verbum, proprie est *aliquid quatere violenter, vel projicere, ut dissiliat.*

10. sqq. Poeta nunc principes rebelles adhortatur, ut saniora consilia capiant: (Vs. 10.) *Ergo sapite, reges, disciplinam, principes, admittite!* (11.) *Colite Jovam reverenter, trepidi eum vereamini!* (12.) *Agite, tanto regi venerationis osculum figite, ne, si irascetur, res vestra pessundetur. Etenim ira ejus brevi exardescet; felices sunt omnes, qui ad eum confugiunt!* וְעַתָּה *Nunc itaque*, quum res ita se habeat, quum Jova regi, quem ipse constituit, tantam concesserit potestatem. ו hic habet vim concludendi vel inserendi, ut Ez. 18, ult. Hos. 11, 6. Ps. 7, 8. הַשְׂכִּילוּ *prudenter agite*, submittite vos regi illi. הִוָּסְרוּ *erudimini*, accipite correctionem; commoveamini argumentis. שֹׁפְטֵי אֶרֶץ *Judices terrae* h. l. respondent τοῖς βασιλεῦσι, ut Vs. 2. מלכי־ארץ et רוזנים; *regum* enim est *jus dicere*

11. Cum omni subjectione et reverentia Jehovae servite, ejus proregi vos submittendo. בְּיִרְאָה *cum timore*, i. e. reverenter, religiose. Verba וְגִילוּ בִּרְעָדָה plerique vertunt: *exsultate*, laetamini, *cum tremore*, quasi dicat: *Gaudete, talem vobis contigisse regem, memores interim, quantus sit, et quam metuendus, ne offendatur;* vel simile quid. LXX quoque: ἀγαλλιᾶσθε αὐτῷ ἐν τρόμῳ. Recte tamen Storrius (*Observv. ad analog. et syntax. hebr.* p. 38.) scribit: „גוּל (i. q. גִּיל) Arabibus item, ut דור, est *orbe se volvere, gyrare se, circumagi, circumire.* Quod quum pariter prae *laetitia* et *terrore* fieri possit, hebr. גוּל utrumque significare potest, tum *exultare gaudio, choreas ducere, tripudiare*, ut plerumque, tum *vertigine corripi, trepidare, in pavorem et luctum incidere*, ut Hos. 10, 5. Ps. 2, 11." Parallelismi leges h. l. non admittunt, verbum גִּיל alia quam usitata *tremoris* significatione accipere, quae optime respondet יִרְאָה in membro antecedente.

12. Verba נַשְּׁקוּ־בַר interpretes mirifice exercuerunt. 1) LXX verterunt: δράξασθε παιδείας, quod Hesychius explicat: λάβεσθε παιδείας, καὶ ἐπιστήμης, *accipite disciplinam et scientiam.* Hos sequuntur Vulgatus et Arabs, consentiente Chaldaeo. Quare autem illi בַּר *disciplinae, institutionis* significatione acceperint, diversae sunt sententiae. Verisimillima est, tribuisse LXX verbo נָשַׁק significationem Graeci ἀσπάζεσθαι, *cupide apprehendere*, nomine בַּר vero *pietatis* notionem, quae Arab. בר inest. Maxime autem isti interpretationi obstat, quod verba, quae sequuntur, פֶּן־יֶאֱנַף *ne irascatur*, flagitant, ut is, cujus ira metuenda sit, nominetur. Quod ipsum etiam obstat Jarchii interpretationi, quae tamen sensum non multum diversum efficit: *accingite*, armate, instruite

vos munditie s. puritate *cordis*. Sed recte Aben-Esra: „Sunt, qui נשק ad נֶשֶׁק (*arma*, Ez. 39, 10.) referant, ut sensus sit: *instruite vos armis puritatis*, nomine בַּר eadem significatione accepto, qua Ps. 24, 4. 73, 1. בְּרֵי לֵבָב. Sed hanc sententiam si poeta exprimere voluisset, ponere debuerat בֹּר, aut הַבַּר, aut כְּלֵי הַבַּר." 2) Aquila vertit: *καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς* (quod Symmachus: *προσκυνήσατε καθαρῶς*). בר accepit adverbialiter, ut מַר, *πικρῶς*, Jes. 33, 7., deduxitque a בָּרַר *separavit*, *delegit*. Eodem modo Hieronymus: *adorate pure*. Sensum magis secutus est, ut ipse dicit, quam verba. *Qui enim*, inquit, *advocant*, solent *deosculari manum et capita summittere*. Sed נָשַׁק simpliciter nusquam de *venerationis*, s. *homagii* oculo (de quo mox plura) ponitur. 3) Syrus interpres vertit: *osculamini filium*, quomodo voc. בַּר h. l. capi posse, etiam vidit Hieron. in Commentario. Ita interpretatur quoque Aben-Esra, qui contendit, בר eadem significatione esse capiendum, qua Prov. 31, 2. (מַה־בְּרִי וּמַה־בַּר־ בְּטְנִי *heus mi fili, mi uterine*), et convenire eum בְּנִי אַתָּה supra Vs. 7. Atque haec quidem interpretatio placuit plerisque ex posterioribus interpp., inter quos Pfeifferus in *Dubiis Vexatis*, p. 557. בַּר a בָּרָה selegit (ut חִי a חָיָה, קָן a קָנָה) proprie *prolem selectam* denotare existimat, sequiori oppositam. Doederlein in *Scholl. in libros V. T. poet.* ad h. l. p. 72. nostrum בַּר pro בֵּן poetice atque nobiliori vocula dictum esse arbitratur. בַּר quidem Chaldaica magis quam hebr. forma est, pro בֵּן. Sed stylus poeticus Hebraeorum ad Chaldaismum vergere, pluribus ostendit Gesenius in Praefat. ad Lex. hebr. maj. p. 25. sqq.; cf. ejusdem *Gesch. d. hebr. Spr. u. Schr.* p. 22. Dubitari tamen potest, num vates, simplici בַּר pro בַּר יְהוָה usurpato, *regem* hac voce indicarit. 4) Alius interpretationis Kimchi mentionem facit: „Potest etiam בר significatione *puri* accipi, qua occurrit Ps. 73, 1. *Certe Deus Israelitarum summum bonum est*, לְבָרֵי לֵבָב *his, qui puri corde sunt*. Tunc sensus erit hic: quid mihi et vobis est? sum enim mundo corde, nec ulla est in me erga vos iniquitas, propter quam ad proeliandum contra me conveniatis, sed me potius osculari debetis et profiteri, me esse ex divino mandato regem constitutum." Congruit Arab. בר *pius*, *benefaciens*, *justus*. Unde etiam verti possit: *Venerationis osculum figite justo illi regi!* 5) Sensum perquam aptum efficit quoque alia interpretatio a Kimchio memorata: „בַּר *electi* significatione accipi potest, qua occurrit Verbum 1 Sam. 17, 8. בְּרוּ־לָכֶם אִישׁ *eligite vobis virum;* ut h. l. *rex* electi nomine insigniatur, quemadmodum 2 Sam. 21, 6. Saul *a Jova electus* nuncupatur." In eandem cogitationem incidit Doederlein (in *d. Theol. Journ.* p. 175.), et, priori sententia mutata, בר a בָּרַר deductum *καθαρόν*, *ἐκλεκτόν* interpretatur, atque honoris cognomentum, regibus tributum esse censet, quemadmodum בָּחוּר, quod Ps. 106, 23. regibus Judaeorum et Jes. 42, 1. Cyro tribuitur. Eadem est Ilgenii sententia, qui verba nostra vertit: *Oscula*

figite ei, quem delegit. Notionem *eligendi* vindicat verbo בָּרַר ex 1 Sam. 17, 8. 1 Chr. 7, 40.; בַּר igitur ad formam רַךְ *miser*, דַּל *tenuis*, דַּק *minutus*, סַר *refractarius*, esset *electus*, coll. 1 Reg. 11, 34. 2 Sam. 6, 21.; ἐκλεκτός, Luc. 23, 35. coll. Matth. 27, 43. Addit: „objici posset, desiderari articulum; sed idem objici potest, si בר vert. *filius;* nam הַבַּר esset *hic* (David), *quem elegit;* sed בַּר est *is, quem elegit, quisquis sit.*“ — Ceterum voce. נַשְּׁקוּ־בַר sensum recte expressit Drusius in *Commentat. in* 19 *priores Pss.* in *Suppll. ad Critt. SS.* T. II. p. 1303. ita: *recipite hunc pro domino et rege vestro, ac praestate ei obsequium fidemque clientelarem.* Hujus enim signum fuit osculum. Mos regem deosculandi in India obtinuit, obtinetque in Arabia. Narrat enim Niebuhr (*Reisebeschr.* P. I. p. 414.), se cum sociis principis Sanaae manum dextram atque genua in venerationis signum osculatum esse. Cf. *d. a. u. n. Morgenl.* P. 3. no. 496. P. 4. no. 786. Atque apud Hebraeos quoque olim osculum venerationis signum fuisse patet ex 1 Sam. 10, 1., ubi Samuel, postquam regem inunxisset, in reverentiae testimonium osculo eum donasse narratur. Idola etiam eo modo colere s. adorare solebant, 1 Reg. 19, 18. Hos. 13, 2. Nec aliis antiquitatis gentibus hic mos inusitatus fuit. Xen. in Orat. de Agesil. *Receptissimus et plane patrius mos erat apud Persas, osculandi eos, quos in honore habebant.* Arrian. in Epictet. 1, 19. *Praefecturam quis adeptus? Omnes obvii ei gratulantur, alius osculatur oculos, alius cervicem.* Verba פֶּן־יֶאֱנַף *ne irascatur*, referenda videntur ad Jovam, qui regem illum constituit, quamvis nomen יהוה (Vs. 2.) remotius sit. Eadem ratione Ex. 15, 12. verba תִּבְלָעֵמוֹ אֶרֶץ *terra eos absorpsit*, respiciunt ad hostes, quorum Vs. 9. mentio fit. Verba וְתֹאבְדוּ דֶּרֶךְ LXX vert. καὶ ἀπολεῖσθε ἐξ ὁδοῦ δικαίας, Vulg. *et pereatis de via justa.* Eodem modo Syrus et Chaldaeus. Hi igitur interpp. haec verba acceperunt de *via*, quae ad regem ducit, i. e. ad ejus tutelam. Sunt qui דרך elliptice positum putent, pro בְּדֶרֶךְ, ut Num. 12, 5. פֶּתַח pro בְּפֶתַח *in ostio;* ut sensus sit: *ne pereatis in via*, i. e. in medio cursu conatuum hostilium vestrorum, antequam scopum contingatis. Sed rectius alii interpretantur: *ne pereatis quoad viam* (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 687.), respectu viae, i. e. ne pereat via vestra, ne pessumdetur res vestra, pessime consultum sit rationibus vestris. De hac notione voc. דרך vid. ad Ps. 1, 1. Verba כִּי־יִבְעַר כִּמְעַט אַפּוֹ quidam cum iis, quae proxime praecesserunt, *peribunt res vestrae*, ita conjungunt: *ubi paululum tantum ejus indignatio exarserit*, ut significetur, hujus irae effectum ita promtum esse, ut si vel paululum ardeat, consumtura sit omnes inimicos. Nam כמעט nonnunquam etiam ad *quantitatem* pertinet, ut Jes. 9, 1. Prov. 10, 20. Ego tamen mallem cum Jarchio ad *tempus* referre, et ita interpretari: *in momento exiguo*, subito in vos *ira ejus exardescet;* ut hoc incisum absolute sit dictum, nec cum antecedente conjunctum. Verb.

בָּעַר plerique interpp. intransitive, *exardendi* significatione sumunt, sed Aben-Esra transitivum hic esse censet, ut Ps. 83, 15. *sicut ignis sylvam consumit.* Itaque et h. l. *absumere* esse vertendum. Verba אַשְׁרֵי כָּל־חוֹסֵי בוֹ epiphonematice subjiciuntur, in antithesi quidem, sed non expressa: sicut iram Dei et poenas ab eo exspectare debent omnes, qui adversantur ei, ita contra, qui fidei ejus se permittent, incolumes et tuti erunt. Verbi חָסָה propria significatio videtur esse: *sub laciniam alamve vestis* potentioris alicujus *se recipere*, ut colligere licet ex nomine Arab. חאשיה, primum, *ora vestis*, tum *asseclae protectio*, quod *ora vestis* expanditur quasi super clientes a patrono praepotente, quodque olim sub laciniam alamve vestis recipi solerent, qui in clientelam suscipiebantur. Cujus rei exemplum inveni in Abulfedae Annalibus, ubi narratur, Muhammedem, quum inter captivas collactaneam sororem agnovisset, eam *injecto suo pallio tutam ab omni injuria praestitisse.* חוֹסֵי sequente praepos. ב forma regiminis posita est, ut saepe alias fieri solet, quando nomen alia quadam construendi ratione arctius conjungitur cum voce sequ., etiam intercedente particula, ut Ps. 84, 7. עֹבְרֵי בְּעֵמֶק *vallem transeuntes*, Jes. 33, 6. חָכְמַת וָדַעַת *sapientia et cognitio.*

Ps. 3.

Queritur primum de hostium multitudine atque insultatione, Vs. 2. 3. Sed mox superiorum temporum memoria, quibus tam multi divini favoris documenta acceperat, in spem ingreditur divini auxilii atque victoriae de hostibus reportandae, 4—7. Tandem divinae opis imploratione atque votis pro universo populo concludit, 8. 9. — Quum fugeret Absalonem filium (2 Sam. 15, 16. sqq.), hunc Ps. a patre decantatum esse dicit hebr. inscriptio, neque inest Psalmo quidquam, quod nos moveat, ut aliter statuamus.

1. *Davidis Psalmus, quum propter Absalonem filium suum fugeret.* E priscorum Rabbinorum sententia Ps. editus fuit, quum nudis pedibus atque operto capite Olivarum clivum ascenderet, 2 Sam. 15, 30. Et certe hic temporis articulus bene congruit, modo sumamus, Davidem effudisse carmen, non, dum fuga sese ex urbe eripuit, sed postquam ab hostibus persequentibus securus esset. Absalon, qui simul de regno occupando, et patre e medio tollendo consilium cepisse videtur, Hebronem profectus est, non solum cum ordinario coetu domesticorum et amicorum, qui consiliorum ejus participes erant, sed etiam cum 200 viris Hierosolymitanis, cetera quidem integris et totius rei ignaris, qui alioqui Absaloni contra Davidem non favissent, sed mox videntes se per imprudentiam in conjuratione implicatos, in facinore progrederentur, quod noluissent inchoare; postremo cum exercitu ad Hierosolyma accedit, ut vel vi vel deditione rex et civitas in suam potestatem deveniant.

Mirum autem in modum Israelitas labefactarat Absalon, et a Davide abalienatos in sui amorem blanditiis ac spe melioris gubernationis traduxerat. Horum omnium non inscius Davides, Absalonis adventum non exspectare, sed cum suis salutem fuga petere, consultius duxit.

2. 3. *Quantus est numerus, Jehova, hostium meorum? quanta multitudo eorum, qui adversus me consurgunt?* 3. *Multi dicunt de me: nulla ei a Deo salus est exspectanda!* מָה h. l. admirantis vox est. Aben-Esra: „*Israelitae in tres partes tunc contra Davidem divisi erant, alios enim, ut Benjaminitas, hostes* (צָרִים) *habuit, alii, ut Absalom et Amasa et qui ab ejus partibus erant, in eum rebellarunt* (קָמִים), *alii de eo dixerunt: cecidit, nec resurget* (Vs. 3.)." *Multis* non tantum hostes Davidis, verum et ii, qui primum de partibus ejus stetissent, sed rebellione ingravescente de ejus rebus desperassent, intelliguntur. — 3. לְנַפְשִׁי Hebraeorum magistri interpretantur: *de anima mea*, praefixumque ל eadem hic significatione sumendum esse monent, qua Gen. 20, 13. אִמְרִי לִי אֲחִי הוּא *dic de me, frater meus est.* Ex. 14, 3. *et cogitavit Pharao* לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל *de Israelitis*, quibus et similibus locis ל habet potestatem, *quod attinet ad, respectu habito ad rem.* נֶפֶשׁ pro *persona* ponitur, loco pron. reciproci, ut Jes. 46, 2. נַפְשָׁם *ipsa* illa *idola in captivitatem abeunt*, et Lev. 11, 43. *ne inquinate* אֶת־נַפְשֹׁתֵיכֶם *vosmet.* Arabibus is usus longe frequentissimus, itemque Syris et linguae Rabbinicae. Sunt, qui נֶפֶשׁ *vitam* interpretentur; nec obstaret sequens לוֹ, quum נפש quandoque sit *masculinum*, veluti Jes. 32, 6. Mihi vero sensus esse videtur: tanta quidem omnino multitudo est hostium meorum, ut multi tam ex ipsis hostibus, quam ex spectatoribus aliis sic *de me* censeant animis suis, et insultantes mihi in has voces erumpunt. אֵין — בֵּאלֹהִים *Nulla est ei salus penes Deum*, actum est de eo; Deus non curat eum amplius, non adest periclitanti. In voce יְשׁוּעָתָה He paragog. additum quidam putant ad augendam significationis vim. Recte vero alii dubitant ה paragog. efficere *superlativos;* certe non perspici, cur ישועתה *magnam* salutem intelligere debeamus. ה illud potius redundare, vel euphoniae gratia adjectum esse, ut in הַהַרְסָה Jud. 14, 18. Vid. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 545.

4—7. Sed profanae stultitiae et elationis voces sunt istae, et blasphemae, quae mihi praecidunt omnem spem opis tuae: *At Tu, Jehova, clypeus mihi es, tu dignitatis meae vindex, tu caput mihi extollis!* 5. *Te inclamat vox mea, Jehova! Annuet mihi e sancto suo monte.* 6. *Discubitum eo, dormio, evigilo, nam Jova me sustentat.* 7. *Neque metuam vel hominum myriades, qui circumcirca castris me obsideant.* מָגֵן בַּעֲדִי *Clypeus* es *circa me* plus est, quam *clypeus meus*, nam clypeorum alii partem corporis tegunt, alii totum corpus muniunt: *tu autem mihi es,*

inquit, *vice clypei, qui me undiquaque tegit et munit.* Alioqui vox usurpatur de praesidio et protectione, Ps. 18, 3. 33, 2. 119, 114. Gen. 15, 1. In כְּבוֹדִי est *metonymia effectus*, effectu posito pro persona efficiente, s. pro auctore, quemadmodum Ps. 27, 1. *Jova lux mea, et salus mea*, i. e. auctor et causa lucis, salutis Sensus: a te spero gloriam, i. e. victoriam de hostibus, et meae dignitatis vindicationem. Alii haec referunt ad *partam praesentemque* dignitatem regiam, ut sit, tu me *honoribus ornasti. Gloriam* intelligunt de *majestate regum;* quomodo vestis *gloriae* pro regia dicitur (Esth. 14, 2.). מֵרִים רֹאשִׁי *Extollens caput meum. Caput extollere* figura hebraea significat, et honoribus et dignitate ornare, et laetitiam atque securitatem conciliare, liberando e periculis, malis et aegritudine, atque ita erigere jacentem, sicut contra perturbati et tristes incedunt capite dejecto s. demisso, ut Ps. 34, 14. *incedebam incurvus sicut qui matrem luget*, i. e. capite demisso. Sic est Gen. 40, 20. *et extulit caput principis pincernarum*, i. e. restituit ei dignitatem (vid. et not. ad Gen. 40, 20.). Ps. 27, 6. *nunc extollit caput meum contra hostes meos*, et al. — 5. קוֹלִי hic positum est pro בְּקוֹלִי, ut Ex. 20, 11. [בְּ]שֵׁשֶׁת יָמִים *sex diebus;* quasi positum esset בְּקוֹלִי אֶל־יְהוָה אֶקְרָא. Fut. אֶקְרָא autem hic aoristice sumendum est, quemadmodum quod proxime sequitur וַיַּעֲנֵנִי *respondet*, s. *respondere solet. mihi;* precibus meis, auxilium tuum mihi non denegas. מֵהַר קָדְשׁוֹ *e monte sanctitatis ejus*, i. e. ex Sione monte, ubi foederis arca, Jovae sedes fuit. — 6. Ita me audis benigne, ita nihil mihi negare soles, ut te fretus, prorsus acquiescam, et nihil trepidem in ullo periculo, atque ne in praesenti quidem, quantumvis magno; ut, quando cubitum eo, dormiam securus, et quando de somno expergiscor, nulla res conturbet animum meum. Verba אֲנִי שָׁכַבְתִּי וְאִישָׁנָה a LXX et Hieronymo non satis accurate reddita sunt, ἐκοιμήθην καὶ ὕπνωσα, *dormivi et soporatus sum*, quum שָׁכַב sit *cubitum ire.* Tota loquutio est proverbialis. Ad הֵקִיצוֹתִי bene Kimchius: *non perturbatus, ut solet esse is, qui prae angustia somno correptus est, qui dum expergiscitur, animo est perturbato.* — 7. Quantumvis multae myriades hostium me jam invadant, et circumcirca castris positis me obsideant, in hac tamen fiducia opis protectionisque tuae, non perturbabor. מִרְבְּבוֹת עָם *myriades populi*, i. e. innumeri populi, numero finito posito pro infinito. Latini dicunt *mille* et *sexcenta.* עָם significat *copias militares*, ut Num. 20, 20. Jud. 9, 43. 2 Reg. 13, 7. — אֲשֶׁר סָבִיב שָׁתוּ עָלָי *Qui circumcirca ponunt castra me*, מִלְחַמְתָּם, *apparatum suum bellicum*, s. castra, quod Kimchius subaudiri jubet. Eodem modo usurpatur שׂוּם, eum שׁוּת synonymum, 1 Reg. 20, 12. שִׂימוּ וַיָּשִׂימוּ עַל־הָעִיר *ponite et posuerunt contra urbem*, castra. Usurpant enim absolute *ponere*, pro *castra ponere.* סָבִיב h. l. praepositio, *circumcirca*, ut Ex. 40, 33. Num. 1, 53.

8. 9. Nunc superiorum temporum memoria erectus, ad Jovam preces pro liberatione fundit: *Surge, Jova, serva me, mi Deus! Tu enim omnium hostium meorum maxillam contudisti; tu impiorum dentes confregisti.* 9. *Penes Jovam salus! Salutem tuo populo praesta!* קוּמָה *exsurge*, instar strenui militis arma accipe, vires collige, ac si Jova haetenus fuisset otiosus spectator miseriae Davidis. הוֹשִׁיעֵנִי אֱלֹהַי *salvum me fac* in hoc periculo, *mi Deus*, eripe ex angustiis, et pristinam felicitatem redde. Q. d. Jam multitoties me servasti, et hostes meos percussisti, ita et nunc facturus es. Metaphora h. l. petita videtur a feris bestiis, quae morsu nocent et dilaniant, quarum dentibus excussis, nulla ab iis metuenda est noxa. Verborum כִּי־הִכִּית אֶת־כָּל־ אֹיְבַי לֶחִי ratio grammatica varie exponitur. Alii post אֹיְבַי subaudiunt מַכָּה, ut integra phrasis sit: כי־הכית את־כל־איבי מכת לחי, *tu enim omnes hostes meos percussisti percussione maxillae.* Veluti Num. 23, 20. וּבֵרַךְ וְלֹא אֲשִׁיבֶנָּה *et benedixit nec faciam eam irritam*, sc. בְּרָכָה *benedictionem.* Prov. 15, 22. וּבְרֹב יוֹעֲצִים תָּקוּם *in multitudine consiliariorum firmum stat*, sc. עֵצָה *consilium.* Alii לֶחִי positum censent pro בֶּלֶחִי. Alii subaudiunt עַל, quod expresse adjectum est 2 Chr. 18, 23. וַיַּךְ אֶת־ מִיכָיְהוּ עַל הַלֶּחִי *colaphum Michae inflixit*, itemque Mich. 4, 14. (al. 5, 1.). Alii: percutis omnes inimicos meos *quod ad maxillam*, eadem dictionis forma, qua Ps. 2, 12., ubi vid. not. Sensus semper idem manet. Ceterum pro לֶחִי Alex. posuit *ματαίως*, quem sequuntur Vulgat. *(sine causa)* et Arabs. Hinc sunt qui Alexandrinum aliud quid legisse statuant, e. c. Venema: „legisse videntur לחנ cum lineola transversa, quae ם designare solebat, supra ultimam literam, quam excidisse censuerunt, unde לחן pro לחנם *frustra*, acceperunt.“ Syrus et Chaldaeus suffixum expresserunt, quasi legissent לֶחְיֵהֶם. — 9. לַיהוָה הַיְשׁוּעָה *Jovae est salus*, ad eum referenda est, is salutis auctor est. ל enim saepe referre solet *actionem*, vel opus ad suum auctorem. עַל־עַמְּךָ *super populum tuum*, sc. Israeliticum.

Ps. 4.

Invocat Deum, salutis suae vindicem, ut auxilium sibi ferat, Vs. 2. Hostes hortatur, ut deponant odia, et libenti animo se subjiciant ejus imperio, quem Deus ipse carissimum haberet, atque regis honore afficeret, 2—7. Animum iterum ad Deum elevat, ejus favorem implorat, atque fiduciam suam eo testatur, 8. 9. — Quo tempore hic Ps. sit editus, variae sunt variorum sententiae. Hebraei interpp. unanimi fere consensu hunc quoque Ps. indubitato habent pro eo, qui sit factus in periculis, quae ab Absalone impendebant, atque ita priori *σύγχρονον* esse. Ejusdem plerique ex nostris sunt sententiae. Quae conjectura si retinetur, nimirum dirigetur oratio contra principes et duces, copiarumque ductores primarios, qui se cum Absalone conjunxerant, et ei militabant,

quos gravissima compellatione, et tamen temperata mirabiliter pietatis humanitate, a facinoris societate abducere conatur. — Aliis omissis, VENEMAE sententia digna est, quae memoretur. Nullum plane illi in hoc carmine occurrit indicium, ex quo pateat, eos, quibuscum poeta hic agit, hostes ipsius fuisse, quum nec eo nomine insigniantur, nec hostilis in ipsum impetus iis adscribatur; reprehendi tantum in iis nimium vanitatis et mendacium rerum studium et contumeliosas forte cogitationes et facta eorum in Davidem (Vs. 3.), quod sociis Davidis, contra eum propter gravissima mala, quibus premerentur, murmurantibus, conveniat, sed nullum praebeat hostium characterem. Nec ullum se offerre signum *regiae dignitatis* ab iis impugnatae, Vs. 4. Davidem magis tanquam interioris admissionis apud Deum ministrum repraesentari, quam *regem*. Respicere carmen ad statum, in quem Davides cum sociis delapsus esset, admodum luctuosum, qui aptus fuerit, affectus concitare, et socios contra Davidem incitare, iisque sinistras de Dei favore erga ipsum inspirare suspiciones. Congruere itaque optime illi tempori, quo Davides cum suis, a Philisthaeis, cum Saulo decretoria pugna certaturis dimissus, *Ziclagum* invenerit flammis absumtum, et omnium familias ac bona ab Amalekitis spoliata et abducta. Quo casu omnes mox in lacrymas eruperunt; sed socii, dolore in iram et indignationem verso, Davidem cum dictis, tum factis petere coeperunt, et de ipso e medio tollendo, consilia agitare, Davides contra, singulari Jovae fiducia roboratus, et oraculo divinitus dato de damno resarciendo, sociorum furorem depressit. Cf. 1 Sam. 30, 1. sqq., praesertim Vs. 6—8. Eo ipso temporis articulo Venema putat Davidem hanc orationem increpatoriam et adhortatoriam ad suos convertisse socios et milites, contra ipsum murmurantes, qua eos ad silentium redigere, et de favore Dei erga se certiores facere, adeoque ad fiduciam in Deo adhortari conetur.

2. *Annue mihi, inclamanti, tu innocentiae meae vindex! Tu, qui ex angustiis educis me in loca patentia, adsis mihi propitius, et exaudi preces meas!* בְּקָרְאִי *in clamando me*, dum clamo, cum implorem opem tuam. עֲנֵנִי *responde mihi*, exaudi me. Alex. interp. *εἰσήκουσέ μου* (Vulgat., quem sequuntur Arabs et Aethiops, *exaudivit*). Enuntiavit עָנָנִי, nec incommodo sensu, q. d. Deus, qui me invocantem semper audisti, miserere et nunc mei. Sed versionis Alex. exemplar Aldinum *εἰσήκουσας* habet, quocum consentiunt Syrus et Hieron., *exaudisti me*, quasi legissent עָנִיתָנִי, quod quibusdam praeplacet, ideo maxime quod proxime הִרְחַבְתָּ, 2. pers. sequitur. Verum, ut taceam hujusmodi personarum mutationem satis frequentem esse in hebr. poematibus, Masorethicae lectionis veritatem non modo quod mox subjicitur, huic respondens, חָנֵּנִי, item Imperat., sed etiam reliquorum vett. interpp. consensus arguit. אֱלֹהֵי צִדְקִי optime Syrus: *Deus mi, et ser-*

vator justitiae meae. Vox אֱלֹהִים enim *Deum judicem* significat, vid. Ps. 58, 12. Hinc de hominibus quoque *judicis* notione usurpatur. Vid. not. ad Ex. 21, 6. 22, 8. Saepe ea status constructi vis est, ut *effectum* exprimat. Quemadmodum igitur Gen. 2, 9. עֵץ הַחַיִּים *lignum vitae* est, quod vitam conservat, et Jes. 9, 6. שַׂר שָׁלוֹם *princeps pacis*, qui pacem efficit; ita hic quoque אלהי צִדְקִי erit *Deus, qui tueris justam causam meam.* בַּצַר הִרְחַבְתָּ לִּי *In angustia latum fecisti mihi* locum, s. gressum, e loco arcto et angusto in locum spatiosum me eduxisti. Metaphora ab iis ducta, qui redacti sunt in locum angustum ab hostibus, ita ut elabi nequeant, q. d. qui me redactum in summas angustias aliquando liberasti et exhilarasti. Similiter apud Arabes solennis est salutandi formula: *amplitudinem tecum* (integra eloquutio: *amplitudinem tecum et mollitiem soli det Deus!*), quae et apud Abulfedam occurrit in *Annall.* P. 1. p. 378. edit. Reiskii. Contra in Meidanii apographo Crugeriano, quod in Biblioth. Acad. Lips. asservatur, exstat p. 350.: *angusta ei terra cum amplitudine sua*, s. quantumvis ampla. Quod dicitur de eo, qui in negotiis suis anxius confususque haereat. Vid. et *Corani* Sur. 9. Vs. 25. edit. Hinkelm. Apte igitur nostro loco eadem metaphora צַר *angustia*, et הִרְחִיב *amplum locum concedere* opponuntur. Kimchius ad הִרְחַבְתָּ לִּי monet, positum esse pro הַרְחִיב לִי *dilatabis mihi*, quoniam in prophetia Praeter. pro Fut. usurpetur, quod res ita se habet, ac si jam peracta esset. Mihi tamen h. l. magis Praeter. congruere videtur. Est enim ejus, quod jam multitoties expertus esset, auxilii divini memoria, quae Davidi spem injicit, neque nunc ipsius preces irritas futuras esse.

3. Increpat protervitatem eorum, qui adversus ipsum militarent, et regiam suam dignitatem injuriis afficerent: *Quousque, Viri! sceleratis modis foedabitis dignitatem meam? quousque inanes molitiones quaeretis, sectabimini, quae vos frustrabuntur?* בְּנֵי אִישׁ *Filii viri*, aliqui de *proceribus* et *ducibus conspirationis* dici putant. Sicut enim apud Latinos, ita Hebraeis etiam *vir* non sexum tantum, sed praestantiam etiam sexus significat, ut itaque בני איש quasi *fortium soboles* esset. Mihi tamen *procerum* notionem formulae illi tum demum tribuendum esse videtur, ubi בְּנֵי אָדָם opponuntur, ut Ps. 49, 3. 62, 10. Neque ejusmodi honesta compellatio loquentis affectui convenire videtur. עַד־מָה כְּבוֹדִי לִכְלִמָּה *quousque gloria mea ignominiae* erit, s. habebitur vobis? quando finem facietis injuriarum, quibus afficitis me? Ab hebr. textu recedit Alexandrinus: ἕως πότε βαρυκάρδιοι; ἱνατί ἀγαπᾶτε ματαιότητα; quasi in suo Cod. pro כבודי invenisset כַּבֵּדִי (ut Michaelis conjicit in *Biblioth. Or.* P. 10. p. 226.), sive, ut alii opinantur, easdem, quas Masorethicus textus exhibet, literas כְּבוֹדִי enunciasset; pro לִכְלִמָּה autem legisset לֵב *cor* et לָמָּה *quare?* mutato כ in ב ob figurae affinitatem. כְּבַד לֵב est *durus corde*,

obstinato animo, pervicax (Ex. 7, 13.), i. q. קְשֵׁה לֵב Ex. 3, 7. Est igitur Alexandrinis h. l. *βαρυκάρδιος* i. q. *σκληροκάρδιος*, sensumque putarunt esse hunc: *quousque pervicaci animo vos mihi opponetis?* Ante תְּאֶהֱבוּן רִיק תְּבַקְשׁוּ כָזָב repetendum est *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* עַד־מָה *quousque amabitis vanitatem, quaeretis mendacium?* i. e. quousque operam dabitis, me regno evertere? quod non consequimini, Deo mihi consulente. Regnum Absaloni intelligere videtur, quod *inane* (de voc. רִיק vid. ad Ps. 1, 2.) et *mendacium* appellat, quia per fraudem esset occupatum, et simul, ut innuat, non stabile futurum. אֶהֱב respondet sequ. בַּקֵּשׁ, ut רִיק כָּזָב.

4. Nunc, cur eorum contra ipsum molimina nihil sint effectura, exponit: *Sed agnoscite, Jovam elegisse cultorem suum, quem evehat ad regnum; Jova audit me, dum eum invoco.* Nolite existimare, me humana ope aut consilio ad regiam dignitatem pervenisse; ipse enim Deus me, multis e millibus electum, genti suae praefixit, ex quo fit, ut qui meum repudiet imperium, non mihi, sed Deo repugnet. Quamvis igitur me nunc in angustiis positum cernatis, cognoscetis tamen, Deum me exaudire, cum eum invocem, meque ab illa calamitate liberare. הִפְלָה *segregare, eligere*, synonymum est verbi הִבְדִּיל Deut. 10, 8. Pro הִפְלָה in Codd. 37 Kennicotti et 28 Rossianis extat הִפְלָא, idemque in suo Cod. Alexandrinus invenisse videtur, vertit enim: *ἐθαυμάστωσε κύριος*, Vulgat. *mirificavit dominus.* Quae lectio si probetur, monet David hostes suos, ut in memoriam revocent varios vitae suae eventus, in quibus a Deo mire sit servatus atque ex summis periculis liberatus. Utramque lectionem conjungit Syrus: *segregavit sibi Dominus electum mirabiliter.* חָסִיד sunt, qui passive sumant de eo, *quem quis benigne accipit, cui favet*, vertantque *dilectum Dei (Liebling, Günstling).* Alii recte defendunt usitatissimam *pii, sancti, benigni, benefici* significationem. Hujusce enim formae adjectiva non amant istiusmodi notionem admittere; v. g. נָדִיב *liberalem, munificum* designat, non *eum, erga quem quis munificus sit*, אַבִּיר *robustum*, עָרִיץ *violentum.* Mihi tamen magis placet Drusii sententia: חָסִיד לוֹ pro חֲסִידוֹ *(cultor suus)*, ut alibi צָרָה לִי *angustia mihi*, pro צָרָתִי *angustia mea*, quod sequuti sunt interpp. antiqui aevi. LXX: *τὸν ὅσιον αὐτοῦ*, Hieron. *misericordem suum.*

5. *Contremiscite! a facinore desistite! expendite, quid agatis, in lectulis vestris! conquiescite!* Verba רִגְזוּ וְאַל־תֶּחֱטָאוּ Alex. vertit: *ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνητε* (quod sequutus est Apostolus Eph. 4, 26.). Hinc et alii haud pauci verbo רָגַז h. l. *commotionem irati* tribuunt (quam significationem obtinet Hab. 3, 2. Jes. 28, 21. Prov. 29, 9.), ac si dictum fuisset: *si irascamini, ne peccetis* verbis ac factis, ne irae indulgeatis, et eam executioni mandetis, in me et Deum involando. Ac sane Impera-

tivus interdum non tam *imperandi*, quam *concedendi* et *permittendi* vim habet; unde fit, ut ille nonnunquam conditionem exprimat, alii Imperativo praemissam, quemadmodum Eccl. 11, 9. *laetare juvenis*, — *et scito*, i. e. si laeteris, tum scias. Alii interpretantur ut ἐν διὰ δυοῖν, *nolite irascendo peccare*, sed tum positum esse debebat: אַל־רִגְזוּ תֶּחֱטָאוּ. Optime Chaldaeus aliique interpretantur: *contremiscite* se. a Deo. רָגַז hie est i. q. פָּחַד *tremuit*. Sic Gen. 45, 24. *nolite metu trepidare in itinere*. Deut. 2, 25. *contremiscant et expavescant*. Sensus h. l.: Pavete et contremiscite a Deo (si me non timetis), nc ultra peccetis mc persequentes et adversus me rebellantes. אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם *Dicite in corde vestro*, i. e. apud vos, s. apud animum vestrum; expendite apud vos, se. quid agatis. Est enim *cogitatio*, ut Plato definit in Sophista, *colloquium*, quod animus secum habet, sine voce, λόγος ἐνδιάθετος. עַל־מִשְׁכַּבְכֶם *Super cubili vestro*, i. e. noctu, quando soli estis, semoti ab arbitris, quo tempore et liberius aliquis in se inquirit. וְדֹמּוּ *et silete, conquiescite;* tacete et cessate a seelestis vestris molimiuibus. דָּמָה *silere*, *quiescere*, *cessare*, *desistere*. H. l. *cessationem operis*, se. rebellionis significat. Alex. posterius Vs. membrum vertit: ἃ λέγετε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, ἐπὶ ταῖς κοίταις ὑμῶν κατανύγητε, quae Vulgatus reddit: *quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini;* quasi Alex. דמה *exscissionis* significatione, qua in Niphal gaudet, aeceperit, quam Vulg. *compungendi* verbo expressit, quod *compunctio* s. *dolor* sit quaedam eordis seissio. Sed Alex. דמה eadem, qua nos, *silendi* notione videtur aeeepisse. Hesychius: κατανύγητε, ἡσυχάσατε· λυπήθητε, quae glossa haud dubie ad h. l. pertinet. Idem: κατάνυξις· ἡσυχία ἢ λύπη. Suidas quoque: κατανυγῶ· ἀντὶ τοῦ σιωπῶ. Nam a prima verbi κατανύσσομαι significatione, *compungor dolore*, facilis erat transitus ad cognatam, *prae moerore silere*. Syrus: *dicite in cordibus vestris et super cubilibus vestris meditamini*, ac si in Hebraeo legisset וְעַל, quod ipsum exstat in Cod. Erfurt. secundo. Scd in Syri Cod. ante דמה partieula ו defuisse videtur. Ut totius Vs. sensum exprimamus: monet hostes, ut aliquando tandem metu divini numinis a malefieio sese contineant, neve animo praeeipiti et perturbato quiequam gerant, sed silentio noetis, eum mens omnibus euris vaeua est, diligenter exquirant, et eum animis suis considerent, quid verum et ratio praecipiat.

6. *Offerte sacrificia recta, ac fiduciam vestram collocate in Jehova.* Alloquitur *hostes* suos, eosque hortatur, ut resipiseant, et peceata sua expient. Q. d. O conjurati! peecatum vestrum agnoseite, et in illius expiationem offerte saerificium Deo et sperate, vos conseeuturos veniam. זִבְחֵי צֶדֶק *sacrificia justitiae*, justa sunt ea, quae justo ac legi conveniente modo offeruntur, ut 51, 21. Neque tamen repudianda est eorum sententia, qui haec verba ad eos referant, qui *a Davidis partibus* essent, hoc sensu: exigite

quaecunque facitis ad justi et aequi normam, atque in Deo fiduciam collocate. Ex Venemae sententia verba *partim* continent *adhortationem* ad Deo fidendum in praesente calamitate, *partim promissionem*, qua significetur, illos propediem in statu felici esse collocandos, quo mactationes justitiae facere possent; ut sensus sit: *mactate*, quod mox poteritis, *mactationes justitiae, et confidite* eum in finem *Jovae*, nunc, et in posterum, magis hoc novo favoris divini signo erecti. Loquutionem, *mactare mactationes justitiae*, i. e. rectas, ex propria voc. צֶדֶק significatione, interpretatur, epula, etiam sacra, e sacrificiis laudis et gratiarum actionis instruere, in signum laetitiae, et ad gratum animum Deo testificandum. Quam interpretationem maxime probat ex Deut. 33, 19., ubi vid. not. Aben-Esra quoque זִבְחֵי־צֶדֶק h. l. interpretatur *sacrificia pacifica* s. *eucharistica.* וּבִטְחוּ אֶל־יְהוָה *Et fiduciam ponite in Jova*, non in machinationibus iniquis et humanis consiliis.

7. *Multi dicunt: quis nos felices praestabit? Convertas serenum tuum vultum ad nos, Deus!* Verba haec sunt non, ut quidam volunt, *inimicorum Davidis*, quasi dicant: *utinam optatis potiamur*, sc. ut videamus Davidem extinctum; comitum regis fugitivi, qui de rebus ejus desperarent. מִי יְרַאֵנוּ טוֹב *Quis videre nos faciat bonum? Videre bonum*, ut Sir. 25, 5. *videre sapientiam*, i. e. ea potiri, aut compotem esse. Ps. 16, 10. *videre mortem*, pro *mori.* נְסֵה pro נְשֵׂא, ס et שׂ atque ה et א inter se permutatis, Imperativus verbi נָשָׂא, *attolle*, ut Ps. 10, 12. נְשָׂא habet Chaldaeus et Aquila ἔπαρον. Sunt igitur verba נְסֵה־עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ ita reddenda: *eleva super nos lumen vultus tui*, i. e. converte ad nos serenum tuum vultum, adsit nobis favor tuus. Cf. Num. 6, 26. יִשָּׂא יְהוָה פָּנָיו אֵלֶיךָ *elevet Jova vultum suum ad te.*

8. *Majori me afficis laetitia, qua illi fruuntur, cum frumento et musto abundant.* Cohaerent haec cum voto antecedente hoc sensu: adeo jam de ope tua, precibus nostris implorata, certus sum, ut animum meum majori laetitia affectum sentiam, quam quae inimicis meis est tempore messis, quando frumentum et mustum eorum uberrime provenerunt. Verba מֵעֵת וגו׳ per ellipsin posita sunt pro מִשִּׂמְחַת עֵת אֲשֶׁר בּוֹ דְגָנָם וגו׳, ut recte observat Lowth *de sacra poesi Hebr.* p. 105. ed. Lips., ubi et plura hujusmodi ellipseos exempla adducit. Pronomen suffixum plurale additum haud dubium est ad poetae adversarios respicere, in rerum suarum statu florente constitutos. Alex. membrum posterius sic vertit: *ἀπὸ καρποῦ σίτου καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου αὐτῶν ἐπληθύνθησαν*, ad quae verba observandum est primo pro *καρποῦ* legendum esse *καιροῦ*, ut Vulgatus et Arabs docent; deinde, addidisse interpretem *ἐλαίου αὐτῶν*, ac si in suo cod. וְיִצְהָרָם invenisset, quod additamentum et Syrus exprimit. Vertit Alex. *σίτου καὶ οἴνου καὶ ἐλαίου αὐτῶν*, quod viderant, alibi verbis

דָּגָן *frumentum*, et תִּירוֹשׁ *vinum*, addi יִצְהָר *oleum*, cf. Deut. 28, 51. Hos. 2, 10. Haud pauci tamen illud additamentum pro glossa habent a scribis factum, atque adeo ex ipsa Alex. Vers. eliminandum. Omnino vero hic monendi sunt tirones, ne si forte alicubi in Vers. Alex. invenerint verba, quibus nihil respondeat in libris hebrr., hinc statim colligant, auctores hujus versionis aliam sequutos esse lectionem. Ut enim nil dicam de mala sedulitate interpolatorum, interpretum ipsorum hic videtur fuisse mos, ut verbum unum atque alterum adderent ex aliis locis similibus.

9. Quando enim te propitium habeo, nihil mihi timendum est: *Quiete simul cubo et dormio*, *nam tu*, *Jova*, *solus es*, *qui me in tuto collocas!* בְּשָׁלוֹם *in pace*, sine metu. De voce יַחְדָּו *simul*, dissensus est. Alii: *cum illis*, hostibus meis, q. d. adhuc cupio, una cum illis pace frui; tunc vero, cum nihil erit, quod somni mei tranquillitatem perturbet, postquam ad me redierint hostes mei, cubabo ac secure dormiam. Alii ad Davidis socios referunt: simul cum vobis, aerumnarum mearum sociis. Sed est potius ita capiendum: *cubabo simul et requiescam* tranquille; non solum cubabo, sed simul etiam dormiam, per emphasin, ut Jes. 42, 14. אֶשֹּׁם וְאֶשְׁאַף יָחַד *spiritum traho et anhelo simul.* לְבָדָד *solus* sunt qui ad Davidem referant, hoc modo: *tu me secure et sine metu solum*, h. e. seorsim, domi meae, sine concursu hominum, ne opus sit, in procinctu stare, et congregari contra hostes, *sedere facies*, ut in spe, s. *sedere facis*, ut in gratiarum actione. Sed praestat ad Deum referre, hoc sensu: tu solus me ab omni hostium metu me liberabis; tibi soli hoc beneficium acceptum refero, quod confidenter et sine metu mediis in perturbationibus habitare possim. לָבֶטַח תּוֹשִׁיבֵנִי *In securitatem*, secure *habitare me facis*, ut Deut. 25, 18. Jer. 49, 31.

Ps. 5.

Precatur Deum, ut ab hostibus, hominibus pessimis, auxilium sibi praestet, spemque concipit, fore, ut Jova precibus suis annuat, quod ipse, sanctissimus, impiis eorumque conatibus non possit favere. — Veteres Hebr. magistri docent, hunc Ps. a Davide editum fuisse adversus Doëgum et Ahitophelem, hostes suos. Sed quum Doegus et Ahitophel diverso tempore Davidem vexarint, ad eos unus idemque Ps. pertinere non potest. Alii ad Saulica tempora referunt, *vel* tempus intelligentes, quo David, Mizpae exulans, perpessus multa ab hostibus est, inprimis a Doego, ad cujus facinus alludere videri possit Vs. 7. coll. Ps. 70., qui in eundem illum est factus; *vel* Davidis commorationem in aula Sauli, quippe quo tempore ab hostibus in omni vita et actionibus fuerit observatus, atque peccatorum et hypocritarum ingens fuerit numerus. Sed interpp. longe plerique Absalonicae seditionis tempore hunc Ps., ut et eos, qui proxime praecesserunt, compositum putant.

Rudingerus: „Inprimis ex Vs. 10. (al. 11.) suspicor Absalonicum esse. Quod enim Vs. ille petit, id scribitur orasse David contra Ahitophelem 2 Sam. 15, 31. *infatua quaeso, Domine, consilium Ahitophelis.* Invocans autem opem misericordiae divinae, et hac fretus, bene sibi pollicetur, praecipue tamen mores, ingenia et vitam describens generis hujus impii hostium suorum, ex eo, quod Deus non ferat impios et facinorosos homines tales, et diligat pios, liberationem certam sibi persuadet. Facit idem in Ps. 36., etiam in 12. et 14., qui omnes videntur esse Absalonici." Nos quidem in medio positum relinquimus, sintne preces et imprecationes, quas hic Psalmus continet in Davidis adversarios, an vero in totius populi Hebraici hostes, qui ut impii et contra Jovam se efferentes describuntur, sint directae.

2. 3. Orditur epiphonemate: *Attende ad sermones meos, Jova! percipe meum gemitum.* 3. *Aures praebe voci meae querenti, mi rex, mi Deus! Ad te precor.* אֲמָרַי הַאֲזִינָה *Ausculta verba mea*, verbis meis aurem praebe; הַאֲזִינָה enim ab אָזְנַיִם *aures* derivatum, *aurem tuam inclina*, admove, significat. In verbis בִּינָה הֲגִיגִי, nomen הֲגִיג interpp. dissensum creat. Hebraei unanimi consensu de *meditatione* accipiunt, tanquam ejusdem cum verbo הָגָה notionis. Syrus quoque: *intellige meditationem meam.* Chaldaeus ambiguum voc. רְחוּנִי posuit, quod et *meditationem* et *triste murmur* significat. Posterius placuit Hieronymo. Sunt autem verba הָגָה et הָגַג ut sono ita et significatione cognata in dialecto Arab., ut plura verba geminatae et quiescentis ultimae radicalis in utraque dialecto. Itaque quemadmodum Ps. 1, 2. הגה de *animi meditantis fervore* s. *aestu* usurpatum vidimus, sic h. l. הָגַג de *aestu animi fervidissimo*, qui in voces, querelas, gemitus erumpit, ponitur. De הגה vid. ad Ps. 1, 2. Recte Rudingerus: „הגיג de *sermone* sum interpretatus, qui sermo est λόγος προφορικὸς, i. e. qui *profertur*, non is, qui est ἐνδιάθετος, quum illud simplicius videatur. Petit enim se audiri propheta, sicut initio Ps. 61, 64. et alibi." — 3. הַקְשִׁיבָה לְקוֹל שַׁוְּעִי *Attende voci clamoris mei.* Kimchi: „*Praebe mihi aurem tuam, ut sit attenta.* Hoc enim verbum est *transitivum*, ut Prov. 2, 2. לְהַקְשִׁיב *ut adhibeas* sapientiae aures tuas, Ps. 10, 17. תַּקְשִׁיב אָזְנֶךָ *advertas aurem tuam.* Vb. הַקְשִׁיב vero construitur cum ל, cum אֶל atque cum ב." מַלְכִּי *Mi rex.* Saepe Jova vocatur *rex*, ut Ps. 44, 5. 48, 3. 74, 2. Jes. 6, 5. Omnino apud cunctos antiqui aevi populos dii vocati sunt *reges*, unde מֹלֶךְ, Ammonitarum deus. Jupiter nuncupatur *βασιλεὺς*, Aristoph. Nub. Vs. 1., et ἄναξ, Iliad. γ. 351. π. 233. כִּי אֵלֶיךָ אֶתְפַּלָּל *nam ad te oro*, et non ad alium servatorem, quum praeter te nullus alius existat.

4. *Jova, mane vocem meam audis; mane ad te precor et exspecto.* בֹּקֶר quidam interpretantur: *quolibet mane*, et intelligunt *matutinam precationem.* Sed voce בקר *mane* videtur potius

studium et fervor hominis pii in precibus faciendis indicari, cujus sub initium dici prima cura est precatio. Repetitur vero vox eadem tum alacritatis, tum constantiae significandae causa. אֶעֶרְךָ־לָךְ וְאֲצַפֶּה Sensus: ad te preces meas tollam et a Domino auxilium exspectabo. Ad אערך לך subaudiendum est ex Job. 32, 14. מִלִּין, aut aliud ejusdem potestatis verbum, et ad ואצפה subaud. בַּיהוָה ex Mich. 7, 7., ubi plena phrasis occurrit. Verba praeterita aut futura subjectum ad quod se referunt, implicite saepius continent, etiamsi non semper expressum sit. Exempla vid. ad Ps. 3, 8. Ita etiam in אֶתְפַּלֵּל Vs. anteced. latet nomen תִּפְלָתִי. צָפָה *confidendi* significatione h. l. sumendum est, quae cum *exspectandi, sperandi* notione cognata est, nam qui alium exspectat, eum circumspectat. Verbi valorem simul cum sensu Rudingerus in Paraphrasi recte expressit: *Speculando circumspicere atque exspectare incipio auxilium benignum tuum, et quid respondeas mihi.*

5—8. Quum detesteris impietatem, certissimam spem habeo, te diutius non passurum, ut boni exterminentur, et scelerati in tua sancta civitate florcant: *Neque enim tu Deus es, qui delectetur improbitate; nec fruitur improbus tuo praesidio.* 6. *Tuum aspectum ferre non possunt insane in peccata ruentes. Odisti omnes maleficos.* 7. *Perdis mendaces; sanguinarios et fraudulentos Jova aversatur.* 8. *Ast ego munitus tua bonitate, aedem tuam ingrediar. Te in sanctuario tuo precibus venerabor adorans.* Nexum et sensum bene exponit Kimchi: „Quare vero te circumspecto? quia certo cognovi, improbos tibi non placere; itaque hostes mei tibi non placebunt; ego autem adspiciam ad te, sperans fore, ut me serves ab iis, quoniam tu me diligis, illos vero non item.“ *Αιτιότης* est in membro Vs. 5. priori: *Tu certe non es Deus, qui delectetur improbitate*, cui geminum est illud Hom. Odyss. ξ. 83. *facta scelesta Dii non dilexere beati*, i. e. odio ea habent, ut mox Vs. 6. Ps. 11, 5. 45, 7. Ad verba לֹא יְגֻרְךָ רָע Kimchi: יגרך est pro יגור עִמְּךָ *morabitur tecum*, ut Job. 31, 18. גִּדְּלַנִי כְאָב pro גִּדַּל עִמִּי *adolevit apud me*, mea sub nutricatione, sicut apud patrem. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 808. coll. 730. Not. גּוּר propr. *divertit, deflexit*, a via, inde *peregrinatus est*, vel *diversatus* in alieno hospitio, etiam *commorationem* denotat fixam, in specie talem, qua quis *clientela* potentioris fruitur, unde גֵּרֵי בַיִת *clientes*, et מָגוּר *territorium*, in quod pauperes, clientelacve indigi, recipiuntur. Verti igitur potest: *nec tecum habitabit malus instar clientis.* Alii: *negatur hospitium tuum malis.* — 6. Non tolerant oculi tui, qui justitiam et leges violant, atque aliis nocent. Prima verbi הָלַל vis in *splendendo* posita est, tum significat *superbire;* hinc הוֹלְלִים sunt *superbi* cum nota *sceleratorum* (quare nonnulli h. l. interpretantur *gloriatores, elatos* et *inflatos* atque *insolentes*). Significat vero etiam הלל *insanum*, stultum esse. Omne enim scelus *stultitiam* dicunt Hebraei,

et virtutem *sapientiam*. Itaque הוֹלֵל *insanus*, pro perditissimae mentis homine ponitur h. l. et Ps. 73, 3. 75, 5. Bene Rudingerus sensum expressit: *ad insanum modum in peccata ruentes.* לֹא־יִתְיַצְּבוּ לְנֶגֶד עֵינֶיךָ *non consistent coram oculis tuis*, impii isti non poterunt vultum tuum ferre, sed partim conscientia sua, partim lata judicis sententia, dispellentur et pessum ibunt. — 7. Tu perdis eos, quibus studium est, dolos et fraudes usurpare. Tacite vero argumentando concludit: hostes mei sunt homines ejusmodi, quales tu non potes ferre, ergo liberabis me ab his, et evertes eos. אִישׁ־דָּמִים וּמִרְמָה *virum sanguinis et fraudis*, Aben-Esra interpretatur *obtrectatorem, qui acutae linguae suae sagitta fraudulenter loquitur*, ut hujusmodi homines describit Jer. 9, 8. Prius hui. Vs. membrum Alex. vertit: *ἀπολεῖς πάντας τοὺς λαλοῦντας τὸ ψεῦδος*, quasi post תְּאַבֵּד in suo cod. כָּל־ insertum legisset, idque sequuntur Vulg. et Arabs. — 8. Tum vero ego immensa bonitate et misericordia conservatus, ut gratias tibi agam, in aedem tuam veniam, et in timore pio tui adorabo te religiose in sede sancta tua. De gratiarum studio, quas sit praestiturus, si eversis hostibus ipse conservetur, cogitandum est. Alii ut de adversante praecedenti sententia interpretantur *ἀντιθετικῶς*, q. d. Ego vero non sum talis, qualis descripsi hostes meos, sed in pietate vera sistam me tibi in templo tuo et te invocabo. Ita Kimchi: *isti tibi abominabiles sunt, verum ego sistam me tibi in aede tua. Aede Jovae*, et *sanctitatis Jovanae palatio* intelligitur locus, in quo tum erat arca, si quidem hic Psalmus sit Davidicus. Fuit autem tum in Sionio, quo remisit eam David, quum initio fugae suae eam secum exportaret. De tabernaculo sacro הֵיכָל et 1 Sam. 1, 9. sqq. 3, 3. 2 Sam. 22, 7. usurpatur. Alias dicitur de templo Hierosolymitano, et praesertim de ea illius parte, quae post adytum s. Sanctum Sanctorum erat proxima, continens mensam, candelabrum et aram auream, veluti 1 Reg. 6, 5.

9. Quoniam hostes imminebant semper capiti ipsius, orat Deum, ut sibi dux et comes sit in tantis periculis, neque permittat, animum suum ulla vi vel metu inimicorum de recto vitae curriculo declinare: *Jova, deduc me in justitia tua propter hostes meos; complana ante me viam tuam!* בִּצְדָקָתֶךָ sunt qui interpretentur: *pro justitia tua*, ut significetur justitia Dei, qua defendit innocentes adversus vim violentorum injustam. Sed ob additum *propter hostes meos* בִּצְדָקָתְךָ potius *in justitia tua* interpretandum erit, ut petat, ne aberrare ipsum Deus sinat a justitia ea, quam Deus ab hominibus exigit, ne faciat aliquid contrarium Deo, de quo glorientur hostes adversus ipsum; sicut hoc petitur infra 27, 11. שׁוֹרְרָי Hebraei fere *qui mihi insidiantur*, i. e. אוֹיְבַי *inimici mei*, explicant, significatione deducta a שׁוּר *videre*, ut Num. 24, 17. אֲשׁוּרֶנּוּ וְלֹא קָרוֹב *intueor eum, sed non prope;* ab *intuendo* autem *hostis* appellatus, eo quod intentus adspicit, qua ratione

alteri malum inferat, ut 1 Sam. 18, 9. de Saule dicitur: *limis oculis* Davidem *adspiciebat.* Propriam vocis significationem etiam Aquila expressit: *διὰ τοὺς ἐφοδεύοντάς μοι.* Ἐφοδεύειν vero propr. est *circumire*, *obire*, tum *explorare*, denique *insidiari.* Nostratium recentiores ex Arab. שׁרר *malignus fuit*, שׁוֹרֵר propr. eum *qui maligno est in alios animo* notare putant. הוֹשֵׁר secundum *Ketibh*, s. literas consonantes in textu positas, enunciandum est הוֹשַׁר, sed secundum vocales, quae ad literas in margine positas pertinent *(Keri)*, הַיְשַׁר, juxta formam analogam communem. In codd. haud paucis in textu הַיְשַׁר scriptum reperitur. Simile exemplum extat Gen. 8, 17., ubi הוצא pro היצא scriptum esse Masor. monuerunt. Verborum הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ sensus est: *complana*, facilem et expeditam redde *coram me*, mihi, *viam tuam*, i. e. a te nobis praescriptam, fac me recta ad tua praecepta ambulare, ne deflectam. Idem ergo h. l. dicitur, quod Ps. 86, 11. *Doce me, Jova, viam tuam, ut ambulem in tua veritate.* Cf. et Ps. 27, 11. Hemistichium posterius Alexandrini interpp. ex cod. Alexandrini lectione vertunt: *κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου*, quasi legissent לְפָנֶיךָ דַּרְכִּי. Illud sequitur Vulgatus in multis antigraphis: *dirige in conspectu tuo viam meam*, et Arabs: *complana viam meam coram te.* Suffragatur ex parte cod. hebr. Coloniensis, sub finem Sec. 13. scriptus (Kennicott. 158.), qui לְפָנֶיךָ exhibet, quod ipsum a prima manu habet Pss. liber mscr. Sec. 14. a de Rossio inspectus (446. ab eo notatus). Sed verene Alex. interp. ita scripserit, ut vulgo legitur, dubitavit jam Hieronymus, aliorum veterum nisus testimonio. Recentt. quidem affirmant, cod. Vaticanum cum nostra hebr. lectione consentire. Quibus tamen adversatur Lamberti Bos Alexandrinorum interpp. editio, quae quamquam Vaticani exemplaris textum exprimat, tamen *ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου* habet. Ceterum textus masor. lectionem confirmant Syrus, Chaldaeus, et Graeci reliqui, atque parallelus plane locus Ps. 27, 11.

10. Causam addit, cur petat se duci a Jova. Hostes enim dicit esse ejusmodi, in quibus nihil sit sani, intus aut foris; ut metuenda sint ab his omnia. *In istorum ore nihil est veri, intimum eorum dirum, guttur sepulchrum apertum, lingua blandiuntur.* כִּי אֵין בְּפִיהוּ נְכוֹנָה *Non enim est rectum in ore ejus*, i. e. uniuscujusque eorum, בפי כל אחד מהם, ut recte Aben-Esra hanc dictionem solvit. Neque Alex. legit בְּפִיהֶם, cum vertit: *ἐν τῷ στόματι αὐτῶν*, sed sensum bene expressit. נְכוֹנָה *Firmum*, i. e. rectum, verum, Adjectiv. femininum pro neutro, ut Substantivum, ut saepe, usurpatum, ut non sit necesse cum Kimchio subaudire אֲמִרָה *dictio*, aut דִּבְרָה *sermo;* eodem modo Hab. 1, 16. וּמַאֲכָלוֹ בְּרִאָה *alimentum ejus est pingue quid.* קִרְבָּם הַוּוֹת *Medium*, intimum, animus *eorum* sunt *ruinae* (ab הוה arab. *ruit, decidit, praeceps fuit, periit)*, consilia eorum sunt aliis exitiosa.

הוות ad omnem omnino *pravitatem* atque *nequitiam* translatum Ps. 38, 13. Prov. 17, 4. Ps. 52, 4. קֶבֶר פָּתוּחַ גְּרוֹנָם *Sepulchrum patens guttur eorum.* Ut sepulchrum apertum exspectat cadaver, quod conficiat et exedat, ita hostes mei sua blandiloquentia eo tendunt, ut me pellectum ad sé perdant et subvertant. לְשׁוֹנָם יַחֲלִיקוּן *Linguam suam lubricam* s. *blandam faciunt*, blandis utuntur sermonibus. Hanc sententiam, quam vates de suis hostibus dixit, Paulus apostolus Rom. 3, 13. ad totum genus humanum refert.

11. Tales itaque quum hostes sint, qui et Jovae seditiose se opponant, orat eum, ut mentes illorum pervertat, ut errent consiliis, atque frustrentur eos omnia, quae instituant: *Labantur, Jova! decidant de suis consiliis! Ob tot eorum scelera profliga eos, nam in te rebelles sunt!* הַאֲשִׁמֵם *Reos perage eos, bestrafe sie, o Gott!* אָשַׁם in Cal: *reum se fecit, deliquit*, in Hiphil, quod hic tantummodo occurrit, est: *reum declaravit*, sicut רָשַׁע *impius fuit*, et צָדַק *justus fuit* in Hiphil declarative significant *impium* vel *justum pronuntiavit, declaravit*, vid. 2 Sam. 15, 4. Prov. 22, 15. Job. 10, 2. Ex hebr. igitur loquendi usu האשימם interpretamur: *reos istos poenis illatis palam declara.* Verba יִפְּלוּ מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם plures ita capiunt: *cadant a consiliis suis*, frustrentur eventu consiliorum suorum. Simile Lat. *spe excidere.* Vix tamen aliud exemplum afferri poterit verbi נָפַל cum nomine per praepos. מִן constructi. Nam quod Jud. 2, 19. legitur: לֹא הִפִּילוּ מִמַּעַלְלֵיהֶם וּמִדַּרְכָּם הַקָּשָׁה, hoc dicit: *non desistebant a* malis *suis factis atque via dura.* Praestat igitur verba nostra ita capere: *corruant ob sua consilia*, quomodo מִן ante מֹעֲצוֹת et Hos. 11, 6. sumitur. Ita optime conciuit quod subjicitur: בְּרֹב פִּשְׁעֵיהֶם הַדִּיחֵמוֹ *per* s. *ob multitudinem delictorum suorum expelle eos*, in fugam age; dispelle eos, ut nil amplius praestare possint. כִּי מָרוּ בָךְ *Quoniam rebellant in te*, dum odio me prosequuntur, quum tu de me praeceperis, ut rex essem. מָרָה hic eadem notione, qua Num. 27, 14. מְרִיתֶם פִּי *in me rebellastis.*

12. 13. Hoc modo laetitiam iis, qui te reverentur, quod eos protegis et defendis, omnibusque bonis cumulas: *Laetentur autem perpetuo, qui tibi confidunt; laudent te, quod tu eos protegis. Exsultent de te, qui te amant.* 13. *Nam tu, Jova, pium fortunas, benevolentia eum, tanquam clypeo, amplecteris!* בָּךְ hic ἀνωμάλως pro בְּךָ ponitur. Quod fieri solet in pausa, factum vero etiam est h. l. licet nulla sit pausa, ad normam dialecti Chaldaicae, ut Jer. 23, 37. מָה־עָנָךְ יְהוָה *quid respondit tibi Jova?* pro עָנְךָ. Verba וְתָסֵךְ עָלֵימוֹ ita sunt vertenda: (laeta voce personabunt) *propterea quod protegis eos.* ו hic rationem indicat, ut Jes. 64, 4. Ps. 60, 15. Sensus imaginis: Eris super eos umbraculi instar, ne injuriae quidquam ipsis ab hostibus inferatur.

יַעְלְצוּ בְךָ *exsultabunt de te*, i. e. de auxilio tuo. Alex. et Syrus in suis codd. ante אֹהֲבֵי videntur כָּל־ reperisse. — 13. Hic Vs. arete cohaeret cum praecedenti, hoc sensu: qui te diligunt, laetabuntur de te, ubi videbunt improbos a te exterminatos, pios vero bonis cumulatos. כַּצִּנָּה רָצוֹן תַּעְטְרֶנּוּ *Ut scutum, ita benevolentia ut eum cingat efficies.* Verbum תעטרנו plerique quidem formae *Cal* esse putant, hoc sensu: *ut scutum quod totum hominem circumdat; ita tu pium benevolentia tua cinges*, ut 1 Sam. 23, 26. עֹטְרִים *cingebant* Davidem ejusque socios. Sed rectius, meo judicio, Aben-Esra: vera est eorum sententia, qui *Hiphil* esse dicunt, ut 1 Sam. 17, 25. יְעַשְּׁרֶנּוּ הַמֶּלֶךְ *ditavit eum rex* magnis divitiis, pro יַעֲשִׁירֶנּוּ. Quum Alex. verteret: ἐστεφάνωσας ἡμᾶς, sunt qui putent, illum hebr. verbum תַּעְטְרֶנּוּ enunciasse. Syrus, qui *operies me* vertit, in suo libro hebr. תעטרני reperisse videtur.

Ps. 6.

Preces sunt conjecti in difficultates et pericula mortifera vel a morbo, vel ab hostibus, vel etiam ab utroque, et agnoscentis peccata sua, propter quae hoc accidat. Implorat igitur misericordiam Dei, qua opus est reis, et vitam sibi conservari petit, ut posset celebrare laudem Dei σωτῆρος, qui salutem det, atque confirmat se spe indubitata auxilii divini, Vs. 2—8. Ita autem praesentem opem animo suo concipit, et quasi conspectu hujus inter querelas se confirmat, ut conversa ad hostes oratione discedere eos jubeat, et se missum facere, quod nihil dubitet, Deum ei affuturum, et liberaturum a malis, in quibus haereat, 9—11. — Quo tempore editus sit hic Ps., certo definiri vix poterit. Rudingero simplicissimum videtur, ad Absalonicam seditionem et miseram fugam Davidis Psalmum referre, ut sit σύγχρονος 22. 25. 69. et 86. Diserte enim queritur, ab hostibus et persequutoribus ei existere aegritudinem suam, vel saltem augescere. Clausula certe indicat, eo tempore scriptum, quo multos adhuc hostes habuit. Preces totius populi, magnis miseriis oppressi, qui hominis aegroti et aerumnosi imagine sistatur (ut Thren. 3.), hoc Ps. contineri, De Wettii est sententia non plane improbabilis. Elegans hujus Ps. versio vernacula extat in Herderi libro *de Genio Poes. hebr.* P. 2. p. 337.

2. 3. *Noli, Jova, in indignatione tua in me animadvertere; noli in ira tua me castigare.* Nam qui irati puniunt, moderationis obliti, severius castigant, atque poenas intolerabiles et crudeles exigunt. Eodem modo Jer. 10, 24. *castiges me, Domine, veruntamen in judicio* (servato modo et mensura), *nec in furore tuo, ne me in nihilum redigas.* Inter verba הוֹכִיחַ et יָסַר proprie haec est differentia, ut illud *arguere*, verbis tantummodo, hoc *castigare*, flagris et verberibus, significet; quae tamen h. l. confunduntur. — 3. *Miserere mei, Jova, nam langueo; sana me,*

Jova, nam ossa mea soluta sunt. אָמְלַל referendum est ad אָמַל, cujus Conjug. *Puhlal* s. *Pohlal*, formae קוֹמַם, esse videtur. אמל proprie de plantis *marcescentibus* dicitur, quod maxime apparet e Jes. 24, 4., ubi verbo נָבַל, tanquam *συνονύμῳ*, respondet. Deinde de omnibus dicitur, quorum *vires* deficiunt et *languent*, qui *exhausti sunt viribus*, ut h. l., ubi et Kimchi recte *summae debilitationis et prostrationis* significatione sumendum esse monet, ut Neh. 4, 2. *quid debiles illi*, laboribus exhausti, *Judaei faciunt?* Ceterum de אמלל dissentiunt, sitne nomen *adjectivum*, ut orationis structura h. l. flagitare videtur, an vero *verbum* propter vocalem *Pathach* in syllaba posteriori. Qui prius contendunt, provocant ad exemplum adjectivi eodem modo formati לֵב הוֹלֵל *cor stultum*, Jes. 44, 20. Qui pro *verbo* habent (propter *Pathach*), loquutionem *ellipticam* esse putant, ut subaudiendum sit pron. rel. אֲשֶׁר, ut Ez. 9, 8., ubi וָאֶשָּׁאֵר אָנִי qui *relictus est*, sum *ego*, pro נִשְׁאַרְתִּי *ego relictus sum.* Cf. et Thren. 3, 1. Jes. 38, 5. Ex hoc itaque loquendi more h. l. אָמְלַל אָנִי explicandum esset: qui *est languefactus*, *ego* sum. Sed in nonnullis libris mss. אָמְלָל, cum *Kamez*, extare, colligo ex his Salomonis Melechidis verbis: „Si vocalem *Kamez* habet, erit adjectivum, s. Particip. *Pyhal* [pro מְאֻמְלָל]; sed in multis codd. vocem cum *Pathach* scriptam reperi, quibuscum consentit Masora (parva) ad Jes. 16, 8., ubi notatur, אָמְלָל cum Kamez nusquam alias occurrere (in medio commate), sed in fine tantum Vs. ita scribi (ob accentum Silluk, ut Nah. 1, 4.). Cum Pathach si scribitur, est Praeter. Pyhal.“ נִבְהֲלוּ עֲצָמַי *Conturbata sunt ossa mea*, i. e. corpus meum prae tremore veluti conquassatum est totum. Ossa, fundamenta corporis, per synecdochen ponuntur pro toto corpore.

4. 5. *Anima mea est perturbatissima, et tu, Jova, quousque?* וְנַפְשִׁי נִבְהֲלָה מְאֹד, eo quod timeam, ne eo morbo moriar, ut Kimchi bene observat. In hemistichio altero aposiopesis est, anxio, et auxilium exspectanti familiaris. Subaudiendum est sive *me affliges?* sive *irasceris?* ut Ps. 79, 5., ubi integra phrasis occurrit. — 5. Avertisti faciem tuam propter scelera mea, nunc quaeso tandem placatus oculos tuos ad me converte: *Convertere, Jova, eripe me, salvum me redde pro insigni tua benevolentia.* Ad שׁוּבָה subaud. אֵלַי, coll. Zach. 1, 3., hoc sensu: redi ad me, a quo te elongasti, revertere ad meum auxilium. לְמַעַן חַסְדֶּךָ *propter misericordiam tuam*, quae pati non potest, ut miser ego tuus servus ita peream.

6. 7. Ne patiare me tolli e vita, ut te celebrare possim: *Mortui te non celebrant; apud inferos quis te laudet?* אֵין בַּמָּוֶת זִכְרֶךָ proprie: *non est in morte tui memoria*, i. e. mortui te non celebrant. Alex. ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν τῷ θανάτῳ ὁ μνημονεύων σου, quod sequ. Vulgat. et Arabs, ac si זֹכְרֶךָ legissent. Est in hoc Vs. descriptio poetica status animorum post mortem. Quem quippe

poetae hebraei sibi fingunt a societate hominum in hoc mundo viventium prorsus separatum, eundemque tristem, tenebricosum, in quo perpetuum sit silentium, qualem de *orco* suo etiam Graeci et Romani notionem sibi finxerunt. Hinc multa in Pss. loca reperiuntur, inferos Deum non laudare, praecisam post mortem ansam extollendi numen, et alia. Cf. Ps. 88, 12. 115, 17. Jes. 38, 18. — 7. *Fessus sum gemendo, tota nocte lectum meum madefacio, lacrymis stratum meum humecto.* אַשְׂחֶה quidam interpretantur *natare facio*, qua *natandi* notione occurrit Jes. 25, 11. *Expandunt manus suas sicut expandere solet* הַשֹּׂחֶה לִשְׂחוֹת *natator ad natandum.* In dialecto Aram. שְׂחָה *natandi* et *lavandi* notionem habet. Alex. λούσω καθ' ἑκάστην νύκτα τὴν κλινήν μου. Sunt qui אשחה de *sudore* intelligant, quo aegrotus Davides tam vehementer laboraverit, ut lectus ipsius sudore quasi perfunderetur. Huic verbo respondet אַמְסֶה *liquescere facio* in altero membro. מָסָה est i. q. מָסַס *liquefactum est*, quemadmodum plura alia verba sono inter se cognata, sed ultima tantummodo radicali s. geminata s. quiescenti diversa, significationibus conveniunt. מִטָּה et עֶרֶשׂ proprie ita differre videntur, ut illud sit *totus lectus*, spondam et stragula, s. pulvinaria, comprehendens, alterum vero sola *sponda;* sed h. l. uti et alias, e. c. infra 41, 4. Job. 7, 13. Prov. 7, 16, significatione haud differt a מִטָּה. Ceterum non absimilis est locus Hom. Od. 17, 102. sq.

8. עָשְׁשָׁה מִכַּעַס עֵינִי *Contabuit* nimia lacrymarum profusione *prae moerore oculus meus*, ut Job. 17, 7. וַתֶּכַהּ מִכַּעַשׂ עֵינִי *caligavit prae moerore oculus meus.* עָתְקָה *Consenuit* oculus meus, i. c. amisit vigorem et nitorem suum pristinum, languet oculorum lumen, ut in senibus. Non est, cur *oculum* h. l. ut Jobi loco memorato de *facie* s. *vultu* intelligamus, de quo עַיִן Hebraeos usurpasse, idoneo testimonio vix probari potuerit, ut vere de Wette monuit. Magis quoque poetica est h. l. oculorum quam vultus mentio. Cf. Ps. 31, 10. עָשְׁשָׁה בְכַעַס עֵינִי נַפְשִׁי וּבִטְנִי *contabuit moerore oculus meus, animus meus et corpus meum.* Ceterum pro עָתְקָה interpp. antiqui, praeter Chaldaeum et Syrum, exprimunt primam personam עָתַקְתִּי, maxime ii, qui Alexandrinum sequuti sunt. Nihilominus Masorethicum עָתְקָה praeferendum censeo, ob parallelum עָשְׁשָׁה. — בְּכָל־צוֹרְרָי *per omnes hostes meos*, per angorem, quo tot meis adversariis afficior. Hinc ב praefixum Hebraei בַּעֲבוּר *propter*, et מִן *ex* notare dicunt, ut in בְּכַעַס infra 31, 10., quem locum modo laudavimus.

9—11. Poeta spe auxilii divini erectus, certusque preces suas exauditas esse, sermone ad hostes suos converso eis acclamat: סוּרוּ מִמֶּנִּי *recedite a me*, desistite a me insectando, cui auxilio suo adest Deus. כָּל־פֹּעֲלֵי אָוֶן *Omnes* vos *facientes pravitatem*, flagitiosi et scelerati homines, quibus poeta speciatim intelligit eos, qui sibi suisque mala struebant. כִּי־שָׁמַע יְהוָה קוֹל בִּכְיִי *Nam*

audivit, jam enim exaudivit *Jova vocem ejulatus mei*, questus meos et preces meas. — 10. יְהוָה תְּפִלָּתִי יִקָּח *Jova supplicationem meam suscipiet*, quod ab ipso petii, id mihi praestabit. — 11. יֵבֹשׁוּ וְיִבָּהֲלוּ מְאֹד כָּל־אוֹיְבָי *Erubescant* pudore *et consternentur* valde *omnes hostes mei*, ob machinationum in meum interitum frustrationem. יָשֻׁבוּ *Revertentur* a me insectando, desistent a suis in me malis studiis; et id quidem רֶגַע *momento*, repente. Significatur et auxilii propinquitas, et exitii hostium gravitas; mala namque subita magis terrent ac nocent, nec etiam datur locus viribus colligendis.

Ps. 7.

Poeta, hostibus cinctus, qui eum non tantum calumniis vexarent, verum et vitae ejus insidias pararent, auxilium divinum implorat, Vs. 2. 3. Subjungit innocentiae suae contestationem, 4 — 6. Hinc ad justum supremi judicis provocat judicium, ut, a qua parte stet innocentia, elucescat, 7 — 10. Denique de causae suae bonitate, judiciique divini justitia persuasus, adeoque spe liberationis erectus, hostium perniciem, nisi brevi resipiscant, annuntiat, sequc Jovae justitiam esse celebraturum profitetur, 11 — 18. — Inscriptio docet, composuisse Davidem hunc Ps. *propter* (עַל־דִּבְרֵי, ut Gen. 12, 17. עַל־דְּבַר־שָׂרַי *propter Saram*, Deut. 4, 21. עַל־דִּבְרֵיכֶם *propter vos*, Jer. 7, 22. *nihil praecepi* — עַל־דִּבְרֵי עוֹלָה *de holocausto*, ratione holocausti) *Cuschum, Benjaminitam* (בֶּן־יְמִינִי Patronymicum a בִּנְיָמִין, pro quo Jud. 3, 15. בֶּן־הַיְמִינִי, et 1 Chr. 27, 12. בִּנְיָמִינִי, et solum יְמִינִי 1 Sam. 9, 1. 4. 2 Sam. 20, 1. Esth. 2, 5.). Quisnam vero is fuerit, difficile est dictu, quum ejus nomen nusquam occurrat. Quum כּוּשׁ hebr. nomen *Aethiopiae* sit (vid. ad Gen. 10, 6.), haud pauci nostrum etiam כּוּשׁ pro nomine gentili Aethiopis habuerunt (sed quamvis Primitivum nonnunquam pro *gentili* ponatur, *Aethiops* tamen, ad analogiam formationis nominum gentilium, alias vocatur כּוּשִׁי Jer. 13, 23. Am. 9, 7. 2 Chr. 12, 3.), totamque appellationem, *Aethiopis Benjaminitae* nominis proprii viri cujusdam periphrasin esse putarunt. Et quidem 1) alii, Chaldaeum sequuti, *Saulum* regem, Benjamine ortum, putant innui, maxime propterea, quod ut *Aethiops* atro corpore, ita animo esset, allusione simul facta in nomine כּוּשׁ ad קִישׁ, quod nomen fuit patris Sauli. Cui tamen sententiae hoc potissimum obstat, quod *calumniatoris* magis, quam persecutoris persona Cuscho hic aptetur. 2) Aliis Cusehi nomine *Simei* videtur intelligendus, notus ille insultor, obtrectator et persecutor Davidis, qui ei, coram filio fugienti, Sauli filiorumque necem imputavit, et ab ipso nunc juste vindicari calumniatus est (1 Sam. 16, 5. sqq.). Hunc vero כּוּשׁ appellatum censent, nomine quod *Aethiopem* et *nigrum* significat, quod moribus et ingenio niger fuerit, et pravitate inemendabili. Habuit autem Simei patrem *Gera*, et avum *Jemini*, atque ita fuit Jeminides (2 Sam. 16, 11.),

quum avum etiam pro patre in scric generis recenscre Hebraei soleant. Sic Vs. 15. de Ahitophele interpretandus erit, et Vs. 4. vel de Mephibosetho, vel etiam de Saulo simpliciter. Objiciebant enim hoc Benjaminitae Davidi, quod per vim et fraudem eripuisset regnum Saulo ejusque posteris. Verum ut taceam, haud facile cogitari posse rationem, cur *Simei* nomen Davides dissimularet, occurrunt in Ps. ipso talia, quae Absalonicae persecutioni vix conveniant. Primo enim poeta eum, a quo gravia passus est, inimici nomine absolute insignit (Vs. 6.), atque *impiis* accenset (Vs. 10.), quod Absaloni partim minus convenit, partim de eo non videtur dicturus Davides. Absalon enim non tam hostilem in Davidem gessit animum et hostiliter eum persecutus est, quam regnum patris, jam senis, sibi affectavit. Praeterea satis constat, quantus fuerit in Davide parentis affectus in Absalonem, qui cum sane impedivit, quo minus de filio tam duriter loqueretur. Deinde quae Vs. 3. leguntur, parum apta videntur Absalonicis temporibus. Etenim quamquam aufugerat David, quum filius regnum sibi violenter vindicaret, is tamen patrem non ubique *ad mortem* est insectatus, ipsiusque necem, ut terribilis *leo*, et immanis et truculentus hostis, quaesivit, nec vitae ejus quocunque modo insidiatus, ut innuitur Vs. 3. 6. 16. 17. Quae omnia autem Saulicis vexationibus optime conveniunt; quare ea verissima sententia videtur, qua *Cusch Benjaminita* accipitur pro nomine proprio ignoti alicujus viri, Sauli contribulis, qui atrocis in criminis invidiam adduxerat Davidem. Sauli vero gentiles tum primas in regno obtinebant, unde hominis istius calumniae tanto majorem apud regem vim et efficaciam videntur habuisse.

2. 3. Epiphonemate orditur, quo subitaneam ex hostium persecutione liberationem supplicat: *Jova, mi Deus, ad te confugio; serva me a tot meis persecutoribus, eripe me his!* 3. *Ne hostis, tanquam leo, me dilaniet, nec me, subsidio deficiente, discerpet.* In verbis בְּךָ חָסִיתִי emphasis est: *in te fiduciam meam pono*, non in homines. Quum Vs. 2. *persecutores* nominentur, sed Vs. 3. *unius* tantum fiat mentio; alii hunc distributive accipiunt: *hostium unusquisque;* alii Saulum ipsum innui putant, cujus ferinus plane esset in Davidem animus, et qui leoni conferatur, ob feritatem, crudelitatem et potentiam. Comparationem enim cum *leone* et *dilaniationis* descriptio rectius in unum insignem et potentem, quam in quosvis convenire hostes. Non autem nominasse poetam hostem illum, emphaseos causa, indicans, eum nemini non esse notum. — 3. פֶּן־יִטְרֹף כָּאַרְיֵה נַפְשִׁי *Ne dilaniet, ut leo, animam meam*, i. e. me. Hostes suos David saepius leonibus comparat, Ps. 22, 22. 35, 17., quia immanitate, truculentia et ferocitate certare videbantur cum leonibus atrocissimis. טָרַף, proprie *carpsit* per extrema, usurpatur maxime de feris, praedam humi trahentibus, et membratim vellenti-

bus. Hinc טְרֵפָה Lev. 7, 24. *cadaver*, cujus extremitates per feras concerptae sunt, differt a נְבֵלָה *cadavere* quovis. Verba פֹּרֵק וְאֵין מַצִּיל Alex. vertit: *μὴ ὄντος λυτρουμένου μηδὲ σώζοντος, nemine liberante* (significationem Chald. פְּרַק secutus) *nec servante*, non quod אֵין bis legisset; sed addidit particulam negativam de suo, ut et alias, quod sensus id requireret. Eandem interpretationem sequuntur Syrus, Vulg. et Arabs. Quamvis vero sic sensus neque incommodus prodeat, neque talis qui a verbi פָּרַק significatione alienus sit, quum illud apud Hebraeos non minus, quam apud Aramaeos, *liberandi*, *eripiendi* notione usurpetur (Ps. 136, 24. Thr. 5, 8.), tamen, quum repetitioni negationis *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* difficultatis aliquid insit, praestat, פרק propria *divellendi*, *discerpendi* significatione accipere, et ita vertere: *dilacerans* existit, instat, *sed nullus adest*, *qui eripiat* me illius faucibus. Quam interpretationem praeivit Chaldaeus *(dilaniat, sed nullus est, qui liberet)*, et commendat membrorum parallelismus, qui postulat, ut nomini אַרְיֵה aliquod respondeat, quod vix aptius eo quod hic positum est, פֹּרֵק *discerptore*, eligi poterat, quum leo praedae carnem et membra unguibus discerpat et dilaceret. Sic 1 Reg. 19, 11. מְפֹרֵק הָרִים vix aliter verti potest, quam *divellens montes*, et synonymum est verbi sq. מְשַׁבֵּר *diffringens*. Accedit dialectorum Arab. et Aram. consensus, in quibus verbis illius propria significatio *dividere*, *divellere* est, et translate demum *liberare* significat.

4 — 6. Exspecto opem tuam, meae conscius innocentiae: *Jova, mi Deus, si id feci, si manus mea flagitio est commaculata, 5. si amicum injuria affeci, si mihi immerito adversantem spoliavi; 6. hostis me persequatur, meque assecutus ad terram proculcet et humi prosternat.* אִם עָשִׂיתִי זֹאת *Si hoc feci.* זֹאת quidam emphatice dictum putant: *si feci istud*, sc. quod mihi impingitur, propter quod persecutionem patior a Saulo. Sed rectius illud pron. *δεικτικῶς* sumitur de eo, quod statim exponit, s. subjicit. Quo sensu et in similibus locis, ubi magnum et grave crimen indigitatur, usitatum est. Veluti 1 Reg. 11, 11. *propterea quod fuit* זֹאת *hoc tecum*, tu hoc perpetrasti: *ut foedus meum et praecepta mea non servaveris.* Jer. 5. 7. אֵי לָזֹאת אֶסְלַח־לָךְ *possumne tibi istud ignoscere? Nati tui, relicto me, per non deos jurant.* — אִם־יֶשׁ־עָוֶל בְּכַפָּי *Si est iniquitas in manibus meis*, si fraudem aut injuriam ullam usurpo aut usurpavi. *Manus*, ut saepe יָד, pleonastice positum est.

5. Verba אִם־גָּמַלְתִּי שִׁלְמִי רָע Alex. vertit: *εἰ ἀνταπέδωκα τοῖς ὑνταποδίσουσί μοι κακά*, Vulg. *reddidi retribuentibus mihi mala*, i. e. malum malo compensavi. Syrus: *si retribui ei, qui mihi malum fecit.* שָׁלַם *retribuendi* notione acceperunt. Quae tamen interpretatio admitti non potest, nisi pro שִׁלְמִי legas מְשַׁלְמִי, Partic. Piel. Sed hac mutatione nequaquam est opus, quum שִׁלְמִי sensum perquam aptum reddat si שָׁלַם notissima *pacem colendi*

significatione accipias. Quam interpretat. Chaldaeus praeivit: *si retribui viro pacis meae malum.* Sensum bene expressit Lutherus: *Hab' ich Böses vergolten denen, so friedlich mit mir lebeten.* Amicus *vir pacis meae* vocatur Ps. 41, 10. coll. Job. 22, 21. In verbis וְאַחַלְצָה צוֹרְרִי רֵיקָם dissensum creavit πολύσημον חָלַץ. Etenim quum חלץ aliis locis prima *extrahendi* notione occurrat, haud pauci h. l. de *liberatione* e periculis accipiunt. Tum sensus esset parum aptus: si unquam hostem immerito mihi infensum e periculis liberavi, inimicus me persequatur. Multo aptius verbum hebr. accipitur propria *extrahendi, eripiendi, auferendi* significatione. Dicitur de vestibus, quae alicui exuuntur et eripiuntur; ut de *calceo* Deut. 25, 10. Jes. 20, 2. Respici putant nonnulli ad historiam 1 Sam. 24, 4. 5. 26, 11., ubi David Saulum ne veste quidem, aut matula atque hasta spoliare voluit. Chaldaeus: *ac si oppressi, qui me immerito arctabant,* חלץ *aut* cognati לחץ, *opprimere*, notionem tribuit (quod verbum tamen constanter usurpatur de *potentiore, qui infirmiorem opprimat;* id vero Davidi, a Saulo vexato, minus convenit), *aut*, quod probabilius est, τῷ חלץ significatione Syr. אלץ, *coëgit, arctavit, afflixit*, acceepit. Literas enim gutturales ח et א in hebr. et aram. dialecto saepe permutari, satis notum. Singularis est Alexandrini interpretatio, hemistichium hoc posterius ut ἀπόδοσιν accipientis: ἀποπέσωμαι ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν μου κενός. Ad quam versionem respiciens Ferrandus (in *Annott. ad Paraphras. hujus Ps.* p. 159.) παραφράζει: *Si benefactoribus meis malum reddidi; opto, ut inimicis meis succumbam spe frustratus.* J. D. Michaeli quoque verisimile est, Alexandrinum חלץ *exuere*, hic intransitive et semipassive accepisse, *exui, excidere.*

6. Ut innocentiam fortius affirmet, jurisjurandi ad modum poenam adjungit, quam, si falsum loqueretur, subire vellet. In verbis יִרַדֹּף אוֹיֵב נַפְשִׁי forma יִרַדֹּף est insolentior. In 10 codd. Rossianis atque in uno Regiomontano extat יִרְדֹּף, solita Fut. Cal forma. Sed in aliis codd. videtur יְרַדֵּף, forma Piel, exstitisse, unde postea utraque scriptura in יִרַדֹּף conflata fuerit; cf. Gesenii *Lehrg.* p. 462. et Ewald *Krit. Grammat. der hebr. Spr.* p. 489. not. 7. Similis duplicis formae conjunctio videtur תְּהַלֵּךְ Ps. 73, 9. esse. In verbis וְכְבוֹדִי לֶעָפָר יַשְׁכֵּן quidam כָּבוֹד de *dignitate regia* intelligunt, cujus obtinendae Jova Davidi spem fecerat; tunc *pulvis* humilem et abjectam conditionem indigitabit. Quum tamen parum sit verisimile, Davidem, priusquam dignitatem regiam adeptus esset, de ea amittenda cogitasse; magis placet eorum sententia, qui כבוד de *anima* accipiunt, qua nihil praestantius habet homo, ut significatione cum חַי et נֶפֶשׁ, in priori hemistichio, conveniat. Eodem sensu eodemque fere parallelismo occurrit Gen. 49, 6. Ps. 16, 9. (ubi לִבִּי et כְּבוֹדִי sibi respondent), coll. Ps. 30, 13. 57, 9. 108, 2. In voc. לֶעָפָר part. ל ponitur

pro עַל s. אֶל, veluti Job. 2, 13. *sederunt apud ipsum* לָאָרֶץ *ad terram*, s. *in terra*. Ps. 9, 5. *sedisti* לְכִסֵּא *in solio*.

7. 8. Precatur, ut Deus hostium exaestuationes fortiter reprimat, sibique opem ferat in oppressionibus supcrandis, idque publice coram toto mundo palam faciat; haud secus ac judex, qui pro tribunali sedens coram omnibus, ipsum eo fine eingentibus, justo judicio calumniatores et persecutores innocentium condemnat, et justorum justam causam publice agit et vindicat. קוּמָה יְהוָה בְּאַפֶּךָ *Surge, o Jova, in ira tua*, adversus hostes meos, qui injuste me opprimunt. הִנָּשֵׂא *Attolle te* in altum judicii thronum, vel, conspicuum et eminentem te ostendas factis tuis poenisque, quas meis adversariis infligis. בְּעַבְרוֹת צוֹרְרָי *In* s. *contra furores hostium meorum*. עֶבְרָה ab עָבַר *transiit*, de flumine praesertim, *extra ripas effervescente*, usurpatum, valet *fervorem, impetum fervidum*, qui *repagula* omnia *transcendat;* ita Prov. 21, 24. in *effervescentia ferociae*, vid. et Jes. 14, 6. Job. 21, 30. H. l. nonnulli ad *Deum* referunt, ut synonymum sit עֶבְרָה בְּאַפֶּךָ, significetque *effervescentiam*, exeandescentiam, *quà Deus contra hostes Davidis effertur.* Hoc Chaldaeus elegit et Aquila. Sed quemadmodum in membro priori באפך cum suffixo positum est, ita, si hoc etiam nomen ad Deum referendum foret, בְּעַבְרָתְךָ positum fuisse, credibile est. Deinde vox צוֹרְרָי, nulla praepositione munita, cum בְּעַבְרוֹת *excandescentiis*, proxime cohaeret, quod Masorethae sua punctatione confirmarunt; est enim in *statu constructo* positum. Itaque rectius ad *hostes* refertur, Aben-Esra praeeunte: *propter furores eorum.* וְעוּרָה אֵלַי *Suscita te*, et propera *ad me*, ad auxilium mihi praestandum; constructio, quam praegnantem vocant. Verba מִשְׁפָּט צִוִּיתָ sunt qui interpretentur: *jus* s. *aequitatem praecepisti*, sc. in verbo tuo. Aequum est, ut jus mihi reddas, quum ipse hoc ab omnibus fieri praecipias. Sed melius convenit, Praeterito Imperativi loco accepto, sic facere: *judicium praecipe*, i. c. solennis judicii diem indice. Praeteritum enim, non minus quam Fut., nonnunquam pro Imperativo poni, si eo praecedente cautum sit, ne Imperativus agnosci non possit, recte observant Storr in *Obs. ad analog. et syntax. hebr.* p. 163. et Gesenius *Lehrg.* p. 767.; exempla afferunt Gen. 6, 21. Lev. 27, 2. 1 Sam. 6, 7. sqq. Ez. 4, 1. sqq.

8. Quamvis de singulorum vocc. significationibus nulla sit dubitatio, tamen dissensus est de sensu totius Vs. Simplicissima interpretatio videtur esse, quam Aben-Esra profert: „Nationes ubi audiverint, te judicium acturum, undique terrarum convenient, quod verbo תְּסוֹבְבֶךָ, iisque, quae proxime praecedunt, indigitatur; altero vero hemistichio Jovam implorat, ut, ad coelum reversus, thronum, e quo jus dicat, conscendat, quare proxime (Vs. 9.) subdit: *Jova populos judicabit.*“ Dathius quoque recte observat, alludere Davidem ad morem regum orientalium habendi judicia,

qui magno hominum comitatu stipati solcant apparere, thronum eminentem occupare, et tunc sententiam dicere. Quod ut Deus in sua causa faciat, Davides Vs. sq. rogat. De Wette per מָרוֹם *montem Zion* hic indicari putat, quam suam sedem Jova reliquisse videretur, dum suum populum opprimi sineret. Verisimile enim est illi, hunc Ps. totius populi preces continere, velit Jova Hebraeos ab hostium exterorum injuriis vindicare, et in libertatem asserere.

9. Ad te itaque, ad quem omnes, tanquam ad summum judicem suspiciunt, me converto, ut pronunties de causa mea, te rogaturus: *Jova, omnium gentium judex, me pro innocentia mea judica, atque pro integritate mea mihi repende!* יְהוָה יָדִין עַמִּים *Jova judicat gentes*, i. e. tu, Deus, judicas populos, eosque vel punis, vel, si innocentes sunt, vindicas ab hostium injuriis; ergo et me insontem jam defende, et hostes puni. Nota personarum in hisce Vss. variationem; nam sub finem Vs. 8. dixerat: *revertere*, nunc in tertia: *judicat;* mox rursus in secunda: *judica me.* Ante שָׁפְטֵנִי *judica*, i. e. vindica *me*, subaud. עַל־כֵּן *quapropter.* כְּצִדְקִי *secundum justitiam*, i. e. justam causam *meam.* וְכָתֻמִּי עָלָי *atque secundum integritatem meam super me*, scil. sit, mihi obveniat, mihi rependatur, quod Chaldaeus in paraphrasi expressit.

10. *Fac, ut impiorum malitia conficiat se ipsa, sed bonos stabili! Tu enim, Deus juste, renes et corda explorate novisti.* In verbis יִגְמַר־נָא רַע רְשָׁעִים alii verbum גָּמַר transitive accipiunt, *consummare, finire*, ut רַע, Aben-Esra inquiente, sit *agens*, רְשָׁעִים vero *passivum*. Ita Kimchi: *mala facinora, quae improbi machinantur et perpetrant, consumant et pessumdant auctores ipsos.* Id nos etiam in versione dedimus. Alii גמר intransitive sumunt, significatione *desinendi*, Chaldaeo praeunte: *desinat*, cessat, *tandem malum improborum.* Sic Mendelssohn: *der Bösen Tücke lass verschwinden!* וּתְכוֹנֵן צַדִּיק *stabilias* autem *probum*, i. e. res proborum, secunda eos, s. dirige eos. In verbis צַדִּיק — וּבֹחֵן explicandis interpretibus part. ו ante בֹּחֵן est molesta. Eam Syrus non expressit, eandemque haud pauci in nostris libris expungendam esse putarunt. Verum quum ex sanioris critices praeceptis ejusmodi legendi ratio, in qua omnia tam plana sunt et extricata, ut librarius quisque facile intelligere ea potuerit, difficiliori fere sit postponenda; nostrum quoque וּבֹחֵן retinendum videtur. Nulla vero in his verbis difficultas erit, si partic. ו *nam* vertas, quemadmodum saepe alias est exprimenda. Sensus: *nam tu, Deus juste, corda et renes probas;* non est itaque dubium, quin tu, qui optime noris, cujus bona est causa, impios, i. e. hostes meos, sui ipsorum malis facinoribus perdas, eosque, quorum justa est causa, adjuves et protegas.

11—14. *Dominus me clypeo protegit, ope sua adest iis, quorum sincerus est animus.* 12. *Deus est justus judex, Deus*

talis, qui semper irascatur, 13. *nisi resipiscat, qui ensem suum acuit, arcum tendit et aptat.* 14. *Sed contra se ipsum hic parat arma letifera, sagittas aptat ardentes.* Vid. argumentum huj. Ps. מָגִנִּי עַל־אֱלֹהִים *Clypeus meus penes Deum* est. Praepos. עַל, ut arab. عَلَى, haud raro *juxta, prope, apud* denotat. Prodit igitur sensus: clypeum, quo protegendus sim adversus hostium insultus, Jehova tenet, qui ipse me eo obumbrat.

12. Aptissimam hunc Vs. interpretandi rationem, quam supra in versione expressimus, Aben-Esra proposuit, qui צַדִּיק pro adjectivo habet ad שׁוֹפֵט pertinente, membrum vero posterius cum Vs. sq. conjungit. Haud pauci autem voce. צדיק et זֹעֵם pro adjectivis nominum שׁוֹפֵט et אֵל accipientes, sic reddunt: *Deus est judex justus, Deus indignans*, severitatem exercens, *omni die.* Praeivit Chaldaeus: *Deus est justus, sed ira commotus in malos omni die*, i. e. qui impio semper irascitur. Alii צדיק et זעם tanquam diversa a Deo substantiva in Accus. vertenda censent: *Deus judicat justum*, secundum justam causam suam, *atque eum, qui Deum exasperat*, secundum improbitatem suam, *omni die*, i. e. tam pium, quam impium indesinenter judicat. Alex. hunc Vs. ita reddit: ὁ θεὸς κριτὴς δίκαιος καὶ ἰσχυρὸς, καὶ μακρόθυμος, μὴ ὀργὴν ἐπάγων ἑκάστην ἡμέραν. Quod sequitur Vulg.: *Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies?* Syrus quoque: *non irascitur omni die* (praeterea verba, qua Vs. 13. sequuntur ad hunc trahit, dum addit: *sed convertens* etc.). Recte Doederlein observat: „Visa inclementior sententia interpretibus elimata est mutatis punctis pro *El* legendo *Al*, אַל." Verba καὶ ἰσχυρὸς καὶ μακρόθυμος, quae in vers. Alex. leguntur, exque ea in vulgatam latinam manarunt, esse glossema, recte jam observavit Drusius in *Commentar. uberiori* ad h. l.

13. Quum nullus hic praecedat Nominativus nisi Vs. 12. אלהים, trahitur tota haec sententia a plerisque 1) ad *Deum* poenas minitantem, h. s.: nisi revertatur impius, Deus armis letiferis eum conficiet. Ita vero Vs. 15. alius subaudiendus erit Nominativus: *hostis* vel *impius*. Verum minus hiulca erit oratio, si totam hanc sententiam usque ad Vs. 18. accipiamus 2) et de hostis impii machinationibus cruentis (Vs. 13. 14.), et de earum successu (Vs. 15—17.), adeoque hic erit nexus: si non convertatur (impius), sed acuat porro gladium suum, ecce! parturiet vanum, et quae sequuntur. Eaedem fere phrases de impii conatibus habentur Ps. 11, 2. 37, 14. 15. Recte Kimchius: אִם hic pro כִּי, *quando*, positum est, ut Num. 36, 4., ubi eodem modo pro כִּי s. כַּאֲשֶׁר ponitur. Sed arctius hunc Vs. cum Vs. 12. conjungit Aben-Esra, post יָשׁוּב pron. אשר subaudiendum jubens, quasi positum esset אם־לא ישוב אשר חרבו ילטוש, h. s.: Deus indignari atque poenas exercere non desinit, *nisi se convertat, qui ensem suum acuit*, ut quocunque modo noceat et mortem innocentibus inferat.

קַשְׁתּוֹ דָּרַךְ *qui arcum suum calcat*, i. e. tendit, nam *calcandi* verbum arcui convenit, *quod*, inquit Jarchi, *si ille sit validior, necesse habes, pedem ei imponere, cum tendere velis.* Istiusmodi arcus, qui pede imposito erant tendendi, etiam Indis olim in usu erant, ut docet Arrianus in *Hist. Ind.* c. 16. p. 331. ed. Gronov.: *Pedites Indi arcum habent, ejusdem cum eo, qui eum gestat, longitudinis, atque hunc quidem ad terram obfirmantes, sinistroque pede, ut eum tendant, contra nitentes, ita nervum longe retro adducunt.* וַיְכוֹנְנֵהוּ *aptat*, et dirigit *eum*, impositis sagittis, uti plenius habetur 11, 2.

14. Pron. לוֹ est i. q. לנפשו *sibi ipsi*, ac si diceret: *sagittae, quas paravit, illi ipsi paratae sunt, nam iis est interimendus.* Ceterum pro לוֹ vetus quoddam Psalterium in membranis, sec. 14. scriptum, legit לָהּ, a prima manu. Hoc suffixum femin. respiceret ad קֶשֶׁת Vs. 13., ut sensus esset: *arcui aptat tela letifera.* Ita Vulgat.: *et in eo paravit vasa mortis.* In membro altero: חִצָּיו לְדֹלְקִים יִפְעָל, interpretationis diversitas oritur ex eo, quod incertum sit, voc. לדלקים utrum in *Accus.*, an in *Dat.* sit accipiendum. 1) si Dat. est, de *Davidis hostibus* intelligendum esse patet. דָּלַק autem duplici notione pollet. *a*) E dialectis cognatis explicari potest *ardere.* Hac significatione assumta Alexandrinus: *τὰ βέλη αὐτοῦ τοῖς καιομένοις ἐξηργάσατο*, Vulgat. *sagittas suas ardentibus effecit*, i. e. suas fabricatus est sagittas, quibus eos feriat, qui odio in me ardent. *b*) Quum דלק etiam denotet *impetu hostili irruere*, vel *acriter persequi*; haud pauci דלקים *persequutores* reddunt. Praeivit Chaldaeus: *jacula parat*, emittit *in eos, qui probum persequuntur.* Verum si poeta sub דלקים *hostes* suos intellexisset, posuisset haud dubie s. לְדוֹלְקַי בִּי *qui in me odio ardent*, s. לְדוֹלְקַי אֲחֵרַי *qui me persequuntur.* Assentior itaque iis, qui 2) voc. illud in Accus. accipiunt, ut ad *sagittas* sit referendum. Ubi enim *praedicato*, quod pendet ex verbo substantivo, praefixum ל jungitur, id *accusativum, qualitatis indicem* designat, veluti Jer. 50, 3. *ponet*, reddet *terram* ejus לְשַׁמָּה *vastitatem*; 2 Sam. 5, 3. *unxerunt Davidem* לְמֶלֶךְ *regem*; Job. 33, 10. *habet me* לְאוֹיֵב *inimicum.* Ita et hic חִצָּיו לדלקים יפעל *sagittas suas ardentes facit*, i. e. ardente materia praecinctas incendiumque spargentes, quales Ammianus Marcell. 23, 4. descripsit: *Malleoli, teli genus, figurantur hac specie. Sagitta est cannea, inter spicum et arundinem multifido ferro coagmentata, quae in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concavatur, ventre subtiliter ad multifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento, et si emissa lentius arcu invalido, ictu enim rapidiore extinguitur, haeserit usquam, tenaciter cremat, aquisque conspersa acriores excitat aestus incendiorum, nec remedio ullo, quam superjacto pulvere, consopitur.* Hieron. quoque vertit: *sagittas suas ad*

comburendum operatus est. Alii de sagittis *venenatis* cogitant, quod venenum ignis instar ardeat.

15—18. *En! parturit iniquitatem; facinore est gravidus, sed abortum faciet.* 16. *Foveam effodit et excavavit, sed ipse cadet in foveam, quam struxit.* 17. *Retorquebitur ejus conatus in caput ipsius; ejusque violentia in ipsius verticem deferetur.* 18. *Ego vero Jovam, ut ejus justitia dignum est, celebrabo; canam nomen Jovae altissimi.* הִנֵּה *Ecce!* Post moliminum hostilium descriptionem transit jam, praemissa interjectione, ad conatuum eventum. Q. d.: sudavit tantopere meus hostis, tot mihi paravit mortes, sed *ecce!* quid inde lucri? יַחֲבֹל־אָוֶן *parturit iniquitatem* cum dolore et tormentis. Ita חָבַל in Piel, ut hic de partu dolorifero Cant. 8, 5., et nom. חֶבֶל de dolore parturientium Jes. 66, 7. Jer. 13, 21. 22, 23. Hic denotat anxios istos labores et molimina hostium ad prava consilia exsequenda, quae in animo concepta diuque efformata, jam instar feminae parturientis, student eniti et in lucem proferre. Alex. quoque: ὠδίνησεν ἀδικίαν, et Chaldaeus: *excruciat sese ad mendacium.* Sequitur quidem הָרָה *concepit*, tanquam ὕστερον πρότερον. Neque vero poetarum dicta ad vivum sunt resecanda. Et emolliri hoc poterit, si ita capias: *parturit iniquitatem, quia concepit molestiam*, i. e. quod aliis molestiam, aerumnam, creat. „אָוֶן„ non tantum iniquitatem, sed et *vanitatem* denotat, quam utramque notionem hic captavit poeta, ut et *molimina* hostium, et *vana* eorum effecta simul exprimeret; quod mox explicatius tradit, nam *molestia* ad iniquitatem, et *mendacium*, i. e. *nihilum*, ad vanitatem pertinet.“ Venema. Quae sequuntur: וְהָרָה עָמָל וְיָלַד שָׁקֶר recte interpretatur Jarchi: *Quicquid ille* (improbus) *gignit et laborat, istud omne eum spe sua destituit; neque enim in manibus ejus consistet. Proverbium dicit: quicquid parit mendacium, id aufert fovea*, i. e. quicquid per fraudes acquisitum est, evanescit. — 16. בּוֹר כָּרָה *Puteum fodit*, i. e. insidias struxit, metaphora sumta ab iis, qui puteos fodiunt capiendis lupis aut feris aliis. וַיַּחְפְּרֵהוּ *et effodit eum*, terram fodiendo egessit, quo sic eum profundiorem faceret, ut Aben-Esra inquit. שַׁחַת significat *locum depressum*, a שׁוּחַ *deprimere, inclinare*, quemadmodum a רוּחַ nomen רַחַת *vannus* Jes. 30, 24. formatur. Atque de *fossa venatoria* capiendis leonibus שַׁחַת Ez. 19, 2. aliisque locis occurrit. Ante יִפְעָל subaud. אֲשֶׁר, ut saepe alias. — 17. Quod Vs. 16. parabolice, nunc propriis verbis dicit: יָשׁוּב עֲמָלוֹ בְּרֹאשׁוֹ *revertetur aerumna ejus*, i. e. quam mihi parat, *in ipsius caput*, in ipsum auctorem convertentur et recident consilia ejus mala. וְעַל קָדְקֳדוֹ חֲמָסוֹ יֵרֵד *et super verticem violentia ejus*, quam mihi infert, *descendet*, i. e. decidet, instar lapidis aut teli in altum projecti, sed in caput projicientis rursus delapsi. Cf. Coh. 10, 8. 9. Praedicit, tot mala, quae adversum se moliatur Saulus, in ipsius caput casura ac reditura. Nec falsus

vates fuit, coll. 1 Sam. 31, 4. — 18. אוֹדֶה יְהוָה כְּצִדְקוֹ *Celebrabo Jovam secundum justitiam suam*, ut dignum est justitia ejus, *quando exercebit judicium extremum, ut judicet improbos secundum improbitatem*, ut Jarchi inquit.

Ps. 8.

Celebrat poeta Dei magnificentiam, qua in coelis, qua in terris elucet, maxime vero ejus benignitatem canit, qua hominem tam nobilem creaturam esse voluit, ut sibi ipsi similis sit, et praestet atque imperet reliquis. Cujus celebrationis initium facit ab aetate tenera, quod in infantibus etiam exserat se admirabilis potentia Dei, et haec etiam aetas gloriam Dei muto ore celebret, in rebus quae cum ipsis fiunt; atque hinc progreditur ad cetera beneficia humano generi a Deo concessa. — Qua occasione et quo tempore scriptus sit hic Ps. definiri non potest. Sunt, qui noctu factum a Davide suspicentur, cū mentione lunae et stellarum Vs. 4., solis mentione omissa, ut qui coelum spectans, in has pietatis commentationes excurrerit. Quum scriptor Ep. ad Hebr. (2, 6 — 9. coll. 1 Cor. 15, 27. 28.) Vss. 6. 7. de Jesu, Messia, loquendo usurpaverit, multi ex Christianis interpp. a poeta Messiam spectatum censent, quippe cui dominium in omnia concessum esset, postquam per breve tempus humanam conditionem sustinuisset. De qua sententia verissimum judicium Rudingerus dixisse videtur: „— — neque quidquam per se habere Psalmum vel prophetiae, vel de Christo, vel de regno ejus. Quod enim Ep. ad Hebr. mentionem de dignitate conditionis humanae ad Christum, filium hominis, accommodat, et prophetiam hanc facit de humiliatione hujus, id habet *deflexionem anagogicam*, et allegoriam manifestam, ut hac de causa sententia verborum hebr. prima, secundum ea, quae sunt in Ep. ad Hebr., detorquenda non videatur. — — Quae enim de hominis praestantia dicuntur, ea etiam de Christi hominis dignitate vera sunt. — — Et tamen illa ad Hebraeos de hoc Ps. disputatio et Graecos Theologos, et nostros etiam interpp. plerosque eo abduxit, ut de Christo et regno ejus simpliciter, et non ut in allegoria eum interpretarentur, vel etiam nullam aliam interpretationem admitterent. Atque ita et sibi ipsis explicandi et aliis intelligendi laborem et difficultatem augerent, eum, nisi quod in hunc infertur, prophetiae aut de Christo et Ecclesia ejus doctrinae, per se nihil habere videatur.“

2. שִׁמְךָ interpp. haud pauci *nominis tui famam*, i. e. gloriam tuam, interpretantur, ut Gen. 6, 4. Kimchi vero שֵׁם h. l. tantummodo loco pronominis positum accipit, h. s.: *quam grandis es tu!* quia nomen ejus est ipsemet, et ipse est nomen suum. In verbis אֲשֶׁר הְנָה הוֹדְךָ עַל־הַשָּׁמָיִם voc. הְנָה interpretes exercuit. Alias est Imperativus verbi נָתַן. Qua forma tamen h. l. accipi non potest ob praecedens pron. rel. אֲשֶׁר. Recte autem Storrius in

Observv. ad Analog. etc. p. 157. not. observavit, תְּנָה esse formam *infinitam segolatam* (Infinitivi enim cum sint *nomina abstractorum*, et instar horum varias formas habent, ut Storrius p. 129. exemplis ostendit) verbi נָתַן, quae proprie est תַּן (pro נְתַן ad formam שְׁחַט, unde שְׁחָטָם Ez. 23, 39.), sed hic cum ה paragog. aucta, ut Gen. 46, 3. רְדָה *descendere*. Infinitivus vero h. l. pro tempore finito positus est, ut alias saepe, veluti Ez. 1, 14. הַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב *illa animalia currere et redire ad instar* fulguris, pro *cucurrerunt et redierunt;* et Jer. 14, 19. קְוֵה לְשָׁלוֹם *exspectare pacem! sed nihil est boni!* pro *exspectavimus*. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 354. Sensus itaque hic est: vel supra ipsos coelos longe eminet tua gloria et magnificentia, ut illam assequi nemo possit. Recte Chaldaeus et Syrus: *qui posuisti gloriam tuam super coelos.*

3. עוֹלָלִים a יוֹנְקִים *lactentibus*, docente linguae usu, proprie ita differunt, ut illi *parvuli* sint *jam grandiusculi*, qui incipiunt ratione uti, et ludere in platea, ut patet ex Jer. 6, 11. *effunde iram* עַל־עוֹלָל בַּחוּץ *super puerum in platea;* 9, 20. *ad exscindendum* עוֹלָל מִחוּץ *puerum a platea*, ne extra domos ludant pueri; ab עָלַל, quod in dial. arab. inter alia denotat: *lactavit et demulsit aliquem*, *infantem crustulis demulsit*, *ad mammae damnum resarciendum.* Unde patet, nomen עוֹלָל s. עוֹלָל *pueris* inditum esse, *a lacte jam depulsis*, quod crustulis fere demulceri, et vario ludo oblectari soleant, post mammam amissam. יִסַּדְתָּ עֹז *Fundasti gloriam.* Imago est poetis Arabicis satis usitata, qua gloria *aedificio* comparari solet. Dicunt: *Laudes*, *gloriae aedificium*, *aedificare*, vel etiam: *gloriae aedificium destruere.* Syrus vertit: *laus tua*, ac si עֻזְּךָ legisset. Sensum hujus incisi interpp. non uno modo constituunt. Quidam referunt ad infantium conservationem atque nutritum ex uberibus maternis, ex quo divina sapientia cognoscatur. Sed breviter et bene Moses, Sacerdos dictus, apud Kimchium: *Ex ore infantium, qui etsi nondum loqui aut fari possunt, ipsi nihilominus multa ac magna tua beneficia praedicant, quippe quos foves, nutris, atque ut crescant, facis.* לְמַעַן צוֹרְרֶיךָ *propter inimicos tuos*, i. e., ut recte Kimchi: *ut convincas atheos*, quos *hostes Dei* vocat, ut qui Deum negantes ei bellum inferre videantur, eumque e coelo velle deturbare. לְהַשְׁבִּית אוֹיֵב *ut hostem cessare facias*, ut cum compescas, reprimas, coerceas, s. *ut quiescere*, i. e. silere *illum facias;* שָׁבַת enim in dial. arab. proprie est: *sopore correptus fuit*, hinc in Conjug. 4. *quietem cepit.* Vocem מִתְנַקֵּם vulgo vertunt *ulciscentem*, qui injuriam sibi factam ulcisci properat, Deo ultionem non relinquens, quem humana non curare credit, sive superbum et insolenter se gerentem. Ita Fischerus in *Clavis Verss. Graecc. V. T. Specim.* p. 81., qui vertit: „*ad convincendam eorum amentiam et furorem, qui negant, te curare res humanas;* nam quia ii, qui putant, negligi a Deo

res humanas, solent suas ipsi injurias vindicare, recte vocari videntur מתנקם." Atque certe verbum נָקַם constanter *ulciscendi, vindicandi* notionem obtinet (Jud. 15, 7. 1 Sam. 14, 24.), quemadmodum Arab. נַקְמָה est *vindicta*. Sed eadem Arab. dial. aliam adhuc offert interpretationem; est enim נקם propric *iratus fuit, objurgavit*. Hinc Michaelis in *Suppll.* P. 5. p. 1676. אויב ומתנקם *hostem et iratum*, i. e. hostem iratum, reddere mallet; cum quo PAULUS in *Clavi* h. l. consentit, dum מתנקם *qui iratum se ostendit*, vertit. Non multo diversus est Chaldaeus, qui *comminator* ponit.

4. 5. כִּי אֶרְאֶה *Ubi*, quoties, *contemplor*. Fut. enim hic non simpliciter pro *Praesenti* sumitur, sed ἀοριστῶς, ut consuetudinem et frequentiam contemplationis indicet, ut Prov. 15, 20. *filius sapiens* יְשַׂמַּח *exhilarat patrem;* Jer. 20, 8. מִדֵּי אֲדַבֵּר אֶזְעָק *quoties loquor, conqueror.* שָׁמֶיךָ *coelos tuos*, a *te* conditos, s. quos *tu* habitas, insignem illam rerum coelestium structuram. מַעֲשֵׂה אֶצְבְּעֹתֶיךָ *opus digitorum tuorum.* Non est argutandum in hoc tropo. *Digitus* Deo tribuitur, quo itidem potentia et virtus Dei operantis denotatur, sicut digitorum adminiculo homines sua peragunt. Ex. 8, 19. 31, 18. Quaerunt, cur nulla hic fiat *Solis* mentio, omnium siderum praestantissimi. Plerique *noctu* hoc carmen compositum putant. Alii alia conjiciunt. Nodus in scirpo ut mihi videtur; etenim quum pateat, poetam ea sidera posuisse, quae noctu tantum conspiciuntur, et interdiu propter lumen solis non apparent, simul illa commemoravit, quae simul conspiciuntur. — 5. Cum his tam pulchris, tam conspicuis corporibus collatus homo, quidnam est? nonne, si corporum excellentiam spectes, homo fere nihil esse videtur? Sed non adeo miror, inquit, harum nobilissimarum creaturarum excellentiam, quam illud, quod tam exiguam creaturam, ac, si cum illis conferatur, paene nullam, tanti feceris et aestimaris, ut inter carissimas numerares, et illius maximam rationem et curam haberes. Transit itaque poeta ad naturae humanae dignitatis admirationem et laudem. כִּי־ תִזְכְּרֶנּוּ *Quod memor es ejus*, i. e. qui cogitas de eo, tanquam de re cara; namque *meminisse alicujus*, illum *aestimare* est; ut contra *non meminisse*, cum *negligere*. In loco parallelo Ps. 144, 3. pro זָכַר verbum יָדַע usurpatur. כִּי תִפְקְדֶנּוּ *Quod visitas eum*, curam ejus geris, pro quo 144, 3.: *quid est mortalis, ut ejus rationem habeas?*

6. 7. וַתְּחַסְּרֵהוּ מְעַט מֵאֱלֹהִים *Minuisti*, minorem, inferiorem reddidisti *eum paululum Deo.* Verbum חָסַר conferendum est cum consono verbo Arab. (prima radicali *Cha* scripto), quod dici solet *quando ponderi aut mensurae decerpitur aut deteritur.* אלהים haud pauci Alexandrinum et Chaldaeum sequuti de *angelis* interpretantur: *angelis paulo inferiorem eum fecisti*, aut: *per breve tempus* (מְעַט de *temporis spatio* usurpatur, Ex. 17, 4. מעט *mox* lapidabunt me) angelis inferiorem constituisti. Sed quum poeta manifeste Gen. 1, 26. sqq. respiciat, ubi homo Dei similis

creatus esse dicitur, אלהים de *Deo* interpretandum est. Quum autem de nostro loquendi more מִמֶּךָּ ponendum fuisset *(tu, Jova, hominem paulo inferiorem te ipso fecisti)*; noster nomen אלהים ipsum repetit, prisca linguae simplicitate, quae ante pronomina inventa nomina ipsa iterare non dubitabat, servata, cujus exempla plura in cod. hebr. reperiuntur. וְכָבוֹד וְהָדָר תְּעַטְּרֵהוּ *Gloria et honore coronasti eum*, ornasti eum itidem, ut corona caput ornare solet. — 7. Quod in genere dixerat, nunc declarat in specie. כֹּל שַׁתָּה תַחַת־רַגְלָיו *Omnia sub pedibus ejus posuisti*, i. q. in membro priori: *dominum eum constituisti omnium, quae fecisti;* nam *sub pedibus*, s. *ad pedes alicujus esse*, est i. q. sub alicujus imperio et ditione esse, cf. Deut. 33, 3. Jud. 8, 5. Ps. 18, 39.

8—10. Nom. צֹנָה, ut Num. 32, 24. צֹנֶא i. q. usitatius צֹאן, grex minorum pecudum, ovium et capellarum. וְגַם בַּהֲמוֹת שָׂדָי *et etiam pecora* s. *bestias campi*. Feras ac sylvestres bestias intelligit, in quas homo, si non vi, certe arte et consilio, imperium exercet. Ad שָׂדָי monet Aben-Esra, esse i. q. שָׂדֶה sed formae insolentioris, ut יְדֵי Ez. 13, 18. pro יָד. — 9. Verba עֹבֵר אָרְחוֹת יַמִּים *transiens semitas maris* Aben-Esra et Kimchi significari putant: *hominem solertia sua naves aptare, quibus ipsa maria percurrat, et in alto etiam ipsos pisces* venetur; ut vertendum esset: *transit semitas maris.* Verum eodem Aben-Esra monente, alii ad *pisces* referunt, ut Chaldaeus: *balaena, quae semitas maris pertransit.* אורחות ימים conveniunt cum Homerico ὑγρὰ κέλευθα, Iliad. *α*, 312. Odyss. *γ*, 71. — 10. Postquam Dei ex unius hominis conditione potentiam et magnificentiam celebravit, nunc ex iis omnibus, quae in terra conspiciuntur, summatim celebrat, eandem, quae Vs. 2., repetens exclamationem.

Ps. 9.

Hoc carmen non est, uti plures putant, triumphantis et gratias agentis Deo pro insigni quapiam victoria praecipuique hostis ruina; sed, uti ex precibus Vss. 14. 18—21. colligitur, commemorationem continet generalem opis divinae, quam expertus sit poeta in superioris temporis difficultatibus suis, ut, sicut Ps. 27. et 138., ex praeteritis persuasionem et fiduciam certam concipiat de futuris, atque ita confirmet spem suam de eventu simili etiam in periculis novis, in quibus tum haeserit. Itaque precum causa praemittuntur Vss. 2—7. victoriarum exempla, quae divina ope ipsi contigisse canit. — Hunc Ps. Alexandrinus et, qui cum semper sequitur, Vulgatus, unum faciunt cum Ps. 10. Quod recentt. haud pauci probant, praecipue quod Ps. 10. titulo careat, et argumentum Psalmi 9. indivulso nexu ita continuet, ut utriusque Ps. divisio non permittatur. Preces, inquiunt, quae Vs. 20. incipiunt, continuantur uno tenore in Ps. 10. Sunt quoque, ut Scheidius (in Eichh. *Biblioth. lit. bibl. univ.* P. 2. p. 944.) et Bellermann

(*Versuch üb. d. Metrik d. Hebrr.* p. 139. sqq.) et STUHLMANN (in commentat. super utroque hoc Ps., in *Analecten für d. Stud. d. exeget. u. dogmat. Theol.* P. 3. Fasc. 3. No. 1.), qui, quae nunc duo carmina sunt, olim unum fuisse putent continuum, ad seriem ordinemque literarum hebrr. constructum. Eum ordinem tamen librariorum incuria variis locis interruptum esse. Ut vero utriusque Ps. in unum conjungendi strophas in ordinem seriei literarum hebrr. convenientem restituerent, in textu hodie recepto haud pauca e conjectura mutare necesse habuere illi interpretes. Verum in ejusmodi carmine haec ipsa ejus structura impediisset, quo minus tot Vss. omissi aut male positi fuerint. Habet praeterea Ps. 10. meo sensu argumentum aliud prorsus, et diversum omnino stylum ac longe sublimiorem. In nostro est gratiarum actio, in sequenti precatio; illic de hostibus jam superatis, hic de grassantibus adhuc et debellandis sermo fit. — Quo tempore aut occasione carmen sit compositum, variae sunt variorum sententiae. Interpretibus inter Judaeos haud ignobilibus (e. c. Jarchio) לַבֵּן, *Labben*, est nomen regis aut principis cujusdam extranei, qui Israelitis bellum intulerit, de cujus itaque occubitu poeta Jovae gratias agat. Alii, Chaldaeum sequuti, arbitrantur, hoc carmen esse *ἐπινίκιον* de interfecto Goliatho. לַבֵּן scriptum putant pro לַבִּין, qua appellatione Goliath indicetur 1 Sam. 17, 4. vir הַבֵּנַיִם, *medietatum* (h. e. sequester et intermedius, interponens se inter duo castra, et duello pugnam transacturus). Verum si de devicto Goliatho canere voluisset Davides, verbis usus esset pressioribus, nec generalibus illis, et quae in nulla persona singulari consistunt. Quidam carmen *εὐχαριστικον* putant, ob conjurationem Absalonicam feliciter dissolutam. עַל־מוּת לַבֵּן interpretantur: *super morte filii*, i. e. Absalonis. Quam sententiam tamen Jarchi non probat, quod non sit scriptum הַבֵּן, et nihil sit in toto Ps., quod postulet, ut de Absalomo cogitemus. Alii alia conjiciunt. Nobis totius populi ab exteris tunc hostibus oppressi preces et vota Psalmus continere videtur; quo vero tempore sit scriptus, definire mihi haud sumo.

2. 3. Dicit poeta, se Jovae facinora laudibus celebrare velle. אוֹדֶה יְהוָה בְּכָל־לִבִּי *Celebrabo Jovam toto corde*, summo studio omnibusque animi viribus. כָּל־נִפְלְאוֹתֶיךָ *omnia admiranda a te perpetrata*, non illud solum recens et memorabile ejus opus, sed ex illius occasione omnia ejus opera et beneficia in se populumque Isr. collata. — 3. אֶשְׂמְחָה וְאֶעְלֹצָה בָּךְ *Laetabor et exultabo in te*, quod te adjutore hostem vicerim; laudes tibi et hymnos cum laetitia celebrabo.

4—6. Hymnos tibi canam (Vs. 3.) בְּשׁוּב־אוֹיְבַי אָחוֹר *in convertendo hostes meos retrorsum*, cum effeceris, ut hostes terga vertant. Verba quae sequuntur in Futuro posita, יִכָּשְׁלוּ וְיֹאבְדוּ, votum exprimunt: *impingentes corruant pereantque* מִפָּנֶיךָ *a facie tua*, i. e. prae ira tua. פָּנִים enim haud raro absolute de

vultu irato et terrifico ponitur, ut Ps. 34, 17. Jes. 64, 1. 2. Jer. 4, 26., ubi מפני יהוה exponitur addito מִפְּנֵי חֲרוֹן אַפּוֹ. Jova poetae tribuit inimicorum excidium, quasi Deo illis irato perierint, indignationem vultus ejus non ferentes. — 5. כִּי עָשִׂיתָ מִשְׁפָּטִי וְדִינִי *Nam tu fecisti* olim, vel in Praesenti, tu agere soles *judicium meum et litem meam.* Tu ipse enim agis causam meam et pro me pugnas. Nomina מִשְׁפָּט et דִּין h. l. non diversa sunt, ut saepe alias duae dictiones, quae sensu conveniunt, usurpari solent. Sic Job. 16, 19. Ecce in coelis עֵדִי *testis meus*, *et* שָׂהֲדִי *testificator meus in excelsis*, et 40, 18. עַצְמָיו *ossa sua sunt viribus chalybeis*, גַּרְמָיו *ossa sua vecti ferreo similes.* Ita hic utrumque significat judicium, *quo causa disceptatur*, quemadmodum עָשָׂה מִשְׁפָּט, עָשָׂה דִּין nil aliud est, quam *causam alicujus agere.* יָשַׁבְתָּ לְכִסֵּא *Sedes in solio*, i. e. in tribunali, ad judicium agendum. לְכִסֵּא *in solio*, vid. ad Ps. 7, 6. — 6. גָּעַרְתָּ גּוֹיִם אִבַּדְתָּ *Increpasti* s. *increpas gentes*, *perdidisti* s. *perdis impios*; sententiam tanquam e sublimi sella jaculatus es adversus gentes, quae me obsederant; quae sententia, tanquam turbo quidam, impios illos corripuit et prostravit. גָּעַר tamen non tantum *increpare*, verum etiam *increpando repellere*, *profligare* denotat, praesertim construetum sine sequenti ב, *perdendi*, *exstirpandi* notione sumitur, ut Ps. 58, 31. *perde feram arundinis;* Mal. 2, 3. *ecce perdam vobis sementem.* שְׁמָם וגו׳ *Nomen eorum delesti* s. *deles in aeternum*, i. e. memoriam eorum, ut non solum ipsi, verum etiam nomen et memoria eorum interirent. מָחָה proprie est *abstergere*, veluti patinam, 2 Reg. 21, 13., scripturam a tabella, Num. 5, 23.

7. הָאוֹיֵב quidam in *Vocativo* vertunt, *o hostis!* quia praefixum ה interdum adhibetur *ad demonstrandum* ei, ad quem oratio dirigitur, s. Vocativo exprimendo inservit. Rectius alii pro Nominativo absoluto capiunt: *hostem quod attinet* perfectum est ejus excidium etc. חֳרָבוֹת a חָרְבָּה *vastitas*, *locus vastatus*, *ruina*, nonnulli *active* intelligunt, i. e. vastitates, quas hostes intulerunt, quas nunc finem habere dicat. Sed melius concinit, *passive* accipere, ut intelligantur vastitates, quas experti sint hostes ipsi. Ita sensus erit hic: plane jam sunt destructi hostes, ipsorum devastatio est consummata. Tunc תמם *consummari* vertendum erit, atque ad חרבות supplendum suffixum, ad האויב referendum, q. d. חָרְבוֹתָיו s. חָרְבֹתָם *consummatae sunt ruinae ejus in aeternum*, tota ejus terra vastata est, ut nunquam in posterum restituatur. Praeivit hanc sententiam Jarchi, atque loca plane similia addueit Ez. 35, 9. *in solitudines perpetuas tradam te*, et urbes tuae non inhabitabuntur; et Jer. 51, 62. *in solitudines perpetuas futura est.* In quibusdam eodd. legitur חַרְבוֹת *gladii*, *enses.* Quod expresserunt Alex. (ῥομφαίαι) et Syrus, nec Jarchius eam ignoravit. Tum sensus esset: *hostis gladii consummati sunt in perpetuum.* Prior

sententia nervosior. Chaldaeus utramque lectionem in paraphrasi expressit: *cecidit hostis, consumti sunt exercitus ejus, urbesque eorum dirutae in aeternum.* — Verba עָרִים נָתַשְׁתָּ quod attinet, nom. עָרִים alii significatione *hostium* accipiunt (ut Mich. 5, 13. Ps. 139, 20. Dan. 4, 16.) vertuntque: *evulsisti hostes;* alii vero, et quidem plerique, *urbes* intelligunt, h. s.: *tu*, o Deus, *evertisti urbes* hostium. Pro נָתַשְׁתָּ codd. nonnulli a prima manu exhibent נָטַשְׁתָּ *deseruisti.* אָבַד זִכְרָם הֵמָּה *Periit memoria eorum ipsorum;* הֵמָּה enim emphatice hic *παρέλκει*, quasi simpliciter positum sit אבד זכרם. Quae loquendi ratio apud Arabes frequentissima. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 727. Ceterum haec suffixa ad *hostes* sunt referenda, non ad *urbes.* Sunt, qui ante הֵמָּה particulam וְ subaudiant: *periit memoria eorum et ipsi*, i. e. cum ipsis, ut Jes. 63, 11. *recordatus est prisci temporis*, מֹשֶׁה עַמּוֹ *Mosis et populi sui*, et alias saepe. Alex. vertit: *ἀπόλετο τὸ μνημόσυνον αὐτῶν μετ᾽ ἤχους.* Quare Michaelis conjicit, interpretem graecum literas הֵמָּה non ad pron. הֵמָּה, sed ad radicem הָמָה retulisse, ut fortassis dicat: *interiit memoria ipsorum cum gravi sonitu*, aut, *ut sonus interire solet.*

8—10. כִּסְאוֹ — וַיהוָה *Etenim Jova perpetuo sedet* (sc. judex, hoc munus ejus est, et quidem perpetuum, ut omnes judicet); *erigit ad judicium* faciendum *thronum*, tribunal *suum.* — 9. יָדִין לְאֻמִּים בְּמֵישָׁרִים *Judicat populos in aequitatibus*, i. e. acquissime; nomina enim pluralia nonnumquam ita inducere solent usum adverbialem, ut significationem intendant, et gradum quasi superlativum in adverbiis efficiant, ut Ps. 87, 3. Ceterum unus cod. Kennicott. aliusque de Rossii a prima manu legunt וּלְאֻמִּים, quemadmodum Syrus vertit, qui tamen יָדִין non exprimit: *ut judicet orbem in aequitate, et populos in rectitudine.* — 10. Hic aequus judex infirmos et pauperes contra potentium et tyrannorum vim et iniquitatem defendit. Ad eum, tanquam ad arcem tutissimam, se recipiunt pauperes. וַיְהִי יְהוָה מִשְׂגָּב לַדָּךְ *Estque Jova tenui sublimis locus*, editus tutusque locus, quo ab hostium incursu se recipiant, *refugium* לְעִתּוֹת בַּצָּרָה *temporibus in angustia*, cum tempora ipsa quasi in angustia sunt, i. e. angustiae tempore.

11—13. Quia tu, Jova, oppressis adjutor esse soles, ideo וְיִבְטְחוּ בְךָ יוֹדְעֵי שְׁמֶךָ *fiduciam in te ponent, qui norunt nomen tuum*, ad quorum notitiam potentiae tuae fama pervenit. כִּי — דְרָשֶׁיךָ *Etenim tu non reliquisti quaerentes te*, i. e. auxilium tuum. — 12. Quae in Vss. antecedd. in universum dicta erant de justitia atque benignitate Jovae, ea nunc exemplo nuperae liberationis ab hostibus confirmantur. Jova, Israelitarum numen tutelare, et nuper, quum hostibus undique oppressi, precibus eum adirent, opem ipsis tulit, caedesque innocentium est ultus. — 13. כִּי־דֹרֵשׁ דָּמִים *Quoniam quaesitor sanguinum*, caedium, ille qui quaestione habita reposcit caedes ab iis, qui eas commiserunt; Jovae epithe-

ton: ille caedium impiarum ultor. אוֹתָם זָכַר *recordatus est eorum*, sc. דָּמִים *injuste occisorum*. Similiter Gen. 9, 5. אֶת־דִּמְכֶם ... אֶדְרֹשׁ *sanguinem vestrum quaeram* a quovis animali; 42, 22., ubi Ruben: וְגַם דָּמוֹ הִנֵּה נִדְרָשׁ *et nunc ecce sanguis ejus requiritur*, caedis poena exigitur. לֹא שָׁכַח צַעֲקַת עֲנִיִּים *non oblitus est clamoris*, querelarum, *afflictorum*. Masorethae ad marginem legi jubent עֲנָוִים *mansuetos*, *animo depressos*. Utrumque sensu fere convenit. Schultensius ad Prov. 3, 34.: „Anxia crisis Masorethorum, quae pro ענוים margini attexuit ענוים, quum enim radices עָנָה et עָנַי aequalia habeant jura, vetus lingua ex aequo admisit עָנִי et עָנָו, cum Plur. עֲנִיִּים et עֲנָוִים. Quod autem ענוים alibi non occurreret, quemadmodum nec Sing. עָנִי, sed tantum עָנָו, cujus Plur. dat ענוים, suspicio mendi incessit, et ענוים substitutum fuit.“ In codd. quamplurimis extat etiam עֲנָוִים in textu, de Rossio teste. In aliis, sed non ita multis, legitur וְלֹא שָׁכָה, quod Chaldaeus, Syrus et Arabs exprimunt.

14. 15. Petit poeta, ut Deus deinceps etiam ostendat potentiam suam et justitiam impiis hostibus, suis, atque similem victoriam largiatur ei adversus omnes reliquos, quoties opus erit, ut hoc modo Psalmus sit *ἐπινίκιον* liberati in praesentia, et sic tamen habeat admixtas preces novas adhuc etiam haerentis in mortiferis periculis. Pro חָנֵּנִי s., ut in quibusdam codd. extat חַנֵּנִי, in 21 codd. a Kennicotto, totidemque a de Rossio collatis, nec non in quibusdam libris impressis legitur חָנְנִי, usitatior Imperativi forma. Ego tamen lectionem receptam, utpote insolentiorem, retinendam censeo. רְאֵה עָנְיִי מִשֹּׂנְאָי *Vide afflictionem meam ab hostibus meis*; consuetio praegnans, ex qua in praepos. מ ante שֹׂנְאָי lateat vb. הוֹשִׁיעֵנִי *liberare*, quasi integra phrasis sit: רְאֵה עָנְיִי וְהוֹשִׁיעֵנִי מִשֹּׂנְאָי *vide afflictionem meam, et libera me ab hostibus meis*. Eadem plane loquendi ratio occurrit 2 Sam. 18, 19. *quod judicaverit eum Jova* (et liberaverit) *ex potestate hostium*, coll. Vs. 31. 1 Sam. 24, 16. 2 Reg. 5, 3. 6. 7. Ps. 22, 22. — מְרוֹמְמִי מִשַּׁעֲרֵי־מָוֶת *Exaltans me a portis mortis*, ab orci faucibus me revocans, tu enim is es, qui me ex praesentissimo mortis periculo liberare potes. — 15. צִיּוֹן — לְמַעַן *Ut enarrem*, celebrem, *omnes laudes tuas*, facta tua laudabilia, *in portis filiae Sionis*, i. e. Hierosolymis; vid. ad Jes. 1, 8. edit. tert. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 469. תְּהִלָּתִיךְ ad hebr. Grammaticae praecepta תְּהִלָּתַיִךְ enunciandum erat; sed תְּהִלָּתִיךְ est Pluralis Chaldaica feminini terminatione. Codd. quamplures utriusque collationis, nec non multi libri editi legunt in Sing. תְּהִלָּתֵךְ, ut Ps. 35, 28. 51, 17. — Ante אָגִילָה בִּישׁוּעָתֵךְ repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ לְמַעַן *ut exsultem*, laetitiam meam protester, *in salute tua*, de salute tua, quam tua ope et praesidio adipiscar.

16—18. Laetabor, inquit, de illustri tuo, quod certe spero te mihi praestiturum esse, auxilio. טָבְעוּ גוֹיִם בְּשַׁחַת עָשׂוּ *Demer-*

guntur gentes in foveam, quam fecerunt, vid. ad Ps. 7, 16. בְּרֶשֶׁת וגו׳ *Reti, quod abscondiderunt, captus est pes eorum.* Similitudo desumta ab aucupe, qui retc in abscondito tendit aut expandit, ne aves illud videre, ac proinde cavere possint. Significat, occultas insidias ipsis exitio fuisse. Pron. זוּ hic pro אשר usurpatum est, ut Jes. 43, 21. עַם־זוּ יָצַרְתִּי לִי *populus quem formavi mihi*; 42, 24. זוּ *cui*, i. e. *in quem* peccavimus. Cf. Ex. 15, 13. 16. Ps. 68. 29. — 17. נוֹדַע יְהוָה מִשְׁפָּט עָשָׂה *Notus est Jova, judicium fecit*, ideo *notus*, i. e. clarus, celebris, quod poenas ab adversariis meis debitas exegit. משפט hic, ut alias saepe, est animadversio in malos, s. poena, quae judicium sequitur. בְּפֹעַל כַּפָּיו נוֹקֵשׁ רָשָׁע *Operi manuum suarum illaqueatus est impius*, laqueo, quem aliis posuit, ipsemet captus fuit. נוקש quidam Particip. esse putant a נָקַשׁ, quod duplici modo accipi potest, *sive*, ut conveniat cum יָקֵשׁ *laqueum*, tendiculum *ponens*, s. *posuit* impius sc. sibi ipse, *sive* notione Chald. נָקַשׁ *illidere*, quemadmodum Chaldaeus: *in operibus manuum suarum improbus offendit*, impingit. Aliis vero נוקש est 3. Pract. Niph. a יָקֵשׁ *laqueum tetendit*, et in Pass. *illaqueatus est;* quo assumto *Zere* sub ק loco *Pathach* positum erit. Ita Alex. *συνελήφθη comprehensus est;* Syrus: *capitur.* — 18. יָשׁוּבוּ רְשָׁעִים לִשְׁאוֹלָה *Retrovertentur impii ad orcum*, fugiendi finem prius non facient, quam in orcum abierint. In Fut. est vertendum. Quae enim sequuntur, arguunt, propositionem hanc esse: mirabili illa liberatione ab hostibus poeta excitatus certissime sperat, fore, ut, si impii de novo pios vexare aggrediantur, Jova eodem modo se justum judicem sit exhibiturus. In לשאולה pleonasmus est ה localis; satis enim erat לִשְׁאוֹל. כָּל־גּוֹיִם שְׁכֵחֵי אֱלֹהִים *Omnes gentes oblitae Dei*, quae Deum non curant, deos falsos colunt.

19—21. Non perpetuo pauperes affligi Jova patitur, perinde ac si oblitus eorum esset; sed opportuno tempore opem eis adfert. תִּקְוַת וגו׳ *exspectatio inopum non perpetuo peribit*, non semper spe frustrabuntur, cf. ad 1, 6. Ante תֹּאבַד repet. *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* partic. לֹא. In עֲנָוִים eadem legendi diversitas, quae Vs. 13. — 20. אֱנוֹשׁ — קוּמָה *Agedum Jova*, ad exserendam vim et potentiam tuam, *ne roboretur mortalis*, ne te auxilium differente praevalcat, et viribus ac potentia audacior fiat et confidentior. יִשָּׁפְטוּ וגו׳ *judicantur gentes coram facie tua*, exerceatur a te judicium in gentes, poenas scelerum suorum ab iis exigas. — 21. שִׁיתָה יְהוָה מוֹרָה לָהֶם *Incute, Jova, timorem iis*, metum et formidinem. Quem sensum a Chaldaeo, Aquila, Symmacho et Theodotione expressum, et nos aptissimum judicamus. Est enim מוֹרָה i. q. מוֹרָא, quod in margine legitur. כְּתִיבָן et קְרִיָן enim sensu fere convenire, et in margine magis usitatum ejus, quae in textu extat, vocis scripturam plerumque notari constat. Cf. Gesenii *Gesch. d. hebr. Spr.* p. 75. sq. Non igitur audiendi sunt, quibus מוֹרָה est *nova-*

cula (ut Jud. 13, 5. 16, 17. 1 Sam. 1, 11.) a מָרָה *stringere*, ut vertatur: *applica ipsis novaculam*, quo indicetur summa contumelia, qua afficiendi essent Israelitarum hostes. Quum literae מורה etiam מוֹרֶה pronunciari possint, fecerunt etiam, qui *doctorem* verterent, ut sensus sit: *pone*, constituc, *iis*, *Jova*, *doctorem*, magistrum, *ut intelligant gentes*, *se esse mortales.* Sic Alex. *κατάστησον νομοθέτην ἐπ᾽ αὐτοῖς*, et Syrus: *statue eis legislatorem.* יֵדְעוּ גוֹיִם *Ut sciant gentes*, *se homines esse*, ut cogitent, se homines debiles et imbecilles esse, quibus non tantopere superbiendum. Ante יֵדְעוּ subaud. לְמַעַן *ut*, et ante אֱנוֹשׁ omissum est כִּי *quod homo*, singuli ipsi *sint*, nam pron. הֵמָּה habet vim verbi substantivi, ut alias saepissime.

Ps. 10.

Poeta primo describit ingenium et mores improborum hominum, qui sua potentia ad tenuiorum perniciem abutuntur, qui id tantum rectum ducunt, quod libido imperat, iisque solum favent, quos sui similes reperiunt, qui, elati arrogantia, Deum non curant, imo divinam providentiam e rebus humanis tollunt; quos perpetua felicitas securos reddit in posterum omnis periculi; qui illud unum agunt, ut doli artisque ignaros homines imprudentes et incautos decipiant. Hinc Jovam magno ardore precatur, ne suos deserat, et impios homines inultos sinat, quo vel suo ipsi malo, vel alieno sapientiores facti, Deum scelerum vindicem cogantur fateri; tandemque malefacere desinant. Denique affirmat, id Deum dubio procul facturum, improbosque potenter ulturum, quo ceteros quidem homines a maleficiis absterreat. — Hebraeorum interpretes quidam hunc Ps. non de re aliqua peculiari editum putant, sed ut esset oratio, quam orare posset homo quilibet in calamitate constitutus. Verum quum vetustissimi poetae fere semper causam aliquam habuerint, in re gesta positam, ob quam carmina pangerent, verisimile est, accessisse quoque nostrum ad compositionem hujus poematis ex aliqua re memorabili. Qualis vero fuerit, certo dici vix poterit. E Vs. 16. colligere est, exterarum gentium in Hebraeos furorem describi; nec improbabile est, quod J. D. Michaelis, H. E. G. Paulus et De Wette conjiciunt, Psalmum implorare Dei opem, quo tempore finitimae gentes armis aliquamdiu superiores, uti Philisthaei, Cananaei, Idumaei, Moabitae, Israelitarum fines incursionibus et latrociniis infestaverint. Quo minus temporibus reditum e Babylonico exilio insequutis Psalmum assignemus, quibus Hebraei a finitimis varie vexati sunt, vetat stylus concisus et vetustiorem aetatem referens, quo carmen haud parum habet difficultatis.

1. לָמָּה יְהוָה תַּעֲמֹד בְּרָחוֹק *Quare*, *Jova*, *subsistis in longinquo?* Quare auxilium mihi extreme conflictanti denegas, ac si prorsus ad te non pertineam? עָמַד hoc solo loco cum רָחוֹק per ב

jungitur, quum phrasis alias consueta sit: עָמַד מֵרָחוֹק. Utramque phrasin alii idem valere putant, alii ita differre existimant, ut מרחוק notet *distantiam loci*, ex quo accessus ad rem pateat, ut Ps. 38, 12. Job. 2, 12.; ברחוק vero *permansionem in dissito loco*. In altero hemistichio vb. עָלַם quidam *abscondendi, occultandi* notione sumunt, et Chaldaeus quidem intransitive: *abscondis te in habitaculo sanctorum*. Sed quum Jova proxime antea *in longinquo stans* dicatur, nunc non satis commode, mutata quasi scena *se abscondens* sistitur, unde Aben-Esra cum disjunctione: *aut occultas te*. Alii vertunt: *occultas, facis ignorare* se. oculos, vel aures tuas, ita agis, ac si nihil videres atque audires. Ita Alex. ὑπερορᾷς, *negligis*, quod Vulg. et Arabs sequuntur, atque Syrus: *avertisti faciem tuam*. Verisimillimum est, תַּעְלִים breviter dictum esse pro תעלים עיניך *claudis oculos*, quod exstat Lev. 20, 4. 1 Sam. 12, 3. Jes. 1, 15. Ez. 22, 26. Prov. 28, 27. De לְעִתּוֹת בַּצָּרָה vid. ad 9, 10.

2. בְּגַאֲוַת רָשָׁע יִדְלַק עָנִי *In superbia*, insolentia *impii* ipse *acriter persequitur afflictum*, s. *animo demissum*. דָּלַק, propr. *arsit* (vid. ad 7, 14.), hic est *fervide, ardenter persequi, flagranti impetu insectari*, ut Gen. 31, 36. 1 Sam. 17, 53. De Wette דלק h. l. intransitive capit, pro *angore aestuat*. Alii cum Jo. Guil. Schroedero (in *Commentar.* in hunc Ps. Groningae 1754. 8.) verbo דלק item intransitive sumto, sed coll. arab. دَلَكَ, i. q. קלק *huc illuc veloci motu agitatus fuit*, verba sic explicant: *per tumidam elationem improbi* vehementer *huc illuc exagitatur et propellitur humilis*; metaphora ab ingruente aquarum mole desumta. Verba יִתָּפְשׂוּ בְמִזְמוֹת זוּ חָשָׁבוּ alii referunt ad רָשָׁע *improbum*, h. s.: *deprehendantur*, non opinato obruantur, *in cogitationibus, quas comminiscuntur*; ut votum sit de puniendis improbis. Verum יתפשו non ad רשע, sed ad nomen in Casu recto positum, עני, est referendum, ut sit continuata descriptio adversae illius fortunae, qua conflictandum sit oppressis a potentibus hostibus. Recte igitur Jarchi יתפשו ad ענו et חשבו ad רשע relato sic interpretatur: *capiuntur* miseri *per cogitationes*, inventiones, *quas excogitarunt* impii. Ceterum voces רשע et ענו de tota hominum multitudine sumendas esse, vel exinde intelligitur, quod verba modo Singulari, modo Plur. posita sunt. זוּ relativo usu hic occurrit, vid. ad 9, 16.

3. כִּי־הִלֵּל רָשָׁע עַל־תַּאֲוַת נַפְשׁוֹ *Quoniam jactat se improbus de concupiscentia animae suae*, i. e. gloriatur propterea, quod omnia ex voto sibi succedunt; vel etiam propter pravum animi impii desiderium, ut solent perditissimi homines, qui cum malefecerint, jactant se ob maleficium perpetratum. הִלֵּל propr. *splendere facit* sc. se, i. e. gloriatur, jactat se, ut 56, 6. Alii הֻלַּל in *Passivo* pronunciantes, vertunt: *nam celebrantur improbi ex animi sententia*, secundum desiderium animae suae; quod Alex.

pracivit: ὅτι ἐπαινεῖται ὁ ἁμαρτωλὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. In altero hemistichio: וּבֹצֵעַ בֵּרַךְ נִאֵץ יְהוָה verbum בֵּרַךְ in *bonam* aut *malam* partem accipi potest. 1) Prius elegit Chaldaeus: *qui bene precatur viro perverso*, iniquo, *abominatur verbum Domini*. Quae interpretatio filum non continuat, quo perdita improbi indoles, ut vexationum, quibus alios infestat, causa exhibetur. E nostratibus bene multi explicant: *et avaro benedicit*, i. e. lucro intentum commendat, *et irritat*, contemtu suo ad iracundiam provocat, *Jovam*. Verum בֵּרַךְ hoc sensu cum נִאֵץ conjunctum, sententiam non satis concinnam reddit. Quare aliis commodius visum, בֹּצֵעַ quidem de improbo descripto, בֵּרַךְ autem intransitive accipere: *et quaestum faciens*, s. avarus, *benedicit sibi*. Verum reciprocus verbi usus nullo fundamento suffulciri potest, nec Ps. 49, 19.; nam ibi ברך cum נפשו conjungitur. Recte vero 2) alii בֵּרַךְ h. l. *valedicendi* significatu (qua et 1 Reg. 21, 10. 13. Job. 1, 5. 11. 2, 9. pollet) sumto ita vertunt: *avarus valere jubet, spernit Jovam*. בוצע universe quidem denotat iniqui lucri studiosum, sed h. l. hostes designantur, qui latrociniis ac praedationibus Hebraeos infestabant. Sic Habac. 2, 9. rex Chaldaeus vocatur בֹּצֵעַ בֶּצַע רָע *lucrificans quaestum malum*, quod expugnandi libidine captus alienis provinciis inhiaret, belloque omnia vastaret. נִאֵץ *Spernit*, contemnit Jovam, quasi cui nullae sint vires, ut 74, 18.

4. רָשָׁע כְּגֹבַהּ אַפּוֹ בַּל־יִדְרֹשׁ *Impius secundum elationem vultus sui*, pro ratione elati sui animi, *non requirit* sc. Jovam, quem spernit; hic enim Accusativus ex Versus praecedentis fine petendus est, quare et Chaldaeus eum expressit. Phrasis *Jovam requirere*, i. e. eum curare, frequens, e. c. infra 34, 5. 77, 3. 1 Chron. 10, 14. Alii subaudito verbo אָמַר ante בַּל־יִדְרֹשׁ ita: *dicit* impius pro inflato suo animo: *non curat* sc. Deus, cujus nomen statim exprimitur. גָּבַהּ אַפּוֹ *Elatio nasi* etiam Arabice dicitur pro *superbia*, ut *elatus naso* sit arrogans, fastuosus, superbus. — אֵין אֱלֹהִים כָּל־מְזִמֹּתָיו *Non est Deus*, *complexus* est *cogitationum suarum*, cujus formulae sensus non est, quod improbi negant, esse Deum, quod profecto parum consentiret cum reliquis eorum dictis Vs. 11., sed quod divini numinis rationem non habent, a Deo quidquam vel timendum esse, vel sperandum negant. Similiter 2 Sam. 19, 7. *duces tuos ministrosque tu haud curas*.

5. יָחִילוּ דְרָכָו בְּכָל־עֵת *Permanent* s. *perdurant viae ejus omni tempore*, i. e. hae ipsius pravae consuetudines nunquam emendantur, sed pergit in iis. *Permanendi* notione חוּל (quod cum חַיִל *robur* conferre licet) occurrit in *Cal* Jer. 23, 19. 30, 23., et in *Hiphil* Job. 20, 21. *bonum ejus nomen* יְחִיל. Alii: *validae sunt viae ejus*, i. e. prospere ei omnia succedunt, coll. Job. 20, 21. יָחִיל טוּבוֹ, ubi tamen verbum, ut hic, *permanendi* significatu

commode capitur. Alex.: *βεβηλοῦνται αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ*, quod Vulg. reddidit: *inquinatae sunt viae ejus*, i. e. studia ejus, cogitata, dicta factaque omnia immunda sunt et profana. Male ceperunt יְחוֹלְלוּ pro יְחִילוּ. In voce דַּרְכּוֹ Jod multitudinis omissum est, quod interdum fit per scribendi compendium. Verborum מָרוֹם מִשְׁפָּטֶיךָ מִנֶּגְדּוֹ optima et contextui maxime consentanea interpretatio est ea, qua מָרוֹם sumitur pro בַּמָּרוֹם (ut Ps. 92, 9. Jes. 22, 16.), et praefixo מ ante נֶגְדּוֹ negandi vis tribuitur, ut sic reddantur: *in altitudine*, alta, *posita sunt judicia tua*, *ut non sint; in conspectu ejus*, regimen tuum haud animadvertit. מִשְׁפְּטֵי יְהוָה proprie *sententiae a Jova latae* non tam leges a Deo dictas h. l. innuere videntur, quam potius ea omnia, quae jubente Deo eveniunt, ipsiusque summam in regendis rebus humanis potestatem majestatemque demonstrant; ut sensus sit: specimina illa, quibus Deus rerum omnium dominum se comprobat, non attendit. כָּל־ צוֹרְרָיו יָפִיחַ בָּהֶם *Omnes hostes ejus quod attinet*, *flat in eos*, i. e. veluti solo oris hiatu facilique negotio suos adversarios disturbat (quemadmodum Plautus in *Milite glorioso* 1, 1. 17.: *Cujus tu legiones difflavisti spiritu*, *quasi ventus folia.*); ita ex voto omnia ipsi succedunt, פּוּחַ et נָפַח *flare* de iis dicitur, qui insolentiorem quendam fastum prae se ferunt, quomodo Graecis *πνεῖν*, et *μέγα πνεῖν* pro *φυσᾶσθαι*, *οἰδεῖν*, *inflari*, *turgescere superbia*, teritur: atque apud Quintilian. 12, 6. exstat: *omisso magno flandi semper tumore.* Verum etiam quis *flare rem* dicitur, quam *arroganter* et *insolenter rejicit ac repudiat*, quo usu affine nostro verbum נָפַח adhibetur Mal. 1, 12. 13. *vos ipsi profanatis illud* nomen — *dicitisque*, *quanta delassatio*, *atque sic proflatis*, insolenter contemnitis et exploditis, *illud.*

6. Exponuntur inanes et arrogantes animi persuasiones, quibus improbus in tanta vias distortas persequendi pertinacia se sustineat et corroboret. אָמַר בְּלִבּוֹ בַּל־אֶמּוֹט *Dixit in corde suo: non movebor* ab hoc felici meo statu (cf. 13, 5. 16, 8. 30, 7.). לְדֹר וָדֹר *In generationem et generationem*, per multas aetates ego in felicitate mea perdurabo, אֲשֶׁר *eo quod*, pro בַּאֲשֶׁר s. עַל־ אֲשֶׁר, ut 1 Reg. 15, 5. 13. Coh. 8, 11., quia לֹא־ בְרַע *non in malo*, sc. ero, quamdiu vixero, nulla patiar adversa, id enim hic רַע denotat, ut Coh. 1, 13. 2, 21. Ps. 34, 20. Vel: non ero infaustus, calamitosus, ut Substantivum cum praefixo saepe habet vim Adjectivi; cf. Ex. 32, 22.

7. Pergitur nunc ad persequutiones et scelera destinata, quibus improbi alios capiant et opprimant. אָלָה פִּיהוּ מָלֵא *Jurejurando repletum est os ejus.* Significantur perjuria, quae improbi, ut probis facilius imponant, pleno ore evomere solent. Vocem מלא Kimchi monet non *adjectivum* esse, sed *verbum* transitiva notione, et per *implens* interpretatur, h. s.: *exsecratione os suum implet.* Ita Ex. 40, 34. *gloria Jovae* מָלֵא *implevit taber-*

naculum, coll. Jer. 13, 24. — וּמִרְמוֹת וָתֹךְ *Fraudibus quoque et oppressione* sc. plenum est os ejus. Pro מרמות Alex. πικρίας, *amaritudinis*, posuit, quasi legisset מָרוֹת (a rad. מרה, vel מרר). Voc. תֹּךְ a תּוּךְ, quod in Syr. versione respondet hebrr. עֹשֶׁק, Prov. 28, 3. et גָּזֵל, Prov. 22, 22. Ez. 18, 18., unde תּוֹכֵא inde ortum *violentiam*, *oppressionem* denotat. תַּחַת לְשׁוֹנוֹ עָמָל וָאָוֶן *Sub ejus lingua molestia* aliis intentata *et iniquitas.* עמל h. l. *vexationem* denotat, qua quis alium defatigat atque atterit, ut Prov. 24, 2. *Quia* שֹׁד, *vastationem exaestuat cor eorum*, et עָמָל *vexationem affligentem labia eorum struunt.* Cf. Ps. 140, 10. Jud. 10, 16. Voc. אָוֶן a primaria *inanitatis* notione transfertur ad *mendacia* (36, 4.) et *calumnias*, *convitia* (41, 7.), tum ad omne *nefas* et *scelus;* praesertim de *iniquitate* usurpatur, vid. Ps. 7, 15. Job. 11, 11. Habac. 1, 3. 13. In verbis תחת לשונו *sub lingua ejus* nonnulli haud male metaphoram petitam esse censent a *veneno serpentum*, *sub dentibus occultato*, et inde in vulnera infundendo; secundum illud Ps. 140, 6. *venenum aspidum sub labiis eorum;* quomodo improbus molestiam et iniquitatem tanquam venenum sub lingua virulenta occultare notetur.

8. Vs. hoc et sq. poeta describit occultas sceleratorum molitiones, quibus vitae et bonis innocentium insidiantur; et Vs. 8. quidem imagine *latronis* in occultis insidiis subsidentis, ut viatores, ubi commodum erit, bonis ac vita spoliet; Vs. 9. autem imagine *leonis*, e lustris suis prospicientis, num qua se offerat praeda, atque in eam summo impetu irruentis. יֵשֵׁב בְּמַאְרַב חֲצֵרִים *Sedet in insidiis atriorum*, vel *pagorum.* חָצֵר a *cingendi* potestate, qua Arab. حصر pollet, significatum obtinet *atrii*, septo cincti (Ez. 40, 19.), et *villae*, muro circumdatae (Lev. 25, 31. Jos. 18, 8. Jes. 42, 11.). *Atrii* notione vocem h. l. accepit Aquila: ἐνέδρᾳ αὐλῶν, atque Symmachus: ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλάς, quos sequutus Hieron. *sedet insidians* juxta vestibula. Alex. ἐγκάθηται ἐν ἐνέδρᾳ μετὰ πλουσίων, *sedet in insidiis cum divitibus.* חצרים de atriis, quae plerumque adhaerebant divitum domibus ac magnatum palatiis intellexisse, et ita quodammodo sensum expressisse videtur. In eandem *atriorum* notionem plures inclinant, qui talem hominem hic putant proponi, qui in recessibus aut angulis occultis vel atriorum propriae domus, vel villarum suarum, observet incautos, ut eos interimat dolose. Alii *villas* s. *pagos* interpretantur, coll. Jos. 15, 46. Latrones enim insidias struere solent in pagis, in quibus parva est hominum frequentia. Cf. et Gen. 25, 16. Lev. 25, 31. et Jes. 42, 11., quo loco חֲצֵרִים opponuntur τοῖς עָרִים *urbibus.* Chaldaeus: *in insidiis habitationum*, Syrus: *in insidiis in habitaculo.* Quam *pagorum* significationem et ego h. l. eo magis adhibendam censeo, quod cognatae voces arabicae *locum habitatum*, speciatim *fixum*, *urbem* aut *pagum* denotant. Verbum יֵשֵׁב h. l. potestatem obtinet *considendi ad insiliendum*, impetumque

infestum in aliquem, e medio tollendum, moliendi. Hoc sensu usurpatur de *leonibus* Ps. 17, 12. Job. 39, 2., et inde ad *homines* transfertur. בַּמִּסְתָּרִים יַהֲרֹג נָקִי *In latebris trucidat innocentem.* מִסְתָּר generatim quidem *latibulum* quodvis, propric *locum obvelatum*, undique obtectum, notat, a סָתַר *obvelavit*, *velo obtexit.* Speciatim vero pro *abstrusis obtectisque ad insidiandum latebris ac recessibus* usurpatur. Ita de *leonum antris*, Ps. 17, 12. Thren. 3, 10. Similiter de *hominum insidiantium latibulis* Ps. 64, 5. — עֵינָיו לְחֶלְכָּה יִצְפֹּנוּ *Oculi ejus speculantur calamitosos.* Masorethas voc. חֶלְכָּה ex nomine חֵיל *exercitus*, atque ex affixo ךָ, quod hic cum ה parag. scribatur, compositum putasse, tam puncta vocalia arguunt, quae sive haec esse debebant: לְחֶלְכָּה, sive haec: לְחֶלְכָּה; quam nota Masorae magnae ad Ex. 7, 29. (al. 8, 4.) ostendit, ubi inter viginti dictiones eas, quibus, ex eorum sententia, affixum ךָ in fine vocis כָה scribitur, et nostrum לחלכה conspicitur. Eandem sententiam sequitur Jarchi, qui verba nostra ita exponit: *oculi Esavi* (i. e. Romanorum) *insidiantur Israelitis, qui sunt exercitus*, populus, *tuus;* atque exempla paragogicae hujus formae affixi ךָ adfert Ex. 7, 29. (al. 8, 4.) וּבְכָה, Prov. 2, 11. תִּנְצְרֶכָה, Ex. 29, 35. אֹתָכָה, 1 Sam. 1, 26. עִמָּכָה. J. D. MICHAELIS quoque in *Supplemm.* p. 772. nostrum חֶלְכָּה pro חֵילְךָ positum censet, suffixo 2. pers. masc. cum ה, matre lectionis scripto, ut Jes. 3, 6. לָכָה *tibi*, et יַעֲנוּכָה *respondebunt tibi*, Jer. 7, 27., vertitque: „*exercitus tuus*, Israelitae, te duce, te rege, tuis, Deus, auspiciis bellum gerentes.“ Favet huic sententiae, quod pro duabus literis initialibus, חֶל, codd. haud pauci חֵיל habent. Sic hoc Vs. לְחֵילְכָה *tres* Kennicotti codd., et pauci Rossiani, Vs. 14. *novem* et Vs. 10. חֵילְכָאִים exhibent; neque non Vs. 14. unus cod. חֵילֵךְ *exercitus tui*, et in quatuor aliis חֵילֶךָ *exercitus tuus.* Ita Hieron. quoque videtur legisse, quum hoc Vs. *robustos* vertat, חַיִל *roboris* significatione accepta. Quidam Hebraeorum compositum putat e חֵיל כֹּאַה *viribus attritus.* Alii ex Hebrr. חֶלְכָּה vocem simplicem, addito ה parag. ad חֶלֶךְ, censent, qua *pauper*, *miser*, notetur. Atque in ea significatione veteres omnes consentiunt; quibus et nos adstipulamur. Rationem hujus interpretationis primus reddidit ALB. SCHULTENSIUS, qui in *Animadverss. Philol.* ad h. l. observat, Arabibus verbum חלך propr. *nigredinem* significare, eamque intensam, tropice autem, ut fere fit in aliis linguis, ad *calamitatem*, *miserum abjectumque statum* notandum adhiberi. Eodem modo apud Hebraeos a חָשַׁךְ *obscurum esse*, מַחֲשַׁכִּים sunt *miseriae vitae*, *aerumnae.* Sic quidem nostrum חלכה (pro חֶלְכָּא positum, vid. ad Vs. 10.) nomen erit collectivum, quale שִׁבּוּת *captivitas*, pro *captivis.* יִצְפֹּנוּ *occultant se* oculi ejus, *delitescunt*, *misero*, s. *in miserum*, sc. prospiciendo, i. e. miserum insidiose observant.

9. יֶאֱרֹב בַּמִּסְתָּר כְּאַרְיֵה בְסֻכָּה *Insidiatur in occulto ut leo in lustro.* סֻכָּה est proprie *tegurium*, ex consertis frondibus factum,

dicturque de *lustro* leonis (Jer. 25, 38. Job. 38, 40.), qui, ubicunque degat, lustrum habet vel in antro, vel in vepretis, vel in densis arboribus, ubi latet interdiu, tanquam in insidiis. יֹארֵב חֲטַף עָנִי *Insidiatur, ut rapiat miserum.* Verbi חָטַף, in hebrr. libris rarius obvii, significatio *rapuit*, certissime constat tum ex lingua Chald. atque Syr., tum ex usu Arabum, quibus Participium illius verbi *rapax*, absolute positum, *lupum* designat. יַחְטֹף עָנִי בְּמָשְׁכוֹ בְרִשְׁתּוֹ *Rapit miserum, in rete suum eum trahendo.* ו in בְּמָשְׁכוֹ referendum est ad עני *humilem* s. *pauperem*, h. s.: *dum trahit eum*, humilem, *in rete suum*, s. *reti suo.* Quum *rete* cum *leonis* imagine parum congruere videatur, quidam interpp. novam hic imaginem, ab homine quodam venatore, aucupe, aut piscatore sumtam, adhiberi putarunt. Sine necessitate. Leo enim hic ut *insidiator* et *venator* animalium proponitur, eique propterea, grandiori stylo, commode רֶשֶׁת *rete*, in insidiis expansum datur, post quod venator lateat, per quod capiat, et in quod concludat feras. De *ferarum venatoribus* רשת usurpatur Ps. 35, 7. 57, 7.

10. וְדָכָה יָשַׁח *Comminutus occumbit.* Prius voc. Masorethae in margine יִדְכֶּה, Fut. Cal, legendum praecipiunt; pro וְדָכָה (quomodo Consonantes in textu efferendae sunt), Praeter. praemissa copula. Sunt, qui haec verba referant ad impium, subdole se humiliantem ad insidiandum inopibus. Verum quum Vs. 9. leo repraesentatus fuerit ut praedam abripiens, inconcinne et perturbate eidem nunc demum insidiari, atque saltum in eam moliri subjungeretur. Rectius itaque verba ידכה ישח ad *pauperem, miserum*, insidiatoris praedam, referuntur, vertiturque: *comminutus sidit*, occumbit *(zermalmt fällt er zu Boden)*, ut miser comparetur cadaveri leonis dentibus comminuto, quod ex terribili et cruento ejus rictu nunc sidat et humum feratur. שׁוּחַ enim de iis rebus usurpatur, quae *sidunt, subsidunt*, ut Hab. 3, 6. *diffringuntur montes aeterni*, שָׁחוּ *subsidunt colles prisci.* וְנָפַל בַּעֲצוּמָיו חֲלָלִים *Atque ita cadunt in validos ejus* violenti illius asseclas. Alii *per* validos ejus vertunt. Sed נָפַל, ope praefixi ב, cum nomine יָד aut alio subjecto conjunctum, semper significat *cadere*, pervenire, *in alicujus rei* aut *personae potestatem*, ut jam e phrasi נָפַל בְּיָדוֹ cognoscitur. Sunt, qui per עֲצוּמִים *validos* dentes unguesque intelligant, ut imago a leone supra depromta hic continuetur. Alii *validis* leunculos indicari putant, in quorum rictus praeda incidat. Voc. חֲלָלִים Masorethae in margine in duas voces dividunt: חֲלָ כָאִים, quomodo etiam in codd. quibusdam scriptum reperitur. Hebraeorum plerique חֲלָ pro חֵיל *exercitus, turba* positum putant, כָאִים vero *attritos* explicant, ut vert. *exercitus attritorum*, miserorum turba. Quod autem in textu plerorumque codd. exstat חלכאים, Masora magna habet pro una ex 15 illis dictionibus, quae una quidem voce scriptae, sed divisis vocibus legendae sunt, ut בָּא גָּד pro בָּגָד Gen. 30, 11.; אַשְׁרָה pro

אֵשׁ דָּת Deut. 33, 2.; מַלְכֶם pro מָה לָכֶם Jes. 3, 15. Qui hoc sequuntur ex Hebraeis, eodem modo interpretantur, quem paulo ante attulimus. Ego חלכאים significatione non diversum eredo a חֶלְכָּה Vs. 8. pro חלכא ibi positum; חֶלְכָּה scribitur in pausa. Quod autem ita nomen plurale cum verbo singulari masc. נָפַל conjungitur, in eo nemo offendet, quum eadem loquendi forma apud Arabes et Hebraeos satis sit usitata, praesertim ubi verbum ante nomen collocatur. Ita Ps. 124, 4. *Tunc* עָבַר *transivit super animas* nostras הַמַּיִם הַזֵּידוֹנִים *aquae tumentes.* Jer. 15, 16. *et fuit*, fuerunt, *verba tua.* Cf. 1 Sam. 1, 2. Exod. 31, 14. Jud. 12, 6. 13, 12.

11. Hic Vs. generaliter quaecunque modo exposita fuerunt, facta respicit, tum vexationes et crudelitates improbi, tum praesertim, quas innocentes subierunt, afflictiones et miserias, quarum omnium nullam rationem Deum habere, oppressor iste secum cogitat. אָמַר *Dicit*, cogitat, impius inde a Vs. 2. descriptus. שָׁכַח אֵל *Obliviscitur Deus* miserorum, nullam eorum curam gerit, nec eos vindicat. שָׁכַח de iis usurpatur, quae *auxilium* requirunt (13, 2. 44, 25. Deut. 31, 18.) et de iis, quae *punitionem* (74, 23.). הִסְתִּיר פָּנָיו *Obvelavit*, velo condidit, *faciem suam*, oppressionum vindicationem omnino detrectavit. בַּל־רָאָה לָנֶצַח *Non vidit ad perpetuitatem*, illos a nobis oppressos non videt, vel eosdem auxilio habet indignos. רָאָה h. l. *adspicere cum vindicandi consilio*, ut Ex. 3, 9. 2 Reg. 14, 26. Ps. 9, 14.

12. 13. קוּמָה יְהוָה *Surge Jova.* קוּם, quod *usu militari* increbuit (vid. ad 3, 8. coll. 18, 40. 2 Reg. 16, 7. Jud. 9, 17.), insigniter de *propugnatore* et *vindice* usurpatur, ut Jud. 5, 7. — נְשָׂא יָדְךָ *Tolle manum tuam.* Continuata, quae in קוּמָה latet, figura, Deus imploratur, ut instar fortissimi bellatoris et herois vim vi perdomet, improbi brachium confracturus (Vs. 15.). אַל־תִּשְׁכַּח עֲנִיִּים *ne obliviscaris humilium*, oppositum est illi impiae improbi Vs. 11. persuasioni, *oblitum esse Deum* vexationum. De עניים vid. ad 9, 13. — 13. אֱלֹהִים — עַל *Quare improbus spernit Deum?* Sensus: propter quid aliud enim spernit, susque deque habet te improbus, nisi quia videt, impunes esse sceleratos; exsurge ergo etc. אָמַר בְּלִבּוֹ לֹא תִדְרֹשׁ quare *dicit in corde suo: non requires?* Observanda est hic personarum commutatio, qua in 2da ponitur: *non requires*, quum tamen improbus Deum non alloquatur, ac proinde in 3tia (ut Vs. 11. שָׁכַח) dici debeat יִדְרֹשׁ. Alex., ac si ita legisset, οὐ ζητήσει posuit. Verum facile patet, inflexum ad Deum sermonem majoris efficaciae causa adhibitum esse. Similiter Hos. 7, 2. *ne dicant in corde suo: omnis mali eorum recordatus sum*, pro: *mali nostri recordatus est.* Cf. Ps. 50, 21.

14. 15. תַּבִּיט — רָאִיתָה *Vidisti, nam tu vexationem et molestiam contueri soles.* Oppositum hoc est protervae impiorum

opinioni (Vs. 11.). לָתֵת בְּיָדֶךָ *dare, s. ad dandum in manum tuam.* Veteres hanc dictionem *in potestatem tradendi* notione acceperunt, qua saepius occurrit. Alex. *τοῦ παραδοῦναι αὐτοὺς εἰς χεῖράς σου*, quod sic Arabs inflexit: *ut tradatur in manus tuas.* Syrus: *prospicis, ut tradatur in manus tuas.* Quod quam incommodum sit, quisque sentiet ipse, quum Deum ita *tradere aliquem in manus proprias*, dici non conveniat. Sensus formulae repetendus est ex Jes. 49, 26. *ecce palmis te meis insculpsi.* Est loquendi modus ab illo desumtus, qui ut certus esse possit de rei cujusdam memoria conservanda, notam manui imprimit, qua non potest non rem ipsam perpetuo in animum ipsius revocare. עָלֶיךָ יַעֲזֹב חֶלְכָּה *Super te relinquit calamitosus*, subaud. זֹאת, ut sensus sit, miserum cum vexationes, quibus obnoxius sit, tum res suas universas tuto committere Deo et posse et debere. Chaldaeus: *in te sperabunt pauperes tui.* יָתוֹם אַתָּה הָיִיתָ עוֹזֵר *Pupillum tu fuisti adjuvans.* Sed יָתוֹם exprimit *quemvis neglectissimum* et injuriis maxime expositum, simulque *prospiciendi facultate carentem*, ut Job. 6, 27. 22, 9. Thren. 5, 3. — 15. תִּמְצָא — שְׁבֹר *Frange brachium*, reprime violentam potentiam, *improbi; et ad malum* quod attinet, si *investigabis improbitatem* ejus, *non invenias.* Si tu ipse Deus accuratissime investigabis illius violentiam, ut eam vindices, non reperias eam, quippe quae penitus deleta sit, ut nusquam ab illo amplius exerceri queat. Hebraeis *perquiri, nec inveniri* dicuntur illa, quae derepente excisa et deleta disparent, ut nec vola nec vestigium inveniri queat. Vid. Ps. 37, 35.

16. 17. יְהוָה מֶלֶךְ עוֹלָם וָעֶד *Jova rex erit perpetuo.* Innuitur singularis illa Dei cum Israelitis conjunctio, qua effectum est, ut et ipsi praecipua quadam ratione Jovae, tanquam regi suo subessent, et ditio, quam tenerent, *terra Jovae sacra* et propria audiret. אָבְדוּ גוֹיִם מֵאַרְצוֹ *Dispereunt fugatae atque deletae gentes e terra ejus.* אָבַד propriam vim habet *abeundi, aufugiendi* cum *perditione* et *interitu.* Hinc speciatim de gentibus et copiis hostilibus usurpatur, cum funesta clade fugatis, ut Deut. 8, 20. 28, 22. Jud. 5, 31. גוים sunt *gentes exterae*, quas, quum terram Hebraeorum invasissent, poeta certo sperat sui imperii finibus ejecturum esse. — 17. יְהוָה — תַּאֲוַת *Desiderium mansuetorum exaudis, Jova!* i. e. annuis cultorum tuorum desiderio. עֲנָוִים *animo humiles, Deo se submittentes, et religiosi ejus cultores*, qui injuriis affecti ad Deum solum confugiunt, ut 22, 27. 25, 9. 34, 3. Jes. 61, 1. Vb. שָׁמַע hic sensu judiciali (Vs. 18. לִשְׁפֹּט *ad judicandum*) usurpatur, ut sit *admittere* desideria tanquam judicem, ut 1 Reg. 8, 32. — תָּכִין לִבָּם *Confirmas cor eorum. Cor firmatum* opponitur *concusso, agitato, palpitanti*, quales loquendi formulae ad *vehementiorem*, quo quis commovetur, *dolorem, metum* et *consternationem* exprimendum usitatae sunt, ut Deut. 28, 65. Jes. 7, 2. Ps. 55, 5. Hinc *cor* נָכוֹן est *sedatum* a tali com-

motione, ad stabilem tranquillitatem redactum, et felicis rerum eventus fiducia obfirmatum. Ita clarissime Ps. 112, 7. 57, 8. תְּקַשִּׁיב אָזְנֶךָ *Attentam reddes*, s. *praebebis aurem tuam*, quum sit Conjug. Hiphil. Confirmas illos, quod attendere soles.

18. לְשָׁפֹט יָתוֹם וְדַךְ *Ad judicandum*, judicio vindicandum, *pupillum et attritum*. דַּךְ usu forensi notat *injuria* ac *vi jure suo cadentem* et *oppressum*, ex loquendi formula דְּכָא *conterere aliquem in porta*, i. e. *judicio*, Prov. 22, 22. Job. 5, 4. — בַּל־יוֹסִיף וגו׳ *Nec addat amplius*, non pergat sc. improbus *exagitare*, exturbare, *hominem debilem*, miserum, *e terra* sua, e patria. לַעֲרֹץ connecte cum מִן־הָאָרֶץ. Voc. אֱנוֹשׁ nonnulli ad *oppressorem* referunt. Ita Alex. verbo עָרַץ intransitive pro *jactare se* sumto, dedit: ἵνα μὴ προσθῇ ἔτι μεγαλαυχεῖν ἄνθρωπος ἐπὶ τῆς γῆς. Sed voculae מן־הארץ cum verbo ערץ constructae, manifeste *transitivam* ejus vim desiderant; אֱנוֹשׁ vero, quod tam ex etymo, quam ex linguae usu *debilitatis* notionem habet, multo aptius ad *oppressos* Hebraeos applicatur. Eadem transitiva *excutiendi*, *exagitandi* notione ערץ Job. 13, 25. occurrit. *Excuti* vero graviore stylo dicuntur, qui *violenter* e loco, e sedibus suis, *ejiciuntur*, quomodo נָפַץ *quatere*, *excutere*, saepius usurpatur, veluti Jes. 33, 3. In eundem sensum h. l. Syrus: *ne addat ultra perdere homines e terra.*

Ps. 11.

Quum poetae amici fugam suasissent, ne per insidias ab inimicis circumveniretur; repudiat hoc consilium, suam in Jova fiduciam praedicans, quem speret hostium consilia et technas eversurum. Innocentes bono animo esse debere, improbis autem certam perniciem exspectandam esse. — Qua occasione hic Ps. a Davide, cui assignatur in inscriptione, sit editus, prorsus incertum est. Adversus terrores eorum, qui solliciti de Davide, in periculis a Saule, fugam ei suaderent, factum esse Ps., sententia est interpp. longe plurimorum. Sed in tempore pressius finiendo dissentiunt. Non plane improbabilis videtur eorum sententia, qui de hujus Ps. tempore et occasione proferunt haec: Quum adhuc in aula Saulis versaretur Davides, ejus amici, observato regis in eum infesto animo, qui nondum tamen aperte in persequutionem exarserat, ne quid gravius accideret, id illi consilium dederunt, ut in montana loca Judaeae, unde oriundus erat, ad aliquod tempus secederet, donec regis animus mitigaretur: quod consilium non videtur tum probasse, quamquam postea id sequi coactus est. — Inter initia conjurationis Absalonicae, quum Davides moneretur ab amicis, ut relicta regia Sionica et urbe, fuga sibi consuleret, hunc Ps. ab eo factum esse adversus formidolosas voces amicorum illorum, qui ei metuebant, quorum tamen consilium sequutus fuit; aliorum opinio est. Quodsi nullo inscriptionis, Davidi carmen tribuentis,

respectu habito, Psalmi argumentum consideramus, impios describi videmus, qui pios insectantur et perdere studeant, ut Psalmi plures alii de gentibus exteris, Jovam non curantibus, et Hebraeos, illum colentes, opprimentibus, queruntur. Possit igitur cum De Wettio hoc carmen iis accenseri, qui totius populi nomine divinum auxilium contra hostes barbaros implorant.

1. בַּיהוָה חָסִיתִי *Ad Jovam confugio*, me recipio. Cf. ad Ps. 2, 12. Quum igitur tanto protectore tutus sim, אֵיךְ תֹּאמְרוּ לְנַפְשִׁי *quomodo dicitis*, dicere audeatis, *animae meae*, i. e. mihi (ut Ps. 6, 5. 7, 3.). נוּדוּ הַרְכֶם צִפּוֹר *Fugite ad montem vestrum* ut *avis*. Metaphora desumta est ab aviculis (צִפּוֹר *passer*, *aviculam* in genere denotat), quae ad montes arbustis consitos se conferendo, a persequentibus, vel aucupibus, vel avibus rapacibus, prospicere sibi assolent. Pluralis נוּדוּ complectitur poetam ejusque socios. Sic הרכם *montes vestri* sunt ii, in quibus soletis latere, in quibus latebras vestras habetis. Ante צפור autem subaud. כ similitudinis, ut Jes. 21, 8. *(et clamavit* ut *leo in specula)*. Cf. Gen. 49, 9. 14. Pro נודו Masorethae in margine legendum praecipiunt נוּדִי *fuge*, Imperat. feminin. ad לנפשי referendum; idem et veteres interpp. exprimunt.

2. 3. Pergunt benevolentes Davidi: יִתְּרוּ — כִּי *Etenim arcum intendunt impii, aptant ad nervum sagittas suas.* De דָּרְכּוֹ קֶשֶׁת vid. ad 7, 13. — לִירוֹת וגו׳ *Ut jaculentur in caligine*, ex insidiis obscurisque latebris *in homines rectos corde*, innocuos. Aviculae similitudini subjecta est imago arcus et sagittarum, ut volantem avem, quia apprehendere manu nequeunt aucupes, jaculis dejicere moliuntur; ita poetae hostes, quum vi eum capere non possent, artibus et dolis circumveniebant. — 3. כִּי הַשָּׁתוֹת וגו׳ *Nam*, s. *si fundamenta destructa*, collapsa, *sunt; quid faciat probus?* שָׁתוֹת *fundamenta* (a שׁוּת *ponere*) plerique *leges* significare censent, quia leges sunt quasi fundamenta, quibus superstructa nititur omnis hominum societas, ut iis convulsis evertantur ipsae civitates. Videtur potius *fundamenta collapsa sunt* proverbialis loquutio esse, qua uti solebant, si quando respublica ad extremam desperationem pervenerit, ita ut omnia sint dissoluta, metaphora ab aedificiis sumta, quae dirutis fundamentis tota concidere necesse est. Alex. ὅτι ἃ κατηρτίσω καθεῖλον, *quoniam, quae perfecisti, destruxerunt.* Videtur intelligere illud Jovae decretum, quo Davidem regem Israelitarum constituerat, quod vero ab impiis illis eversum sit. Etulit vero ille interp. הֲשָׁתוֹתָ, *fundasti.* צַדִּיק מַה־פָּעָל *Justus quid faciat?* q. d. justo quidnam reliquum est aliud, quam ut exulet, et saluti consulat fuga in montana inaccessa?

4. 5. Respondet poeta, quum omnes humanae opes se destituant, in Jova sibi spem esse positam, qui ut summus judex res hominum curat. יְהוָה בְּהֵיכַל קָדְשׁוֹ *Jova in palatio sanctitatis*

suae, sc. sedet, i. e. in *coelo*, ut apparet altero hemistichio (coll. Hab. 2, 20.). יְהוָה בַּשָּׁמַיִם כִּסְאוֹ *Jovam* quod attinet, *in coelo est thronus ejus.* Nominativus absol. pro Genitivo. עֵינָיו יֶחֱזוּ *Oculi ejus respiciunt*, nihil est, quod ille non videat. עַפְעַפָּיו וגו׳ *Palpebrae ejus examinant*, explorant *filios hominum.* Vb. בָּחַן propric usurpatur de aurificibus, qui terendo et fricando ad coticulam aurum argentumve explorant, an cum impuriore materia mixtum sit, vid. Prov. 17, 3. H. l. transfertur ad oculos omnia explorantes. Sensus: Jova secretissimas hominum conspirationes perspectas habet. — 5. יְהוָה צַדִּיק יִבְחָן *Jova justum explorat*, cognoscit penitus, et cognitum amat et protegit; metonymia causae. וְרָשָׁע וגו׳ *impium vero eumque qui violentiam amat*, qui malo delectatur, *odit anima ejus.*

6. 7. יַמְטֵר עַל־רְשָׁעִים פְּחִים *Pluere faciet super impios carbones*, s. ut alii vertunt, *laqueos.* Qui priorem significationem eligunt, iis פַּחִים idem est ac פֶּחָם, sed alius formae; vel pluralis pro פֶּחָמִים, quae Jarchii est sententia minus probanda. Hanc interpretationem praeter alios commendavit Lowth *de sacra poesi Hebr.* p. 94. ed. Lips. Intelligi ei videntur *globi ignis*, vel quas *Bolidas* vocat Plin. H. N. 2, 20.; vel simpliciter *fulmina*, coll. Ps. 18, 13. 14. Radix פּוּחַ, inquit, quanquam interdum significat *illaqueare*, saepius tamen notat *sufflare*, *exsufflare*, ignem nimirum. Cf. Ez. 21, 31. Prov. 29, 8. Ex hac notione rad. פּוּחַ deducit פַּח *pruna exsufflata*, et פִּיחַ Ex. 9, 8. *favilla*, quae flatu in ignem excitari possit. Contra *laqueorum* notionem defendit J. D. Michaelis in Notis ad Lowthum, monens, fulmina *laqueos* (quasi *funes igneos*) dici apud Arabes. Longi enim fulminum tractus, a coelo ad terram pertinentes, eminus visi laqueos quodammodo referunt. Recte igitur illi Alex. et Syrus, licet magis ad verbum, quam ad suae linguae ingenium, voc. פחים *laqueos* vertisse videntur. פַּח *funis* Michaeli contractum est ex פֶּחָח. Vertit igitur: *longos fulminum tractus super impios depluet.* וְרוּחַ זִלְעָפוֹת *Et ventus ardorum.* Ventus *Zilgaphot* pestilens Eurus est, Orientalibus notissimus, qui Julio et Augusto mensibus nonnunquam per octavam horae partem spirans, obvia quaevis necat. *Samum* illum vocant Arabes, finguntque eorum poetae, venenatum hunc ventum impios in suppliciorum aeternorum loco pro aura vitali hausturos. Syrus *ventum plagae* vertit. מְנָת כּוֹסָם *Pars calicis eorum*, metaphora a more veteri mutata, quo paterfamilias domesticis suis suam cuique potus portionem in calicem infundere solebat. מְנָת licet in statu regiminis positum, tamen vocali Kamez est instructum, quia defective pro מְנָאת scriptum est, unde Kamez manet non mutatum, quale *impurum* vocatur, ut in כְּתָב *scriptura*, שְׁאָר *residuum*, קְצָת *finis*; cf. Gesenii *Lehrg.* p. 509. — 7. In posteriori Vs. hemistichio, יָשָׁר יֶחֱזוּ פָּנָימוֹ, dissentiunt, ad quem suffixum מוֹ pertineat. Quum illud apud poetas

pro suff. *plurali* הֵם soleat usurpari; haud pauci ad *pios* referunt, atque יָשָׁר de *Jova* intelligunt, h. s.: *facies eorum*, pietatis studentium, *adspicient* Jovam, *qui rectus est*, s. quod rectus sit et aequus. Alii ad *impios* referunt, atque יָשָׁר ob accentum (Rebhia gereschatum) a voec. sqq. separant; unde haec prodit interpretatio: *nam justus est Dominus*, *justitias amat; videbunt* id *facies eorum.* Verum quum יָשָׁר nusquam de *Jova* dicatur, sed semper de *homine* recto et probo; sunt, qui malint repetito אָהֵב ad יָשָׁר in Acc. capiendum, verba ita capere: *rectum*, s. collective, rectos, probos amat, *videbunt* id *facies eorum*, experientur id, ipso eos ab hostibus vindicante. Sensus tamen magis concinnus erit, si מוֹ pro Plurali majestatico capiamus (cf. GESENII *Lehrg.* p. 216.), ad Jovam referendo, hoc modo: *probus*, i. e. collective, *probi faciem ejus adspicient*, Jovam propitium sibi habebunt; non avertet vultum suum ab iis, quod est iracundi; cf. Job. 33, 26. Ps. 89, 16. 140, 14.

Ps. 12.

Opem Jovae implorat poeta, questus de moribus sui seculi, in quo omnia plena sint fraudibus et simulatione, et nulla in hominibus reliqua probitas aut fides; optatque, ut Jova assentatrices et superbe sese efferentes linguas exscindat. Postea Jovam ipsum inducit loquentem opemque pollicentem. — Communes totius populi querelae et preces contra hostes impios, qui Jovae cultores fraudibus et calumniis opprimere studerent, hoc Ps. contineri videntur.

2. הוֹשִׁיעָה *Salva*, salutem et auxilium praesta. כִּי־גָמַר חָסִיד *nam deficit probus.* Recte Chaldaeus collective: *consumti sunt pii.* חָסִיד *vir probus*, qui Deo et hominibus operam et officium probare studet. כִּי־פַסּוּ וגו׳ *Nam evanuerunt fideles ex hominibus*, nusquam tuta est fides. Verbum ἅπαξ λεγ. פָּסַס Alex. *imminuendi* notione accepit, posuit enim ὠλιγώθησαν. Omnino ejusdem significationis est cum אָפַס *desiit, defecit.* Hinc pro אֶפֶס דָּמִים 1 Sam. 17, 1., loci nomine, quod *finis caedium* significat, in loco parallelo 1 Chr. 11, 13. פַּס דָּמִים, quod idem valet, ponitur. אֱמוּנִים et *veritates* s. *fidelitates*, et *veraces* s. *fideles* potest significare; sed prius membrum, ubi est adjectivum, postulat, ut hic adjective sumatur.

3—5. רֵעֵהוּ — שָׁוְא *Vanum loquuntur unusquisque cum socio suo*, nulla nunc dictis fides, dum quisque aliud sentit ac loquitur. שִׂפַת חֲלָקוֹת *Labium glabrarum*, s. *blandarum*, subaudi אֲמָרוֹת *loquutionum.* Sensus: verbis utuntur ad alios speciosis et blandis, sed ficta sunt et subdola omnia. בְּלֵב וָלֵב יְדַבֵּרוּ *Cum corde et corde loquuntur*, i. e. duplici corde. Diversitas vel duplicitas repetitione vocis denotari solet, ut Deut. 25, 13. 14. Sic 1 Chr. 12, 33. *non corde et corde*, exponitur Vs. 38. *integro*

corde. — 4. הַלָּקוֹת — יַכְרֵת *Exscindat Jova omnia labia blandorum* eloquiorum (Vs. 3.), exstirpet oris subdoli blandiloquentiam. לָשׁוֹן וגו׳ *Linguam eloquentem magnas*, sc. *res*, i. e. nil nisi alta erepantem de magnis viribus, opibus etc. Cf. Ps. 31, 19. — 5. נַגְבִּיר — אֲשֶׁר *Qui dicunt: propter linguam nostram robusti erimus*, s. *praevalebimus*, eloquentia nostra facile persuadebimus, quidquid voluerimus. שְׂפָתֵינוּ וגו׳ *Labia nostra nobiscum sunt*, nos adjuvant, *quis nobis dominus?* Lingua nostra omnia efficere possumus. Tam invictis igitur armis muniti, quid nobis timendum est?

6. Jovam facit loquentem et salutem promittentem. מִשֹּׁד עֲנִיִּים *Propter vastationem afflictorum*, commotus eorum calamitate, quam video. מֵאֲנְקַת *Propter gemitum* s. *ejulatum*, ut sc. opem eis feram; ac si dicat: adhuc sum visus connivere, nunc tandem surgam. אָשִׁית בִּישַׁע יָפִיחַ לוֹ *Ponam in salute*, in tuto constituam, *in quem sufflat* (subaudito אֲשֶׁר), sc. in quem sufflans s. impius sufflat. Impersonalis est loquendi modus, qualis frequens est in Genesi, e. g. 25, 26. 27, 36. De verbo פּוּחַ vid. ad 10, 5. יֶשַׁע propr. *locus amplus*, spatiosus, pro *securitate*. Cf. ad 4, 2. Alex. interp. יָפִיחַ לוֹ reddit: *παῤῥησιάσομαι ἐν αὐτῷ*, *libere defendam*, aperte tuebor, illi patrocinabor. Vulgatus: *ponam in salutari*, *fiducialiter agam in eo*. Alex. non legit יפיח, sed אוֹפִיעַ, prima persona. Quod ipsum recentt. quibusdam placet, quod Alexandrinus Ps. 94, 1., ubi הוֹפִיעַ legitur, eodem illo *παῤῥησιάζεσθαι* utitur. Accedit Syrus: *et faciam salutem manifeste*, quomodo הוֹפִיעַ et Ps. 80, 2. 94, 1. interpretatus est.

7. Verba promissaque Jovae, אִמְרוֹת יְהוָה, quae superius posuit, auxilium, patrocinium afflictorum promittentia, ejusmodi esse dicit, ut omnino factis ipsis exhibenda sint; nihil enim habent falsitatis, tanquam impurioris materiae admixtum, sunt אֲמָרוֹת טְהֹרוֹת *eloquia munda*, h. e. vera, atque ab omni mendacii sorte ac scoriis pura, suntque veluti כֶּסֶף צָרוּף *argentum eliquatum*, s. depurgatum; צָרַף enim est metallicorum, scorias igne separantium, ut patet ex Ps. 66, 10. Jes. 48, 10. Jer. 6, 29. In verbis בַּעֲלִיל לָאָרֶץ exponendis difficultatem creat בעלל, *ἅπ. λεγ.* Litera ב est praefixum nomini עֲלִיל, quod haud pauci, Chaldaeum sequuti, *catinum terrae*, i. e. terreum, significari putant. Quae tamen *catini* significatio perquam incerta est, atque etymologicis tantummodo conjecturis nititur. Verisimillimum est, עֲלִיל s. *officinam*, s. *operationem* significare, ab עָלַל *facere*, *operare* (unde עֲלִילָה *opus*), ut verba nostra sic vertantur: *argentum purgatum in officina*, s. *operatione*, *quod ad terram attinet*, s. *ratione terrae*, partium terrearum, i. e. argentum sordibus terreis defaecatum. De illa praefixi ל vi jam supra ad 7, 6. monuimus. Vett. interpp. sententiae summam tantummodo expresserunt. Alex. *δόκιμον τῇ γῇ*. Vulg. *probatum terrae*. Hieron. in sua versione:

separatum a terra. Aquila: χωρσὸν τῆ γῆ, *secedens a terra*, sensu eodem. Sensus: *argentum selectum quod probatum* est *in terra.* מְזֻקָּק שִׁבְעָתָיִם *Percolatum*, defaecatum *septuplum*, i. e. *multitoties*, nam septenarius numerus pro *magno* usurpari solet. Sic Lev. 26, 24. Percutiam vos *septies*. Cf. Gen. 4, 15. Prov. 24, 16.

8. אַתָּה־יְהוָה תִּשְׁמְרֵם *Tu, Jova, servabis* sive *eos* (inopes), sive *ea*, promissa (ut suff. ad eloquentia divina referatur cum Aben-Esra), factis comprobabis, vera esse, et ab omni falsitate remota. תִּצְּרֶנּוּ *Servabis eum*, h. c. unumquemque eorum, *eos;* nomen enim vel pron. Sing. cum alio Plurali junctum, distributive explicandum est. Verborum מִן־הַדּוֹר זוּ לָעוֹלָם sensus potest esse duplex. 1) Aut enim sic accipiendum est: *serves eum ab hac generatione*, i. e. ab hujus nostri seculi perversis hominibus, qui inopes ac innocentes affligunt; aut 2) durationem tantummodo temporis significat: ab hoc seculo usque in aeternum nos tuearis.

9. סָבִיב רְשָׁעִים יִתְהַלָּכוּן *In circuitu impii ambulant.* Recte Kimchi: Quoniam improbi homines circum pios obambulant, ut eos injuria afficiant, ideo necesse est, hos ab illis serves. כְּרֻם זְלוּת לִבְנֵי אָדָם *Secundum elevari se*, cum sese elevant illi, impii, *vilitas* est *hominibus* ceteris, jacent ceteri homines, in quos illi libere grassantur. Cum ad dominatum et imperium evehuntur homines nihili, boni opprimuntur. Cf. Prov. 29, 2. *cum dominatur improbus, suspirat populus;* Vs. 16. *cum praevalent improbi, praevalent peccata.* Sensus tamen non minus aptus prodibit, si cum Gesenio in *Lex.* זלות *tremoris* notione capias, coll. arab. زلزل a زلزل *commovit, tremore affecit*, quomodo verbum זָלַל et Jes. 64, 1. capiendum fuerit.

Ps. 13.

Davides, aut si quis alius, qui hoc Ps. loquens inducitur, magnis quibusdam aerumnis conflictatus, ac veluti circumventus ingentibus periculis, ad Jovam cum extraordinaria aliqua animi vehementia recurrit, ejus auxilium imploraturus; quod sub finem certissime se sperare disertis verbis testificatur. — Ad exilia Davidis, quae sub Saule pertulit, quidam hoc carmen referunt, vel etiam Absalonicis Pss. aggregant. Quae tamen conjecturae, quum nullo argumento certo, in carmine obvio, nitantur; nos quidem nulli dubitamus cum De Wettio nostrum facere quod Jarchi tradidit, contineri hoc Ps. communes totius populi oppressi preces. Videtur autem huic et Pss. pluribus aliis similis argumenti *Davidis* nomen praepositum, quod rex ille, multis ipse aerumnis et periculis conflictatus, talis cogitaretur, qui totius populi sui personam commode sustineret.

2. 3. נֶצַח — עַד *Usquequo, Jova, oblivisceris mei prorsus?* curam mei abjicies, differes auxilium, ac talem te mihi exhibebis,

ac si mei prorsus esses oblitus? עַד־אָנָה וגו׳ *Quousque abscondes faciem tuam a me*, h. e. non me dignaberis adspectu, quasi iratus esses. — 3. *Quamdiu ponam consilia in anima mea?* quousque anxius et dubius rerum agendarum apud me consilia quaeram, ut rationem inveniam, qua a tot periculis liberer? *et dolorem in corde meo toto die? quamdiu exaltabitur hostis super me?* i. e. mihi et fortunis meis dominabitur? יוֹמָם h. l. totum et quemlibet diem, i. e. perpetuo significat.

4—6. הַבִּיטָה *Respice*, q. d. tu, qui hactenus visus es vultum a me avertisse, nunc tempus est, ut ad me oculos et aures advertas. הָאִירָה עֵינַי *Illumina* me respiciendo *oculos meos*, tot miseriis veluti tenebris obcaecatos; cf. Thren. 5, 17. In rebus prosperis et ad voluntatem fluentibus, omnia apparent lucida ac splendida magis. פֶּן־אִישַׁן הַמָּוֶת *Ne dormiam* dormitionem s. somnum *mortis*. Ante המות subaud. שְׁנַת, ut recte observat Aben-Esra, *siquidem nomina in vi* seu virtute *verborum*, h. e. nomina verbalia in ipsis verbis includuntur. Sensus: tenebras dispelle tribulationum mearum, quae me prope enecant, ne eis succumbam. — 5. *Ne dicat hostis meus: praevalui ei; neque inimici mei exultent, ubi motus fuero.* Sensus: ne hostis me cadente glorietur, et se vicisse gaudeat; ne si praeceps in periculum ac discrimen vitae ruero, inimici mei laetentur. וְכָלָתִיו pro וְיָכְלָתִי לוֹ, ut Neh. 9, 28. וַיִּזְעֲקוּ אֵלֶיךָ pro וַיִּזְעַקְתִּי אֵלֶיךָ *clamarunt ad te.* Vb. מוּט *moveri*, *vacillari*, saepe in Pss. usurpari solet, cum in discrimen aliquod et periculum maximum quispiam adducitur; metaphora ab iis sumta, qui in praerupto et lubrico loco versantur, ut, si ab angusta semita vel tantillum pes excesserit, praecipiter ruant. — 6. וַאֲנִי — בָּטַחְתִּי *Ego vero in misericordia*, bonitate, *tua fiduciam pono*, spero; q. d. ita, obsecro, mecum age, ut precatus sum, nam ego spero in te. יָגֵל לִבִּי וגו׳ *Exsultabit cor meum in salute tua* (i. e. quum salutem mihi attuleris); *cantabo Jovae, quod mihi retribuit*, pro fiducia in eo posita, quod opem mihi tulit. Loquitur, quasi jam beneficio sperato potiretur, et ex malo emersisset, et certus omnino, non defuturum Jovam. Vel sensus est: tunc, cum mihi Jova opem tulerit, laudes ejus canam, quod beneficia in me contulit.

Ps. 14. cum 53.

Queritur, omnia plena esse impiis et contemtoribus Dei, qui potentia ad tenuiorum perniciem abutantur, quorum ingenium pluribus describit, ita tamen, ut in eos invehatur, et divinam ultionem praedicat, piis contra salutem precetur ac polliceatur. — Epigraphe ad Davidem auctorem hunc Ps. refert. Verum quo minus ad Davidicam aetatem eum referamus, omnino vetant, quae Vs. 7. leguntur preces, velit Jova suum populum in patrias sedes reducere, quae manifeste exilii tempora arguunt, quibus Hebraeus po-

pulus a barbaris hostibus, Jovae contemtoribus, misere oppressus erat, de quorum crudelitate Vs. 4. queritur. Ad exilium Babylonicum carmen nostrum et plerique ex Hebraeis interpp. referunt. — Quum hoc carmen in hac ipsa poematum sylloge hic illic mutatum recurrat (Ps. 53.); duplex exorta est quaestio, *una*, de causa hujus repetitionis, *altera*, utrum illorum genuinum sit, aut prius editum. Quae res certo definiri haud potest. Ut aliorum conjecturas hic omittamus, non prorsus repudianda est EICHHORNII (*Einl. in. d. A. T.* P. III. p. 425.) sententia, qui hanc ejusdem Ps. repetitam descriptionem repetit inde, quod nostrum Psalmorum volumen post rempublicam Cyri beneficio restitutam ex pluribus minoribus carminum antiquorum syntagmatibus sit congestum. Quo in labore fieri potuisse, ut collector, immemor, carmen in sylloge sua jam extare, illud repeteret. Eum vero errorem potuisse eo facilius admitti, quum brevis esset Ps., atque eo loco, ubi primum legitur satis remotus. Ego tamen hanc ejusdem Ps. repetitionem non per incuriam, sed consilio potius a novissimis collectoribus factam esse suspicor, quod quum utriusque exempli discrepantias non putarent contemnendas, hanc fidem et diligentiam lectoribus praestari vellent, ut utrumque repraesentarent. Ad illud tempus, quo Sanacheribus, Assyriorum rex, Judaeam bello infestaret atque Hierosolymis etiam minitaretur, hocce carmen Theodoretus retulit. Verum huic sententiae Vs. 7., qui *captivitatem Israelis* memorat, repugnat; quum Sanacheribus etiamsi quasdam Judae urbes cepisset, tamen Israelem non in servitutem redegerit, et extra patriam abduxerit.

Ceterum cf. ad h. Ps. REDDINGII *Observatt. philologg. critt. de Psalmis bis editis*, Franequ. 1795. Ut vero utriusque hujus Ps. editionis discrepantiae uno quasi obtutu conspici possint, ipsum carminis textum, varietatibus Psalmi 53. in uncinis adjunctis annotationi praemittere commode visum est.

לַמְנַצֵּחַ (עַל־מָחֲלַת מַשְׂכִּיל addit) לְדָוִד

1. אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ אֵין אֱלֹהִים
הִשְׁחִיתוּ הִתְעִיבוּ עֲלִילָה (וְהִתְעִיבוּ עָוֶל)
אֵין עֹשֵׂה־טוֹב׃

2. יְהוָה (אֱלֹהִים) מִשָּׁמַיִם הִשְׁקִיף עַל בְּנֵי־אָדָם
לִרְאוֹת הֲיֵשׁ מַשְׂכִּיל
דֹּרֵשׁ אֶת־אֱלֹהִים׃

3. הַכֹּל סָר (כֻּלּוֹ סָג) יַחְדָּו נֶאֱלָחוּ
אֵין עֹשֵׂה־טוֹב אֵין גַּם אֶחָד׃

4. הֲלֹא יֵדְעוּ כָּל־ (כֹּל abest) פֹּעֲלֵי אָוֶן
אֹכְלֵי עַמִּי אָכְלוּ לֶחֶם
יְהוָה (אֱלֹהִים) לֹא קָרָאוּ׃

5. שָׁם פָּחֲדוּ פָחַד (לֹא־הָיָה פָּחַד addit)
כִּי אֱלֹהִים בְּדוֹר צַדִּיק (כִּי־אֱלֹהִים בְּזֹאת עֲצֻמוֹת חֹנֵף):
6. עֲצַת־עָנִי תָּבִישׁוּ (הֲבִישֹׁתָה pro his tantummodo)
כִּי יְהוָה מַחְסֵהוּ (כִּי־אֱלֹהִים מְאָסָם):
7. מִי יִתֵּן מִצִּיּוֹן יְשׁוּעַת (וְיֶשַׁע) יִשְׂרָאֵל
בְּשׁוּב יְהוָה (אֱלֹהִים) שְׁבוּת עַמּוֹ
יָגֵל יַעֲקֹב יִשְׂמַח יִשְׂרָאֵל:

1. 2. אָמַר — אֱלֹהִים *Dicit nequam homo in corde suo: non est Deus.* Cf. ad 10, 4. coll. Vs. 13. נָבָל fere vertunt *stultus* s. *insipiens.* Sic Deut. 32, 6. sapienti opponitur *populus* נבל *stultus, nec sapiens.* Verum non quamlibet stultitiam, sed quae cum scelere sit conjuncta, hoc nomine significari, ostendit hujus vocis usus. Sic *vitium* oblatum Dinae Gen. 34, 7., *stuprum virginis* Deut. 22, 21., *sacrilegium* Jos. 7, 15. נְבָלָה dicitur. Cf. 1 Sam. 25, 25. et Jes. 32, 6. *Nebulo* (נָבָל) *impia proloquitur, et animo mala machinatur, ad stabiliendam profanitatem, et ad errores de Deo disseminandos, ad praeripiendum esurienti cibum, et ad privandum potu sitientem.* Potissimum de alienigenis, qui Jovam non colunt, נָבָל usurpari, liquet e Ps. 74, 18. 22. Deut. 32, 21. Et in libris apocryphis, veluti Sap. 1, 3. 3, 2. 5, 20. idolorum cultores ἄφρονες, παράφρονες, μωροὶ vocantur. הִשְׁחִיתוּ *Corrumpunt*, depravare solent, subaudi דַּרְכָּם *viam suam*, ex Gen. 6, 12.; nisi cum עֲלִילָה conjungere malis, ut Zeph. 3, 7. *corruperunt omnes actiones suas*, male et perverse egerunt. הִתְעִיבוּ עֲלִילָה *Abominandum reddunt opus*, abominanda facinora perpetrare solent. Verbo הִתְעִיבוּ Syrus atque Alex. ו praemittunt, quod et altera editio exhibet. Sed concisior oratio videtur ו omisso; nec Ps. 53. legitur in 20 codd. Kennicott. Pro עלילה in editione altera עָוֶל *iniquitas* positum est; quod utrum consulto factum sit, an librarii errore, hodie vix dici poterit. Aptius videtur עלילה, quum dictioni התעיבו עול *ταυτολογία* parum elegans insit. Sub finem Vs. Alex. *οὐκ ἐστὶν ἕως ἑνός* addit, quod quamvis Vulgat. etiam exprimat, tamen per incuriam ex Vs. 3. huc translatum esse, cognoscitur ex eo, quod nec in Versionibus vett., nec in codd. mss. reperitur. — 2. Fingit Deum e summis coelis in homines despicientem, et speculantem eorum vitam, ut videret, num quis recta intelligentia valeret, et ipsius esset sollicitus, hoc enim significat dictio דָּרַשׁ אֶת־אֱלֹהִים, qua in genere pietas totius animi erga Deum, et ingenuum, quo ille recte colatur, studium exprimitur. Cf. 2 Chr. 22, 9. (ubi de Josaphato dicitur דָּרַשׁ אֶת־יְהוָה בְּכָל־לְבָבוֹ) Hos. 10, 12. Am. 5, 6. 2 Chr. 14, 3. 6. al.

3. הַכֹּל סָר *Numquid omnes deflexit?* sc. a via sua. Quidam סָר conferunt cum Chald. סרי *foetuit*, ut congruat cum נֶאֱלָחוּ, quod sequitur. In editione altera ponitur affirmative כֻּלּוֹ־סָג.

Vb. סוג quoque, ut סוּר *retrocedendi atque abalienandi* notionem habet. יַחְדָּו נֶאֱלָחוּ *Una*, i. e. ad unum omnes, *corrupti sunt.* Alex. ἠχρειώθησαν, *inutiles facti sunt*, reddidit; ad sensum non male; ἀχρεῖος enim vocatur *homo nequam*, qui nec sibi nec aliis utilis est, ut possis vertere: *nequam facti sunt.* אֵין עֹשֵׂה טוֹב אֵין גַּם־אֶחָד *Non est, qui faciat bonum, non est vel unus.* Quae verba quum de generis humani universi perversitate agere videantur (ad quam etiam Paulus Rom. 3, 10—12. cum aliis quibusdam ex tribus hisce Vss. prioribus refert), interpp. laborarunt, quomodo concilianda sint cum Vs. 4., ubi *populi Dei* mentio fit, quem hoc genus ἄθεον absumat. Probabile est, *gentes exteras* significari, quae Israeliticum populum opprimerent, quum vocc. עַמִּי Vs. 4., דּוֹר צַדִּיק Vs. 5. et יִשְׂרָאֵל Vs. 7., cui genus ἄθεον opponitur, manifeste populus Israel. indicetur. Ceterum patet, hyperbolen in his esse agnoscendam, ut hoc velit: tam longe latcque grassatam sceleris hujus contagem, ut vix unus, aut nec unus etiam ab ea purus reperiatur, ut si Deus ipse omnituenti oculo despexerit, disquisierit, vix unum aliquem, aut ne hunc quidem inventurus sit, peste ista immunem et integrum. Cf. Jerem. 5, 1. — De additamento, quod huic Versui adsutum ex Rom. 3, 15—18. legitur in codice Vaticano Alexandrinae interpretationis et inde in Arabica translatione, nec non in unico codice hebraeo a Kennicotto memorato, vid. Scholia uberiora.

4. הֲלֹא יָדְעוּ כָּל־פֹּעֲלֵי אָוֶן *Nonne sciunt omnes facinorosi?* ad quod alii subaudiunt, *Deum esse;* alii, *me esse judicem.* Simplicissimum mihi videtur, verbum יָדַע *poenas luendi* significatione accipere (propr. *experientiâ intelligere, sentire*), qua Jud. 8, 16. Job. 21, 19. Jes. 9, 8. Hos. 9, 7. usurpatur, ex simili, qui apud Arabes obtinet, loquendi usu, quo hebraico ידע synonymum علم *novit, scivit*, non in Corano tantummodo (Sur. 40, 72. 26, 48. 49.), verum apud alios quoque scriptores, *poenas luendi* notione adhibetur. יֵדְעוּ Alex. in Fut. γνώσονται expressit, quasi יֵדָעוּ enunciasset, quod ipsum in Codd. quibusdam reperitur. Vocula כָּל ante פֹּעֲלֵי Ps. 53. in hodiernis codd. longe plerisque omissa est. *Vanitatis* notio in voc. אָוֶן h. l. quoque ad omnis generis *nequitiam* translata est. Verba אֹכְלֵי עַמִּי אָכְלוּ לֶחֶם ad verbum: *comedentes populum meum comederunt panem*, Aben-Esra et Kimchi bene explicant: [*nonne poenas luent?* quod ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum] *qui populum meum comedunt, sicut devorant panem?* q. d. perinde ac si in cibum illis essent. כ similitudinis haud raro omitti, notum. יְהוָה לֹא קָרָאוּ *Jovam non invocant*, i. e. *eum non reputant;* nullam prorsus Dei curam habent, nihil ab ipso exspectant, nihil petunt.

5. שָׁם פָּחֲדוּ פָחַד *Tunc trepidabunt pavore.* Particula שָׁם non solum in designando *loco*, sed etiam de *tempore* usitata est, ut Ps. 4, 5. Prov. 8, 27. Hos. 2, 17. *tum, deinde, aliquando.* Ita

h. l., ut totius Vs. interpretatio ita sit instituenda: *tunc trepidabunt pavore, quando Deus in piorum gente* erit, tunc, cum Deum adesse piis viderint, se vero ope et auxilio destitutos, tremore corripientur. אֱלֹהִים בְּדוֹר צַדִּיק *Deus* erit *in gente pia*, s. *inter gentem piam*, i. e. adcrit eis et auxilium eis praestabit. Alex. ἐκεῖ ἐδειλίασαν φόβῳ, οὗ οὐκ ἦν φόβος, quod manifeste respondet editioni alteri Ps. 53., ubi legitur: *illic trepidabunt timore, ubi nullus timor*, ubi nil erat timendum, subito terrore correpti. Cf. Prov. 28, 1. Ceterum haec Psalmi 53. varietas haud obscure prodit serioris manus emendationem, quae concisam Ps. 14. phrasin pluribus vocabulis clariorem reddere studuit; nisi forsan singulus ille veteris carminis Vs. seriori aetati ita sit accommodatus, ut ea mutatio ad res aut facta nobis ignota respiciat. Qua quidem conjectura magis adhuc confirmor hemistichii posterioris discrepantia multo insigniori, quum Ps. 53. haec legantur: כִּי־אֱלֹהִים פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנֶךָ *etenim Deus dispergit*, s. dispergere solet *ossa obsidentium te*, i. e. omne robur hostium imminuit, dissipat, evanidumque reddit. פִּזַּר usurpatur de *dispersione* s. *dissipatione*, veluti *ovium* Jer. 50, 12., *hostium* Ps. 89, 11. 112, 9., *fugitivorum*, aut in *captivitatem* hinc inde abductorum Joel. 4, 3., *ossium* Ps. 141, 7. Atque sic et h. l. ossa hostium dicuntur dissipanda, *vel* metaphorice, ut robur omne hostium, quod alias per *ossa* solet indicari (Ps. 6, 3. 32, 3. 38, 4.), a Deo frangatur atque debilitetur; *vel* proprie, quatenus hostium cadavera prostrata, atque a feris volucribusque absumta in loco proelii commissi, dilaniata ac discerpta jacent undique (cf. Ez. 39, 15.). חֹנֶךָ *Obsidentis te*, h. e. uniuscujusque hostium, castra adversus te ponentium. Singularis חוֹנֶה *castra ponens*, distributive accipiendus est, quum Vs. anteced. hostes in Plur. essent commemorati. Ceterum quod affixum attinet, notandum est, 1) per apostropheu sermonem converti ad pios Jovae cultores; et 2) resolvendum esse in hunc modum: חוֹנֶה עָלֶיךָ *castra ponentis contra te.* Praeterea et haec punctorum anomalia accedit, quod pro חוֹנֶךָ, vocali suffixi ad literam praeced. revocato, positum sit חֹנֶךָ, acque ut loco אִתְּךָ *tecum*, in pausa ponitur אִתָּךְ. Alex. sic vertit: ὁ θεὸς διεσκόρπισεν ὀστᾶ ἀνθρωπαρέσκων, quod Vulgat. sequitur: *ossa eorum, qui hominibus placent;* cum quibus et Syrus convenit, licet is aliter dispungat: *quia Deus dispergit ossa eorum, quoniam ii, qui placent hominibus, pudefacti sunt.* Hi interpp. חֹנֶךָ non derivarunt a חָנָה, sed a חָנַן *gratiosum esse*, ita ut ךָ finale sit affixum 2. pers., q. d. *gratificantium tibi.*

6. 7. עֲצַת עָנִי תָּבִישׁוּ *Consilium egeni*, s. *afflicti*, quo a Jova auxilium exspectat, fiduciam, quod in Deo ponit, ut ex hemistichio altero apparet, *pudefacere soletis*, sannis ac illusionibus deridetis, ita ut pudorem ipsi incutere, et consilium hoc ejus ridiculum reddere annitamini quam maxime. יְהוָה מַחְסֵהוּ *Quod*

Jova perfugium ejus, quod Jovam sibi protectorem elegit. Alii כִּי vertunt: *sed*, ut profano impiorum risui gratiosum piorum, quo semper apud Jchovam fruuntur, praesidium oppositum sit. In Ps. 53. hic Vs. sic legitur: הֲבִישׁוֹתָה כִּי־אֱלֹהִים מְאָסָם *pudore afficies*, s. deludes *eos*, subaudi: tu, piorum gens, ab impiorum turba antea oppressa et vexata (Vs. 5.), *nam Deus eos reprobavit*. — 7. יִשְׂרָאֵל — מִי *Quis dabit*, utinam aliquis praestaret (solent enim Hebraei ita Optativum exprimere, cf. not. ad Deut. 5, 26.), *e Sione*, ubi Jovae sedes erat, *salutem Israelis*, i. e. utinam Jova populo Isr. opem et auxilium praestaret. Pro יְשׁוּעַת legitur in Ps. 53. in Plur. יְשֻׁעוֹת, sensu eodem manente. בְּשׁוּב וגו׳ *In reducendo*, quando reduxerit *Jova captivitatem populi sui*, i. e. populum suum captivum, abstracto posito pro concreto, *exultabit Jacob*, *laetabitur Israel*.

Ps. 15.

Docetur, qui sint veri Jovae cultores, et ejus favorem ac tutelam sibi promittere possint. Interpp. fere statuunt, Psalmum factum esse, cum arcam in tabernaculum Sionium introduxit David (2 Sam. 6, 12. 1 Chr. 16, 1.), et ut ante, regnum, in arce ibi, ita tum sacerdotium, ad Moriam constituit, ut hac occasione populum hoc Ps. ad verum Jovae cultum veraeque pietatis ac justitiae studium adhortari voluisse videatur. Sunt quoque, qui proceribus imprimis et magistratibus, vel etiam sacerdotibus atque cultus sacri ministris vitae morumque exemplar hocce carmine propositum esse putent. Sed est ejus, aeque ac Psalmi primi, argumentum generale prorsus, nec facit ad ejus intelligentiam, si certo alicui hominum ordini applicamus.

1. 2. מִי יָגוּר בְּאָהֳלֶךָ *Quis commorabitur*, i. e. quis dignus est, ut commoretur, *in tabernaculo tuo*, in loco sancto, ubi Jovae cultus, Davidis tempore, celebrabatur, in tentorio Mosaico, sive ad arcam foederis, cui Davides tentorium tetenderat, templo nondum exstructo (vid. 1 Chr. 15, 1.). מִי־יִשְׁכֹּן בְּהַר קָדְשֶׁךָ *Quis habitabit in monte sanctitatis tuae*, in monte tuo sancto. Intelligitur vel mons *Sion*, arcae sacrae, Davidis tempore, domicilium, vel *Moria* mons, templo exstruendo destinatus. — 2. Inducitur Jova respondens, et declarans, quem secum habitare sinat: הוֹלֵךְ תָּמִים *Ambulans integer*, vitae scelerisque purus. תָּמִים omne quod *perfectum est*, convenit cum lat. *integer*. Si תמים *adjective* accipiatur, positum est pro בְּדֶרֶךְ תָּמִים (Ps. 101, 6.); si vero *substantive*, pro בְּתָמִים, ut Ps. 84, 12. coll. Jos. 34, 14. Jud. 19, 16. 19. Notissimum vero, Praep. ב saepe omitti, adeoque Substant. nude positum, adverbiascere. וּפֹעֵל צֶדֶק *Et faciens rectitudinem*, qui omnia, quae agit, recte beneque agit. וְדֹבֵר אֱמֶת בִּלְבָבוֹ *Et qui loquitur veritatem in corde suo*, i. e. verba, quae conveniant cum animi sui sententia, qui non loquitur ut bilingues isti Ps. 12, 3.

3. לֹא רָגַל עַל־לְשֹׁנוֹ *Non obtrectat super lingua sua*, nominis famam aliorum non laedit, nec lingua sua insidias struit ullas, vel falsa affingendo, vel vera prodendo aut exaggerando ultra veritatem, alium in sensum detorquendo. רָגַל in *Cal* h. l. tantummodo occurrit; in *Piel* significat *explorare* urbem aut regionem, ut Gen. 42, 30. Jos. 6, 25. (a רֶגֶל *pes*, quod exploratores *circumeundo* atque *ambulando* quaerere solent), hinc *traducere* aliquem (2 Sam. 19, 27.). Convenit itaque sono et sensu cum רָכִיל, quod apud Hebraeos *negotiatorem*, apud Chaldaeos *obtrectatorem*, *calumniatorem* significat. עַל־לְשֹׁנוֹ *Super lingua sua*, i. e. verbis, quae linguae suae quasi insident, aut super eam veniunt, quemadmodum loquela *super os* esse dicitur infra 50, 16., cf. Cohel. 5, 1. לֹא־עָשָׂה לְרֵעֵהוּ רָעָה *Non fecit*, non facere, inferre solet, *proximo*, s. socio *suo malum*. Per רֵעַ *socium*, proximum, non tantum *familiares* intelligit, sed omnes omnino homines, inter quos communis societas debet esse. רעה et in sq. inciso, קָרוֹב conveniunt cum lat. *alter*. Cf. Ex. 20, 16. Lev. 25, 17. — וְחֶרְפָּה לֹא־נָשָׂא עַל־קְרֹבוֹ *Et opprobrium*, ignominiam, *non elevat super proximum suum*, i. e. nil facit, quo alius probro afficiatur, non in causa esse solet, ut propinquus despiciatur ab aliis, sed famam ejus semper salvam custodire annititur. חֶרְפָּה notat vel dictum vel factum, quo alicujus famae vel existimationi detrahitur et nocetur. לֹא־נָשָׂא qui *non elevat*, i. e. non producit, ut Ex. 23, 1. *ne proferas*, s. spargas *rumorem falsum*. Cf. Ex. 20, 7. Ez. 36, 15.

4. נִבְזֶה בְּעֵינָיו נִמְאָס *Contemtus* est *in oculis ejus reprobatus*, reprobus, h. e. qui ob scelera sua despicabilis factus, atque contemni meretur, s. qui a Jova propter malitiam repudiatur (cf. Jer. 6, 28. 30.). וְאֶת־יִרְאֵי יְהוָה יְכַבֵּד *qui vero Jovam colunt, eos honorabit*, i. e. magni facere, atque in pretio habere solet. In explicandis verbis נִשְׁבַּע לְהָרַע וְלֹא יָמִיר difficultatem creat dictio לְהָרַע, quam haud pauci vertunt: *socio*. Praeivit Alex. ὁ ὀμνύων τῷ πλησίον αὐτοῦ καὶ οὐκ ἀθετῶν, quod sic Vulgatus: *qui jurat proximo suo et non decipit*. Syrus quoque: *jurat socio suo nec mentitur*. Verum huic interpretationi obstat *primo*, quod *socius* ubique רֵעַ s. רֵעֶה, nusquam רַע dicitur; *deinde*, quod ex hebr. loquendi usu ponendum fuisset sive לְרֵעֵהוּ (Vs. 3.), s. לְרֵעוֹ, s. לָרֵעַ. לְהָרַע autem reliquis omnibus, quibus occurrit locis, manifeste est Infin. *Hiphil*, a רוּעַ *malefacere*. Vid. Gen. 31, 7. Lev. 5, 4. Jer. 4, 22. 25, 29. Zach. 8, 14. Jam vero לְהָרַע h. l. scriptum esse videtur pro frequentiori לָרַע, ut sensus sit: *et malo*, improbo quoque *si juraverit*, promissum servat. Simili plane modo לְהָעָם *populo* pro לָעָם legitur 2 Chr. 10, 7., et plura alia exempla servati ה articuli post praefixa בְּ, כְּ, לְ collegit GESENIUS in *Lehrg.* p. 198. — וְלֹא יָמִיר *Neque mutat*, i. e. constans est in servandis promissis.

5. כַּסְפּוֹ לֹא־נָתַן בְּנֶשֶׁךְ *Qui argentum suum non dat*, non exponit *ad foenus*. Usuram a populari exigere, lege prohibuit Moses, Ex. 22, 24. Lev. 25, 36. coll. Deut. 22, 19. 20. Ez. 18, 8. 13. *Foenus* autem a *mordendo* נֶשֶׁךְ dicitur, quod tecte hominem mordet, rodit et conficit res usuraria; sive quod ad usuram dans eo pacto dat, ut aliquid de bonis ejus, cui dat, tanquam morsu auferat. וְשֹׁחַד עַל־נָקִי לֹא לָקָח *Munus adversus innocentem nullum accipit*, i. e. non sinit se pecunia aut mercede corrumpi, si judex sedeat, ut innocentem condemnet. Cf. Ex. 23, 6. Deut. 16, 19. Subjungitur epiphonema et conclusio carminis: עֹשֶׂה וגו׳ *Qui facit haec*, his rebus qui studuerit, *non movebitur unquam*, i. e. dignus est, qui semper tecum diversetur, atque in domo tibi sacrata commovetur. Sive: non labetur, non praeceps ruet, sed stabit, Deo eum adjuvante et continente.

Ps. 16.

Davides in extremo discrimine ac dimicatione fortunae et vitae ardentes ad Jovam preces fundit, velit ipsum conservare, periculumque ab ipsius capite propulsare; quibus consolationem miscet, a fiducia, quam in Jova ponat, petitam, prolixe testatus de eo, quod solum eum verum Deum colat, ipsumque et verum cultum ejus summum bonum esse statuat; tum ab omni falsorum deorum cultu se abhorrere profitetur, sibique gratulatur, quod Jovae beneficio e populo ejus sit. Non dubitat autem hac in fiducia se exaudiri, et conservatum iri; qua spe erectus, tanquam perfunctus periculis esset, divinam benignitatem, quae beata hac vita ulterius eum frui sinat, laeto animo celebrat; quod huic poetae est familiare. — Nihil est in hoc Ps., quod nos moveat ut fidem denegemus inscriptioni, Davidi illum auctori tribuenti. Videtur ab eo compositus tum, cum Jonatha certior factus de implacabili Saulis odio, ad Philisthaeos Gathenses confugere bis necesse ei fuerat (1 Sam. 21, 11—16. et Cap. 27. sqq.), ubi quum Cap. 29. nobis referat, magnates Philisthaeorum suspectam habuisse Davidis in ipsorum partes fidem, facile licet sumere, diffidentiam istam religionis etiam discrimine fuisse auctam, postulatumque a Davide, ut sacrorum a Philisthaeis celebratorum consortio sese purgaret, et sincere ipsorum causae se accessisse comprobaret. — Quatuor posterioribus hujus Ps. Versibus Petrus (Act. 2, 25. sqq.) et Paulus (Act. 13, 34. sqq.) Jesum Messiam, ab inferis excitandum, a Davide adumbratum crediderunt *). Quorum auctoritas apud interpp.

*) Neque *accommodasse* illos tantummodo, sive deflexisse ad Jesum, quae sensu vero et proprio de *Davide* dicta existimassent, ut haud pauci contendunt (vid. Eckermann *theol. Beiträge* P. I. p. 98. sqq.); verum persuasissimum ipsis fuisse, Psalmum *unice et vere* de *Jesu* agere, manifeste patet ex rationibus, quibus evincere studet, de *Davide* carmen *non* posse accip.

ex Christianis longe plerosque tantum valuit, ut Messiam in hoc carmine loqui statuerent, qui primum in malis, quibus urgeatur, fiduciam suam in divina benignitate repositam declaret, deinde (Vs. 4. 5.) Jovae sacerdotem se esse profiteatur, et denique a Deo se e mortuis revocatum, corpusque suum a corruptione servatum iri confidat. Quae interpretatio non modo ab orationis poeticae, Ebraeorum imprimis, indole et natura abhorret, sed ne notioni quidem Messiae, qualem Judaei ab omni tempore sibi informabant, respondet. Hi enim Messiam sibi heroem, victorem regemque potentissimum, non sacerdotem, vel hominem, cum adversa fortuna multisque aerumnis conflictantem fingebant. Sed multo minus probari possunt illi, qui hunc et plures alios Pss. sensu literali, aperto et historico, de Davide, mystico vero, allegorico et sublimi de Christo accipiunt. Quae interpretandi ratio, qua una eademque oratione, dispari sensu accepta, plures simul eventus, disjunctos tempore, natura dissimiles designari statuatur, ab omnibus rectae interpretandi artis praeceptis ita aliena est, ut qui in Graeco aut Romano aliquo scriptore adhiberi illam velit, is in communem prudentiorum reprehensionem incurreret. Quod autem in aliorum scriptorum interpretatione omnes repudiarent, idem cur in sacri codicis explicatione admittatur, nulla idonea cogitari potest ratio.

1. 2. De מִכְתָּם vid. Explicationem Titulorum sub lit. כ. שָׁמְרֵנִי וגו׳ *Custodi me, Deus, nam confugi ad te.* Significanter אֵל, quod *fortem* notat, videtur positum. Ratio tutelam Dei orandi et exorandi subjicitur haec: *quia ad te confugi*, quia tuo praesidio nitor, in te spem omnem conjeci. Quis autem bonus deserat eos, qui suae se fidei commiserint? — 2. אָמַרְתְּ לַיהוָה *Dixisti Jovae*, subaud. נַפְשִׁי *anima mea*, ex communi interpp. Hebrr. sententia, quod idem cum illo: *ego dixi.* Interpp. Alex., Vulgatus et Syrus primam personam expressserunt, quum vulgatam lectionem presse imitari non possent sine summa obscuritate. Libri haud pauci, et scripti et editi, exhibent אָמַרְתִּי. Utra vero lectio sit antiquior altera et praeferenda, haud obscure intelligi potest. Est enim lex critica, raro fallens, e duabus lectionibus praeferendam esse eam, ex qua alterius origo probabiliter possit cognosci. Jam vero qui factum sit, ut dictio אָמַרְתִּי degenerarit in alteram אָמַרְתְּ, multo sane duriorem et difficiliorem, vix ulla probabilis causa afferri potest: quis enim haesisset in voce tam facili atque perspicua? Ceterum solenne esse Hebraeis, ut nomine femineo נֶפֶשׁ *anima*, ad personam tam aliorum, quam sui ipsius designandam utantur, manifestum est ex Ps. 42, 6. 43, 5. *(Quid conturbaris anima mea, et tumultuaris apud me?)* et Thren. 3, 24. *Sors mea est Deus, dicit anima mea.* אֲדֹנָי אָתָּה *Dominus meus tu es;* te, Jovam, Deum et dominum a me colendum profiteor. In verbis טוֹבָתִי בַּל־עָלֶיךָ alii nomen טוֹבָתִי *active*, alii *passive* accipiunt. Priore modo, *bonum, quod ipse faciat*, sive *a loquente*

profectum, intellexit Alex. τῶν ἀγαθῶν μου οὐ χρείαν ἔχεις, Vulgat. *quoniam bonorum meorum non eges.* Benefacta mea haud ejus generis sunt, ut ex iis fructum percipias, aut ut iis favorem tuum promerere possim. Quae sententia huic loco parum concinna esse videtur. Plerique igitur passive, de *bono, quo poeta afficitur* interpretantur, quamvis nec hi consentiant. Quum עַל haud raro *debitum* indicet (Esr. 10, 12. עָלֵינוּ לַעֲשׂוֹת *nobis incumbit, ut faciamus*, Prov. 7, 14. *sacrificia eucharistica* עָלַי *mihi incumbunt*, debeo), Jarchi explicat: bona, quae mihi impertis, *non teneris mihi conferre*, nec enim meritis vicem reddis. Eodem modo Kimchi. Alii עַל significatione *super* accipiunt, atque vertunt: *bonum meum non est supra te*, omnis mea felicitas in te solo residet, nihil tibi praefero, aut supra te aestimo. Sed rectius Symmachus sensum expressisse videtur: ἀγαθόν μου (al. μοὶ) οὐκ ἔστιν ἄνευ σου, *bonum mihi non est sine te.* Chaldaeus: *bonum meum non conceditur nisi a te.* Partic. עַל acceperunt significatione satis usitata *praeter.* Eodem sensu Syrus: *et bonum meum a te est.*

3. Plerisque nostrae aetatis interpretibus hic locus, uti nunc in Codd. manuscriptis et editis legitur, talis esse videtur, ex quo sensus bonus nullo modo queat elici, quique igitur veterum versionum ope in melius sit restituendus. Haud pauci Alexandrinum ducem sibi eligunt, qui sic vertit: Τοῖς ἁγίοις τοῖς ἐν τῇ γῇ αὐτοῦ, ἐθαυμάστωσε πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς, quod Vulgatus secutus: *Sanctis, qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in iis.* Alexandrinus vero quomodo in suo Cod. hebr. legerit, valde dissentiunt. Varias autem variorum conjecturas in hoc Scholiorum nostrorum Compendio in medium proferre, eo magis supervacaneum ducimus, quum hic locus non ita sit comparatus, ut textum mutare opus esset. Possunt enim verba לִקְדוֹשִׁים אֲשֶׁר־בָּאָרֶץ הֵמָּה וְאַדִּירֵי כָל־חֶפְצִי־בָם non uno modo explicari. Storrius in *Observatt. ad analog. et syntax. hebr.* p. 295. in nota, postquam observasset, nominibus absolute positis saepe ל praemitti (ut Job. 6, 4. לַמָּס *quod attinet ad contabescentem*, etc.), locum nostrum ita interpretatur: „*quod attinet ad sanctos, qui in terra sunt; illustres*, magni (sc. sunt; partic. ו enim in hujusmodi loquendi forma utramque sententiam conjungit, vid. Ps. 115, 7. Prov. 23, 24. 1 Sam. 25, 27. aliisque locis quam plurimis), *quibus unice delector*, h. e. sancti, qui in terra sunt, magni sunt, quibus unice delector.“ Haec Storrius, qui itaque Jovae haec verba esse censet. Cujus sententiae tamen subscribere dubitamus, quod in toto carmine solus poeta loquitur. Nobis quidem אַדִּירֵי, status constructus, pro אַדִּירִים positus videtur, cujusmodi exempla Gesenius in *Lehrgeb.* p. 680. adducit שִׁכְבַת 2 Reg. 9, 17. et חַיַּת Ps. 74, 19.; vel est ex hemistichio praecedente בארץ subaudiendum, ut ita vertendus sit Versus: *Sanctos,*

qui in hac terra sunt, *quod attinet*, *et eximios*, praestantes pietate et virtutibus hujus terrae, *in his omnis mea delectatio.* Itaque sensus atque nexus erit talis: Jovam ut solum Deum et unicum salutis meae auctorem veneror (Vs. 2.), atque ad eorum tantum hominum amicitiam aggregare me soleo, cos tantum in pretio habeo iisque delector, qui illum colunt, et insignes sunt sua probitate (Vs. 3.); quum contra Jovae contemtores detester, nec quidquam cum iis commercii habeam.

4. יִרְבּוּ עַצְּבוֹתָם אַחֵר מָהָרוּ *Multiplices erunt dolores eorum*, *qui aliorsum festinant.* Nom. עַצָּבוֹת *molestiae*, *dolores*, nonnulli de *idolis*, *deastris* accipiunt; sed de *idolis* constanter עֲצַבִּים, nunquam עַצָּבוֹת adhiberi solet, quod posterius voc. semper *dolores* significat, quomodo et acceperunt Alex., Vulgat., Syrus, aliique. אַחֵר nonnulli *alium Deum* significari existimant. Sed illud vocabulum absolute positum, nullo in loco designat *Deum alium*, nisi quo Jova ipse verba faciens illum alium sibimet ex adverso ponat, veluti Jes. 42, 8. 48, 11. Interpretandum est: *alium* sc. locum, i. e. *alio*, *aliorsum*, ut sensus sit: *multiplices erunt dolores eorum*, *qui aliorsum*, h. e. non ad Jovam, *festinant.* Vb. מָהַר quum *festinandi* significatione alias tantummodo in *Piel* occurrat; *Cal* autem Ex. 22, 15. *dotandi* notione usurpetur, fuerunt, qui nostrum מָהָרוּ *donandi* significatione acciperent, h. s.: *multiplices erunt dolores eorum*, *qui alienum Deum donis venerentur*, qui ei donaria et munera offerant. Sed verbum illud nusquam ad donaria diis oblata transfertur; sed tantum de *dote* usurpatur, qua illorum populorum more sponsa quasi emi soleret. Quare retinenda est *festinandi* notio, quum et in aliis verbis *Cal* et *Piel* significatu conveniant. בַּל־אַסִּיךְ נְסָכֵיהֶם מִדָּם *Non libabo libamina eorum ex sanguine.* Vb. נָסַךְ est sacrificiale, notatque *effusionem libaminis* in honorem vel veri Dei (Num. 15, 5. 7. 10. 28, 7. 2 Sam. 23, 16. 2 Reg. 16, 13.), vel falsi, ut Jer. 7, 18. 19, 13. 32, 29. 49, 17. et h. l. Quod vero illa libamina *ex sanguine* esse dicuntur, id alii *proprie*, alii *translate* accipiunt. Qui prius statuunt, cogitant de *sanguine in deastrorum sacrificiis effundendo*, vel etiam de *sanguine mixto.* Id enim apud gentes aliquas in usu fuit, ut sanguinem pro vino, aut etiam sanguinem vino mixtum, in quibusdam sacrificiis libarent. Qui translate verba nostra accipiunt, *libamina* h. l. per synecdochen dici putant pro universo genere sacrificiorum, eaque *cruenta* vocari, quod aeque sint detestabilia Deoque ingrata, ac si vini loco, quod fuerit lege divina sancitum, sanguis ad ea fuisset adhibitus. Alex. vertit: *οὐ μὴ συναγάγω τὰς συναγωγὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων*, Vulgat. *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.* Sensum expressit Alex., eumque ad sceleris societatem retulit. וּבַל־אֶשָּׂא וגו׳ *quin etiam mihi erit religio*, *eorum hominum nomina proferre*, ut recte Aben-Esra explicat. Suffixum enim ad homines

istos perversos redit, quasi dictum esset שְׁמוֹת הָאֲנָשִׁים הָהֵם, ut Kimchi exprimit.

5. יְהוָה מְנָת־חֶלְקִי וְכוֹסִי *Jova est portio partis meae et poculum meum.* De מְנָת cum Kamez impuro vid. ad Ps. 11, 7. Metaphora, quae huic hemistichio inest, a conviviis desumta est, cf. ad 11, 6. אַתָּה תּוֹמִיךְ גּוֹרָלִי *Tu sustentas*, sustines, tucris, defendis *sortem meam*, i. e. partem, quae sorte mihi obvenit; tibi omnia bona mea, eorumque conservationem debeo. תּוֹמִיךְ est Particip. pro תּוֹמֵךְ (Am. 1, 5. 8., quemadmodum יוֹסִיף pro יוֹסֵף Jes. 29, 14. 38, 5. et promiscue מוֹצֵא Ps. 135, 7. et מוֹצִיא Ps. 68, 7. Jer. 15, 19. dicitur; etenim *Zere* et *Chirek longum* saepe sibi invicem substituuntur, ob soni affinitatem) a rad. תָּמַךְ. Quod verbum, quum et *apprehendere* significet, Alex. vertit: σὺ εἶ ὁ ἀποκαθιστῶν τὴν κληρονομίαν μου ἐμοί, quod Vulg. de verbo ad verbum sequutus: *tu es, qui restituis haereditatem meam mihi.* Haec Agellius recte explicavit: „σὺ εἶ ἀποκαθιστῶν, *tu es restituens*, i. e. elevans, attollens, educens sortem, unde etiam verbo simplici ἱστᾶν solet idem uti pro eo, quod est *appendere, ponderare.* Est ergo sensus: tu es, qui restituis, et tanquam aptam et paene tuo judicio mihi congruentem sortem reddis et assignas; qua sorte tu mihi pro Deo, quem colerem, obtigisti; tu mihi pars es, tu etiam distributor. Quibus verbis indicat, ejus praecipue beneficium fuisse, quod illum Deum tutelarem consequutus sit.“ In eundem sensum Syrus: *tu haereditatem meam restituis.*

6. 7. חֲבָלִים נָפְלוּ־לִי בַּנְּעִימִים *Funes ceciderunt mihi in amoenis*, sc. locis. נעימים propr. est Adjectivum, quod hic pro Substantivo neutraliter sumitur. *Funes* hic figurate appellantur pro *portionibus.* Olim enim in Palaestina ad metandos agros funes adhiberi moris erat, sicuti hodie apud nos decempeda; qui agri dimensi sortibus deinde distribuebantur. Cf. Ez. 47, 13. Jos. 17, 5. Am. 7, 17. In Hauranitide ad dimetiendos agros etiamnum *funes* adhiberi, testis est Burckhardt *Reisen in Syr.* p. 467. vers. teut. Hinc *funis* omnino de eo, quod quis possidet, usurpatur. Deus ipse autem h. l. figurate a poeta *portionis praestantissimae* nomine, quae ipsi sorte obtigerit, appellatur. Verborum אַף־נַחֲלָת שִׁפְרָה עָלַי sensum vimque partic. אַף, Kimchi recte sic exponit: si quando homines partiti sunt aliquam haereditatem, unus alterius parti invidet, quod autem me attinet, *etiam mihi pulchra haereditas obtigit*, nec cujusquam parti ego invideo, quia optima mihi portio contigit. Igitur ex illius mente haec vis particulae אַף *etiam*, q. d. non solum optima portio mihi obtigit, sed etiam ea est, quae *mihi* optima videatur, quod haereditatem aliquam partientibus non solet contingere. Vox נַחֲלָת nusquam alias cum *Camez* recurrit. Verum non est status constructus, sed ת ponitur pro ה. Sunt autem plura nomina, quae ת, praecedente

Camez, terminantur, veluti שְׁנָת *somnus* Ps. 132, 4., עֶזְרַת *auxilium* Ps. 60, 13., יִתְרַת *residuum* Jer. 48, 36. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 467. — 7. וְיִעָצָנִי — אֲבָרֵךְ *Bene precabor*, gratias agam, *Deo, qui mihi consuluit*, ut praeclaram illam portionem, i. e. ipsum numen tutelare, mihi eligerem. אַף וגו׳ *Noctu etiam erudiunt me renes mei*, sc. ne viam hanc, a Deo monstratam, descram, verum sorte illa, quam mihi, ejus consilio, elegi, semper contentus sim, ab ejus cultu nunquam recedam. לֵילוֹת *noctu* (proprie: *noctes* quod attinet) dicit, ut nullum omnino tempus esse innuat, quo ea de re non cogitaret. יָסַר *acuere*, in Piel quasi *acuere animum*, *erudire* significat. Per כְּלָיוֹת *renes*, interiores affectus significari notum est; unde, cum Jehova dicitur omnia hominum secreta nosse, *scientia* ei tribuitur *cordis et renum*, Jer. 11, 20. Ps. 7, 10.

8. 9. שִׁוִּיתִי וגו׳ *Posui*, s. proposui *Jovam coram me continuo* (ut illum tanquam viae ducem sequerer); *nam a dextra mea est*, *non movebor*, s. vacillabo, tanquam in via difficili et periculosa; h. c. ne titubem, ne praeceps labar, dirigit viam ac ducit; dextra quodammodo manu me sustinet. — 9. כְּבוֹדִי — לָכֵן *Propterea*, quod te mihi propono, *laetatur cor meum et exultat anima mea*, intimo summoque gaudio afficior. כְּבוֹדִי (de quo voc. cf. Ps. 7, 6.) Alex. ἡ γλῶσσά μου reddidit, quod et Vulgatus secutus est. Alii quoque interpp. כָּבוֹד per *linguam* reddi posse opinantur, quum et *sermo* sit, quo praecipua hominis dignitas constat, ut haud insolens foret haec transnominatio, per *linguam* s. *sermonem*, כָּבוֹד, i. c. *dignitatem* significari. Istam significationem aptam putant locis Ps. 30, 13. *propterea canet tibi* כְּבוֹד, *et non silebit.* Ps. 108, 2. *paratum cor meum*, *Deus*, *cantabo*, *et canam etiam* כְּבוֹדִי (lingua mea). Quibus tamen locis non minus *mentis* notio apta est. אַף־בְּשָׂרִי יִשְׁכֹּן לָבֶטַח *Etiam caro mea*, corpus meum, *quiescet secure*, securus sum omnium casuum, quia te auxiliatorem habeo. Alii: etiam corpus meum *obdormiet* secure et ab omni periculo tutum; nam noctu quoque nihil adversi mihi continget, quoniam Deus me tuetur. De *corpore*, post hanc vitam *in sepulchro* secure, salvo et illaeso a vermibus vel putredine, *quiescente*, haec verba acceperunt allegoricе quidam ex Hebraeis interpp. Quod quum in Davidem non cadat; nostratium haud pauci de Jesu Messia haec intelligenda esse existimarunt. Sed a poetae mente hic sensus planc alienus esse videtur. Kimchi: *Adhuc dum vivimus*, *secure habitabit* corpus nostrum, *quod tu*, Jova, *ab omni malo nos defendis.*

10. כִּי לֹא־תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל *Etenim non derelinques animam meam orco*, non ita destitues me, ut morti jam concedam, sed longe adhuc, spero, dabis mihi vitae hujus usuram. נפשי hic positum pro simplici pronomine *me*, cf. ad Vs. 2. Sed Hebraeorum quidam voc. illud propria significatione, totumque locum de *animae immortalitate* accipiunt. Verum quum nullum aliud vestigium

appareat, ex quo colligi possit, poetam h. l. de animae immortalitate loqui; prior explicatio praeferenda est. לֹא־תִתֵּן חֲסִידְךָ לִרְאוֹת שָׁחַת *Non dabis, pium tuum videre foveam*, sepulchrum; non permittes, ut pius tuus cultor sepulchro committatur. Vox שחת respondet nomini שאול in membro priori, atque significat vi sua primigenia *foveam*, seu potius locum depressiorem, in quem aqua defluit, imprimis *palum*, a rad. שׁוּחַ s. שִׁיחַ. Deinde est synonymum voci בּוֹר, et de *sepulchro* usurpatur, ut Job. 33, 18. Ps. 30, 4. coll. 10., ubi poeta בּוֹר et שְׁאוֹל eodem sensu utitur. Sed Alex. *διαφθοράν, corruptionem*, i. e. putredinem reddidit, voc. nostrum ad rad. שָׁחַת *corrumpi* referens. Quod et plerique ex Christianis interpp., qui hoc Ps. Jesum Messiam adumbratum existimant, sequuntur, quod illius corpus *sepulchro* utique est commissum, *corruptione* vero non est affectum. Hi autem vocem שַׁחַת ea significatione accipiunt, qua nusquam alias in Cod. hebr. occurrit, neque adeo vigente adhuc lingua in usu esse videtur. Quod nos tamen, qui de Davide carmen agere censemus, non cogimur facere. רָאוֹת *videre*, in antiquis linguis est *sentire, experiri, frui*, ut *ἰδεῖν*, v. c. *ἰδεῖν τὴν ζωὴν, τὸν θανατὸν, τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ*, quae formulae loquendi in N. T. ubivis obviae sunt. Cf. textum hebr. et graecum Alex. Ps. 34, 13. 89, 49. 106, 5. Eccl. 3, 3. 6, 6. 9, 9. Jes. 26, 14. Ita et *ὁρᾶσθαι* et *παροράειν* in versione Alex. Hinc רָאוֹת שַׁחַת, ut *ἰδεῖν τὸν θανατὸν*, i. q. יָרַד בּוֹר, vel יָרַד אֶל־שַׁחַת (Ps. 30, 4. 10.) *descendere in foveam*, h. e. מוּת, s אֲבַד, Ps. 49, 10. 11. — חָסִיד (cf. 4, 4. 12, 2.) hic, ubi cum יְהוָה conjungitur, *pium in Jovam*, pium ejus cultorem, significat. Est autem magna hic in ea voce legendi varietas. Etenim quae in textu exstant literae consonantes, his haud dubie punctis vocalibus sunt instituendae: חֲסִידֶךָ, quod est *pluralis*. Masorethae autem *singularem* ponendum jubent, dum literam *Jod* ante ךָ redundare et חֲסִידְךָ efferendum monent. Atque hoc posterius quidem tuetur criticorum et interpp. pars longe maxima, partim quod res ipsa singularem desideret, in priori enim membro de uno tantum (נַפְשִׁי) sermonem esse; partim quod lectionem marginalem universae versiones antiquae confirment, retineant Paulus et Petrus; quod ita legatur in plerisque Codd. scriptis, iisque probatissimis; quod denique principes seculi 15. et incuntis 16. editiones singularem exhibeant. Defendit hanc lectionem inprimis Aurivillius in Dissert. *de vera lectione vocis* חסידך *Ps.* 16, 10. Upsal. 1773., quae *quinta* est in suarum Dissertatt. sylloge J. D. Michaelis cura, Gotting. 1790. — Alterius vero lectionis, חסידיך, defensor prae aliis idoneus est Jo. Fr. Fischerus, qui in *Proluss. de vitiis Lexicorum N. T.* Lips. 1791. p. 184. sqq. satis clare evincit, codices illos, quos Masorethae in recensendis verborum hebrr. contextis adhibuere, et in quibus scriptum exstitisse testantur חֲסִידֶיךָ, antiquitate non minus quam bonitate longe superare omnes libros calamo scriptos, qui hodie restant, quorumque ma-

xima pars alteram lectionem חסידך exhibet; atque lectionem חסידך interpretamentum esse antiquioris חסידיך. Ipsi autem Fischero Plur. חסידיך eleganter pro Sing. positum esse videtur (ut vertere possis: *me, delicias tuas!)*, atque ad Messiam referendum. Exempla nominum pluralium pro singularibus positorum ab aliis quoque adducuntur, v. c. 2 Chr. 32, 4. *nonne venient reges Assyriae?* ubi unus Senacheribus intelligitur. Addunt Jer. 46, 15. Ps. 89, 20. 74, 15. Jos. 3, 16. Neque tamen opus est, pluralem hic pro singulari positum caperc. Dicit enim vates universali propositione, non permittere Deum, ut pii sui cultores, quibus ipse se accenset, malis succumbant, sed eripere eos periculis, quae ipsorum saluti et vitae minantur.

11. הוֹדִיעֵנִי אֹרַח חַיִּים *Notam mihi facis*, ostendis mihi, *viam vitae*, i. e. vitam mihi conservas, aut felicem me reddis. חַי vel חַיִּים *vita beata*, *felicitas*, Prov. 15, 24. al., ut ζωὴ centies in N. T. pro εὐδαιμονία. חָיָה, ut ζῆν, ex vulgari omnium linguarum usu, significat *vitam jucunde feliciterque agere*, *florere et vigere*, 1 Sam. 10, 24. 1 Reg. 1, 25. Ps. 22, 27. 69, 33. חַי *vivens* pro *fortunato* dicitur 1 Sam. 25, 6. Coh. 6, 8. Vulgo vertunt: *tu vitam mihi reddis*, a mortuis me excitas. Alii, coll. Ps. 9, 14.: *tu viam mihi ad vitam ostendis*, h. e. a portis quasi inferorum me reducis, ut verba sint hominis, ex gravi morbo convalescentis. שֹׂבַע שְׂמָחוֹת אֶת־פָּנֶיךָ *Saturatio gaudii*, plurimum gaudii, magna felicitas est *coram facie tua*, h. e. in cultu et religione tua; nam pii et religiosi homines *coram Deo*, vel *facie ejus ambulare* dicuntur, v. c. Gen. 5, 24. נְעִימוֹת בִּימִינְךָ נֶצַח *Laetitia est in dextra tua in perpetuum*, i. e. constanti et perpetuo gaudio me, cultorem tuum, perfundis. בימינך *dextra* manu *tua*, qua laetitiam quasi distribuis.

Ps. 17.

Preces sunt sollicitae et acres periclitantis in innocentia, et injusta persequutione. Implorat opem Jovae adversus hostes suos, homines profanos et superbos, affluentes opibus, dignitate, et bonis omnibus; se autem salutem et liberationem a Deo exspectare. — Carmen hoc interpretum plures a Davide eo tempore compositum putant, quo Saulis aulicorumque insidiis undique obsessus, saluti et vitae fuga consulere coactus esset. Nihil tamen in Psalmo reperitur, quod nos de illorum temporum rationibus cogitare jubeat. Videtur carmen eorum numero accensendum, quae de totius populi a crudelibus hostibus oppressi aerumnis queruntur, et Dei opem adversus illos implorant.

1. 2. שִׁמְעָה יְהוָה צֶדֶק *Audi*, *Jova*, *justitiam*. Plerique intelligunt *justam petitionem*, justam causam. Rectius Chaldaeus interpretatur: *suscipe*, *Jova*, *orationem meam*, quae fit *in justitia*, ex justitia, i. e. recti et sinceri studioso corde profectam, quum

adversarii mei fraudi, fallaciis et mendaciis, prorsus devoti existant. Sunt, qui seposita interpungendi ratione Masorethica (quae יהוה a צדק accentu distinctivo separat), ita vertant: *audi, Deus justitiae!* Quod vix admitti potest, quum nomen יהוה, tanquam proprium, in regimine poni non soleat. Alex. vertit: *κύριε τῆς δικαιοσύνης μου*, quasi צִדְקִי legisset. הַקְשִׁיבָה רִנָּתִי *Attende clamorem meum*, suscipe vociferationem meam. רִנָּה *clamorem* omnem significat, quocunque affectu edatur. Congeries ista: *audi sinceras preces meas, suscipe vociferationem meam, ausculta precationi*, quibus nihil nisi vota sua admitti petit, aestuantis ex periculi persequutionis magnitudine animi affectum bene exprimit. בְּלֹא שִׂפְתֵי מִרְמָה (ante בלא subaud. אשר) *quae*, oratio, *non* fit, vel funditur *labiis fraudis*, fraudulentis (posterius Substant. habet vim Adject., ut 5, 7.). Innocentiam suam testatur. — 2. Fieri tandem a Jova inter se et hostes suos judicium petit. מִלְּפָנֶיךָ וגו׳ *A*, coram *vultu tuo*, abs te, in tribunali velut sedente, *judicium meum exeat* (prodeat aliquando in publicum conspectum omnium mea innocentia); *oculi tui respiciant rectitudines*, aequae causae rationem habeant.

3. Quo autem animi sui integritatem magis testetur, offert se Jovae quaestioni, et illi quam exactissime. בָּחַנְתָּ לִבִּי *Probas cor meum;* vel potius subjunctive: *explores animum meum;* quod futuro mox sequenti melius congruit. פָּקַדְתָּ לַיְלָה *Invisas noctu*, quo tempore, dum ab externis negotiis animus vacat, ea, quae in penetralibus animi latent, magis sese proferunt. Nisi quis malit hanc allegoriam ex more hominum mutuatam, qui eos, quorum secreta noscere cupiunt, nocte inopinatos, et omnium securos, ac in iis praecipue occupatos, ad quae fertur eorum animus, obruunt, et res atque actiones eorum pervestigant. Tertium gradum adjungit: צְרַפְתַּנִי *igne me examines*, quo alludit ad probationem auri et argenti 12, 7. Sic vero se habet animus, sibi recte conscius, ut subjiciat: בַּל־תִּמְצָא *non invenies*, sc. vitium aut maculam. זַמֹּתִי בַּל־יַעֲבָר־פִּי *Cogitatio mea non praeteribit os meum*, i. e. animus a verbis minime variabit. Aliis זַמֹּתִי est 1. pers. praet. verbi זָמַם, quod plerique *constituendi, proponendi, cogitandi* significatione accipiunt, qua Deut. 8, 14. 19, 19. Thr. 2, 17. occurrit. Unde vertunt: *cogitavi, non deflectet*, s *transgredietur os meum* (in recto casu), i. e. verba mea sunt cogitationibus consentanea; vel: *cogitavi*, firmiter apud animum proposui, *ne transgrediatur os meum*, i. e. ne sermone meo contra Deum vel proximum delinquerem. Quae interpretatio ferri posset, si עָבַר, solum positum, unquam *delinquere* significaret. Quum nomen זִמָּה plerumque *sensu malo* de perversis et malitiosis molitionibus usurpetur, veluti Ps. 26, 10. Prov. 10, 23.; sunt, qui nostrum quoque verbum sensu malo accipiant, Chaldaeo praeeunte: *cogitavi malum, sed non transgressum est os meum*, quemadmodum עָבַר usurpatur

Ps. 73, 7. Sed Masorethae voci זִמָּתִי adscripserunt, esse מלרע, i. e. *oxytonon*, sive accentum habere in ultima syllaba. Qua observatione haud dubie innuere voluerunt, esse *nomen*, quum verba alias sint in prima persona paroxytona; sive potius *Infinitivus*, addito suffixo, ut sit proprie: *cogitare meum*, quemadmodum Latini dicunt: *scire tuum nihil est*, pro, scientia tua nulla est. Et forma Infinitivi זִמּוֹת possit a quiescentibus tertia rad. ה petita esse, ut חֲנוֹת *gratiam facere* Ps. 77, 10., שַׁמּוֹת *desolare* Ez. 36, 3. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 365. A Masorethica interpungendi et legendi ratione plane discedit Alex., qui sic vertit: *καὶ οὐχ εὑρεθῇ ἐν ἐμοὶ ἀδικία· ὅπως ἂν μὴ λαλήσῃ τὸ στόμα μου τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων*, quod Vulgatus reddit: *et non est inventa in me iniquitas: ut non loquatur os meum opera hominum.* Is igitur זמתי, quod זִמָּתִי *iniquitas mea*, pronunciavit, conjunxit cum בַּל־תִּמְצָא, atque verba ultima: בל־יעבר־פי ad Vs. 4. traxit. Eodem modo Syrus: *nec invenisti in me iniquitatem.* Quod ipsum, vel simile quid, nostrae aetatis interpretibus haud paucis praeplacet.

4. פָּרִיץ — לִפְעֻלוֹת *Ad* s. *apud opera hominis*, inter ea, quae hominum vulgus facere solet, aut: *ad opera hominum* attentus, *per*, vel *propter* (ut Ps. 5, 11. 6, 8. 7, 7. 9, 15.) *verbum oris tui*, h. e. propter interdicta minasque tuas, *observavi semitas latronis*, violenter agentis, sc. ne ad eas deflecterem *(ad declinandum ab iis*, ut Jarchi explicat), ullove pravo opere me inquinarem. Quum mala facinora tibi maximopere displiceant, ego mihi diligenter cavco, ne improborum hominum vivendi rationem sequar. Ex interpretandi ratione, Hebraeis recepta, Davides hoc Vs. de se testatur, quod hominum se opera observasse, et a semitis malorum, juxta divina praecepta, eos se dicit arcuisse. פָּרִיץ significat proprie talem, qui leges perrumpit et omne jus dissipat; primaria enim verbi פָּרַץ est: *perrumpere* et *dissecare.* Alexandrinus, aliam, quam Masorethae faciunt, distinguendi rationem sequutus, priora huj. Vs. vocabula cum anteced. conjungit, ut hic vocibus בַּל־יַעֲבָר־פִּי incipiat, vertitque: *ὅπως ἂν μὴ λαλήσῃ τὸ στόμα μου τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων· διὰ τοὺς λόγους τῶν χειλέων σου ἐγὼ ἐφύλαξα ὁδοὺς σκληράς.* Quod Vulgat. reddit: *Ut non loquatur os meum opera hominum; propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Syrus ita distinguit et interpretatur: *et non transierunt os meum opera filiorum hominis per sermonem labiorum; verum custodivi me a viis malis.*

5. 6. Postquam innocentiam suam confidenter testatus esset, nunc subjicit preccm, qua primum custodiam innocentiae, deinde depulsionem persequutionis orat. תְּמֹךְ אֲשֻׁרַי בְּמַעְגְּלוֹתֶיךָ *Sustenta gressus meos in orbitis tuis.* Infin. תְּמֹךְ positus est pro Imperat. (cf. Gesenii *Lehrg.* p. 783.). Concise haec dicta sunt, pro eo, quod plene esset: sustenta gressus meos, qui in orbitis et semitis

tuis incedunt, ne labantur. Sensus: dona, ut a tuo instituto nunquam deflectam, בַּל־נָמוֹטּוּ פְעָמָי *ne labantur passus*, i. e. pedes *mei*, ne peccem tibi, atque ita ultioni tuae me ipsum reddam obnoxium. מַעְגָּל *orbita* plaustro (עֲגָלָה) facta, impressum rotae vestigium, hinc ipsa via orbitosa, semita. Unde מַעְגְּלֵי־צֶדֶק *orbitae recti*, Ps. 23, 3. Prov. 4, 11. — 6. אֲנִי קְרָאתִיךָ וגו׳ *Ego invoco te, nam tu exaudies me*, Deus; *inclina aurem tuam mihi*, benevole preces meas suscipe; *audi eloquium meum* hujus supplicationis.

7. Hunc Vs. bene vertit Alex. *θαυμάστωσον τὰ ἐλέη σου, ὁ σώζων τοὺς ἐλπίζοντας ἐπὶ σὲ ἐκ τῶν ἀνθεστηκότων τῇ δεξιᾷ σου*· quod Vulgatus reddit: *mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te a resistentibus dexterae tuae.* Qui sensus consilio ac menti poetae optime congruit: nam quum in maximis periculis versaretur, orat, ut Jova insignem reddat bonitatem suam; q. d. non exiguo mihi opus est auxilio tuo, sed illo admirabili, quod mihi latum, qui audierint, mirentur ac stupeant. Vb. פָּלָה, uti פלא, proprie *separare* significat, hinc praesertim in Hiphil, *separatum*, h. e. extraordinarium, admirandum *aliquid facere;* quae *mirum faciendi* notio h. l. assumenda est. מוֹשִׁיעַ junge cum מִמִּתְקוֹמְמִים *qui liberas* sperantes *ab iis, qui consurgunt.* Sic מִן cum הוֹשִׁיעַ constructum significat *ab, ex*, ut Ps. 34, 7. 44, 8. Jud. 8, 22. *salvasti nos e manu* Midianitarum. קום in Hithpael est *insurgere* contra aliquem, ut Job. 28, 7. coll. 20, 27. Ps. 59, 2. Construitur hic cum ב (בִּימִינֶךָ), *in*, *contra* denotante, ut Mich. 7, 6. *filia insurgit contra matrem suam.* Ceterum *insurgentes in dextram Jovae* qui h. l. sint, bene Theodoretus exponit: „Resistentes dextrae Dei eos appellat, qui contra ipsum bellum gerunt. Et merito quidem: a Deo namque unctus erat, ab eoque regiam electionem consequutus. Ait igitur: illi, qui contra me pugnant, tuae sententiae se opponunt.

8. שְׁמְרֵנִי כְּאִישׁוֹן בַּת־עָיִן *Custodias me instar pupillae oculi.* Eadem imago Deut. 32, 10. Prov. 7, 2. אישון diminutivum nominis איש *homunculum* designat, quo nomine *pupilla* oculi insignita, quod illa imaginem hominis reddit; quomodo Graeci pupillam dicunt *ἄνθρωπον*, *ἀνθρώσκον*, et Arabes *hominem oculi*, atque Persae quoque *homuncionem oculi.* Alii pupillam dictam putant a *nigredine* in oculo, collato Chaldaico אִיתוֹן *nigredo, obscuritas;* quae significatio tamen Hebraeis non videtur in usu fuisse. Addit poeta: *In umbra alarum tuarum facias me delitescere.* Sicuti gallina pullos alis abscondit et protegit; sic tu refugium mihi praesta, ne hostes me invenire, multo minus me laedere aut interficioni dare queant.

9. מִפְּנֵי רְשָׁעִים זוּ שָׁדְדוּנִי *A facie impiorum qui incursant in me*, subaud. *custodi me* (שמרני Vs. 8.). זו hic pro אשר, ut 9, 16. Vb. שָׁדַד hic propria *incursandi* notione sumendum est.

אֹיְבַי בְּנֶפֶשׁ יַקִּיפוּ עָלָי concise dictum pro eo, quod plenius Kimchi expressit: *Custodi me ab hostibus meis, qui me cingunt contra animam meam*, i. e. ut vitam mihi adimant; quemadmodum Latini dicunt *animam alicui auferre*, *adimere*, animam pro *vita* usurpando. Alii בנפש valere putant *cum flatu*, *cum fastu*, cum *spiritu* et *ferocia*, coll. נֶפֶשׁ infra 27, 12. 41, 3. יַקִּיפוּ Qui *circumdant*, qui ex omni parte, tum dolo, tum aperta violentia, me impugnant, non aliter, ac urbem obsidere hostis, vel venator undique circa feras ponere solet retia. *Circumdandi* notione נָקַף in Hiphil usurpatur Job. 19, 6. 2 Reg. 6, 14. Ps. 88, 19.

10. חֶלְבָּמוֹ סָגָרוּ *Adipem suum clauserunt*, i. e. adiposa sua viscera, ut nullam sentiant commiserationem erga miseros, nam *adeps* Hebraeis hebetudinem, torporem animi significat, vid. infra 119, 70. Jes. 6, 10., quomodo et Graeci suo παχὺς utuntur. Cf. 1 Joa. 3, 17. κλείσῃ τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ ἀπ᾽ αὐτοῦ. Alii *pinguedine* h. l. opulentiam designari existimant, ut Deut. 32, 15., ut sensus sit hic: opes et copias suas sibi reposuerunt, inde ita superbiunt, et fastuosa contra Deum et homines loquuntur. Alii voc. חלב h. l. significatione harmonici Arabici vocabuli *pericardium* capiunt, ut, quemadmodum *indurans cor suum* (Prov. 28, 14. Ps. 95, 8. Ez. 3, 7. al.) et *firmus corde* (Ez. 2, 3.) ille dicitur, qui contumax est, atque intractabilis, nec animum suum moveri patitur consiliis, beneficiis, minis; ita et hic homines significentur, quorum animus ad nocendum ita obfirmatus sit obstinatusque, ut sensus recti probique penetrare in eum non possit. Neque tamen quum usitata Hebraeis nominis חלב significatio sensum commodum hic faciat, opus videtur, ut alium significatum ex Arabica lingua petamus. פִּימוֹ דִּבְּרוּ בְגֵאוּת *Ore suo loquuntur cum superbia*, superbe, insolenter. Ante בימו supplend. est ב, quod alias huic nomini cum דִּבֵּר constructo praefigi solet, ut infra 39, 4. Jes. 28, 11.

11. אֲשֻׁרֵנוּ עַתָּה סְבָבוּנוּ *Gressus nostros* quod attinet, *nunc circumdant nos*, quocunque modo nostros dirigimus, eo nos fervide insectantur, ac undique circumvallant hostili animo, undique occasionem, nos, vel dolo, vel vi, invadendi, captant. Ita haec verba intelligenda sunt ex mente Masoretharum, qui pro eo, quod in textu scriptum est, סְבָבוּנִי, legendum praecipiunt cum affixo plur. סְבָבוּנוּ, quod Chaldaeus praeivit. Si in Singulari סבבוני legitur, solus poeta respicitur, qui nomine suorum loquitur. Olim vero plures lectionis discrepantias nostro loco fuisse, veterum interpretationes arguunt, de quibus vid. Scholia uberiora. עֵינֵיהֶם יָשִׁיתוּ לִנְטוֹת בָּאָרֶץ. Interpretationis discrepantias hic creant verbi נָטָה diversae notiones, quarum unaquaeque hic adhiberi potest. Significat enim 1) *inclinare*, 2) *deflectere*, 3) *expandere in terra*. 1) *Inclinandi*, *declinandi* notionem elegit Alex. τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἔθεντο ἐκκλίναι ἐν τῇ γῇ, *oculos suos statuerunt declinare in terram* (ut Vulg. reddit); ut insidiatores respiciantur, qui

corpore inclinato humi insidias quam occultissime struunt, et cuncta perscrutantur. 2) *Deflectendi* notione adhibita, Aben-Esra interpretatur: *oculos suos ponunt, num forte deflectat gressus noster in terra*, i. e. perpetuo in nos oculos suos fixos habent, si qua obveniat occasio nos dejiciendi, ut labamur in terra. Convenit Syrus: *posuerunt oculos suos, ut dejiciant me in terram.* 3) Quum נָטוֹת haud raro de *expansione retis in terra* usurpetur, Kimchi sic interpretatur: *accurate nostrum iter observant, ut rete, quo nos capiant, in terra extendant.* Sed commodius videtur, subaudito ad לִנְטוֹת Pronomine in Accusativo ponendo, אוֹתִי *me*, vel אוֹתָנוּ *nos* (quae ellipsis est satis frequens, vid. GESENII *Lehrg.* p. 134. 1.*a*)), sic interpretari: *oculos suos ponunt*, in id sunt intenti, *ut inclinent*, deturbent, *me* s. *nos*, *in terram.*

12. 13. לְטָרֵף דְּמְיֹנוֹ — *Similitudo ejus sicut leonis, qui appetit discerpere.* יְכִסּוֹף *desideravit*, ut Gen. 31, 30. *quia desiderando desiderabas.* וְכִכְפִיר וגו׳ *Et quasi leunculi* est similitudo ejus, *sedentis in locis absconditis*, qui caute ex insidiis observat feras et homines praetereuntes, ut eos subito adoriatur, cf. 10, 8. 9. — 13. Dejici hostes orat: קוּמָה *Surge*, cf. ad 3, 8. 10, 12. קַדְּמָה פָנָיו *Praeverte faciem ejus*, hostis mei; intercipe illum, cum me raptum venit; rabidos ejus ac crudeles impetus antevertas, atque te coram ipso, postquam ad opem meam surrexisti, potentia tua sistas, terreas, confundas. הַכְרִיעֵהוּ *Prosternas eum*, ne ei potestas sit, mihi nocendi. פַּלְּטָה וגו׳ *Eripe animam meam ab impio gladio tuo*, per gladium tuum, i. e. potentia tua. Ante חַרְבֶּךָ subaud. ב praefixum, quod alias ante illud nomen exprimitur Gen. 48, 22. supra 2, 9. Haud raro vero omittitur, uti mox Vs. 14. ante יָדֶךָ, et supra 2, 12. ante חֶרֶב.

14. מִמְתִים — יָדֶךָ *Ab hominibus*, subaud. e Vs. 13. *eripe me.* Ante ידך hic quoque subaud. praefix. ב: *eripe me manu*, potentia, *tua*, *a viris*; hos enim nomine מְתִים significari, ex usu linguae Aethiopicae constat. Cf. Deut. 2, 34. מְתָם *viros* et mulieres et liberos, coll. ibid. 3, 6. Job. 11, 3. — מִמְתֵי מֶחְלֶד *A viris* inquam *de mundo*, i, e. ab hominibus hujus vitae, quorum desiderium omne et voluptas in hac vita, vitae deliciis addictis. חֶלֶד proprie *duratio*, de hominibus usurpatum *duratio vitae humanae*, ut Ps. 39, 6., denique *mundus*, ut Ps. 49, 2., quia mundus, et res, quae in eo sunt, certa duratione constant. Particula מן ante חלד Genit. exprimendo inservit (vid. ad Job. 6, 25.). Subdit eodem sensu: חֶלְקָם בַּחַיִּים, subaud. אשר, *quorum portio in vita*, i. e. longa vita frui cupiunt, vel, ut alii volunt: *quorum portio in hac vita* (בְּהַחַיִּים pro בחיים), *nec de futura cogitant.* וּצְפוּנְךָ תְמַלֵּא בִטְנָם *Et thesauro tuo adimples ventrem eorum*, i. e. abundant victu, s. sunt divites et opulenti. צָפוּן propric denotat *omne*, *quod solet recondi*; hinc *thesaurum*, h. l. vero felicitatem impiorum singularem, qua prae aliis ditescunt abundantque rebus omnibus, quae

ad vitam jucunde perducendam faciunt. יִשְׂבְּעוּ בָנִים *Saturantur filii*, ita divitiis abundant, ut neque ipsi neque liberi eorum aliqua premantur penuria adeo ut וְהִנִּיחוּ יִתְרָם לְעוֹלְלֵיהֶם *etiam parvulis eorum* sc. filiorum, i. e. nepotibus *residuum*, quod ipsimet cum filiis, dum vivunt, absumere nequeunt, *reponant*. Mirum in modum in hoc Vs. interpretando discedunt veteres, quorum tamen sententias examinare non est hujus loci. Qui illas scire cupiat, adeat Scholia nostra uberiora.

15. Illis hominibus, omnibus vitae deliciis affluentibus, nunc se opponit, et eorum felicitati suam praefert. אֲנִי — פָנֶיךָ *Ego in justitia*, i. e. justus, innocens, *videbo faciem tuam*. Quae verba Kimchi bene explicat: improbos in futura vita nulla manet felicitas; ego vero non, ut illi, lautam vitam et delicias cupio, sed faciem tuam spero conspicere propter rectam, quam egi, vitam. De adspectu Dei in vita futura cogitandum esse, docent, quae subjunguntur: אֶשְׂבְּעָה בְּהָקִיץ תְּמוּנָתֶךָ *satiabor in evigilando imagine tua*, quae vix aliter, quam de spe, quae vatem tenuit, de beata Jovae visione in futura vita, postquam a somno mortis expergefactus fuerit, intelligi possunt. תמונתך convenit cum פניך, ut Num. 12, 8. Verbum הָקִיץ de evigilando e somno mortis in futura resurrectione usurpatur et Dan. 12, 2. Jes. 26, 19. Jer. 51, 39. 57. Alex. ultima verba vertit: *ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δοξάν σου*, quod Vulgat. sequitur. Videtur תמונתך eadem cum פניך significatione accepisse, atque הקיץ *evigilare*, exsurgere, apparere, conspicuum fieri interpretatus esse.

Ps. 18.

Magnificum eucharisticon, quod poeta orditur celebratione numinis, cujus auxilium et insignem opem tam saepe fuerit expertus. Sua igitur pericula et hostium ingentem vim poetice describit et depingit potius; moxque suam liberationem ac vehementem praepotentis Dei in hostibus evertentis iram eo scribendi genere, et iis figuris amplificat, ut paene adhuc inter legendum coelum ipsum et terram Dei fulminantis ictibus conquassari ac prope incendio ardere videamus. Postea victorias, quas de hostibus reportavit, ita describit, ut qui legit, illas sub oculis habere se putet. Regni quoque mirum in modum prolatos terminos praedicat. Tandem laeta cum acclamatione Jovam celebrat, quem peculiarem sui curam gerere agnoscit. — Inscriptio prodit, cecinisse Davidem hunc hymnum, postquam ab *omnibus* hostibus, a Saule inprimis, liberatus esset. Saulis, ut hostis omnium acerrimi discrte mentionem facit, cujus vexationes etiam Vss. 3 — 6. respiciunt. Sed canit et victorias ab *exteris hostibus* reportatas. Quare verisimile est, carmen a Davide editum esse serioribus vitae annis, quum domi bellique potens, hostibus circumquaque devictis, et regno constituto, in altissima pace degeret. — Legitur hoc ipsum carmen

et 2 Sam. 22., sed verbis, imo sententiis, discrepantibus haud paucis. Cujus diversitatis causam haud pauci quaerunt sola in librariorum oscitantia. Alii vero carmen hoc denuo sub stylo, atque a *Davide* quidem ipso revocatum esse censent. Quorum *alii* illud, quod in Samuelis libro legitur, exemplar, *prius*, hoc vero, quod in Psalmis exstat, *posterius* esse statuunt, quod noster Ps. sit uberior, et additamentis auctus; quod sacro cultui in templo sit aptatus; quod altero sit planior, et hic illic facilior. *Alii* in Samuelis libro *posteriorem* editionem, utpote elegantiorem et politiorem, exhiberi arbitrantur. Ego, cur *Davidem* earum, quae inter utrumque exemplar deprehenduntur, varietatum, auctorem censeamus, rationem idoneam video nullam. Quae enim afferuntur ad convellendam eorum sententiam, qui diserepantiae illius causam librariorum oscitantiae tribuunt, hoc tantum probant, exstitisse jam vetustissimis temporibus, longe antea, quam ii libri, qui nunc Veteris Testamenti nomine comprehenduntur, in unum corpus essent redacti, duplex nostri carminis exemplar. Utriusque vero apographi varietates quum vel in vocibus aequipollentibus, vel in literis figura similibus inter se permutatis, vel in earundem vocum formis duntaxat diversis, vel denique in uno alterove vocabulo aut versiculo sive addito, sive omisso, sint positae; ejusmodi eas cunctas esse apparet, ut antiquissimis carminis Davidici exscriptoribus originem debere verisimile sit, a quibus certe accurata illa et anxia in deseribendo diligentia exspectanda non erat, qua posteriores duplicis, quod circumferebatur, exempli differitates servare studuerunt. Istius generis diversitates in omnibus omnino monumentis scriptis, praesertim priscis, quorum plura supersunt exempla, deprehendere necesse est, quae rarissime ab auctoribus ipsis proficiscuntur. Ac nostri carminis si tertium exstaret exemplar, sane et huic suas fore varietates, nulla potest esse dubitatio. Quae vero nobis hodie supersunt, duo apographa, ex se invicem, ad sanioris critices leges, emendari posse videntur. Restat, ut carmen ipsum subjunctis varietatibus alterius exempli, quod 2 Sam. 22. exstat, apponamus.

1. לַמְנַצֵּחַ לְעֶבֶד יְהוָה לְדָוִד אֲשֶׁר דִּבֶּר (a לַיהוָה
אֶת־דִּבְרֵי הַשִּׁירָה הַזֹּאת בְּיוֹם הִצִּיל יְהוָה
אוֹתוֹ מִכַּף כָּל־אוֹיְבָיו וּמִיַּד (b שָׁאוּל

---

2. וַיֹּאמַר אֶרְחָמְךָ יְהוָה חִזְקִי (c:

Varians lectio 2 Sam. 22.

a) וַיְדַבֵּר דָּוִד
b) וּמִכַּף
c) Integer versiculus abest.

3. וְהוָה סַלְעִי וּמְצוּדָתִי (a וּמְפַלְטִי (b
אֵלִי (c צוּרִי אֶחֱסֶה־בּוֹ
מָגִנִּי וְקֶרֶן יִשְׁעִי מִשְׂגַּבִּי (d:
4. מְהֻלָּל אֶקְרָא יְהוָה
וּמִן אֹיְבַי (e אִוָּשֵׁעַ:
5. אֲפָפוּנִי (f חֶבְלֵי־מָוֶת (g
וְנַחֲלֵי (h בְלִיַּעַל יבעתוני (i
6. חֶבְלֵי שְׁאוֹל סְבָבוּנִי (k
קִדְּמוּנִי (l מוֹקְשֵׁי (m מָוֶת:
7. בַּצַּר־לִי אֶקְרָא יְהוָה
וְאֶל־אֱלֹהַי אֲשַׁוֵּעַ (n
יִשְׁמַע (o מֵהֵיכָלוֹ קוֹלִי
וְשַׁוְעָתִי לְפָנָיו תָּבוֹא (p בְאָזְנָיו:
8. וַתִּגְעַשׁ (q וַתִּרְעַשׁ הָאָרֶץ
וּמוֹסְדֵי הָרִים (r יִרְגָּזוּ
וַיִּתְגָּעֲשׁוּ כִּי־חָרָה לוֹ:
9. עָלָה עָשָׁן בְּאַפּוֹ
וְאֵשׁ מִפִּיו תֹּאכֵל
גֶּחָלִים בָּעֲרוּ מִמֶּנּוּ:
10. וַיֵּט שָׁמַיִם וַיֵּרַד
וַעֲרָפֶל תַּחַת רַגְלָיו:
11. וַיִּרְכַּב עַל־כְּרוּב וַיָּעֹף
וַיֵּדֶא (s עַל־כַּנְפֵי־רוּחַ:
12. יָשֶׁת (t חֹשֶׁךְ סְתָרוֹ (u סְבִיבוֹתָיו סֻכָּתוֹ (x
חֶשְׁכַת־מַיִם (y עָבֵי שְׁחָקִים:

Var. lect.

a) וּמְצָדָתִי, per *Kibbutz*.
b) וּמַפַלְטִי־לִי
c) אֱלֹהַי
d) Additur: וּמְנוֹסִי מִשְׁעִי מֵחָמָס תּוֹשִׁיעֵנִי
e) וּמֵאוֹיְבַי
f) כִּי אֲפָפֻנִי
g) מִשְׁבְּרֵי־מָוֶת
h) נַחֲלֵי
i) וַיְבַעֲתֻנִי
k) סַבֻּנִי
l) קִדְּמֻנִי
m) מֹקְשֵׁי, defective.
n) אֶקְרָא
o) וַיִּשְׁמַע
p) Duo haec vocabula desunt.
q) Lectio marginalis וַיִּתְגָּעַשׁ
r) מוֹסְדוֹת הַשָּׁמַיִם
s) וַיֵּרָא
t) וַיָּשֶׁת
u) Deest
x) סְכּוֹת
y) חַשְׁרַת־מַיִם

13. מִנֹּגַהּ נֶגְדּוֹ עָבָיו עָבְרוּ (a
בָּרָד וְגַחֲלֵי־אֵשׁ (b :

14. וַיַּרְעֵם (c בַּשָּׁמַיִם (d יְהוָה
וְעֶלְיוֹן יִתֵּן קֹלוֹ (e
בָּרָד וְגַחֲלֵי־אֵשׁ (f

15. וַיִּשְׁלַח חִצָּיו (g וַיְפִיצֵם
וּבְרָקִים רָב וַיְהֻמֵּם (h :

16. וַיֵּרָאוּ אֲפִיקֵי מָיִם (i
וַיִּגָּלוּ (k מוֹסְדוֹת (l תֵּבֵל מִגַּעֲרָתְךָ (m יְהוָה
מִנִּשְׁמַת רוּחַ אַפֶּךָ (n :

17. יִשְׁלַח מִמָּרוֹם יִקָּחֵנִי
יַמְשֵׁנִי מִמַּיִם רַבִּים :

18. יַצִּילֵנִי מֵאֹיְבִי עָז
וּמִשֹּׂנְאַי כִּי אָמְצוּ מִמֶּנִּי :

19. יְקַדְּמוּנִי (o בְּיוֹם אֵידִי
וַיְהִי־יְהוָה לְמִשְׁעָן (p לִי :

20. וַיּוֹצִיאֵנִי (q לַמֶּרְחָב (r
יְחַלְּצֵנִי כִּי חָפֵץ בִּי :

21. יִגְמְלֵנִי יְהוָה כְּצִדְקִי (s
כְּבֹר יָדַי יָשִׁיב לִי :

22. כִּי־שָׁמַרְתִּי דַּרְכֵי יְהוָה
וְלֹא־רָשַׁעְתִּי מֵאֱלֹהָי :

23. כִּי כָל־מִשְׁפָּטָיו (t לְנֶגְדִּי
וְחֻקֹּתָיו לֹא־אָסִיר מֶנִּי (u :

24. וָאֱהִי תָמִים עִמּוֹ (x
וָאֶשְׁתַּמֵּר (y מֵעֲוֹנִי :

Var. lect.

a) Desunt haec duo vocabula.
b) בָּעֲרוּ גַּחֲלֵי־אֵשׁ
c) יַרְעֵם
d) מִן־שָׁמַיִם
e) קוֹלוֹ
f) Deest hoc hemistichium
g) חִצִּים
h) בָּרָק וַיָּהֹם
i) יָם
k) יְגָלוּ
l) מִסְדוֹת
m) בְּגַעֲרַת
n) אַפּוֹ
o) וַיְקַדְּמֻנִי
p) מִשְׁעָן
q) וַיּוֹצֵא
r) אֹהֲבִי
s) כְּצִדְקָתִי
t) מִשְׁפָּטוֹ
u) לֹא־אָסוּר מִמֶּנּוּ
x) וָאֱהִיֶה תָמִים לוֹ
y) וָאֶשְׁתַּמְּרָה

25. וַיָּשֶׁב־יְהוָה לִי כְּצִדְקִי (a
כְּבֹר יָדַי (b לְנֶגֶד עֵינָיו׃
26. עִם־חָסִיד תִּתְחַסָּד
עִם־גְּבַר (c תָּמִים תִּתַּמָּם׃
27. עִם־נָבָר תִּתָּבָרָר (d
וְעִם־עִקֵּשׁ תִּתַּפָּתָל (e׃
28. כִּי־אַתָּה עַם־ (f עָנִי תוֹשִׁיעַ
וְעֵינַיִם רָמוֹת (g תַּשְׁפִּיל׃
29. כִּי־אַתָּה תָּאִיר נֵרִי (h
יְהוָה (i אֱלֹהַי (k יַגִּיהַּ חָשְׁכִּי׃
30. כִּי בְךָ אָרֻץ (l גְּדוּד
וּבֵאלֹהַי (m אֲדַלֶּג־שׁוּר׃
31. הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ
אִמְרַת־יְהוָה צְרוּפָה
מָגֵן הוּא לְכֹל הַחוֹסִים (n בּוֹ׃
32. כִּי מִי אֱלוֹהַּ (o מִבַּלְעֲדֵי יְהוָה
וּמִי צוּר זוּלָתִי (p אֱלֹהֵינוּ׃
33. הָאֵל הַמְאַזְּרֵנִי (q חָיִל
וַיִּתֵּן (r תָּמִים דַּרְכִּי (s׃
34. מְשַׁוֶּה רַגְלַי (t כָּאַיָּלוֹת
וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי׃
35. מְלַמֵּד יָדַי לַמִּלְחָמָה
וְנִחֲתָה (u קֶשֶׁת־נְחוּשָׁה זְרוֹעֹתָי (x׃
36. וַתִּתֶּן־לִי מָגֵן יִשְׁעֶךָ וִימִינְךָ תִסְעָדֵנִי (y
וְעַנְוָתְךָ (z תַּרְבֵּנִי׃

Var. lect.

a) כְּצִדְקָתִי
b) כְּבָרִי
c) גִּבּוֹר
d) תִּתָּבַר
e) תִּתַּפָּל
f) וְאֶת־עַם
g) וְעֵינֶיךָ עַל־רָמִים
h) בֵּרַךְ יְהוָה
i) וַיהוָה
k) Abest.
l) בְּכָה אָרוּץ
m) בֵּאלֹהַי
n) הַחֹסִים
o) אֶל
p) מִבַּלְעָדַי
q) מָעֻזִּי
r) וַיִּתַּר
s) דַּרְכּוֹ lect. text.
t) רַגְלָיו lect. text.
u) וְנִחַת
x) זְרֹעֹתָי
y) Desunt haec duo vocabula
z) וַעֲנָוָתְךָ

37. תַּרְחִיב צַעֲדִי תַחְתָּי (a
וְלֹא מָעֲדוּ קַרְסֻלָּי :
38. אֶרְדּוֹף (b אוֹיְבַי וְאַשִּׂיגֵם (c
וְלֹא אָשׁוּב עַד־כַּלּוֹתָם (d
39. אֶמְחָצֵם וְלֹא־יֻכְלוּ קוּם (e
יִפְּלוּ תַּחַת רַגְלָי :
40. וַתְּאַזְּרֵנִי (f חַיִל לַמִּלְחָמָה
תַּכְרִיעַ קָמַי תַּחְתָּי (g :
41. וְאֹיְבַי נָתַתָּה (h לִי עֹרֶף
וּמְשַׂנְאַי אַצְמִיתֵם (i :
42. יִשְׁוְעוּ (k וְאֵין מוֹשִׁיעַ
עַל־יְהוָה (l וְלֹא עָנָם :
43. וְאֶשְׁחָקֵם כְּעָפָר עַל־פְּנֵי־רוּחַ (m
כְּטִיט חוּצוֹת אֲרִיקֵם (n :
44. תְּפַלְּטֵנִי (o מֵרִיבֵי עָם (p
תְּשִׂימֵנִי (q לְרֹאשׁ גּוֹיִם
עַם לֹא־יָדַעְתִּי יַעַבְדוּנִי (r :
45. לִשְׁמַע אֹזֶן יִשְׁמְעוּ לִי
בְּנֵי נֵכָר יְכַחֲשׁוּ־לִי (s :
46. בְּנֵי־נֵכָר יִבְּלוּ
וְיַחְרְגוּ (t מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם :
47. חַי־יְהוָה וּבָרוּךְ צוּרִי
וְיָרוּם (u אֱלוֹהֵי (x יִשְׁעִי :
48. הָאֵל הַנּוֹתֵן נְקָמוֹת (y לִי
וַיַּדְבֵּר (z עַמִּים תַּחְתָּי (aa :

Var. lect.

a) צַעֲדִי תַּחְתַּנִי
b) אֶרְדְּפָה
c) וָאַשְׂמִידֵם
d) כַּלּוֹתָם
e) וָאֶמְחָצֵם וְלֹא יְקוּמוּן
f) וַתְּזָרֵנִי
g) תַּחְתֵּנִי
h) תַּתָּה
i) מְשַׂנְאַי וְאַצְמִיתֵם
k) יִשְׁעוּ
l) אֶל־יְהוָה
m) כַּעֲפַר־אָרֶץ
n) אֲדַקֵּם אֶרְקָעֵם
o) וְתַפַּלְּטֵנִי
p) עַמִּי
q) תְּשִׁמְרֵנִי
r) יַעַבְדֻנִי
s) בְּנֵי־נֵכָר יִתְכַּחֲשׁוּ־לִי לִשְׁמוֹעַ
אֹזֶן יִשָּׁמְעוּ־לִי :
t) וְיַחְגְּרוּ
u) וְיָרֻם
x) צוּר
y) נְקָמוֹת
z) וּמֵרִיד
aa) תַּחְתֵּנִי

49. וּמְפַלְטִי a) מֵאוֹיְבָי
אַף מִן־קָמַי b) תְּרוֹמְמֵנִי
מֵאִישׁ חָמָס c) תַּצִּילֵנִי :
50. עַל־כֵּן אוֹדְךָ בַגּוֹיִם יְהוָה d)
וּלְשִׁמְךָ אֲזַמֵּרָה e) :
51. מַגְדִּיל f) יְשׁוּעוֹת מַלְכּוֹ
וְעֹשֶׂה חֶסֶד לִמְשִׁיחוֹ
לְדָוִד וּלְזַרְעוֹ עַד־עוֹלָם :

---

2. אֶרְחָמְךָ יְהוָה *Diligo te, Jova!* tot, quibus me cumulasti, beneficiorum memor. חִזְקִי *Robur meum*, qui omne robur mihi suppeditas. In Samuelis libro integrum hoc hemistichium abest (quamvis et ibi a Syro et Arabe exhibeatur, sed haud dubie ex Psalmo introductum). Ab eo, qui carmen hoc cultui publico accommodaret, vel ab alia Davide seriore manu additum puto. Certe carmen grandius statim abrupte inchoare videtur: *Jova, rupes mea* etc., ut Ps. 26. *Jova, lux mea et salus.*

3. יְהוָה סַלְעִי *Jehova, rupes mea!* Ad te, hoste me persequente, confugio, tanquam ad praealtam rupem, quorsum vis hostilis penetrare nequit. Metaphora petitur ab inexpugnabilibus illis Palaestinae rupibus, quae tutas praestabant latebras, non solum fugitivis, sed et quandoque latronibus. Hinc aliae phrases ortae sunt Ps. 27, 5. 31, 4. 42, 10. Jer. 48, 28. — מְצוּדָה *vertex montis*, montis fastigium (non a rad. צוד sed a מצד), qua propria significatione ponitur Job. 39, 28. *Locum aditu et expugnatu difficilem*, in quem se quis recipit, ut ab hoste tutus sit, et hoc voc., tropice de Deo hic usurpatum, videtur significare. In altero exemplari pro מְצוּדָתִי defective scriptum est מְצָדָתִי, forsan hisce punctis vocalibus instruendum: מְצָדָתִי. Sequitur: וּמְפַלְטִי *Et evadere me faciens* ex maximis periculis, hostiumque insidiis, quomodo verbum פָּלַט in Piel usurpatum vidimus Ps. 17, 13. Alterum exemplum addit לִי, *servator meus mihi*, quod genuinum esse videtur (affixa Pronomina cum ל composita, saepe redundant cum quadam elegantia, aut levi emphasi, qua id, quod in alicujus commodum vel damnum fit, significatur, veluti Am. 2, 13. *plaustrum plenum* לָהּ *sibi)*, quum et Ps. 144, 2. gravius מְפַלְטִי־לִי occurrat, et quod nostro loco sequitur, אֱלִי, ex לִי ortum credibile sit, quod

---

Var. lect.

a) ומוציאי
b) ומקמי
c) חמסים
d) יהוה בגוים
c) אומר
f) מגדול lect. margin.

posterior manus, sive oscitantia, sive consilio, pronomen repetitum inutile reputans, in nomen divinum mutaverit, propterea que אלהי, quod in Samuele legitur, omiserit. Ceterum in eo, quod nunc in Ps. exstat, אֵלִי, haud pauci *roboris* notionem respici putant, quum אַיִל sit *virtus*, *robur*, q. d. tu, cui nunquam ad adjuvandum potentia deest. צוּרִי *Petra mea*, quo adjutore, tanquam in petra praealta constitutus, tutus sum, in quem praesidium meum posui, defensor et propugnator meus. Vid. Vs. 32. coll. Deut. 32, 30. 31. 37. 1 Sam. 2, 2. Jes. 30, 29. Recte Alex. hic vertit *βοηθός μου*, *adjutor meus*, et in Sam. libro *φύλαξ μου*, *custos meus*. In altero exemplo exstat אֱלֹהֵי צוּרִי *Deus rupis meae* (ut 4, 2. אלהי־צִדְקִי, 59, 10. 17. אלהי חַסְדִּי, 24, 5. אלהי יִשְׁעִי *Deus salutis meae*, qui salutem mihi praestet; vid. et infra Vs. 47.), i. e. Deus, qui est rupes mea, qui ubique omni tempore et loco rupem mihi praestat. אֶחֱסֶה־בּוֹ *in quem confugio*, ad quem praesidii causa omne meum pono refugium, cf. 5, 12. Est hic ellipsis Pron. rel. אשר, ut saepe. Notum autem, אֲשֶׁר בּוֹ poni pro בַּאֲשֶׁר. מָגִנִּי *clypeus meus*, quem hostium ictibus veluti objicio; qui me clypei instar tuitus es contra hostium tela ictusque. Bene Alex. *ὑπερασπιτής μου*, qui objecto scuto me a telis hostium defendis. וְקֶרֶן יִשְׁעִי *Et cornu salutis meae.* In hac figura explicanda interpretes non consentiunt. Plerique eam desumtam esse putant ab *animalibus corniferis*, quae cornubus se defendunt, et contra pugnantia repellunt. Alii de *galea* explicant, quae incolumitatem praestet, sive ita quasi caput muniat, ut de ictibus hostium nihil sit metuendum. Namque inter veteres populos multi *cornua* galeis applicabant, sive ut hostibus terrorem inculterent, sive ut duces facilius internoscerentur (cf. *das a. u. n. Morgenl.* T. 4. p. 85.). Sed quum metaphorae ceterae omnes a locis praealtis adituque difficilibus sint arcessitae; praeferenda est eorum sententia, qui קֶרֶן h. l. vertunt *verticem montis*, quae notio non tantum Arab. قرن, verum hebraico quoque vocabulo inest, coll. Jes. 5, 1., ubi de colle usurpatur, in quo vinea plantata. Erit itaque קרן ישעי *excelsus vertex montis*, qui mihi fugienti *salutem praestat.* Sensu non diversum est, quod subjicitur מִשְׂגַּבִּי *locus meus praealtus*, in quo ab hostium insultibus, ac velut super eos exaltatus maneo. Sequitur in altero exemplari: וּמְנוֹסִי מֹשִׁעִי מֵחָמָס תּוֹשִׁיעֵנִי *et refugium meum, salvator meus, a violentia servabis me*, a violentis hominibus salutem mihi praestare soles. Adsentior iis, qui haec verba librarii culpa in nostro exemplari omissa esse putant.

4. מְהֻלָּל אֶקְרָא יְהוָה *Laudatum*, i. e. laudibus celebrandum *invoco Jovam*, q. d. etiam ante auxilium latum laudo eum, eo quod persuasus sum de certa ejus ope. *Laudandi* significatione verbum הָלַל (de quo vid. 5, 6.) in *Piel* frequentissime usurpatur, ut מְהֻלָּל (quod et aliis Psalmorum locis, ut 48, 2. 96, 4. 113, 3. 145, 3. Dei est epitheton) sit *laudatus*, i. e. laudandus, Participio posito

pro Latinorum Part. Fut. Pass., in quo metonymia consequentis est, ut דְּחִיל (Dan. 7, 7.), et נוֹרָא (Ps. 76, 8.), *qui timetur*, est pro *eo*, *qui timeri debet*, *metuendo*, *formidabili*. Aliis מְהֻלָּל est Vocativus, ut vertendum sit: *laudabilis! clamo ad Jovam*, i. e. laudabilem voco, laudo Jovam, nam ab hostibus meis liberor, per eum, servatorem meum (Vs. 2. 3). *Αἰνετὸν* Alex. vertit 2 Sam. 22, 4., sed nostro loco *αἰνῶν*, *laudans*, quasi מְהַלֵּל enunciasset. Syrus מהלל eum praecedente מְשַׂגַּבִּי conjungit: *refugium meum laudatum.*

5. אֲפָפוּנִי חֶבְלֵי־מָוֶת *Circumdederunt me funes mortis.* In *circumdandi* notione verbi אָפַף veteres consentiunt. Quae notio tam Ps. 116, 3., ubi eadem nostra loquutio occurrit, quam Jon. 2, 6., ubi de *maris fluctibus*, et Ps. 40, 13., ubi de *malis*, *infortuniis* usurpatur, imprimis apta est. Nom. חֶבֶל *funis*, ad *dolores* etiam transfertur; quare haud pauci vocc. חֶבְלֵי־מָוֶת *dolores mortis* reddunt. Sic Alex. *περιέσχον με ὠδῖνες θανάτου*. Aben-Esra: „Significat *dolores mortis*, ut Jes. 13, 8., ubi cum צִירִים *torminibus* jungitur. Ut vero a חֶבֶל *funis*, *sors*, discerni possit, retinet *Segol* in statu constructo, quum illud vocali *Pathach* (חַבְלֵי) instruatur, ut Jos. 17, 5. *funes*, sortes, *Manasses.*“ Sed Vs. 6. חֶבְלֵי cum *Segol* manifeste *funes* denotat, ut e membrorum parallelismo cognoscitur. Quare alii h. l. quoque vertunt: *circumdederunt me funes mortis*, h. e. ejusmodi periculis mortiferis eram cinctus, qualia prae oculis sentiunt, damnati ad mortis supplicium vinculisque jam constricti. Aut metaphora petitur a jumentis vel bestiis, quae si vinculis ligantur, non amplius suae sunt potestatis, sed alterius arbitrio parere coguntur, q. d. non semel mortis angustiis oppressus sum, ac veluti mortis funibus constrictus et circumplicatus, cf. ad Vs. 6. Sed in altero exemplari pro חבלי reperitur מְשַׁבְּרֵי, quod alii a primaria *confringendi* notione, quae verbo שָׁבַר inest, de *doloribus* accipiunt, qui *confractiones* dicuntur, i. e. subiti, violenter perrumpentes, et omnia confringentes dolores, ut ii sunt, qui exagitant parturientes (coll. Hos. 13, 13.). Sic Alexandrinus: *συντριμμοὶ θανάτου*, Vulgat. *contritiones mortis*; nec non Chaldaeus: *circumdedit me anxietas sicut mulierem, quae sedet super sella* parturientis, puta (quod est hebr. מַשְׁבֵּר 2 Reg. 19, 13., cujus cognatum voc. Arab. denotat *locum ubi mulier parit*). Alii vero מְשַׁבְּרִים *fractiones undarum*, i. e. fluctus fractos, qui magno impetu rupibus illiduntur, interpretantur; q. d. *fluctus mortis*, nam fluctus majores et vehementiores appellantur מְשַׁבְּרִים, ut Jon. 2, 3. *Omnes fluctus tui et undae tuae transeunt super me.* Vocatur *fluctus* מְשַׁבֵּר, quia per motum suum vehementem frangitur. Atque haec significatio et hic omnino adhibenda videtur, quum in altero hemistichio respondeant נְחָלִים *torrentes*. Ob quam ipsam rationem et in Psalmo מְשַׁבְּרֵי reponendum videtur, pro חֶבְלֵי, quod ex vicino Vs. 6. in 5. transiisse

videtur. — וְנַחֲלֵי בְלִיַּעַל יבעתוני *Et torrentes exitiales perterruerunt me.* בְּלִיַּעַל proprie est *improficuus*, *nocivus*, a בְּלִי *absque*, *non*, et הוֹעִיל *profuit;* hinc non tantum *omne quod nihil prodest*, verum et in universum *malus*, *perniciosus.* Usurpatur de *hominibus* et *rebus;* de hominibus usurpatum, significat *nequam*, *perniciosos*, *sceleratos;* de rebus autem *malum*, *noxium* atque *exitiale* significat. H. l. *torrentes Belial* erunt *exitiales torrentes*, et Ps. 41, 9. דְּבַר־בְּלִיַּעַל *facinus inexpiabile*, grande. *Improbitatis* notionem expressit Alex. *καὶ χειμάῤῥοι ἀνομίας ἐξεταραξάν με*, *torrentes iniquitatis conturbaverunt me.* Per *torrentes iniquitatis* autem *alii* ipsos Davidis hostes intelligunt, cum aquarum fluctibus comparatos (quemadmodum Rex Assyriae Jes. 8, 7. *fluminis undis* confertur); Belial vero collective de hostium unoquoque accipiunt; *alii* frequentes inimicorum impetus, multitudinem tribulationum, quae ab impiis infliguntur, significari censent. Quum nomen בליעל omnem in genere *impium* proprie denotans, postea *malo* in specie *daemoni*, malorum auctori, tributum esse, colligi possit ex 2 Cor. 6, 15.; fuerunt, qui et nostro loco malorum daemonum summum, diabolum, indicari censerent. Nec absurdum hoc esset, si *Tartari principem* sub eo intelligas, quo parallelismus quidam cum מָוֶת in membro priori prodiret. Verum nullum vestigium certum in Vss. occurrit, viguisse Davidis tempore apud Hebraeos hanc opinionem de malo daemone, qui simul Tartari princeps esset. Quod autem Jud. 19, 22. homines pessimi אַנְשֵׁי בְנֵי בְלִיַּעַל dicuntur, inde minime sequitur, fuisse בליעל nomen alicujus proprium. Certe ex eo, quod 2 Sam. 2, 7. strenui et fortes homines בְּנֵי חַיִל vocantur, nemo colliget, *Chail* esse nomen prisci cujusdam herois. Neque magis probanda videtur aliorum sententia, qui בליעל *Infernum* interpretantur (a בְּלִי *non*, et Arab. ועל *altus fuit*, ut proprie denotet *minime altum*), et נחלי בליעל *inferorum flumina* esse censent, ut Stygem, Cocytum Graecorum; quum probari nullo modo possit, fuisse Hebraeos in ea opinione, esse flumina in oreo. — יְבַעֲתוּנִי *Conturbarunt*, perterruerunt *me*, coll. Syr. בעת *horrere*, *perterreri.* Sic de vehementi consternatione usurpatur Jes. 21, 4. Job. 18, 11. 15, 24. Ita adhibetur, quando spectris terrificis aliquis stupefit, Job. 7, 14.; quomodo Haman consternatur ob faciem regis fremebundi, Esth. 7, 6.

6. חֶבְלֵי שְׁאוֹל סַבְבוּנִי *Orci laquei*, s. *retia*, *me circumdederunt.* חֶבֶל convenit cum Arab. חבל *funis*, *vinculum*, *rete*, unde Verbum etiam *retia tetendit* denotat. קִדְּמוּנִי מוֹקְשֵׁי מָוֶת *Praeverterunt me*, i. e. incautum vel improviso occuparunt, antequam cavere mihi potui, vel etiam periculum prospicere, *tendines mortis.* מוֹקֵשׁ enim est *tendicula*, laqueus, qualem aucupes et venatores ponere solent avibus et feris, ut Am. 3, 5. Ps. 64, 6. 140, 6. *Tendiculae mortis* vero sunt insidiae mortiferae, a Saule reliquisque hostibus structae. Vb. קִדֵּם plerique *praevertendi* significatione

accipiunt, quam apud Arabes et Hebraeos obtinet, veluti Jon. 4, 2. *praeverti fugere*, Ps. 119, 147. *praeverto crepusculum*. Sed quum verbum cognatum arab. etiam *obviam venire*, *occurrere* denotet, nec raro et ipsum hebr., ut Deut. 23, 5. *non obviam iverunt vobis cum pane*, coll. Jes. 21, 14.; et noster locus verti potest: *obviam mihi erant tendiculae mortis*, quod melius cum סַבֻּב in priori membro convenire videtur.

7. Significat, se in angustiis positum Jovam orasse, seque ab eo exauditum fuisse. בַּצַּר־לִי *In angustia mihi*, h. e. mea, eum essem in anxietate constitutus ita, ut evadendi nullum viderem locum, vid. ad 4, 2. Posset etiam suppleri אֲשֶׁר (בצר אשר לי), *in angustia, quae mihi* obtigit; vel pron. separatum pro affixo est positum. וְאֶל־אֱלֹהַי אֲשַׁוֵּעַ *Et ad Deum meum vociferatus sum.* Pro אשוע in Sam. libro legitur אֶקְרָא ex priori membro repetitum, sed ex nostro exemplo corrigendum. Repetitur enim prior sententia cum aliqua epitasi, ad preeum vehementiam exaggerandam, quare poeta intensione שִׁוַּע utitur, quod significat *anxie vociferari*, ut Jon. 2, 3. Ps. 22, 25. Job. 19, 7. 30, 20. al. יִשְׁמַע מֵהֵיכָלוֹ קוֹלִי *Exaudivit e palatio suo vocem meam.* הֵיכָל *palatium*, i. e. coelum, ut 11, 4. Alex. *ναὸν templum* vertit; quod tamen tunc temporis nondum ereetum fuerat. וְשַׁוְעָתִי לְפָנָיו תָּבֹא בְאָזְנָיו *Et vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus;* datus est clamori meo locus, ubi coram eo causam meam agerem. Recte Kimchi tam grammaticam structuram, quam sensum illustrat: *Clamor, quo clamavi coram eo, statim ad aures ejus pervenit, ipseque opem mihi tulit.* In Sam. libro pro verbis nostris tantummodo legitur וְשַׁוְעָתִי בְאָזְנָיו. Si hoc genuinum est, verbo omisso ellipsis erit cum emphasi, qualis Gen. 4, 10. *vox sanguinum fratris tui ad me de terra*, sc. בָּא *pervenit*, penetravit.

8. Exponit nunc, quomodo a Jova, cujus opem efflagitaverat, adjutus sit, magnifica usus tempestatis gravissimae descriptione (usque ad Vs. 17.), quae figurate intelligenda est. Quemadmodum Davides Ps. 144, 5. sqq. Jovam orans, velit in sui vindictam consurgere, iisdem plane imaginibus a tempestate arcessitis utitur; atque alii etiam Hebraei poetae Jovam iratum, gentisque suae hostes eversurum, depingunt terram commoventem, tonitrubus, fulminibus, atque reliquis tempestatibus totum orbem concutientem (Jes. 29, 6. Nah. 1. Hab. 3. Hagg. 2, 21. Zach. 9, 14. 14, 2. al.); ita et hic poetica εἰδωλοποιΐα videtur, quae simpliciter hoc dicit, Deum iratum hostibus Davidis, et precibus ejus contra hos excitatum subvenisse invocanti ope mirabili atque gloriosa. Eodem spectat quod Jarchi observat de huj. Vs. verbis ordinandis: Ultima verba cum initio conjungenda, atque particula כִּי pro כַּאֲשֶׁר *quando*, sumenda, h. s.: *ira ejus exardente conquassatur tellus.* וַתִּגְעַשׁ וַתִּרְעַשׁ הָאָרֶץ *Et conquassata est terra ac contremuit.* Vb. גָּעַשׁ proprie significat *ferire*, hinc, paulo latius sumtum (ut

nostrum *stossen*), de omni ictu et quassatione graviore usurpatur, ut hic de *terrae motu*, aut vero, aut cum tacta fulmine intremiscere videtur, quemadmodum et nos nomen *Stösse*, *succussiones*, de terrae motu ponimus. In Sam. libro exstat וַיִּתְגַּעַשׁ, talibus instructum vocalibus, quae ad lectionem marginalem pertinent; cujus tamen, aeque ac nostrae lectionis, loco reponendum videtur וַתִּתְגַּעַשׁ, quod in 9 Codd. mss. Kennicottus reperit; געש enim nusquam alias in *Cal.* occurrit, atque ex וַתִּתְגַּעַשׁ utrumque, tam וַתִּגְעַשׁ, quam וַיִּתְגַּעַשׁ oriri potuit. Vb. רָעַשׁ convenit cum arab. رعش *tremuit*, *trepidavit*. Hinc apud Hebraeos de *commotione* coelorum Ez. 26, 15., murorum Ez. 26, 10., montium Nah. 1, 5., spicarum vento motarum Ps. 72, 16., saepissime autem de motu terrae, Ps. 68, 9. 77, 19. Jer. 8, 16. al. usurpatur. וּמוֹסְדֵי הָרִים יִרְגְּזוּ וַיִּתְגַּעֲשׁוּ *Montiumque fundamenta concutiuntur conquassanturque*, infimae montium partes concussae titubare faciunt magnam montium imminentem molem. Eadem imago Nah. 1, 5. et Jer. 4, 24. Cf. etiam Jes. 24, 18. Ps. 114, 4. In Sam. libro pro הָרִים exstat הַשָּׁמַיִם fundamenta *coeli*, quibus haud pauci *altissimos montes* intelligunt, quibus quasi coelum videtur incumbere, et qui *vertice coelum ferire* poetarum stylo dicuntur. Michaeli (ad Lowth. p. 485.) fundamenta coeli *extremae* sunt *terrae*, ubi coelum sive circulo, prospectum definienti, ὁρίζοντα dicunt, sive summis montium jugis incumbere videtur. Sed imago poetica, qua coelis tribuuntur fundamenta, non ad vivum est resecanda. Est vero in Samuele elegans oppositio *terrae*, quae in praeced. hemistichio memoratur, et *coeli*, atque omnino magis poeticum, quam quod in Ps. legitur (vid. et ad Job. 26, 11.). Verbi רָגַז propria vis est in *concussione cum fremitu et fragore*. De *fragore tonitru* adhibetur Job. 37, 2. — כִּי־חָרָה לוֹ *Quando* (cf. Jarchii not. ad Vs. init.) *exarsit ipsi* Deo, subaud. אַף *ira*, ita enim phrasis integra habetur Num. 11, 33. *ira Jovae exarsit in populum;* item 2 Reg. 23, 26. Job. 32, 2. 3. Jes. 5, 23. Ellipsis autem, absque אַף, ut hic, Gen. 4, 6. *quare exardet tibi?* quid irasceris? et 2 Sam. 19, 42. Jon. 4, 4. 9. Male itaque Alex., לוֹ ad hostes relato, vertit: ὅτι ὠργίσθη αὐτοῖς ὁ θεός, quod et reliqui veteres sequuntur.

9. 10. Induit Jova irati hominis personam, qui fumum spiret e naribus, ignem ex ore. עָלָה עָשָׁן בְּאַפּוֹ *Ascendit fumus per nares ejus.* Imago irae et indignationis gravioris; metaphora ducta ab equis, leonibus, aliisque generosi spiritus animalibus, quae furore concitata, fortiter naribusque dilatatis solent anhelare, concitatoque motu spiritum reciprocare atque fremere. Hinc veteribus *nasus* irae sedes. Eadem figura Ps. 74, 1. Deut. 29, 49. Continuatur metaphora: וְאֵשׁ מִפִּיו תֹּאכֵל *et ignis ex ore suo consumit.* Ad אֵשׁ suppl. Particip. יוֹצֵא *exiens*, *emicans*, ut Job. 41, 12. de Leviathane: *flamma ex ore ejus* יֵצֵא *exit.* גֶּחָלִים בָּעֲרוּ

מִמֶּנּוּ *Prunae ardent ex eo*, pro גֶּחָלִים בָּעֲרוּ יָצְאוּ מִמֶּנּוּ *prunae ardentes ex eo exeunt.* Magnifica sane tempestatis descriptio! Indicat autem *fumo* ascendentem nebulam, quae instante tempestate densatur in atram nubem, *igni* fulmina, quae sunt ignes in nubibus exeitati, *prunis* tela illa fulminea, quae coelitus vibrantur. — 10. וַיֵּט שָׁמַיִם וַיֵּרֶד *Et inclinat coelos*, nubes, *descenditque.* Habitum coeli deseribit saeviente tempestate; demissum videtur, et terrae ineumbere. Deum vero quum prisei illi homines nequeant cogitatione nisi loco alicui affixum eonsiderare, in coelis habitare eum faciunt. Hinc ergo, quum coelum videatur in tempestatibus demitti, noster *Deum* canit *descendere.* וַעֲרָפֶל תַּחַת רַגְלָיו *Et caligo sub pedibus ejus.* Intelligit spississimarum et tenebrosiearum nubium eonglomerationem, quae tempestates, fulmina et tonitrua minatur, hominumque eapitibus imminet.

11. וַיִּרְכַּב עַל־כְּרוּב וַיָּעָף *Et vehitur super Cherubis et volavit.* כְּרוּב proprie *fortis*, *validus*, fietam figuram fuisse, ex humana, bovina, leonina et aquilina eompositam apparet ex Ez. 1, 10. Apoc. 4, 6. 7. Quae quum in areana vetustissimorum Aegyptiorum disciplina, e qua Moses ipsam transtulit ad Hebraeorum saera, symbolum fuisset divinae naturae (ef. ad Gen. 3, 24.); postea a vulgo, eui illius symboli interior signifieatio ignota esset, tributa est daemonibus, sive naturis, hominibus fortioribus atque augustioribus, quibus summum numen tanquam ministris uteretur. Hie eorum ministerio ad tempestatem eommovendam Jehova uti fingitur; quemadmodum Ps. 104, 3. dieitur: *ventorum alis incedit.* Sie et h. l. ventorum vis deseribitur. Eandem sententiam exprimit posterius membrum: וַיֵּדָא עַל־כַּנְפֵי־רוּחַ *volatque super ventorum alis;* venti immensi eoeli spatia rapido eursu pervolitant, eadem figura, quae 104, 3. Pro וידא in Samuele legitur וַיֵּרָא *visus est*, apparuit. Quod in Ps. legitur unice genuinum videtur, utpote membrorum parallelismo, eoeptaeque imagini optime consentaneum, quod ipsum in Samuele quoque Syrus, Arabs et Chaldaeus invenisse videntur, quemadmodum et in Codd. pluribus seriptum reperitur; quamvis nec libri desint, qui in Psalmis וַיֵּרָא exhibeant.

12. Tenebras nune deseribit, vimque atrarum nubium, quae terrae ineumbunt, dum tempestas viget. וַיָּשֶׁת חֹשֶׁךְ סִתְרוֹ *Ponit tenebras latibulum suum*, s. velamentum suum, ealiginosis crassisque nubibus latet, e quibus, tanquam e vehiculis bellieis, tela fulminea explodit. סְבִיבוֹתָיו סֻכָּתוֹ *Undique circa se tabernaculum suum*, se. posuit ealiginem, quemadmodum Job. 36, 29. *nubes tonantes* Jovae tentorium dieuntur. In Samuele, omisso סִתְרוֹ, tantummodo habetur: *posuit tenebras circum se tentorium*, quo hemistiehia quidem aequalia fiunt, sed dubito tamen, recte סתכו omitti. חֶשְׁכַת־מַיִם *Caliginem aquarum*, h. e. aquosae illae nubes, densitate sua ealiginem effieientes, sunt itidem Jovae tentorii loco, per appositionem enim hi accusativi: *caliginem, obscuritatem*

aquarum, *nubes densas*, dependent a verbo *posuit*. Vel enunciatio posterioris hujus membri constitui potest haec: *densae coelorum nubes* sunt *aquae obscurissimae*. Nom. חֲשֵׁכָה (i. q. חֲשֹׁכָה) praeter hunc loc. occurrit Gen. 15, 12. Jes. 8, 22. Ps. 82, 5. 139, 12., quibus locis *caligo* designatur, qualis conspicitur in nubibus nigricantibus, quae tempestatum tempore omnem coeli lucem intercludunt. In Samuele חֲשָׁרַת־מַיִם scriptum est, quod plerique vertunt *congregationem aquarum*, s. *aquas densatas*, a rad. חָשַׁר, *crassescendi*, *coagulandi*, *congregandi* notione apud Arabes usitata. Sensus idem est. Ceterum Alexandrinum in Samuele quoque חֲשֵׁכַת legisse, colligi potest inde, quod *σκότος ὑδάτων*, *caligo aquarum* reddidit. חשכת genuinum videtur, quum חשרת ex lingua hebr. explicari non possit. עָבֵי שְׁחָקִים *nubes nubium*, sc. Jova circum se posuit, i. e. nubes nubibus impositas.

13. מִנֹּגַהּ נֶגְדּוֹ עָבָיו עָבְרוּ *Prae fulgore* qui *ante eum*, *nubes ejus transierunt*. עָבַר *transire*, *praeterire* denotat (cf. ad 17, 3.). Describit tonitrua, fulmina, fulgura, vibrata tela et grandinem, quae cum crebrescere incipiunt, tenebrae discuti, et atrae, ob crassitiem, nubes extenuari solent. Inde ait, *prae splendore*, vel *a splendore*, *qui coram eo est*, densae *nubes transierunt*, h. e. extenuatae disparuerunt, crebro scil. micantibus fulgetris, et decidentibus fulminibus. In Samuele legitur: מִנֹּגַהּ נֶגְדּוֹ בָּעֲרוּ גַּחֲלֵי־אֵשׁ *prae fulgore*, qui *coram eo*, *ardent prunae ignitae*; vivida imago fulminum perpetuo micantium. Vb. בָּעַר dictioni גחלי־אש bene congruit (Vs. 9. גֶּחָלִים בָּעֲרוּ), melius quam עָבַר, quod quum facili literarum permutatione textui semel illatum esset, librariorum aliquem movisse videtur, ut עָבִים e Vs. 12. repeteret. Syrus utroque loco: *per splendorem tabernaculi sui nubes suas facit grandinem et prunas ignitas*. Legit עָבַד pro בָּעַר. Eum sequitur in Samuele Arabs, nisi quod is verba מנגה נגדו omittit. Sensus non incommodus; sed עָבַד simplici *faciendi* notione Chaldaeis magis et Syris usitatum est, quam Hebraeis, qui de *opere faciendo*, *terram colendo* adhibere solebant. Poeta si illum sensum exprimere voluisset, verbo פָּעַל usum fuisse credibile est.

14. 15. וַיַּרְעֵם — קָלוֹ *Tonatque in coelo Jova*, *et summus vocem suam edit*. Duo priora vocc. rectius videntur in Samuele scripta esse: יַרְעֵם מִן־שָׁמַיִם, quemadmodum et in Ps. veteres fere omnes legisse videntur. Sed quae nostro loco sequuntur: בָּרָד וְגַחֲלֵי־אֵשׁ aperte e Vs. 13. illata sunt, quum in Samuele absint, nec ab Alex., Latino vetere, et Augustino videantur lecta esse. Inaequalia praeterea hemistichia reddunt, atque sensum reliquis minime congruentem. — 15. וַיִּשְׁלַח חִצָּיו וַיְפִיצֵם *Emittit tela sua illosque dispergit*, vibratis fulminibus hostes disturbat. Ad eos enim referendum esse relativum verbo affixum, cognoscitur ex hemistichio altero: וּבְרָקִים רָב וַיְהֻמֵּם *et fulgura multa* ejaculatur, *eosque dissipat*, proprie *diffluere facit*, quam significa-

tionem חֲמַם apud Arabes obtinet. Fulguribus dispersit et consternatos reddidit hostes Davidis, quos relativis, quum tamen nomina eorum non praemiserit, ad indicandum animi sui affectum, designavit. Circa quae enim magno affectu animi occupantur, numquam satis solent explicare, putantes, non posse latere alios, in quibus ipsi sunt toti. Ceterum pro וַיְהֻמֵּם in Samuele Masorethae legendum praecipiunt sine suffixo וַיְהֻם. Quam vero emendationem damnant veteres omnes, qui suffixum illud exprimunt.

16. 17. וַיֵּרָאוּ אֲפִיקֵי מַיִם *Tum apparuerunt alvei aquarum.* אֲפִיק a rad. אָפַק *continere* (Alex. ad rad. נָפַק *exire* referens: *πηγαὶ ὑδάτων, fontes aquarum*, in Samuele: *ἀφέσεις θαλάσσης, effusiones maris*), est *vallis aqua repleta*, i. e. alveus. הִתְאַפֵּק est *se continere* (Gen. 45, 1. Jes. 42, 14. 63, 15.), et alvei aquas continent, ne exundent. *Alvei* notionem postulat locus Jes. 8, 7. Unde ad *valles* nomen hebr. translatum est Ez. 6, 3. Sensus nostri loci: conspiciuntur alvei aquarum, qui antea semper erant operti, illi jam, fluviis vehemente ventorum exsiccantium flatu absumtis, vel per ingentes terrae motus trajectis, aut alio derivatis, conspiciuntur nudi. In Samuele pro מַיִם legitur יָם *mare*, quod magis poeticum videtur. וַיִּגָּלוּ מוֹסְדוֹת תֵּבֵל *et retecta sunt fundamenta terrae.* Terram super aquas fundatam saepe legimus, ut Ps. 24, 2. Consequenter igitur mari, et aquis s. fontibus apertis, apparuerunt fundamenta terrae. Loquitur ad vulgarem opinionem, seu potius ad speciem quandam accommodate. Nam quia quod subjectum est aedificiis, id illorum fundamentum est, ad eandem similitudinem pars illa terrae inferior, quae maria continet, *fundamentum* terrae dicta est. מִגַּעֲרָתְךָ — אַפֶּךָ *Prae increpatione tua, Jova, prae flatu spiritus nasi tui;* solet enim aqua vento vehementiore aperiri quasi et hiscere. In Samuele legitur in 3. pers. בִּגַּעֲרַת et אַפּוֹ. Sed Psalmi lectio praeferenda videtur. — 17. Nunc liberationem suam canit. יִשְׁלַח וגו׳ *Misit* subaud. *manum suam* (ut plene 144, 7.), *de excelso, et accepit*, apprehendit *me*, in praesentissimis periculis jamjam occubiturum; *extraxit me ex aquis multis*, e multorum hostium vitae meae undique insidiantium turbis. *Calamitates* aquarum moli undique ingruenti saepius comparantur, vid. Ps. 32, 6. 69, 1. 2. Jes. 28, 2. 43, 2.

18—20. Eandem sententiam nunc simpliciter, demta figura, enunciat: יַצִּילֵנִי וגו׳ *Eripuit me ab hoste meo valido* (collective, quemadmodum id quod sequitur), *et ab iis qui me oderunt, quia*, sc. *quando validi fuerunt prae me*, viribus praecelluerunt me desertum et undique afflictum. — 19. יְקַדְּמוּנִי וגו׳ *Praeverterunt me*, s. *incursarunt in me* (vid. ad Vs. 6.) *tempore calamitatis meae; sed factus est Jova mihi baculus*, me jamjam labentem, nec amplius consistere valentem sustinuit. Particula לְ, nomini praefixa, si verbum הָיָה sequatur, commode vertitur *fieri aliquid.*

In Samuele tamen illa est omissa. — 20. וַיּוֹצִיאֵנִי וגו׳ *Eduxit me in spatiosum* (cf. ad 4, 2.); *eripuit me*, tutatus est, *quia amat me*, mihi favet.

21—24. Hi quatuor Vss. mirabilis hujus liberationis *rationes moventes*, a Davidis innocentia et pietate ductas, complectuntur. וַיִּגְמְלֵנִי וגו׳ *Rependit mihi Jova secundum justam causam meam; secundum puritatem manuum mearum mihi retribuit*, i. c. innocentiae meae convenienter. בֹּר יָדַיִם de *integro vitae sceleris*que *puro* homine usurpari, notum est, vid. Job. 9, 30. 22, 30. — 22. יְהוָה — כִּי *Nam observavi vias*, i. e. praecepta ac mandata *Jovae*. *Vias observare* est tanquam ostensa ac demonstrata vestigia, per quae incedere debeamus, advertere. וְלֹא וגו׳ *Nec impie egi a Deo meo*, deficiendo ab eo, constructio praegnans (qualis 9, 14.). — 23. כִּי כָל־מִשְׁפָּטָיו לְנֶגְדִּי *Etenim omnes leges ejus in conspectu meo*, h. e. praesenti animo semper intueor, quid praeceperit Jova, quid huic probetur, et huic tum vitam meam conformo. וְחֻקָּתָיו לֹא־אָסִיר מֶנִּי *et statuta ejus non moveo a me*. In Samuele legitur וְחֻקָּתָיו לֹא־אָסוּר מִמֶּנָּה *et statuta ejus* quod attinet, *non deflexi ab eis*, sive potius *ab eo*, i. c. ab ullo eorum. Psalmi lectio praeferenda videtur. Eam etiam Syrus et Vulgatus in utraque editione exprimunt. — 24. וָאֱהִי תָמִים עִמּוֹ *Et fui integer*, sincero animo, *coram eo*. Ita partic. עִם vertenda est etiam Ps. 39, 13. 1 Sam. 2, 26. — וָאֶשְׁתַּמֵּר מֵעֲוֹנִי *Et cavi me ab iniquitate mea*, i. e. ad quam natura pronus sum; cavi, ne scelus admitterem, ad quod indoles et temperamentum inclinat.

25. 26. כְּבֹר יָדַי לְנֶגֶד עֵינָיו Secundum *puritatem manuum mearum*, quae *in conspectu oculorum suorum*, quam optime novit, rependit mihi. In Sam. exstat כְּבֹרִי. Psalmi lectionem genuinam esse, veterum consensus probare videtur. — 26. עִם־חָסִיד תִּתְחַסָּד *Quicunque probitati studet, ei benigne facis*, עִם־גֶּבֶר תָּמִים תִּתַּמָּם *cum viro integritatis integre agis*, i. e. non frustraris eum spe aut fiducia, in te collocata. Sed quum גֶּבֶר forma nominis sit Chaldaeis magis usitata, reponendum videtur, quod in Sam. legitur, גִּבּוֹר. Etsi enim hoc plerumque de *forti*, *heroe* dicatur, videtur tamen, vivente lingua, latiore etiam significatu, de omni omnino viro usurpatum fuisse, pro גֶּבֶר.

27. Docet, gerere se Jovam erga homines pro eorum moribus; benefacere bonis, plectere malos. עִם־נָבָר תִּתְבָּרָר *Cum puro purum te exhibes*, cum candido candide agis. Sed pro תתברר in Sam. legitur תִּתְבַּר, quod plerique ad verbum בָּרַר referunt. Prae aliis illius formae explicationibus probabilis est quam Kimchi dedit: „*Voc.* תִּתְבָּרָר *regularis forma est* תִּתְבַּרְרָר, *sequitur formam defectivorum mediae geminatae. Si autem dixisset* תִּתְבַּר (quod ad formam *Hithpael* propius accedit), *videri potuisset, esse ex anomalia quiescentium Lamed* (i. e. 3. rad. ה, quasi radix בָּרַר esset; ad hunc itaque errorem evitandum, transposue-

runt vocales τοῦ תִּתְבַּר in תִּתָּבַר). *Literae* ת *vero Dagesch est inditum, ut indicetur, esse ex verbis mediae geminatae* (cujus defectus per Dagesch compensari solet)." וְעִם־עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל *Cum perverso tortuosum, s. perversum te praebes.* תִּתְפַּתָּל, pro quo in Sam. iterum contracte תִּתַּפָּל reperitur, referendum est ad פָּתַל *torsit.* Verba עִקֵּשׁ et פָּתַל alias etiam conjunguntur, veluti Prov. 8, 8. Deut. 32, 5.

28—30. Redit ad praedicandam Jovae in se bonitatem. כִּי־אַתָּה וגו׳ *Nam tu populum adflictum servas*, iis, qui injuria immerito afficiuntur, auxilium praestare soles, *oculosque sublimes*, homines fastuosos et arroganter sustollentes oculos, *deprimis.* Per adflictum populum se cum suis, per fastuosos vero hostes intelligit. Alterum hemistichium in Sam. ita sonat: וְעֵינֶיךָ עַל־רָמִים תַּשְׁפִּיל, quod aliis est constructio praegnans: *oculos tuos in superbos*, sc. intendis, *ut eos humilies;* alii subaud. אשר, vertuntque: *oculos tuos intendis in superbos, quos tu supprimis.* Sed multo concinnior est Psalmi lectio. — 29. Opem sibi divinitus latam accensae a Jova lucernae, dejectosque hostes dispulsis tenebris comparat: כִּי־אַתָּה תָּאִיר נֵרִי *Tu enim accendisti lucernam meam.* נֵר *lampas, lucerna*, metaphorice saepe usurpatur pro felicitate alicujus, statuve prospero aut splendido, ut Job. 21, 17. Prov. 24, 20.; de splendido Davidis regno 1 Reg. 11, 36. 2 Reg. 8, 19. Illius igitur felicitas aut regnum *illustratur*, cum, infortuniorum pulsa caligine, undique prospera quaeque affulgent: אֱלֹהַי יַגִּיהַּ חָשְׁכִּי *Deus meus splendere facit*, illuminat, *tenebras meas.* In Samuele: כִּי־אַתָּה נֵירִי וַיהוָֹה יַגִּיהַּ חָשְׁכִּי *Nam tu, Jova, lucerna mea* (cf. 27, 1. 119, 105. Job. 29, 3.), *et Jova tenebras meas illuminat*, quod praetulerim, nisi quod pro ויהוה ex Ps. אלהי reponendum putem. — 30. כִּי בְךָ אָרֻץ גְּדוּד *Nam per te incurri in turmas* hostiles, puta, eas fortiter impugnavi et debellavi. Significat proelia commissa, in quibus victor evasit. אָרֻץ (contracte pro אָרוּץ) quidam referunt ad רָצַץ *confringere*, ut sensus sit: perfregi turmas. Sed est potius ad רוּץ *currere* referendum (*incurrendi* in hostes notione usurpatur Job. 15, 26. 16, 14.). Nam etsi רוּץ alias particularum עַל s. אֶל ope cum verbis jungi soleat, quarum nulla h. l. legitur; nil tamen obstat, quo minus h. l. cum accusativo construatur, quum et in verbis quae sequuntur, וּבֵאלֹהַי אֲדַלֶּג־שׁוּר *et per Deum meum transilivi muros*, דִּלֵּג, quod alias, v. c. Cant. 2, 8. Zeph. 1, 9. per עַל construitur, hic simpliciter accusativo jungitur. Significat urbes a se expugnatas.

31. 32. Divinae bonitatis admiratione plenus exclamat: צְרוּפָה — הָאֵל *Deum* quod attinet *integra*, recta est *ejus via*, sine dolosis anfractibus; juste et veraciter cum suis agere solet, *sermo ejus igni probatus*, i. e. exploratissimae veritatis est (vid. 12, 7.). Ultima Vs. particula exprimit, quid prioribus dicere

voluerit: מָגֵן וגו׳ *Clypeus*, defensor est *omnium, qui in ipso suum praesidium collocant.* De חָסָה בוֹ cf. ad 2, 12. — 32. כִּי — יְהוָה *Quisnam est* Deus *praeter Jovam?* Quisnam auxilium praestare potest, praeter Jovam? וּמִי וגו׳ *Et quis petra*, ita immutabilis, fugientibus ad se tam potens propugnator (vid. Vs. 3), *praeter Deum nostrum?* Pro זוּלָתִי in Sam. repetitur ex membro priore מִבַּלְעֲדֵי. Sunt tamen Codd., qui et ibi זולתי servarint.

33. Virtutem nunc, qua tot victoriis petitus est, per partes canit; et primo quidem gloriatur, virtute se heroica a Jova esse instructum. הָאֵל הַמְאַזְּרֵנִי חָיִל *Deus est, qui me accingit robore*, qui mihi robur conciliat. Ut hic *accingi robore*, sic alibi *indui fortitudine* dicitur. Forsan in verbo latet nomen verbale, ut solet; *accingit me cingulo roboris.* Metaphora a balteo ac cingulo, sive, quo quis accinctus, ad laborem expeditior redditur, sive a quo arma militis in aciem contendentis dependent, desumta est. In Samuele: הָאֵל מָעוּזִּי חָיִל, quod plerique, subaudita conjunctione ו, reddunt: *Deus ille robur meum* (alii *arx mea valida*) *et virtus mea.* Alex. *κραταιῶν με δυνάμει*, *roborans me potentia*, quasi esset מְעַזְּזִי, Particip. Hiphil; sive enunciavit הַמְעוֹזִּי Particip. Piel. Utra lectio sit genuina, nemo facile definiverit; praeplacet tamen, quae in Ps. exstat. וַיִּתֵּן תְּמִים דַּרְכִּי *Dedit*, fecit, reddidit (quo significatu Vb. נָתַן et occurrit Ps. 44, 12. Ez. 6, 14.) *viam meam perfectam*, i. e. planam, expeditam; successus prosperos ubique mihi largitus est. In Samuele: וַיִּתֵּר תְּמִים דַּרְכּוֹ. Occurrit נָתַר in libris Hebraeis tam *solvendi*, quam *subsiliendi* notione. Priori adhibita quidem vertunt: *solvit perfectam viam suam*, quod Jarchi explicat subaudiendo: *ab omni offendiculo, errore, sepimento, ita ut sit applanata et subacta.* Qui *saliendi*, *subsiliendi* significationem adhibent, repentinam ac inopinatam opem Davidi latam existimant indicari, q. d. subito assilire mihi fecit perfectam tutamque viam, sive salutem et liberationem. Alex. vertit: *ἐξετίναξεν ἄμωμον.* Adhibuit Chaldaici נָתַר significationem, *defluxit*, *decidit.* Sed interpretatio sensu caret. Neque omnino ex lectione וַיִּתֵּר facile sensum concinnum elicias. Quare non dubito, esse וַיִּתֵּן a Davide scriptum, quod ceteri antiqui interpretes tantum non omnes in Samuele etiam exhibent. Et pro דַּרְכּוֹ in Samuele דַּרְכִּי legendum esse, ipsi Masorethae monent.

34. Praeterea magnam quoque corporis celeritatem et agilitatem a Jova sibi suppeditatam canit, quae inter primas herois virtutes a veteribus habita fuit (vid. Iliad. 1, 58. Odyss. 7, 147. coll. 1 Chr. 12, 8.). מְשַׁוֶּה רַגְלַי כָּאַיָּלוֹת *Ponens*, efficiens, *pedes meos tanquam cervarum*, cervarum pedibus meos similes fecit. Verbi שָׁוָה notio primitiva videtur esse *aequare*, *complanare*, quae arab. שَوِيَ inest, unde reliquae significationes, *exaequare*, aequalem facere, porro *aequaliter*, *convenienter* et *apte ponere*, nec non *ponere* simpliciter, facile deducuntur. Nomine אַיָּלוֹת, etiamsi

forma sit feminina, sexus utcrque promiscue designatur, sicut et אֲתוֹנוֹת nomine tam asini, quam asinae comprehenduntur Gen. 12, 16. Job. 1, 3. 42, 12. Sed et אָתוֹן, forma masc. Sing., Num. 22, 23. 25. 30. 33. verbis femineis junctum reperitur, quod idem de חֲמוֹר patet ex Ex. 13, 13., ubi פֶּטֶר חֲמוֹר *apertura asini*, dicitur foetus is, qui asinae vulvam primus recludit. Animalium vocabulis citra formationis respectum, nunc de molliore, nunc de sequiore sexu utuntur scriptores non solum sacri, sed etiam exteri. Sic Graeci de *cervis*, prout Hebraci, genere femineo utuntur crebrius. *Pedibus cervinis* autem h. l. indicatur *agilitas celeritasque* in hostibus fugiendis, quemadmodum cervi facile rupes ascendunt, et loca inaccessa, unde venatores cum contemtu despiciunt; quare pocta statim subdit: וְעַל בָּמוֹתַי יַעֲמִידֵנִי *et supra excelsa mea stare me fecit*, i. e. ad loca inaccessa, quibus tutus essem, et quorsum vis hostilis penetrare non potuit, me perduxit. Pron. voci בָּמוֹת additum, Alex., Vulgat., Syrus et Arabs nec hic, nec in Samuele exprimunt, unde tamen minime sequitur, eos illud in suis codd. non legisse. Exprimitur vero a Chaldaeo et Aquila. Exstat etiam in loco parallelo Hab. 3, 19., qui aperte ex nostro est desumtus. Est autem pleonastice hic additum, ut in locis aliis innumeris.

35. Manuum datam promtitudinem et lacertorum insigne robur nunc praedicat: מְלַמֵּד יָדַי לַמִּלְחָמָה *docens manus meas ad bellum*, gerere bellum; quod fortiter toties pugnavi, illud sane Jovae acceptum refero, cujus magisterio formatus sum ad militiam, *qui*, ut dicitur Ps. 144, 1., *informat manus meas ad proelium, et digitos meos ad bellum.* Sequitur: וְנִחֲתָה קֶשֶׁת־נְחוּשָׁה זְרוֹעֹתָי *Ut descendere faceret*, deprimeret, *arcum aeneum* unumquodque *brachiorum meorum*, i. e. ut ad arma bellica expedite tractanda aptus fierem. Arcu, insigniore armorum genere, alia simul comprehensa voluit, quum ad arcus aeneos curvandos et intendendos non parum roboris requisitum fuerit. נִחֲתָה (Praeterit. Piel verbi נָחַת) *descendere fecit*, i. e. depressit, cornua arcus, puta, ad eum intendendum. Cum verbo singulari feminino nomen construitur plurale femininum, distributive capiendum. Arcus memoratur *aeneus*, nam ex veterum (veluti Herodoti 1, 25.) testimoniis constat, arma antiquitus ex aere fabricata fuisse propter ferri penuriam. Alex. hunc locum sic vertit: *καὶ ἔθου τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μου, posuisti ut arcum aeneum brachia mea.* Legit וְנַתָּתָה. Eundem sensum exprimit Chaldaeus: *roborat instar arcus aenei brachia mea.* Nec non Syrus: *et firmavit sicut arcum aeris brachia mea.* Et legitur quoque in uno Kennicotti Cod. וְנַתָּתָה. Quod hunc sensum praeberet: *similia reddis brachia mea arcui aeneo*, i. e. firma hostibusque meis terribilia. Videtur tamen vulgaris lectio praeferenda esse, praesertim quum in Samuele Alexandrinus illam exhibeat, vertit enim: *κατάξας τόξον χαλκοῦν ἐν*

βραχίονί μου, *inclinasti*, flexisti, adduxisti *arcum aeneum brachio meo.*

36. וַתִּתֶּן־לִי מָגֵן יִשְׁעֶךָ *Dedisti mihi clypeum salutis meae*, auxilium tuum in proeliis clypei instar mihi fuit, cum ad me protegendum, tum ad repellendos hostes; planius: וִימִינְךָ תִסְעָדֵנִי *et dextera tua me suffulsit*, ne hostium ictibus, laboribus et periculis succubuerim unquam. In Samuele haec verba non leguntur, licet et ibi a Syro et Arabe expressa, sed haud dubie e Psalmo nostro inserta. וְעַנְוָתְךָ תַרְבֵּנִי *Et benignitas tua multiplicavit me.* עַנְוָה proprie *mansuetudo* (Zeph. 2, 3. Ps. 45, 5., quibus locis cum צֶדֶק jungitur), cum de Deo usurpatur, *clementiam* designat, qua supplicibus auxilium praestat. Sensum recte Kimchi explicat: quamquam hostes copiarum numero me superarent, ego tamen victor evasi, nam tua benignitas effecit, ut ego cum paucis hominibus licet numerosos vicerim, perinde ac si militum numero superassem. In Sam. pro וְעַנְוָתְךָ legitur וַעֲלָתְךָ, quod variae veteres explicarunt. Probabilis vero est eorum sententia, qui utrumque voc. idem esse putant, nisi quod ו in Ps. expressum est mobile, in Sam. quiescens. Alii, qui עַנְוָתְךָ enunciant, interpretantur: *humiliare* s. *adfligere tuum*, i. e. disciplina tua, *me adauxit.* Ita Syrus, Alex., Theodotion et Symmachus. Omnino autem membrorum parallelismo magis congruit ea verborum hebrr. in Ps. nostro interpretatio, quam e Kimchio attulimus.

37—39. Inoffensum et expeditum cursum in hostibus persequendis a Jova sibi concessum nunc praedicat: תַּרְחִיב צַעֲדִי תַחְתָּי *Dilatasti gressum meum sub me*, latum mihi locum praestitisti, ubi tuto pedes figerem. Nam ubi angustus est locus, neque tantus, ut ad vestigia sustinenda sufficiat, ibi plerumque pes labitur (vid. 4, 2. 31, 9. Prov. 4, 12.). וְלֹא מָעֲדוּ קַרְסֻלָּי *Neque tali mei vacillarunt.* Sic firmasti vestigia mea, dum currerem, et hostes meos persequerer, tanquam si per spatiosam planamque viam incederem. — 38. אֶרְדּוֹף אוֹיְבַי וְאַשִּׂיגֵם *Persequutus sum hostes meos et assequutus*, evadere sua celeritate ac dolis nequibant, quin penitus a me prosternerentur. In Sam. pro ואשיגם legitur וַאֲשַׁמִּידֵם *eosque perdidi;* formula saepius obvia, quam pro rariore librarius aliquis posuisse videtur. וְלֹא וגו׳ *Neque reversus sum, usque dum eos consummaverim*, non satis habui, illos in fugam vertisse, verum etiam nunquam caedendi finem feci, quoad omnes perderem. — 39. אֶמְחָצֵם וְלֹא־יְכֹלוּ קוּם *Percussi eos, ut surgere nequirent.* In Sam. auctius: וַאֲכַלֵּם וָאֶמְחָצֵם וְלֹא יָקוּמוּן *consumsi percussique eos, ut surgere nequirent.* Sed verbum quod praepositum est a nullo veterum exprimitur. יִפְּלוּ תַּחַת רַגְלָי *Sub pedes meos ceciderunt*, penitus occubuerunt, cf. ad 8, 7.

40. 41. Causam canit bellorum tam felici successu a se gestorum. וַתְּאַזְּרֵנִי חַיִל לַמִּלְחָמָה *Nam tu accinxisti me robore ad bellum*, verba repetita ex Vs. 33. In Sam. exstat וַתְּזָרֵנִי (pro

וַתַּאַזְרֵנִי) Syriaca scribendi ratione, ex qua א et י, literae tenuissimae, adeoque quietem amantes, vocalem suam ad proxime praeced. literam schevatam solent rejicere, ut מַלֵּף Job. 35, 11. pro מְאַלֵּף, et תֵּזְלִי Jer. 2, 36. pro תֵּאזְלִי. תַּכְרִיעַ קָמַי תַּחְתָּי *Prostravisti qui adversus me insurrexerant* (קָמַי pro קָמִים עָלַי 92, 12.); ad verbum: *cadere in genua fecisti sub pedibus meis*, proprie est vulneratorum, cum in pugna cruribus debilitatis in faciem cadunt. — 41. וְאוֹיְבַי נָתַתָּה לִּי עֹרֶף *Hostes meos dedisti mihi quoad cervicem eorum* (ערף absolute), h. e. vertisti in fugam hostes meos, ut non faciem forti animo mihi opponere auderent, sed tergum obverterent, in fugam proni. Eadem loquendi formula Ex. 23, 27. *dedi omnes hostes tuos ad te cervicem*, feci, ut cervices tibi darent. Cf. Jos. 7, 8. 12. 2 Chr. 29, 6. Pro נתתה in Sam. legitur תַּתָּה, per aphaeresin pro נָתַתָּה positum, ut רַד pro יָרַד Jud. 19, 11. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 139. וּמְשַׂנְאַי אַצְמִיתֵם *Et osores meos* quod attinet, *silere eos feci* (ea enim est verbi hebr. significatio, docente arab. צמת *conticuit)*, i. e. interfeci, nam significatione *excisionis* saepius occurrit, v. c. Ps. 54, 7. 73, 27. In Sam. transposita partic. ו habetur משנאי ואצמיתם *osores meos* dedisti mihi quoad cervicem, quod subaud. ex hemistichio priori, *atque silere eos jussi*, quam loquendi formulam, ut minus usitatam, praetulerim.

42. 43. יְשַׁוְּעוּ וְאֵין מוֹשִׁיעַ *Vociferati sunt* auxilii ferendi causa, sive ad Jovam, si hostes ex populo Isr. spectat, sive, si hemistichio hoc priori barbaros intelligit, ad Deos suos; *nec* erat *salvans*. Elegans similitudo in ישועו et מושיע, quam felicissime Alex. imitatur in Samuele: *βοήσονται καὶ οὐκ ἔστι βοηθῶν*, quamvis ibi in Hebraeo hodie legatur יִשְׁעוּ *circumspectarunt*, auxilium quaerentes. Sed magis placet lectio Ps., ob sequentia: עַל יְהוָה וְלֹא־עָנָם *ad Jovam*, *neque illis respondebit*, annuit, quae verba ostendunt, praecedere debuisse verbum, quod significat *clamare* aut *invocare*. Ceterum עַל hic, ut alias saepe, ponitur pro אֶל, quod in Sam. exstat. — 43. רוּחַ — וְאֶשְׁחָקֵם *Comminui eos instar pulveris ante faciem venti*, coram vento, i. e. comminui eos et dissipavi, quemadmodum vento pulvis dissipatur; constructio praegnans, in qua verbum *dissipare* latet, non enim nisi comminutus pulvis a vento dissipatur, et pulvis comminutus, si vento expositus sit, ab eo non potest non dissipari. In Sam. simplicius: וְאֶשְׁחָקֵם כַּעֲפַר־אָרֶץ *Pulveris terrae instar illos comminui.* כְּטִיט חוּצוֹת אֲרִיקֵם *Sicut lutum platearum effudi*, everri *illos;* imago satis quidem apta ad abjectissimam devictorum hostium conditionem exprimendam; verumtamen praeferendum videtur, quod in Sam. habetur, אֲדִקֵּם *contudi eos*, quod magis consonat verbo שָׁחַק in priori hemistichio. Similitudo arcessita inde, cum terra per imbres humectata, viatorum itione comminuitur, ut coenum s. lutum fiat, quale est, quo plateas viasque,

imprimis ubi frequentia hominum teruntur, tempestate pluvia obductas videmus. Quod additur in Sam. אֲרַקְּעֵם *calcavi eos* (a רָקַע, de quo vid. Ez. 6, 11. Gen. 1, 6), glossema sapit.

44. תְּפַלְּטֵנִי מֵרִיבֵי עָם *Eripis me a contentionibus populorum* (עם collective, sequitur enim in altero membro גוים et עם, cum verbo plurali junctum). In Sam. עַמִּי *populi mei*, ut de bello civili cogitandum esset. Sed quum reliqua Vs. pars de exteris populis agat, Psalmi lectio praeferenda est. Fortasse in Sam. olim exstiterat עַמִּים (sic in duobus Codd.), unde facile עַמִּי oriri potuit. Certe Alex. eo loco λαῶν, licet in Ps. λαοῦ, ponit. Verum illud ipsum עַמִּי pro forma plurali habent Grammatici ex Judaeis non pauci. Masora in Samuele observat, tria loca occurrere, quibus עמי pro עמים accipi posse videatur, 2 Sam. 22, 44. Thr. 3, 14. Ps. 144, 2. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 525. תְּשִׂימֵנִי לְרֹאשׁ גּוֹיִם *Constituisti me caput*, principem *gentium*. In Sam. תְּשִׁמְרֵנִי *servasti me*, conservasti me, et conservatum gentium principem constituisti. Alii: constitutum me caput gentium servas, i. e. in regno positum me vindicas et sustentas. השימני an השמרני sit praeferendum, dubito. עַם לֹא־יָדַעְתִּי יַעַבְדוּנִי *Populi, quos non cognovi*, quorum nullam antehac gessi curam, exteri, *servierunt mihi*, imperio meo subjecti sunt.

45. לְשֵׁמַע אֹזֶן יִשְׁמְעוּ לִי *Ad auditum auris obedierunt mihi*, ad solam famam nominis mei; quamprimum victoriarum mearum fama ad istos populos pervenit, statim metu perculsi, se mihi submiserunt. Saepius שֵׁמַע significat *famam de aliquo*, rumorem, ut Deut. 2, 25. *tantum vestri terrorem omnibus gentibus injiciam, ut qui audiant* שִׁמְעֲךָ *famam tuam*, h. e. de te, expavescant. Vid. quoque Ex. 23, 1. Jos. 6, 27. 2 Chr. 9, 1. Niphal יִשָּׁמְעוּ est: facti sunt mihi audientes, i. e. obedientes. In Sam. pro לשמע exstat לְשָׁמוֹעַ, quod est ejusdem significationis nomen, sed formae שׁאוֹר, יְאוֹר, תְּהוֹם. Verba בְּנֵי־נֵכָר יְכַחֲשׁוּ־לִי veteres interpp. partim de verbo ad verbum vertunt, ut Alex., qui utroque loco *υἱοὶ ἀλλότριοι ἐψεύσαντό μοι* (Vulgat. *mentiti sunt mihi*) posuit; partim sensum reddunt, ut Syrus: *subjecerunt sese mihi*. Est enim כָּחַשׁ, *mentiri*, per synecdochen *supplicem fieri*, animo licet invito ac propterea mendaci. *Subjectionem supplicem* et *servilem* iste loquendi modus manifeste indicat Deut. 33, 29. Ps. 81, 16. Quia enim in novis dominationibus penes coactos subditos fictus plerumque solet esse cultus, periculi saltem amovendi meliorisque temporis exspectandi causa, idcirco tales dicuntur *mentiri*, h. e. simulare obsequia, quum corde suo diversa plane foveant ac moliantur. Quare sensus hujus Vs. erit: tantum valuit etiam apud exteros celebritas nominis mei, ut vel inviti prae se tulerint amicitiam, ac voluntariam quoque servitutem. Leguntur Syri, et quotquot societatem cum Ammonitis coierant, quod viderent, se ab Israelitis esse superatos, pacem cum Israelitis fecisse veritique esse

deinceps ferre auxilium Ammonitis, 2 Sam. 10, 13. Pro יכחשו in Sam. exstat יִתְכַּחֲשׁוּ, sensu quidem non diverso, plura enim sunt verba, quae in Piel et Hithpael significationibus conveniunt, ut נָכַר *alienum se ostendit* Deut. 32, 27. et הִתְנַכֵּר Gen. 42, 7.; שׁוֹטַט *cursitavit* Zach. 4, 10. et הִתְשׁוֹטֵט Jer. 49, 3.; עוֹלַל *fecit* Thr. 1, 22. et הִתְעַלֵּל 1 Sam. 6, 6. Praeferenda tamen Psalmi lectio, quum et duobus aliis locis in eadem loquutione Piel usurpetur, ut usu loquendi hoc receptum videri possit. Praeterea in Sam. hujus Vs. hemistichia sunt transposita. Sed aptior videtur is ordo, quo in Ps. hemistichia sequuntur. Alex. et Chaldaeus ordinem jam mutatum reperierunt. Arabs et Syrus etiam in Samuele rectum ordinem exhibent.

46. בְּנֵי־נֵכָר יִבֹּלוּ *Alienigenae emarcuerunt;* prae metu mei foliis deciduis similes sunt facti. נָבַל de foliis marcidis et decidentibus usurpatur, vid. Ps. 1, 3. Sensus itaque: hostium meorum vires tot bellis, quae eum iis gessi, debilitatae et penitus exhaustae sunt. Eundem sensum expressit Alex. ἐπαλαιώθησαν, *inveterati sunt.* In Samuele posuit: ἀποῤῥιφθήσονται, *defluunt.* וְיֶחֱרְגוּ מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם *Trepidi e castellis suis egressi sunt.* Nom. מִסְגְּרוֹת a *claudendi* notione, quae verbo סָגַר inest, tam *claustra*, *castella*, quam *vincula*, *compedes* significare potest. Vb. חָרַג (h. l. tantum obvium) maxime convenit cum arab. حرج *arctus*, *angustus fuit*, in Conjug. quarta *arctavit*, *in angustias redegit.* Ab *angustiae* autem significatione Chaldaeis חַרְגָּא est *horror*, *timor*, *trepidatio.* Qua *timendi* notione h. l. adhibita, dupliei modo verti potest. Etenim 1) מסגרות *vinculorum* significatione accepta, Jarchi explicat: *timent*, *anguntur propter castigationes claustrorum carceris*, *quibus illos conclusos teneo et punio.* 2) *Castellorum* notione adhibita, Aben-Esra sic interpretatur: *horruerunt etiam e palatiis praealtis*, *quibus se prae timore concluserant.* Metuerunt etiam in ipsis suis turribus et munitionibus, in quibus, quamvis firmissimae essent, tamen parum sibi tuti esse videbantur. Nisi potius idem sit hujus loci sensus, qui Mich. 7, 17. יִרְגְּזוּ מִמִּסְגְּרוֹתֵיהֶם *trepidabunt*, i. e. trepidi egredientur *e castellis suis.* Non absimilis loquendi formula Hos. 11, 11. *trepidabunt*, *sicut avis*, *ex Aegypto*, trepidantes, ut fugitiva et perterrefacta avis, ex Aegypto exibunt. His adhibitis locis parallelis nostri loci interpretatio *(trepidi e castellis suis egressi sunt)* sensum poeta dignum effieit. In Sam. legitur וַיַּחְגְּרוּ. Ex linguae hebr. usu חָגַר significat *cinxit*, *accinxit*, praesertim de iis, *qui se ad iter accingunt;* viatores enim promissas vestes zonis solebant cingere, ut eo expeditiores essent (sic Israelitae Ex. 12, 11. *lumbis accincti* erant). Hinc וַיַּחְגְּרוּ hic ita erit explicandum: *accingunt*, sc. lumbos ad fugam capessendam e claustris se. latibulis, castellis ac rupibus, in quibus adhuc metu Davidis delituerunt, ne, illis a victore expugnatis, male excipiantur. Sed esse

duri quidquam atque insoliti in hac loquutione, *accingunt se e claustris*, pro, *ad fugam e claustris*, quisque ipse sentiet. Quare ego nullus dubito, Psalmi lectionem esse genuinam.

47. 48. חַי־יְהוָה *Vivat Jova!* formula fausta aeclamantis, quemadmodum homines regibus gratulaturi fausta et felicia omnia precantur, vid. 1 Sam. 10, 24. 1 Reg. 1, 39. 2 Reg. 11, 12. Similes aeclamationes subjiciuntur: וּבָרוּךְ צוּרִי *Et benedictus petra mea*, i. e. praesidium meum et propugnator meus, omnibus laudibus celebrandus! וְיָרוּם אֱלֹהֵי יִשְׁעִי *Exaltetur*, laudibus evehatur *Deus*, auetor *salutis meae!* In Sam. ante ישעי repetitur צור, librarii, ut videtur, ineuria. — 48. Celebretur הָאֵל הַנּוֹתֵן נְקָמוֹת לִי *Deus, qui mihi dedit vindictas*, vires mihi dedit, ut ab hostibus meis vindictam sumerem. *Dare alicui ultionem* est i. q. ulcisci aliquem, supplicium de hoste sumere, oppressi vindicandi causa. Cf. Jud. 11, 36. 2 Sam. 4, 8. Ez. 25, 17. Addit: וַיַּדְבֵּר עַמִּים תַּחְתָּי. Vb. דָּבַר sunt qui *perdendi* notione aceipiant, a דֶּבֶר *pestis* (Chaldaeus: *et confringit populos, qui exsurgunt ad mala mihi inferenda, pro me).* Qua notione דָּבַר reperitur 2 Chr. 22, 10. *et perdidit omne semen regium*, coll. 2 Reg. 11, 1. Alii vero significationem *ducendi*, qua דָּבַר apud Hebraeos et Chaldaeos polluit, h. l. adhibendam putant, ut Ps. 47, 4., quod praeferimus. Tunc loci sensus hic erit: *duxit*, egit, coegit, *gentes sub potestatem meam*, gregis peeudum instar (a *ducendi* significatione, *caula*, in quam dueuntur, aguntur, pecora, Hebraeis est דֹּבֶר), imagine non ineleganti ex vita pastoritia arcessita. In Sam. exstat מוֹרִיד *descendere faciens*, h. e. dejiciens gentes, easque prosternens, ac sub pedibus subjungens. Eadem formula Ps. 144, 2. Hoc vero loco poeta וַיַּדְבֵּר scripserit, an מוֹרִיד, incertus sum.

49—51. מְפַלְּטִי מֵאֹיְבָי *Qui me eripit ex hostibus meis*, pro quo in Sam. וּמוֹצִיאִי מֵאֹיְבָי *faciens me exire ex hostibus meis*, me eorum manibus expediit, vel in proeliis, vel in fugiendo Saule. אַף מִן־קָמַי תְּרוֹמְמֵנִי *Imo exaltasti me prae iis, qui contra me insurrexerunt* (cf. Vs. 40.), seeurum me reddidisti, tanquam in praealta quadam arce vel monte eonstitutum; cujusmodi similitudine supra Vs. 3. est usus. In Samuele, omissa partic. אַף, contracte legitur וּמִקָּמַי. Nota personae enallagen, sequitur enim hic 2., quum Vs. 48. fuerit 3. מֵאִישׁ חָמָס תַּצִּילֵנִי *Hominibus violentis me eripuisti.* Ad verbum: *viro violentiae*, i. e. violento. Colleetive intelligenda est hace formula, quum poeta antea semper de hostibus suis in universum loquutus esset. Idem valet de eo, quod in Sam. legitur מֵאִישׁ חֲמָסִים. — 50. יְהוָה — עַל *Propterea confiteor*, i. e. eelebro *te inter gentes, Jova!* — 51. Illum, inquit, Deum celebrabo, מַגְדִּל יְשׁוּעוֹת מַלְכּוֹ *qui magnas facit salutes regis sui*, qui beneficiis amplissimis auget et conservat, quem ipse regem constituit. Pro מגדל in Sam. Masorethae ad marginem notant legendum esse מִגְדּוֹל *turris*, h. s.:

turris, praesidium *est salutis regis sui.* Sed Psalmi lectionem praeferendam puto.

Ps. 19.

Celebrat duplicem rationem, divinam potentiam sapientiamque cognoscendi, unam ex coeli mirifica structura, alteram ex legum divinarum praecellentia. — Ob subitaneum Vs. 8. transitum a celebrata Dei, qualis in coelorum opificio sese exserit, potentia, ad praestantiae legum divinarum praeconium, nos olim in hanc incidimus conjecturam, esse hoc Psalmo duo diversa carmina, aut certe diversorum carminum particulas casu vel consilio in hoc uno conjuncta, quae ab interprete sint sejungenda. Sed missam jam faeimus istam conjecturam, ut minime necessariam. Nihil veteribus et Hebraeorum et Arabum poetis frequentius, quam in eodem carmine ab uno ad alterum argumentum subito transire. Neque quid moverit aliquem, ut duorum carminum fragmenta in unum compingeret, facile perspicitur. — Quo tempore editus sit Psalmus, probabili modo demonstrari non potest; neque etiam ad carminis intelligentiam juvat temporis, quo scriptum sit, notitia.

2—4. אֵל — הַשָּׁמַיִם *Coeli enarrant gloriam Dei*, corporum coelestium ordo et pulchritudo testes sunt ac praecones assidui gloriae atque potentiae divinae, dum, quantus sit Deus, quamquam taciti, quotidie docent et admonent; quam sententiam, pro more carminis, repetit hemistichium alterum: וּמַעֲשֵׂה וגו׳ *et firmamentum* praedicat *opus manuum suarum*, quae et quanta perfecerc queat divina sapientia et potentia, docent siderum ornatus et ingentes machinae. De רָקִיעַ vid. ad Gen. 1, 6. — 3. יוֹם לְיוֹם וגו׳ *Dies diei manifestat* (Vb. נָבַע in Arab. est *apparuit*, *manifesta evasit res*) *dictum*, verba laudis divinae, *noxque nocti indicat scientiam* laudandi Deum. Quia coelum praedicat per dies et noctes, cum interdiu princeps astrorum, sol, conspicitur, noctu stellarum pulchritudo; et quia dies et noctes sibi invicem succedunt, ideo poetico artificio fingit noster, unum diem peracto cursu et praedicatione sua, tradere diei sequenti verba praedicationis, et noctem quoque, peracto cursu, et quasi hymno cantato, tradere noeti sequenti munus canendi, ut ita sine ulla intermissione dies et noctes quasi choreas ducant, et Deum laudibus celebrent. — 4. אֵין־אֹמֶר וגו׳ *Non* est illis *sermo*, *nec verba*, *neque auditur vox eorum*, i. e. sine sermone et sine verbis, non audita voce eorum, in universam terram exit sonus eorum (Vs. 5.); sive: non existente sermone, et non existentibus verbis, non audita voce eorum, sicut Prov. 26, 20. *in non existente susurrone*, i. e. deficiente, absque susurrone, *cessat lis.* Alii interpretantur: *Non est dictum, et non sunt sermones, quorum non auditur vox*, i. e. coeli institutio est clara, est intellectu et auditu facilis, vox coelorum ab omnibus audiri, eorumque dicta et sententiae ab omnibus possunt intelligi.

5. In explicandis verbis בְּכָל־הָאָרֶץ יָצָא קַוָּם difficultatem creat voc. קַו, quod quum primo *funem* quemlibet significet (a *contorquendo*, quae notio arab. קוי inest), deinde praesertim de *resticula mensoria* usurpetur, quae *κανὼν* graece dicitur (ut Jes. 44, 13. *faber lignarius extendit* קַו *resticulam*), h. l. figurate dici necesse est; sed quo sensu, dissentiunt interpp. Chaldaeus: *in omnem terram exit extensio rerum ipsorum*, i. e. corporum coelestium, quod Jarchi sic explicat: „*Linea coelorum*, hi enim extensi sunt super totam terram, et hinc in fines terrae exeunt verba eorum (ut in altero hemist. dicitur), quoniam omnes loquuntur de rebus mirandis, quae vident.“ Quae quidem interpretatio et nominis קַו usui, et rei, de qua agitur, ita conveniens videtur, ut nos in ea acquiescere haud dubitemus. Alii קַו h. l. *chordam* notare volunt, et per metonymiam *sonum*, quem illa reddit, cum extenditur; quod ipsum interpp. antiqui videntur spectasse, e. g. Alex., qui posuit: *ὁ φθόγγος αὐτῶν*, *sonus eorum*; quod sequitur Paulus, Rom. 10, 18., ubi hunc Vs. allegoriee accommodat ad evangelii per universum orbem propagationem. — Quia vero nullum aeque sidus, ut Solis jubar, Dei majestatem attestatur; de Sole peculiariter subjicit: לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם־אֹהֶל בָּהֶם *Soli posuit tabernaculum in illis* coelis. Eo vero rationem reddidit ejus, quod de coelis cecinit, quod, et si nihil loquantur more humano, in omni tamen terra multo praeclarissime Dei virtutem et sapientiam depraedicant. *Tentorio* indicatur nocturnum solis domicilium, in quo quietem quasi capere videatur (coll. Vs. 6.). Eadem imagine usus Habacuc 3, 11., ubi זְבוּל *sedes*, idem plane est, quod hic אֹהֶל, denotatque locum illum, in quem occidens sol descendere atque intrare fingitur, ut, nocte ibidem peracta, prodeat iterum, cursum denuo peracturus: trita est Hebraeorum formula, qua sol occidens dicitur בּוֹא *intrare*, orieus צֵאת *exire*. Alex. vertit: *ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ*, *in sole posuit tabernaculum suum*, i. e. tanta soli inest majestas, ut videatur in eo Deus suummet constituisse tabernaculum. Sed longe commodior sensus prodit ex eo, quod nos in Codd. hebrr. legimus.

6. 7. כֶּחָתָן יֹצֵא מֵחֻפָּתוֹ *Similis est sponso, qui e thalamo suo procedit*, quemadmodum splendidissimis ornatum vestibus amici progredientem e cubili sponsum hilares et gratulabundi excipiunt (cf. Jo. 3, 29.), et nuptiarum festum incipitur; sic exoriente sole, et mane os aureum orbi proferente, omnes laetantur, universi orbis facies mirum in modum recreatur et velut innovatur. Videtur autem vere pulchrior et clarior quodammodo sol in ortu; seu quod ex intervallo noctis jucundius adspicitur; seu quod caligo illa noctis, cum solis radiis dispellitur, ex ipsa lucis orientis comparatione decorem illi adjicere videatur. Sed fortasse sponso prodeunti eam ob causam poeta comparat solem orientem, quia inter cetera ornamenta *corona* sponsi utebantur (cf. Cant. 3, 11.). Sol autem

cum oritur, quasi diademate quodam, et corona radiorum vibrantium redimitus videtur. חֻפָּה a חָפַף *obivit*, *circumdedit*, *operuit*, Jes. 4, 7. de omni *velo* et *tegumento* ponitur, hic vero significat *lectum*, *velis circumdatum*, aut cui velum certe praetensum est, *thalamum nuptialem*, qua eadem notione praeter hunc locum tantum Joel. 2, 16. occurrit. Simul vero ut progressus est sol, יָשִׂישׂ כְּגִבּוֹר לָרוּץ אֹרַח *gaudet*, *herois instar*, *viam* (nisi legendum sit cum affixo אָרְחוֹ *viam suam*, quod Alex. et Syrus exprimunt) *currere*. Quum tam magnum itineris spatium diurno cursu illi sit emetiendum, tantum abest, ut fatigetur, ut etiam exultet, et summis viribus ac vigore peragat, strenui viri instar, pedum pernicitate praediti (vid. 18, 34.). Quanta autem sit solis via, nunc declarat. — 7. מִקְצֵה — מִקְצָתָם *Ab extremo coelorum egressio ejus*, *et circuitus ejus ad extremum illorum*, a summo coelo, ab Oriente, exit, ac pervenit ad summum ejus, nempe in Occidentem. תְּקוּפָה, quod Ex. 34, 22. 1 Sam. 1, 20. 2 Chr. 24, 23. de *circuitu*, conversione *anni* dicitur, a קוּף *obire*, *ambire*; hic usurpatur de fine viae, cum ad eundem locum pervenitur, unde discessum erat. וְאֵין נִסְתָּר מֵחַמָּתוֹ *Nec est*, *qui se ab ejus calore abscondat*, omnia lustrat et complet vitali luce sua, neque calorem hujus latere, neque ardorem effugere quisquam potest.

8. 9. Etsi autem hoc coeli opus praeclarum est et spectabile, lex tamen Jovae idem praestat, et multo quidem luculentius, quae et ipsa est opus Dei tersum, politum, et sapientiam perfectam complectitur. תּוֹרַת יְהוָה תְּמִימָה *Lex* (voc. generale, praecepta Jovae in universum denotans, ut Ps. 1, 2.) *Jovae est perfecta*, omnibus numeris absoluta, cui nihil addi, nihil demi potest, vel ἄμωμος, sincera, vitiorum carens, errorisque plane vacua. De תְּמִים vid. ad 15, 2. — מְשִׁיבַת נָפֶשׁ *reducens animum*, reficit, confirmat, erudit animum. Loquutio illa proprie significat, animam, gravibus malis et perturbationibus e corpore veluti depulsam, revocare iterum (ita panis *revocare* dicitur *animam* famelici Thr. 1, 2.); hinc in universum *consolari*, *placare animum*, ut Thr. 1, 16. Ruth. 4, 15. Pergit noster: עֵדוּת יְהוָה נֶאֱמָנָה *Jovae praeceptum* (ab עוּד *testari*, in Hiph. et *palam professus est*, *declaravit*, propr. *declaratio*) *est verax*, erroris expers. מַחְכִּימַת פֶּתִי *sapientem efficiens imperitum*, rudes sapientia instruit. — 9. פִּקּוּדֵי וגו׳ *Quae praescribit Jova*, *recta sunt*, εὐθεῖα, nihil habent fallax aut anceps; *animum exhilarant*; *praeceptum Jovae est purum*, clarum, dilucidum, *illustrans oculos*, recreans, abstergens quasi caliginem oculos subeuntem, cf. not. ad 13, 4. 34, 6. coll. Coh. 8, 1.

10. 11. יִרְאַת יְהוָה טְהוֹרָה *Timor Jovae* (per metonym. *religio* ea, quae Jovam colendum jubet) *pura est*, sincera, labis expers. עוֹמֶדֶת לָעַד *perstans perpetuo*, Jovae praecepta permanent in aeternum. מִשְׁפְּטֵי וגו׳ *Quae edicit et decernit Jova judicio*

suo, ipsa sunt veritas, vera sunt et recta; *justa sunt universa*, Jovae mandata miram quandam inter se habent justitiae et acquitatis convenientiam. — 11. הַנֶּחְמָדִים מִזָּהָב וּמִפָּז רָב *Magis sunt expetenda auro et obryzo multo.* פָּז est *aurum praestantissimum*, a פָּזַז, diverso tamen ab eo, quod Gen. 49, 24. habetur, *levem, agilem esse* denotante. Videtur פָּז proprie Adjectivum esse, quod deinde Substantivi usu dictum fuerit de eo, quod *maxime rarum, singulare*, fere *unicum* adeoque *pretiosissimum* esset, peculiariter tamen de auro praestantissimo. Alii voc. פָּז h. l., ubi auro subjungitur פָּז רָב, de *rarissimis gemmis* usurpatum existimant. Veteres, Chaldaeo excepto, *gemmas* vertunt. Sed quum hemist. altero *mel* et *mel purissimum* commemoretur, parallelum et sensui congruens est in priori hemist. *aurum* et *aurum praestantissimum.* וּמְתוּקִים וגו׳ *Et dulcidiora melle ac destillatione favorum.* Mel in favis sapidius esse exemto illis traditur. Vid. *das a. u. n. Morgenl.* P. 4. p. 30.

12. 13. Suo ipsius testimonio vim legis declarat, et de se loquitur in 3. pers., per apostrophen sermonem ad Deum convertens: גַּם־עַבְדְּךָ נִזְהָר בָּהֶם *Etiam servus tuus illis admonetur*, i. e. contra peccatum munitur, ad salutem eruditur, quia ad vitam inculpatam instruitur. Alex. ὁ δουλός σου φυλάσσει αὐτά, *servus tuus custodit ea.* זָהַר significatione *cavendi sibi* accepit, qua Chaldaeis in *Itpehal* usurpatur. בְּשָׁמְרָם עֵקֶב רָב *in observatione eorum merces magna*, amplissimam utilitatem afferunt iis, qui ea diligenter observant. — 13. Ego quantum possum mihi caveo, sed vereor tamen, ne forte in errorem aliquem imprudens ac nesciens incurram, quis enim cuncta sua errata possit animadvertere? שְׁגִיאוֹת וגו׳ *Errores quis intelliget; ab occultis*, qui me ipsum latent, *munda me*, expia me. Peto a te, ut me ab iis absolvas, quae nosse non possum, ea non punias. שְׁגִיאָה et שְׁגָגָה plerumque usurpatur de peccatis ex ignorantia et incogitantia commissis, ut Lev. 4, 2. 22. 27. Coh. 5, 5.

14. 15. גַּם מִזֵּדִים חֲשֹׂךְ עַבְדֶּךָ *Etiam a protervis abstrahe servum tuum.* Non tantum, inquit, peto, ut me ab occultis absolvas, et quae forte imprudens commisi, sed facias, ut nunquam volens et sciens adversus te peccem. זֵדִים Ps. 119, 21. de *hominibus protervis* dictum h. l. sensu neutro accipiendum, ut vim Subst. obtineat, quod haud raro Adjectiva solent. Erunt igitur זֵדִים *peccata voluntaria*, animo praefracto commissa; quemadmodum Deut. 17, 12. 18, 22. qui *scientes* peccant, facere id dicuntur בְּזָדוֹן *superbia.* Quodsi זֵדִים de hominibus capias, Deo praefracte refractariis, qui Jerem. 43, 2. Mal. 3, 15. 19. cum maleficis conjunguntur, poeta petet a Deo, velit ipsum a tyrannide sceleratorum liberare, ne eorum consortio exemploque incitatus se iisdem, ac illi, gravibus peccatis se implicet. Alex. καὶ ἀπὸ ἀλλοτρίων φεῖσαι τοῦ δούλου σου, *et ab alienis parce servo tuo*, ut Vulg.

reddidit, quasi מִזָּרִים legisset. *Alienis* vero vel *homines*, vel *dii* indicantur. Ita poeta Jovam orabit, velit prohibere, ne aut ipse unquam deorum alienorum cultui sese addicat, aut in consortium et potestatem eorum hominum veniat, qui deos alienos colerent. Sed sensum contextui aptiorem nostra lectio effieit. אַל־יִמְשְׁלוּ־בִי *ne dominentur in me*, tunc enim tuus servus esse desinerem. אָז אֵיתָם *Tunc integer ero*, i. e. innocens coram te, et vacabo culpa gravi, quae irritet iram tuam. אֵיתָם referendum ad תָּמַם *integer fuit*, ut sit prima fut. Cal, inserto Jod per epenthesin (pro אֶתְמַם) et cum Camez ob pausam. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 366. Ita quoque veteres omnes acceperunt, excepto Syro, qui haec verba omisit. וְנִקֵּיתִי מִפֶּשַׁע רָב *et mundus ero a delicto magno*, si semel compescueris affectus malos, immunis ero a multis delictis. — 15. לְפָנֶיךָ — יִהְיוּ *Sint ad beneplacitum*, i. e. grata et accepta tibi *verba oris mei*, *et meditatio cordis mei coram te.* Verba optantis, ut orationi suae annuat Deus, et votis propitius adsit. Nisi sensus forsan sit hic: os meum loquatur tantum quod tibi et gratum est, nihil constituat aut concipiat animus meus, quod tibi contrarium sit. צוּרִי *petra mea* (vid. 18, 3. 32. 47.), tui solius praesidio nitor, te omnis salutis auctorem agnosco. Addito גּוֹאֲלִי *vindex meus*, videtur ad id respexisse, quod sola ejus bonitate a peccatis eorumque poenis liberari se posse sentiret.

Ps. 20.

Populus regi cum exercitu ad bellum anceps et difficile proficiscenti omnia fausta et prospera apprecatur (Vs. 2—5.), speratque, cum victor e bello fuerit reversus, exultaturum et triumphaturum (6—9.), atque ut in posterum etiam Jova eum salvum et incolumem servare velit, orat (10.). — Plerique interpp. in expeditione contra Ammonitas suscepta (2 Sam. 10, 6. sqq.) carmen hoc compositum credunt, propter memoriam curruum et equitum Vs. 7., quum nulli unquam hostes plus curruum et equorum contra Davidem eduxerint. Quod tamen nequaquam τεκμήριον est, quum et alii Hebraeis vicini et infesti populi in bellis curribus et equis uti solerent. Quum igitur generaliora sint, quae in Ps. occurrunt, quam ut certae temporis, quo editus sit, notae haberi possint, in eo acquiescimus, ut illum occasione certae expeditionis factum, mansisse postea communem precum formulam ad omnes statuamus, ut inter preces et sacrificia regis (Vs. 4.) a populo aut musicis templi caneretur, forsan alternis choris, ut alter chorus vota pro salute regis faceret, alter de re prospere gesta testaretur, populoque ac regi de ea gratularetur.

2—5. Precatur populus: יַעֲנְךָ יְהוָה וגו׳ *Respondeat tibi Jova die angustiae*, exaudiat te, regem, cum auxilium ejus rogas; *exaltet te*, in tuto te collocet, tanquam in locum altum, quo vis hostilis pertingere nequeat, *nomen Dei Jacobi*, i. e. Deus populi

Isr. praeses, et custos, et propugnator. — 3. יִשְׁלַח וגו׳ *Mittat auxilium tuum de sancto, et ex Sione*, ubi tunc erat arca sacra, *suffulciat*, confirmet et corroborct *te*. Quod ex ipsa numinis sede auxilium regi mitti orant, illius opis certitudinem videntur indicare, perinde ac si dixissent: certum tibi a se ipso Jova auxilium mittat, ipse tibi opituletur. — 4. Solebant qui serio quid precaturi tabernaculum adibant, simul hostiis, et nominatim holocaustis atque pacificis, quae vocantur, suam pietatem testari, et Dei benevolentiam quasi eblandiri (cf. e. c. 1 Sam. 13, 9. 2 Sam. 24, 25.). Ita verisimile est, Davidem, priusquam difficile et arduum bellum aggrederetur, cujus occasione hic Ps. est factus, publicam supplicationem instituisse, et rege dignas hostias immolasse, sic opem Dei precatus. Hinc orat populus: יִזְכֹּר וגו׳ *Recordetur*, rationem habeat, *omnium libamentorum tuorum* (de מִנְחָה *sacrificio farreo*, quod cibis oleo adspersis, additoque thure constabat, vid. Lev. 2.); *et hostiae tuae sint*, habeantur, *pingues*, pro: acceptae habeantur. Qui enim sincerius Dei studium probare vellent, selectiores et pinguiores solebant hostias immolare. Lex sane ipsa poscebat hostiam תְּמִימִים *integram*. Quare et per prophetam Malcachi 1, 8. Jova Judaeos objurgat, quod sibi hostias claudas, male sanas, et macras offerrent. Non utique quod hominis dona, aut quaslibet victimas moraretur per se Deus (vid. Ps. 50, 8. 9. 13. al.); sed quod viles hostiae, vilem quoque haberi ipsum in animis offerentium demonstrarent. — 5. יִתֶּן־לְךָ וגו׳ *Det tibi secundum cor tuum*, largiatur tibi, quicquid expetit animus tuus, et nunc praesertim felicem successum expeditionis, quam contra hostes suscipis; *et omne consilium tuum impleat*, optato eventu secundet.

6. 7. Cum victor e bello fueris reversus, ac ita Jova votorum compotem te fecerit, נְרַנְּנָה בִּישׁוּעָתֶךָ וּבְשֵׁם אֱלֹהֵינוּ נִדְגֹּל, quod ex fine Vs. huc trahendum est, tunc נְרַנְּנָה — נִדְגֹּל *ovabimus de salute tua, et in nomine Dei nostri vexillum erigemus*, quod ita explicant: in Dei nostri gloriam signa sustollemus, et victoriae monumenta ponemus; sive levatis in signum laetitiae vexillis ac signis carmina tibi canemus. Sed Alex. (*μεγαλυνθησόμεθα*, *magnificabimur*) et Syrus (*exaltabimur*) videntur legisse נְגַדֵּל. Ita sensus erit hic: gloriabimur et exultabimus de Deo nostro. Eodem modo verba רָנַן et גָּדַל etiam conjunguntur Ps. 35, 27. Eandem tamen *gloriandi exultandique* notionem etiam verbo דָּגַל tribui posse quidam censent, quum primigena illius potestas in *splendendo* sit posita, eademque figura verbi הָלַל propria significatio, quae est *splendere*, ad *gloriandum* et exultandum transferatur. — 7. Sequitur informatio eorum, quae pro gloria Dei dicturus sit populus parta victoria, et quale *ἐπινίκιον* tum canere velit, formula Epinicii composita ante victoriam. Ita omnia erunt plana et consentanea, quae alioqui impeditissima sunt, et temporum mutationibus minime erit opus. Mimesi vero poeta inducit singulos Israelitas, et unum-

quemque pro se gratulari, idque magno animi fervore, indicet, et fortasse hic Vs. ab uno solo tantummodo cantorum recitabatur. עַתָּה — מְשִׁיחוֹ *Nunc cognovi, quod Jova servat unctum suum*, nunc animadvertere licet, Jovam adesse Regi suo; *exaudit eum de coelo sancto suo*, abunde patefactum est, preces regis nostri in monte Sion fusas, a Jova in sacrario coelorum auditas, i. e. Deum ipsum illi opem tulisse, בִּגְבוּרוֹת יֶשַׁע יְמִינוֹ *potentia salutis dexterae suae*, adesse illi salvifica potentia sua.

8. 9. His Vss. gemina antithesi et hostibus propria virtute confisis insultat, et Dei bonitatem suos magnifice defendentis, praedicat: אֵלֶּה בָרֶכֶב וְאֵלֶּה בַסּוּסִים *Isti*, hostes nostri, *curribus*, *isti equis* sc. gloriati, confisi sunt, הֵזְכִּירוּ proprie *recordati sunt*, fastuose illos semper commemorarunt, quod sub finem commatis. *Currus* intellige bellicos, e quibus milites pugnare solebant; sive *currus falcatos*, quorum axibus additae erant falces ferreae acutissimae, quibus ipsis citato cursu in medium perrumpebant militum agmen, illudque confundebant. Currus vero illos eo magis metuebant Hebraei, quo minus ipsi illis utebantur. Vid. Jos. 17, 16. Jud. 1, 19. 4, 3. al. Verba וַאֲנַחְנוּ וגו׳ plures vertunt: *sed nos Deo nostro gloriamur*. זָכַר in Hiph. est *commemorare*, tum praesertim *cum laude alicujus mentionem facere*, aliquem celebrare (Ps. 45, 18. 71, 6. 77, 12. al.). Verum alii נַזְכִּיר i. e. *memorari fecimus*, referunt ad preces et incensum, h. s.: illi confidebant multitudine curruum et equitum, nos autem sola Dei nostri spe nixi sumus, eoque in nomine ejus preces fudimus, et incensum adolevimus, ut ab ipso, quo nostri ad salutem memor esset, impetraremus. Nam מִנְחָה (Vs. 4.) dicitur Lev. 2, 2. 24, 7. אַזְכָּרָה *memoriale* s. *commonefactorium*, quod nimirum offerentes per illud se Deo commendarent. Quare h. l. vertendum erit: *nos vero Deum nostrum invocamus*. Futurum enim actum indicat continuum. Attamen quum ejusmodi invocatio cum laude fieri soleret, non abs re foret, נזכיר hic *celebrare* reddere. Ita Josaphat ante pugnam invocavit Deum ejusque potentiam praedicavit, 2 Chr. 20, 6. sqq. — 9. הֵמָּה כָּרְעוּ וְנָפָלוּ *Isti incurvarunt se*, i. e. plane fracti et humiliati sunt, quum antea erecto collo superbe incederent, *et ceciderunt;* nihil illis profecit tantus belli apparatus, de curribus et equis dejecti terram suis corporibus tegunt. וַאֲנַחְנוּ קַמְנוּ וַנִּתְעוֹדָד *nos vero*, qui Jovam propugnatorem habemus, *stamus et erectos nos sustinemus*, erecti et firmi in acie consistimus. Verbum עוד *stetit*, in *Piel* bis occurrit, Ps. 146, 9. et 147, 6. *(statuminat*, confirmat, *Jova pios, impios vero humi deprimit)*. Hithpael non nisi hic legitur.

10. Masorethae, qui voci הוֹשִׁיעָה accentum Athnach apponunt, ita jubent distinguere et vertere: *Jova, serva* (nos), *Rex exaudiat nos, cum eum invocaverimus*. Emphasin esse volunt in voce הַמֶּלֶךְ *ille rex noster;* ut significet Davides, regem non se,

sed Jovam verum populi regem esse, et ipsius opus victoriam illam fuisse. Ita Syrus: *Dominus servabit nos, et rex noster respondebit nobis.* Verum commodior sensus nascitur, si cum Alex. et Vulgato vertimus: *Jova, serva regem!* Quis enim hujus carminis, quo votum pro salute regis continetur, aptior epilogus, quam ille? Vix etiam reperias locum, quo Deus *rex* absolute appellctur. Pro יַעֲנֵנוּ Alex. posuit ἐπάκουσον ἡμῶν, *exaudi nos*, vel quod legerit וַעֲנֵנוּ, vel quod emendare voluerit enallagen personae, quae hic forsan esset durior; ut saepe alias fecit. Verum retenta hodierna legendi ratione absque enallages figura licet hunc Vs. sic interprctari, ut in priore quidem hemistichio populus Jovam oret, velit praesto adesse regi, in posteriore vero idem populus, certa concepta fiducia, hoc dicat: profecto Jova nostras audiet preces, quotiescunque eum appellabimus. Huic sententiae suffragari videntur Vss. 7. et 9.

Ps. 21.

Populus felicem praedicat regem, divina ope tam mirifice adjutum, ut omnium votorum compos factus, prospere et summa cum gloria regnum administraret (Vs. 2—7.), confiditque fore, ut Jova in posterum etiam regem tueatur, ab omniquc detrimento sincerum integrumque conservet, hostibus suis cunctis excisis, penitusque deletis (Vs. 8—14.). — Interpretum plerisque hoc carmen est ἐπινίκιον in victoriam de illis hostibus reportatam, adversus quos dum in eo esset rex, ut expeditionem susciperet, Ps. 20. populus auxilium divinum imploravit. Verum etsi prior Psalmi pars gratiarum actionem contineat, tamen esse eum de ejusmodi victoria accipiendum, quae nondum esset absoluta, sed inchoata tantum, quum restarent adhuc hostes multi, arguunt preces, quae inde a Vs. 9. habentur. Ceterum Davidici quidem regni temporibus bellicis etsi conveniant Vss. 9—13., tamen multo sunt augustiora et illustriora, quae de rege, quem hic Ps. celebrat, praedicantur, praesertim, quae Vss. 5. 7. habentur, quam ut in Davidem aut aliquem eorum, qui ei in regno successerunt, recte cadere videantur. Quemadmodum igitur Ps. 2. Messiam omnes suos adversarios suo imperio subjecturum canere vidimus, ita idem et hujus carminis argumentum esse haud dubitamus. In quo consentientes habemus priscos Hebracos, qui, Chaldaeo praeeunte, hoc Ps. *Messiam* cani statuerunt.

2. 3. Populus consideratione beneficiorum, quibus Jova regem affecit, in admirationem raptus, beatum et felicem eum praedicat, dum ipsum gaudio summo propter opem divinitus latam exultarc dicit: מֶלֶךְ — יְהוָה *Jova, in virtute tua rex laetatur*, i. c. propter virtutem tuam, qua ipsi succurristi. וּבִישׁוּעָתְךָ וגו׳ *et de ope tua quam impense laetatur!* In יָגִיל, quod pro יָגִיל positum est, accentus ab ultima syllaba retrahitur ad penultimam

propter vicinitatem accentus ejus, qui proxime sequitur. — 3. לוֹ — תַּאֲוַת *Desiderium cordis sui ei dedisti. Desiderium*, per meton. *res desiderata*, ut *desiderium oculorum* (Ez. 24, 6. Hagg. 2, 8.), quod oculi libenter vident. וַאֲרֶשֶׁת וגו׳ *Et petitionem labiorum suorum non avertisti*, nihil unquam precibus ejus negasti. *Petitio labiorum*, precatio ore prolata, *desiderio animo concepto*, quod praecessit, opposita est. Voc. אֲרֶשֶׁת, *petitio*, *δέησις*, hoc tantummodo loco occurrit.

4. 5. טוֹב — כִּי *Nam praevenisti eum benedictionibus bonitatis*, optimis illum beneficiis gratuito cumulasti, imo, antequam peteret, praevenisti. Vb. בָּרַךְ saepe quidem *bene precari* valet, sed pro ipsa etiam *beneficentia*, tam hominum, quam Dei, simul usurpatur. Quo sensu ברך occurrit Gen. 12, 2. et Subst. בְּרָכָה Gen. 33, 11. קִדֵּם *praevenire*, aut *antevertere*, usurpatur et Ps. 18, 19., sed de malis, quae Davidem praevenerant, h. e. quasi in ipsum incurrerant. Hoc loco significatur, quocunque rex se vertisset, Dei bonitate factum, ut undique illi bona obviarent, sese que ultro offerrent. Ceterum haec verba de regno Messiae concesso intelligenda videntur, quod etiam suadet hemistichium alterum: תָּשִׁית וגו׳ *imposuisti capiti ejus coronam gemmarum* (de פַּז vid. supra 19, 3.), regem eum fecisti, et caput ejus regio diademate cinxisti. *Corona* per meton. *regni* decus et majestatem significat. — 5. *Vitam abs te petiit*, *dedisti ei longitudinem dierum ad seculum et perpetuitatem*, quod petiit, et plus etiam, ei concessisti. עוֹלָם solum, etsi haud raro *longum tempus*, durationem juxta subjectam materiam significare constet (Ex. 21, 6. Deut. 15, 17. *servus perpetuus)*; tamen junctum nomini עַד semper quam proprie dicimus, *aeternitatem* denotat. Ita saepius de Jova aeternum regnante, ut Ex. 15, 18. Ps. 10, 16. 45, 6. 145, 21. Dan. 12, 3. Davidi vero non competere *aeternitatis* mentionem, vix est quod moneamus. Masorethae infra voc. לוֹ accentum *Athnach* posuerunt, ut significarent, poetam duo voluisse dicere, datam et vitam, quam petiit, et simul vitam longaevam: neque enim Hebraeis insolens est, ut unum verbum duabus particulis respondeat.

6—8. גָּדוֹל כְּבוֹדוֹ בִּישׁוּעָתֶךָ *Magna est gloria ejus per salutem tuam*, per te, tua ope salutari (vid. Vs. 2.), magna gloria ei collata est. הוֹד וגו׳ *gloriam et decorem ei imposuisti*, contulisti in eum uberrime, et quasi onere imposito cumulasti. — 7. Vates infinitam Messiae felicitatem veluti summatim comprehendit, dum non sine affectu subjicit: כִּי־תְשִׁיתֵהוּ בְרָכוֹת לָעַד *Nam posuisti eum beneficentias perpetuas*, q. d. quid innumera numerare conor? ut in summa dicam, effecisti, ut non jam beneficiis tuis auctus et ornatus, sed ipsa tua beneficentia recte dicatur, adeo in eum illam largiter effudisti. De בְּרָכָה vid. Vs. 4. לָעַד *sempiternam* esse ejus felicitatem, exprimit, sine termino. תְּחַדֵּהוּ וגו׳ *Exhilarasti eum laetitia coram facie tua*, benigna et blanda, i. e. laetitia

ingente affecit eum serenus et benignus vultus tuus. אֶת־פָּנֶיךָ *coram aliquo*, cf. 16, 11. 140, 14. — 8. כִּי עֶלְיוֹן — *Quoniam rex confidit in Jova, et in bonitate Altissimi.* Quorum verborum ratio ultimis Vs. voec., בַּל־יִמּוֹט *non commovebitur*, contineri videtur, h. s.: idcirco numquam nutaturum Regem aut ejus regnum, quod uni Jovae ejusque virtuti Rex innitatur, non viribus, et multis copiis, quae saepe fallunt, et incertos exitus habent. *Altissimus*, in cujus est potestate, servare et benefacere cui voluerit.

9 — 11. Populus nunc ipsum Messiam compellat: תִּמְצָא יָדְךָ לְכָל־אוֹיְבֶיךָ *Inveniet manus tua omnes hostes tuos*, assequeris omnes hostes tuos, ac nemo manus tuas effugiet, sive potentiam, qua illos comprehendes et perdes. לְ voci כֹּל praefixum inservit constructioni verbi מָצָא, designatque h. l. Accusativum, ut Syris vulgo, nec raro etiam Hebraeis, ut Job. 5, 2. לְאֱוִיל *stultum* eneeat indignatio, Ex. 18, 20. scire facis לָהֶם *eos*. Sunt, qui mallent sic vertere: *sufficiet manus tua omnibus hostibus tuis*, ut alterius auxilio non indigeas. מצא cum ל explicant *sufficere*, ut Num. 11, 22. Sed magis concinna huic loco esse videtur usitatior *inveniendi*, *apprehendendi*, *assequendi* significatio. — 10. Vates nunc neminem ex hostibus Messiae non interiturum praedicit. תְּשִׁיתֵמוֹ כְּתַנּוּר אֵשׁ *Pones eos instar clibani ignis*, h. e. ardere faeies eos, instar clibani ardentis et ineensi. Nisi forsan breviata haec loquutio fuerit pro hac pleniore: תְּשִׁיתֵמוֹ כַּאֲשֶׁר תְּשִׁיתֵמוֹ בְּתַנּוּר אֵשׁ *pones eos tanquam si poneres eos in fornacem ignis.* לְעֵת פָּנֶיךָ *Tempore vultus tui*, nempe irati, ac prae ira quasi flammantis; cum adversus eos iram tuam effundes, cum ultionem de iis sumes. פָּנִים *vultus iratus*, Ps. 9, 4. Thren. 4, 16. al. יְהוָה בְּאַפּוֹ יְבַלְּעֵם *Jova in ira sua eos absorbebit*, obruet et conficet eos. Alex. videtur legisse יְבַהֲלֵם (*συνταράξει αὐτούς*), quasi: *trepidos in fugam vertet.* Sed similitudini cum igne multo magis congruit בָּלַע *absumere*, quam בָּהַל *perturbare.* וְתֹאכְלֵם אֵשׁ *Et absumet eos ignis*, sc. irae divinae vel variarum plagarum. *Ignis* saepe depingit iram Dei, vel poenas a Deo irato inflictas, vid. Deut. 4, 24. 32, 22. Ps. 18, 9. — 11. Etiam posteritatem hostium tollendam canit: *Fructus eorum* (פִּרְיָמוֹ) *de terra peribit, et semen* (וְזַרְעָם), posteri, *eorum ex hominibus*, ex hominum societate penitus exscindetur. *Posterorum* notione פְּרִי usurpatur etiam Thren. 2, 20. Hos. 9, 16.

12. Causam, cur delendi sint hostes Messiae, nunc indicat. כִּי־נָטוּ עָלֶיךָ רָעָה *Quia tenderunt contra te malum*, nihil non contra te machinati sunt. Metaphora deducta ab expansione retium, ut aliquis illaqueetur, ut 140, 6. Pergit: חָשְׁבוּ מְזִמָּה בַּל־יוּכָלוּ, intellige לַעֲשׂוֹת *facere*, *perficere*. Duplex h. l. est ellipsis, ima pronominis rel. אשר, post מזמה, altera Infinitivi, post verbum יָכֹל non raro supplendi, ut Ps. 101, 5. *superbum non* אוּכַל *possum*, sc. לָשֵׂאת *ferre*, quod ipsum additum est Jer. 44, 22. coll. Prov.

30, 21., omissum vero, ut h. l. Jes. 1, 13. Jer. 5, 22. Bene ac eleganter itaque verba nostra reddidit Symmachus: *ἐλογίσαντο εὐνοίας ἀδυνάτους, ceperunt ea consilia, quae non poterant ab ipsis explicari.* Alii יכל *praevalendi* notione accipiunt, ut Ps. 13, 5. 129, 2., et מזמה in malam partem, ut alias saepe, ubi res et contextus poscit, veluti Job. 21, 27. Ps. 10, 2. 4. 37, 7. Tum nihil erit subaudiendum, verum sic vertendum: *fraudem machinati sunt, sed non praevaluerunt.*

13. תְּשִׁיתֵמוֹ שֶׁכֶם *Pones eos humerum*, i. e. dorsum, idem quod Ps. 18, 41. *dedisti hostes meos mihi cervicem*, s. *tergum*, i. e. in fugam vertisti, atque terga dare coëgisti. Sic jam Alexandrinus: *ὅτι θήσεις αὐτοὺς νῶτον*, Vulgatus: *quoniam pones eos dorsum.* Eodem modo Symmachus: *ὅτι τάξεις αὐτοὺς ἀποστρόφους, constitues eos aversos.* בְּמֵיתָרֶיךָ תְּכוֹנֵן עַל־פְּנֵיהֶם Cum *in nervis tuis aptabis*, intellige חִצֶּיךָ *sagittas tuas* (ex Ps. 11, 2.) *contra facies eorum*, i. e. simul ac tela tua adversus eos dirigis, sc. fugient. Solennc est nomen חִצִּים omitti, ut post הוֹרָה 1 Chr. 10, 3. coll. 1 Sam. 20, 36.; post יָדָה *projicere*, Jer. 50, 14.; nec non post הִשְׁלִיךְ *conjicere* tela, vid. Job. 27, 22. coll. Num. 35, 20. 22. מֵיתָר in genere est *funiculus*, veluti tentorii (Jer. 10, 20. Jes. 64, 2. Ex. 39, 40.); h. vcro l. nervus arcus sagittarii, qui alias, ut Ps. 11, 2., יֶתֶר dicitur.

14. Ultimo orat, ut porro et semper se Jova virtute sua extollat, רוּמָה יְהוָה בְּעֻזֶּךָ, h. e. exserendo suam potentiam, declaret, se omnibus supereminere, quo perpetuo fiat, ut Israeliticus populus virtutem ejus depraedicet, unde addit: נָשִׁירָה וּנְזַמְּרָה גְּבוּרָתֶךָ *canemus et celebrabimus virtutem tuam*, quae tuetur tibi fidentes, sternitque repugnantes.

Ps. 22.

Lugubris lamentatio hominis, gravissima calamitate atque miseria conflictantis. Queritur, se hostibus truculcntis atque insolentibus, qui vitae suae insidiarentur, undique cinctum, ut vix elabendi via pateat, et pacne de se sit actum (Vs. 2—11.). Quo in summo fortunae et vitae discrimine ardcntissimas preces ad Jovam fundit, velit ipsum ex hostium manibus eripere (12—22.). Cujus beneficii semper se memorem futurum dignasque Jovae sospitatori grates justis honoribus persolvere promittit (23—26.). Jam vero certam spem coneipit, preces suas non incassum missas esse, atque hac spe erectus Jovae benignitatem et potentiam summis laudibus veneratur (27—32.).

Inscriptio *Davidem* hujus Ps. auctorem perhibet. Verum nullo vitae suae tempore Davidem tam atrocia perpessum deprehendimus, qualia conqueritur pars carminis prior elegiaca, uti contra nec tam augusta et magnifica illi contigerunt, nec sperare facile potuit fore

ut talia sibi unquam accidant, qualia celebrat pars posterior eucharistica. Quare non dubitamus cum Hebraeis interpretibus hunc Ps. iis accensere, qui totius populi Hebraei acerba fata inter barbaros oppressores sub imagine hominis omni cruciatuum genere affecti conqueruntur, atque divinam opem implorant, quales Pss. habuimus 6. 12. et 13. et deprehendemus plures alios. Qua quidem sententia adscita Psalmum non esse Davidis, vix est quod moneamus. Cur autem huic aliisque Pss. Davidis nomen sit praescriptum, rationem probabilem reddere tentavimus sub finem argumenti Ps. 13.

Jesu, Messiae, in crucem acti, et jam morientis fata in hoc Ps. adumbrari, imo nullum esse, quotquot sint argumenti prophetici carmina, quod hoc nostro praeclarius ultima Jesu fata certiusque canat, interpretibus Christianis longe plerisque (quibus nuper accessit Hengstenberg *Christologie des A. T.* P. I. p. 175. seqq.), persuasissimum est. Plura enim huic Ps. inesse dicunt, quae, quum plane aliena sint a Davidis historia, cum his, quae Jesus crucifixus perpessus atque loquutus esse narratur, tam mirifice conveniant, ut non aliunde proficisci potuerint, quam ex eo spiritu, qui res futuras praedixeret. Vid. Vs. 2. coll. Matth. 27, 46., Vs. 9. coll. Matth. 27, 43., Vs. 17. coll. Jo. 20, 25., Vs. 19. coll. Matth. 27, 35. Jo. 19, 24. Quibus quidem locis et aliis similibus quantum insit ponderis ad illam sententiam stabiliendam, videbimus in ipsa carminis interpretatione. Nunc hoc monuisse sufficiat, occurrere in hoc Ps. non pauca, quae Jesu nullo modo conveniant. Primo enim persona in hoc Ps. loquens dicit se cinctam esse ab hostibus, sed nondum prehensam et ligatam, Vs. 12. 13. 21. 22. Deinde persona loquens rogat, ne morti tradatur, sed in vita conservetur, Vs. 21., quod non convenit Messiae, e cruce pendenti, morti proximo. Item Vs. 22. orat, ne in manus hostium veniat, et eorum violentiae et crudelitati succumbat. Sed Jesus omnis generis crudelitates ab hostibus suis est perpessus. Porro dicit, se dies noctesque frustra clamasse, Vs. 3. Quae verba longiorem moram indicant precum a Deo neglectarum, neque conveniunt Jesu, ad paucas tantum horas in cruce pendenti. Neque ejus personam decet desperatio summa, quam is, qui in Ps. loquitur, prae se fert, penitusque secum actum dicit. Quamquam enim Christus non omnis timoris aut anxietatis expers fuerit, tamen in extrema sua passione magnam animi tranquillitatem ostendit, certus resurrectionis suae et futurae gloriae. Tandem persona loquens Vs. 5. 6. provocat ad majores suos Deo fisos et liberatos. Jesus autem longe aliam liberationem sperabat, quam illi majores sui erant consequuti. Jam itaque non pauci interpp., quum alia in hoc Ps. cum Jesu fatis convenire, alia ab iis aliena esse viderent, ad hanc perducti sunt sententiam, carmen de utroque, Davide et Jesu, interpretandum esse, ita ut dum Davides de se rebusque suis loqueretur, spiritu prophetico simul Messiam moribundum descri-

beret. De qua quidem interpretandi ratione quid nobis videatur, diximus in argumento Ps. 16. Inprimis vero legenda sunt, quae de hac re accurate et exquisite disputavit G. F. Hufnagel in Dissertatt. *de Pss. prophetias Messianas continentibus* (in Commentatt. theoll. edit. a Velthusen et Kuinoel. Vol. III. p. 61. sqq. coll. Vol. I. p. 501. seqq. Vol. V. p. 19—41.). Cf. et Eckermann *Theoll. Beiträge.* Fasc. I. No. 35. 36.

1. עַל־אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר *Secundum* (modos musicos cantionis quae dicitur, vel, quae incipit verbis): *cerva aurorae* (cf. Explicat. Titull. supra p. 14.), i. e. *primum diluculum.* Certe Judaeos seriores tempus matutinum inde a prima lucis apparitione usque ad plenum solis ortum in quatuor partes distinxisse, quarum primam vocabant אַיָּלְתָּא דְשַׁחְרָא *cervam aurorae*, loca Talmudica probant. Arabes quoque *solem* simili dictione figurata *dorcadis* s. *cervae* (גַּזאלה) appellant, quia ut per cacumina celsiora emicant doreades eandore insignes, ita sol per coelum decurrit. Quemadmodum autem Arabibus גַּזאלה, ita Hebraeis אַיֶּלֶת commune est nomen corum animalium, quae ex *caprearum* s. *gazellarum* sunt genere. Erit itaque אילת השחר *initium aurorae*, quod apud Hebraeos et Arabes alio nomine *columna aurorae* vocatur.

2. Hoc et sq. Vs. poeta inducit se summo dolore afflictum ad Jovam pro auxilio indesinenter clamasse, nec tamen fuisse auditum: עֲזַבְתָּנִי — אֵלִי *Deus meus, Deus meus, quare me deseruisti?* Vox אֵל quandoque *robur* (Ez. 31, 11. Gen. 31, 29.), quandoque *numen potentissimum*, Deum, significat, ut Ps. 18, 3. Adhibuit haec verba Jesus crucifixus, Matth. 27, 46. Marc. 15, 34., sed ita, ut pro hebr. עזבתני uteretur chald. שְׁבַקְתָּנִי, quod ipsum hodie in chald. paraphrasi h. l. exstat. רָחוֹק — שַׁאֲגָתִי *longinquus* es *a salute mea, rugitus*que *mei verbis;* nihil proficio meis clamoribus, me prorsus non curas, instar ejus, qui a supplicante recedit longissime, neque ejus vel vocem vel literas admittit, ut Ps. 10, 1. coll. Prov. 15, 29. Verba רָחוֹק מִישׁוּעָתִי concise posita sunt pro: וְלָמָּה תִּהְיֶה רחוק מישועתי. Ante דִּבְרֵי שַׁאֲגָתִי repetenda est part. מִן e nomine praecedente, quemadmodum eadem illa particula Jer. 47, 3. *ἀπὸ τοῦ κοπετοῦ* est repetenda. שְׁאָגָה proprie est *rugitus leonis*, coll. Vs. 14. Jes. 5, 29. Zach. 11, 3. Job 4, 10., unde transfertur ad vocem immanem et horribilem, qualem viri alioquin fortes, quum intolerabili cordis angore distringuntur, et quamlibet renitentibus, vis doloris exprimit, emittere solent, quo sensu haec vox legitur Ps. 38, 9.

3. אֶקְרָא יוֹמָם וְלֹא תַעֲנֶה *Clamo interdiu, sed non respondes*, nec verbo, nec facto ipso auxilium ferendo. Metaphora sumta a rege, qui supplicantem responso non dignatur, multo minus petita praestat (cf. Ps. 13, 4. 17, 6.). וְלַיְלָה *et noctu*, sc. אֶקְרָא, quod verbum esse repetendum, ostendit accent. distinct. *Rbhia.* וְלֹא דוּמִיָּה לִי *neque silentium* contingit *mihi*, h. e. neque interdiu

neque noctu a suspiriis levamen sentio, sed perpetuis jactor perturbationibus. Voluit poeta his verbis geminare, quod praemiserat: *non annuis mihi.*

4. Admirabundus dicit: וְאַתָּה וגו׳ *Et* tamen *tu sanctus* es, *sessor laudum Israelis*, et tamen tu Deus es ille, qui habitas in Israele, te laudibus efferente. קָדוֹשׁ *numen venerandum*, ut saepe. יוֹשֵׁב, ubi nomen substantivum post se habet, semper significat *habitatorem* ejus rei, quae substantivo nomine, quod sequitur, indicatur (ut Gen. 4, 20. Jud. 1, 21. 3, 3. Ps. 9, 12. al.). *Sessor laudum Israelis* vero est inhabitator sanctuarii, in quo ut preces ad eum pro auxilio ferendo fundebantur (Lev. 26, 11. 12. 1 Reg. 8.), ita laudes et gratiarum actio pro lato auxilio decantabantur. Ex eo ergo, quod Jova ad suas solius preces obsurdescebat, qui omni Israeli precanti aderat, magnitudinem suae calamitatis non sine singulari affectus amplificatione ostendit.

5. 6. וַתְּפַלְּטֵמוֹ — בְּךָ *In te fiduciam suam collocabant patres nostri, sperabant in te, et aderas eis ope et liberatione tua.* Majores nostri, precibus ad te factis, speque omni in te posita, liberati sunt a malis omnibus. Verbum ותפלטמו proprie sonat: *et eripuisti eos*, scil. *e gravissimis periculis atque calamitatibus.* Significat enim פָּלַט *eripere* penitus veluti constrictum, ut 17, 13. 18, 3. 82, 4. — 6. אֵלֶיךָ זָעֲקוּ וְנִמְלָטוּ *Ad te vociferabantur et erepti sunt*, conservabantur. בְּךָ בָטְחוּ וְלֹא־בוֹשׁוּ *Te fidebant, neque pudefacti sunt;* te freta erat spes ipsorum, neque spei erant irriti, ut pudere eos hujus debuerit. Quando aliquis spe sua dejicitur, *ruborem* in facie solet concipere, praesertim si ab aliis se videat deludi. Verbum sperandi ter repetit poeta, intermixto semel verbo clamandi, ut magis declaret angustiam et luctationem spei et fiduciae in Jovam.

7. Prisci illi patres Jovae virtute adjuti sunt; וְאָנֹכִי תוֹלַעַת וְלֹא־אִישׁ *ego vero vermiculus sum, nec vir*, hominis vix gero similitudinem, sed vermiculo abjecto et imbecilli sum similis, quem omnes aversantur et proculcant, cf. Job. 25, 5. 6. Recte Jarchi: *de toto Israele loquitur tanquam de singulo viro.* Quod et arguit illud, quod Vs. 5. אֲבוֹתֵינוּ cum suff. 1. pers. *plur.* dixit. חֶרְפַּת אָדָם וּבְזוּי עָם *Opprobrium hominum et propudium populi*, a vilissimo quoque (sic אָדָם Ps. 49, 3.) contumeliose tractor. Abstractum חרפה ponitur pro concreto, *detestabilis*, probrose habitus, ut Ps. 19, 10., ubi cf. not. בְּזוּי עָם *spretus populi*, i. e. spretus a toto populo, pro בָּזוּי מֵעָם. Plura enim participia pass. nomen, quod sibi ope Praeposit. jungi deberent, hac omissa vertunt in Genit., ita ut ipsi in regimine ponantur, ut Gen. 24, 31. בְּרוּךְ יְהוָה *benedictus a Jova*, pro בָּרוּךְ מִיהוָה; Job. 14, 1. יְלוּד אִשָּׁה *natus a muliere*, pro יָלוּד מֵאִשָּׁה; Jes. 53, 4. מֻכֵּה אֱלֹהִים *percussus a Deo*, pro מֻכֶּה מֵאֱלֹהִים.

8. כָּל־רֹאַי יַלְעִיגוּ לִי *Quicunque me adspiciunt* (non solum contemnunt me, Vs. 7., sed quod acerbius, etiam) *subsannant me.* לַעַג propr. *balbutire* (Jes. 28, 11.), hinc *subsannare*, Prov. 1, 26. Ps. 2, 4., quod qui alicui illudit, barbara, blaesa, balbutientia, et quae intelligi nequeunt, respondet aut occlamat inconditos sonus. יַפְטִירוּ בְשָׂפָה *Hiatum faciunt labio*, diducunt labia, more irridentium. Sunt qui post יפטירו subaudiant שִׁנַּיִם *dentes*, h. s.: *exserunt dentes per labia*, quod est ridentium. Similiter arab. פטר est *findere*, deinde *dentes exserere.* Syris etiam פטר in Conj. *Aphel* signif. *irrisit labiorum gestu, subsannavit.* Similis irridentium vultus describitur Ps. 35, 21. Job. 16, 11. Addit: יָנִיעוּ רֹאשׁ *motitant caput*, quibus verbis non designatur motio capitis ad latus utrumque, quae abnuentis est, negantis, aut displicentiam testantis, sed ea, quae fit antrorsum, atque sursum deorsumque, *τοῖς ἐπιχαιρεκάκοις*, et in sinu gaudentibus est usitata, mentum ad pectus fere applicando, mox vero rursum attollendo crebrius cum risu. Cf. 2 Reg. 19, 21. Ps. 109, 25. Thren. 2, 15. Matth. 27, 39.

9. Fiduciam quoque, quam in tuo auxilio posui, tanquam vanam prorsus et irritam derident. Ante verba גֹּל אֶל־יְהוָה subaud. לֵאמֹר *dicendo*, vel Particip. אֹמְרִים, ut Ps. 2, 3. Coh. 4, 8. Prov. 6, 10. al. גֹּל (a גָּלַל *volvit, devolvit*) plerique recte habent pro *Infinitivo*, ad quem verbum finitum sit intelligendum, qualis breviata dicendi formula apud Hebrr. maxime frequens est (vid. Vs. 2.), ut plene dicendum fuisset: גֹּל יָגֹל *volvendo volvat* scil. דַּרְכּוֹ *viam suam* s. דְּרָכָיו *vias suas* (coll. infra 37, 5.), vel מַעֲשָׂיו Prov. 16, 3., i. e. Jovae sua committat. יַצִּילֵהוּ כִּי חָפֵץ בּוֹ *liberet eum, nam delectatur eo.* חפץ potest vel ad *miserum*, cujus querimonias Ps. continet, quique Jova, tanquam praesidio suo, delectetur (cf. 91, 14.), vel ad *Jovam*, qui delectetur afflicto, observantissimo sui cultore, referri. Posterius praeferendum ob similes locos supra 18, 20. et infra 41, 12. A quibus verbis quum parum aut nihil differant illa, quibus (Matth. 27, 43.) scelerati pontifices et senatores illuserint Jesu, e cruce pendenti: *πέποιθεν ἐ. τὸν θεὸν, ῥυσ. νῦν αὐτ., εἰ θέλ. αὐτ.*, communis fere ab antiquissimis inde temporibus interpretum christianorum erat opinio, praesagisse, qui hunc Ps. effudit, hic Messiae vexationem et contumelias. Quod tamen sine idoneo argumento sumitur.

10. Animum erigit spe et fiducia in virtute ipsius illius Jovae, qui ipsum in hunc mundum produxerit, et hucusque sustentaverit. כִּי אַתָּה גֹחִי מִבֶּטֶן *Nam tu is es, qui me extraxisti ex utero.* Verbi גּוּחַ s. גִּיחַ notio primaria est: *cum vi quadam et violentia prodiit, prorupit.* Job. 38, 8. simul ad *aquas proruptas* et ad *partum prodeuntem* adhibetur: *Quis mare valvis praeclusit, dum prorumperet tanquam ex utero?* De partu dicitur quoque Mich. 4, 10. Quod formam attinet, nonnulli גחי pro *particip.*

habent (quale גּוֹזִי Ps. 71, 6.); sed quum גוח verbum sit *intrans.*, nostrum גחי malim pro *Infinit.* accipere, ut ad verbum vertendum sit: *Tu τὸ prodire meum*, i. e. auctor proditus mei ex utero, per metonymiam effectus, qua effectus ponitur pro eo, qui est ejus auctor, qua quidem figura nihil est frequentius apud hebrr. scriptores. Notissimum est illud Gen. 15, 1., ubi Jova Abrahamo dicit: *ego sum merces tua maxima*, i. e. auctor et collator mercedis maximae. מַבְטִיחִי עַל־שְׁדֵי אִמִּי *securum me reddens ad matris meae ubera*, statim atque natus fui, deinde toto eo tempore, quo ex uberibus matris meae pependi, mei curam suscepisti assiduam et diligentem, et ab omnibus illis malis, quae naturae humanae omni tempore impendent, tutum et intactum me praestitisti.

11. 12. עָלֶיךָ הָשְׁלַכְתִּי מֵרָחֶם *Ad te rejectus sum*, me rejeci, tanquam in gremium, *ab utero*, ubi primulum coepi ratione uti, in bona tua providentia indesinenter confidi, te niti coepit et in te recumbere salus mea. Similis sensus Ps. 71, 6. מִבֶּטֶן אִמִּי אֵלִי אָתָּה *Ab utero matris meae Deus meus es tu;* verbis magis propriis enunciat, quod modo figurate dixerat. — 12. Orat Jovam, ut recordetur pristinam illam suam erga se voluntatem, tali tempore, quo periculum ineluctabile imminere videatur: *Ne subducas te a me longius, prope enim accessit angustia, nec est, qui adjuvet.* De verbo רָחוֹק cf. Vs. 2. supra 10, 1. De צָרָה vid. Ps. 9, 10. Elegantia est in eo, quod קְרוֹבָה verbo תִּרְחַק opponitur, q. d.: quo propius mihi instat mortifera anxietas, eo longius tu a me recedere videris.

13. 14. Subdit, quae sit illa angustia. סְבָבוּנִי — כִּתְּרוּנִי *Circumdant me tauri multi et magni, validissimi Basanitidis me cingunt*, circumdant me hostes, ac undiquaque circumveniunt magno numero, haud aliter animati, ac si feroces juvenci impetum in me meditantes, et cornua jactantes, me circumsederent ex omni parte. פָּר, propr. *bos a tertio inde anno*, *juvencus*, latius de omni bove adulto, *tauro* etiam dicitur. רַבִּים utrumque, *multos* et *magnos* significat. אַבִּירֵי בָשָׁן *validissimi Basanitidis*, superlativum enim Hebraei hoc modo exprimere solent, quemadmodum 1 Sam. 21, 8. אַבִּיר הָרֹעִים *robustissimus pastorum.* Tauros autem dicit אַבִּירֵי (quae vox item de *tauris* Jes. 34, 7. Ps. 50, 13. 68, 31.) בָּשָׁן, *Basaniticos*, ut indicaret, esse robustissimos. *Basan* enim, quae erat regio trans Jordanem, Jabocum inter et Arnonem torrentes sita, lactis abundans pascuis, omnis generis pecora alebat pinguissima atque fortissima, vid. Deut. 32, 14. Ez. 39, 18. Am. 4, 1. Quare Alex. *ταῦροι πίονες*, *pingues.* Ceterum *tauris* Hebraei saepe comparant homines solide feroces, quique virium fiducia obvios quosque obterunt, veluti *Idumaeos* Jes. 34, 6. 7., *Babylonios* Jer. 50, 27. Cf. Ez. 39, 18. 19. — 14. פָּצוּ עָלַי פִּיהֶם *Aperiunt contra me os suum*, patente rictu in me inhiant, אַרְיֵה טֹרֵף וְשֹׁאֵג tanquam *leo* praedam *dilaniaturus et rugiens.* Ante אריה

deficit כ similitudinis, ut alias saepe (Gen. 49, 9. 14. Deut. 24, 14.). Naturae leonis accommodate dixit: *leo praedam dilanians et rugiens*, quippe qui rugire solet, ubi praedam videt, unde Am. 3, 4. *an rugiet leo in sylva, quum praeda non est ei? an edet leunculus vocem suam e cubili suo, nisi sit, quod capiat?* Vid. et Ps. 104, 21. Leonibus vero comparare homines feroces atque violentos, solenne est poetis, vid. Ps. 35, 17. 57, 5. 58, 7.

15. כַּמַּיִם נִשְׁפַּכְתִּי *Instar aquarum effusus sum*, i. e. penitus afflictus toto animo sum consternatus; prae metu cor meum quasi solutum diffluit, cf. Jos. 7, 5. וְהִתְפָּרְדוּ כָּל־עַצְמוֹתָי *Disjunxerunt se omnia ossa mea*, evanescente carne corporis mei, universa compages ossium meorum remisit, quasi distenta et luxata; corpus meum labans vix possum sustinere. הָיָה — מֵעָי *Factum est cor meum tanquam cera, colliquit inter viscera mea*, cor meum, in quo vitae atque animi ipsius sedes est, metu conterritum, dolore ac moerore confectum, misere contabescit. מָסַס in Niphal et alias de cordis ob metum deliquio usurpatur, Nah. 2, 11. Ez. 21, 12. 2 Sam. 17, 10. Deut. 20, 5.

16. Testae jam se comparat argillaceae, cujus humor in furno prorsus solet absumi atque excoqui. יָבֵשׁ כַּחֶרֶשׂ כֹּחִי *Exaruit, tanquam testa, vis mea.* Succus viriditatis et roboris mei exaruit in membris meis. Significare videtur pocta ὑγρὸν ῥιζωτόν, *humidum illud radicale*, in quo consistunt intimae hominis vires, quas sollicitudo atque moeror conficit quasi atque absumit, quemadmodum Prov. 17, 22. dicitur: *cor laetum vultum facit serenum, animus vero afflictus exsiccat ossa.* Nostro loco similis est Ps. 32, 3. 4. Pergit: וּלְשׁוֹנִי מְדֻבָּק מַלְקוֹחָי *et lingua mea adhaeret palato meo*, prae animi mei aestu ita siccesco, ut arida mea lingua ad fauces adhaerescat, nec ad querendum quidem vigor suppetat. In voc. מלקוחי omissum est ל praefixum. Per מַלְקוֹחַיִם autem indicantur *fauces*, s. quod supra et infra linguam est. Denominantur a לָקַח *capere*, quia cibum illae recipiunt inter manducandum. Similia loca sunt Job. 29, 10. Ez. 3, 26. Postremo quasi summatim omnia dicturus, addit: וְלַעֲפַר־מָוֶת תִּשְׁפְּתֵנִי *et ad pulverem mortis me disposuisti*, i. e. quid dico? ita sum exanimatus, et omnibus cum animi tum corporis viribus exhaustus, ut non sim dissimilis illis, qui jamjam sepeliendi, ad sepulchra deferuntur. *Pulvere* s. *humo mortis* significatur *tumulus, sepulchrum*, de quo et עָפָר solum usurpatur, vid. ad Vs. 30. *Sepulchro aliquem disponere* s. *aptare* est: ita conficere, ut mortui instar sit, sepulchro demandandi. שָׁפַת significat *disponere*, coll. 2 Reg. 4, 38. שְׁפֹת *dispone* ollam magnam, Ez. 24, 3. *dispone* ollam, et infunde ei aquam.

17. Redit ad priora, ut explicet adversariorum in se crudelitatem, quam coeperat narrare Vs. 13., iterumque causam reddit summae anxietudinis, qua conficiebatur. Quoniam enim horrendus

erat supra modum ipse cingentium hostium conspectus et impetus, non potest illum satis exprimere. כִּי סְבָבוּנִי כְלָבִים *Etenim cingunt me canes.* *Canum* post *tauros* et *leones* mentio haud inepta videbitur ei, qui canum pecuariorum, quales ad feras a gregibus arcendas alere solent nomades Syri et Arabes, reputet saevitiam atque feritatem, quae tanta describitur, ut iis, qui nomadum castra aut greges accedant, timendum sit, ne a canibus lacerentur. Cujus rei testimonia attulit OEDMANN in *Observv. miscell. ex hist. nat. (vermischte Sammll. a. d. Naturk.)* fasc. 5. cap. 3. p. 31. 32. vers. germ. De *venaticis* canibus cogitarunt nonnulli. Nec haec similitudo inepta erit, qua hostium rabies et furor ob oculos ponatur. Notum enim est, quo impetu, quove furore ferantur canes venatici, feram in saltu nacti. עֲדַת מְרֵעִים הַקִּיפוּנִי *coetus malificorum me circumdant.* עדת מרעים est i. q. קְהַל מרעים Ps. 26, 5. et סוד מרעים 64, 3., *maleficorum consilium.* נָקַף duplicem habet significationem, unam, *gravi ictu diffringendi*, hebr. linguae cum dialectis cognatis communem, alteram, *in orbem eundi, circumdandi*, quam a verbo med. rad. *Vav*, קוּף, mutuatur, qua notione נקף aperte usurpatur Jos. 6, 3. *circumibitis civitatem cingendo eam;* nec non 2 Reg. 11, 8. 2 Chr. 23, 7. Job. 19, 6. Quam posteriorem significationem etiam h. l. parallelismus poscit, quum סבב praecesserit. Postremum hemistichium, כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי, ob vocabulum vexatissimum כָּאֲרִי difficile est. Codices enim in illo vocab. consonantium varietatem exhibent triplicem; 1) כארי (כָּאֲרִי aut כָּאֲרוּ), 2) כָּאֲרוּ, 3) כָּרוּ. In codd. plerisque hodie exstat כָּאֲרִי, quod interpp. nonnulli habent pro nomine אֲרִי *leo*, cum כ similitudinis (ut Jes. 38, 13.), ut vertatur: *sicut leo manus meas et pedes meos* sc. הַקִּיפוּנִי (quod proxime praecessit) *contundunt*, aut (vid. supra) *circumdant.* Quod tamen sensum non satis aptum efficit. Plerisque autem כָּאֲרִי est Verbum, et quidem Plur. Particip. formae apocopatae pro כָּאֲרִים (in statu constr. כָּאֲרֵי) a verbo כור *fodere.* Alteram quoque lectionem, כָּאֲרוּ interpp. longe plerique vertunt *foderunt* (ita Alex. interp.), verbo כור, ad quod omnino כארו est referendum, propter insertum א, tribuentes significationem verbi כָּרָה, quum et alia verba med. rad. Vav significatione cum verbis 3. rad. quiescentibus conveniant. Nos quidem et ipsi כָּאֲרִי pro כָּאֲרִים, idque pro כָּרִים (a Singul. כָּאֵר formae chaldaizantis, vid. GESENII *Lehrg.* p. 401. 526.), Participio verbi כור habemus, sed ita ut idem significatione consoni arabici verbi: *colligare, et convolutum prostravit* capiamus. E כָּאֲרִי vero facile et כָּאֲרוּ et כָּרוּ oriri potuit. Describit igitur qui hoc Ps. loquitur, se captivi instar, arctis vinculis constrictum ab hostibus, undique ipsum cingentibus, eorumque ludibriis expositum. Quem ipsum sensum etiam Aquila in secunda editione, et Symmachus expressserunt. Alias interpretatt. v. in *Epimetro* ad h. Ps. in Commentar. nostro majori. Qui Jesu, cruci adfixi, manus pedesque clavis perforatos hisce verbis praesignificatos existimant interpretes, ii כארי

s. כארו *fodiunt* reddunt. Cui interpretationi obverterunt H. E. G. Paulus (*Memorabill.* IV. p. 36.) aliique, *manus* duntaxat cruci affixas clavisque perforatas, pedes vero funibus alligatos fuisse. Verum et hos clavis affixos esse, docet narratio de juvene in crucem acto in *Chrestomath. arab.* a Kosegartenio edita p. 63.

18. Exanimantem metum iterum describit, quem et Vs. 15. et 16. depingunt. Significat, terrorem a truculentis illis suis adversariis omnem carnem sibi exedisse. אֲסַפֵּר כָּל־עַצְמוֹתָי *Numerabo omnia ossa mea*, i. e. dinumerare possem, vel numerare licet prae macie. Futurum h. l. exponendum est *δυνητικῶς*, ut Gen. 16, 10., vel, quod eodem recidit, verbum actionem exprimens, accipiendum de facultate agendi (ut Ps. 88, 9.). סָפַר in Piel significat *enarrare*, sed vero etiam *numerare*, ut Ps. 40, 6. Qui accurate aliquid recenset, vel enarrat, is numeratim veluti rem totam proponit, adeoque pro diversitate materiae tam enarrationis, quam numerationis notio huic verbo omnino relinquenda. הֵמָּה יַבִּיטוּ יִרְאוּ־בִי *Illi* vero, mei adversarii, *intuentur videntque me*, adspectant me sic affectum, et hoc spectaculo pascunt oculos suos, voluptatem percipientes de calamitoso statu et misera specie mea. Verba videndi cum ב constructa, significant, *aliquid cum voluptate et oblectatione intueri*, ut Ps. 54, 9. 118, 7. Cf. et Ez. 28, 17.

19. Jam hostes internecionis meae certi adeo sibi videntur, ut de praeda et vestibus meis, tanquam jam exstincti, inter se dividendis constituerint: גוֹרָל — יְחַלְּקוּ *Partiti sibi sunt vestimenta mea, deque veste mea sortiti sunt.* Joanni, Jesu amico, ubi milites sospitatoris, in crucem acti, vestes inter se sortiri conspiceret, hunc Psalmi locum in mentem venisse (19, 23. 24.), in eo sane nihil est, quod cui mirum videbitur. Quod autem scripsit: *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, ἡ λέγουσα· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς κ. τ. λ.*, nequaquam argumento est, eum nostro loco illam vestis Jesu sortitionem praedictam opinatum esse. Satis enim constat, formam illam loquendi e consuetudine scriptorum hebrr. saepissime nihil aliud significare, nisi hoc: *res ita cecidit, ut locus hic vel ille perfecte aptus ad eam rem appareret.*

20. Hoc et duobus Vss. prox. opem Dei implorat. וְאַתָּה יְהוָה אַל־תִּרְחָק *Sed tu, o Jova, ne sis procul.* Idem orare coeperat Vs. 12., sed a prece delapsus iterum ad querelas fuit. אֵילוּתִי לְעֶזְרָתִי חוּשָׁה *Virtus mea!* praesidium meum, propugnator meus, *ad auxilium meum propera.* Eadem precationis formula Ps. 38, 23. coll. 40, 14. אֵילוּת, h. l. tantum obvium, ejusdem haud dubie significationis est cum אֵיל Ps. 88, 5., quod cum אַיִל *robur* convenit.

21. הַצִּילָה מֵחֶרֶב נַפְשִׁי *Libera a gladio* jam caedente, i. e. a praesentissima caede *animam*, vitam *meam*. מִיַּד־כֶּלֶב יְחִידָתִי *E manu*, vi, violentia, *canis*, canum, adversariorum, qui petunt

vitam meam, *unicam meam* sc. animam. Nom. femininum יְחִידָה bis adhuc occurrit, Jud. 11, 34. et Ps. 35, 17. Aliis nomen poeticum est *animae*, quasi *unicam* et *unice caram* significet. Alii: animam et vitam, quae *una* tantum in me est. Mihi utroque Ps. loco misericordiae commovendae gratia illud nomen subjunctum videtur, quod solitaria veluti esset anima sua, et omni ope et auxilio destituta. Sic Ps. 25, 16. *respice me, nam unicus et miser sum.*

22. הוֹשִׁיעֵנִי מִפִּי אַרְיֵה *Serva me ab ore leonis*, i. e. ferocissimorum hostium, qui instar famelicorum et rugientium leonum hiantibus faucibus vitam meam appetunt, cf. Vs. 14. וּמִקַּרְנֵי רֵמִים עֲנִיתָנִי *Et a cornibus orygum me liberes.* רֵם, contracte pro רְאֵם aut רִים, Arabibus est nomen ferae indomabilis et saevae ex *caprearum* (gazellarum) genere, Graecis et Latinis *oryx*. Vid. Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 335. sqq. Optime describit orygem Oppianus in *Cyneget.* L. II. v. 445. sqq. *Est quaedam*, inquit, *saltibus familiaris, acuto cornu fera, saevus oryx, feris maxime horrendus.* Ita exorsus colorem illi lacteum tribuit, dorsum pingue, *acuta* et *alta cornua*, funesta, nigra, aere, ferro et saxo duriora, unde ad animum transiens, illum ita describit (utor Bocharti versione): *Mens orygum intrepida est, animusque ad proelia natus. Nam neque terret eos canis allatrantis hiatus, Nec scopulos metuunt apro frendente sonantes: Sed neque cum taurus grave mugiit ore minaci, Aut trucibus pardi sylvas ululatibus implent: Nec fugiunt postquam accensa leo rugiit ira. Non homines, tanta est animi fiducia, curant.* Apparet ex his, quam merito *leonibus* jungantur *oryges*. Nec frustra est, quod poeta orat, se liberari a *cornibus* orygum, quae Oppianus vocat *πικρὰ βέλεμνα, acerba tela, ἀκωκὰς, cuspides, τεύχεα ὀξύτερα, arma acuta.* Cf. not. nostr. ad Job. 39, 12. edit. sec. In verbo עֲנִיתָנִי est metathesis, aut synthesis, includit enim *liberandi* significationem, h. s: *exaudias preces meas et libera me.* Cf. Ps. 118, 5. Est vero h. l. pers. 2. Praeter., pro 2. Fut., vel Imperat., qualis praecessit (הוֹשִׁיעֵנִי). Arabes etiam in bene precandi formulis Praeter. uti solent pro Imperativo. Pro עניתני Alex. et Syrus עֲנָוָתִי videntur legisse; ille: *καὶ ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (libera); Syrus: *et a cornu unicornis humilitatem meam.* Nec male; sicut enim Vs. 21. per יְחִידָה anima auxilio destituta, ita nunc per עֲנָוָה anima ad humilitatem, s. miseriam, depulsa significari potest. — In reliquo Ps. parte causam canit, quorsum tam ardentibus votis optarit servari, et in libertatem restitui. More suo de se canit, tanquam in adflictione etiamnum constituto; ideo ecu futura pollicetur et praedicit, quae de illustrando a sui liberatione Jova canit.

23—25. אֲסַפְּרָה שִׁמְךָ לְאֶחָי *Annunciabo*, celebrabo, *nomen tuum*, tuam virtutem, bonitatem, *fratribus meis*, tua simul reli-

gione imbutis, te ex animo colentibus. Videtur autem לאחי esse i. q. בתוך קהל, h. s.: nos invicem nomen tuum celebrabimus. בְּתוֹךְ קָהָל אֲהַלֶּלְךָ *in media concione*, omni populo collecto, te *collaudabo*. Subjungit statim formulam gratiarum actionis. — 24. יִרְאֵי יְהוָה — יְשָׂרָאֵל *Collaudate*, dicam, *Jovam, quicunque ipsum colitis, omnis Jacobi progenies, laudibus eum attollite! omnis Israelis progenies, eum revereamini!* Verbum גּוּר *commorari* (Ps. 5, 5. 15, 1.), ubi particulam מִן praecedit, vertendum est: *metuere, revereri*, ut Job. 19, 29. Deut. 1, 17. 18, 22. Ps. 33, 8. Quibus in locis גּוּר significationem mutuatur a יָגֹר, quemadmodum טוּב et יָטַב *bonus fuit*, רוּעַ et יָרַע *malus fuit*, שׁוּעַ et יָשַׁע *laxus fuit*, et verba plura alia עוֹ atque פִּי significationes communes habent. — 25. עָנְיִ — כִּי *Quoniam non contemsit nec aversatus est afflicti clamorem*, preces. עֲנוּת veteres unanimi consensu *clamorem* interpretantur. Quod commendat parallelismus, quum in altero hemistichio שַׁוְעוֹ *clamare ejus* (afflicti) respondeat. Obtinetque radix עָנָה *clamandi* significatum Ex. 32, 18. Jes. 13, 23. Jer. 51, 14. Minus commode recentiores nonnulli nomen illud hoc tantum loco obvium *miseriae* significatu capiunt. שִׁקֵּץ, in Piel tantum usitatum, occurrit Deut. 7, 26. de abominatione idoli, Lev. 11, 11. dc cadaveris, Vss. 13. 43. ib. de cibi impuri detestatione. Sensus: utut omnibus hominibus visus fuerim abominandus (Vs. 7.), ita, ut adspectu etiam me indignum habuerint, Jova tamen hanc meam miseriam et clamorem non est aversatus. וְלֹא־ הִסְתִּיר פָּנָיו מִמֶּנּוּ *Neque abscondidit faciem suam ab eo.* Vid. not. Ps. 13, 2. coll. 10, 11. 27, 9. וּבְשַׁוְּעוֹ אֵלָיו שָׁמַע *Quumque ad se vociferaretur, exaudivit illum.* De שָׁוַע vid. Ps. 18, 7.

26. 27. מֵאִתְּךָ תְהִלָּתִי בְּקָהָל רָב *A te laus mea in concione magna.* מן exprimit *causam* laudis. *A te* proficiscitur omnis *mea laus*, a te argumentum est laudis mihi. נְדָרַי וגו׳ *Vota mea persolvam coram colentibus ipsum*, i. e. publice et solenniter Jovae bonitatem praedicaturus ero. *Votis* intelligit solennem gratiarum actionem, quae sacrificio fieri solebat, ut Ps. 61, 9. 116, 17. 18. coll. 107, 23. — 27. יֹאכְלוּ עֲנָוִים וְיִשְׂבָּעוּ *Edent pauperes et saturabuntur.* Quibus verbis plures respici putant convivia, quae mactatis eucharisticis victimis, ad locum sanctum celebrari solebant. Cf. Deut. 16, 11. 14. coll. Prov. 7, 14. Sed rectius alii per עניים significari putant Israelitas, oppositos eorum hostibus, qui sese insolenter in eos efferebant, usque dum illi sunt liberati. Ii vero saturabantur ovibus eorum, qui ipsos oppresserunt; cedent enim illae ipsis in praedam. עניים i. q. עֲנִיִּים *afflicti, pauperes*, vid. ad Ps. 9, 13. 10, 17. יְהַלְלוּ יְהוָה דֹּרְשָׁיו *Laudabunt Jovam, qui ipsi student*, pii (Ps. 9, 11.). יְחִי לְבַבְכֶם לָעַד *Vivet* gaudebitque *cor vestrum perpetuo.* חָיָה *reviviscit, recreatus est*, h. l. i. q. *bene habuit, hilari bonoque animo fuit.* Ita Gen. 45, 27. *revixit Jacobi spiritus.* Sic חַיִּים pro vita felice, Ps. 34, 13. al. Cum nostro loco convenit Ps. 69, 33.

28. 29. אֶרֶץ — יִזְכְּרוּ *Recordabuntur et redibunt ad Jovam omnes termini terrae*, exteri quoque populi, cum iis innotescet, quam mire Jova suum populum liberaverit, ad ipsum se convertent, ipsumque venient adoratum. יזכרו *memores erunt* eorum, quae fando de Jova acceperunt, et cultorum ejus societati adjungi cupient. אַפְסֵי־אֶרֶץ *terrae limites* per meton. pro hominibus, qui intra terrae fines vivunt (ut 1 Sam. 2, 10.). וְיִשְׁתַּחֲווּ — גּוֹיִם *Pronique adorabunt coram te omnes familiae gentium*, cuncti populi subditos tuos se profitebuntur gestu humillimo, qualis est supplicium, in terram prostratorum, quae est propria verbi הִשְׁתַּחֲוָה significatio (Gen. 19, 1. Num. 22, 31.); deinde vero omnem Jovae cultum exprimit, ut 1 Sam. 1, 3. Ps. 5, 8. — 29. *Nam Jovae est regnum, et ipse gentibus dominatur.* Part. ל ante יְהוָה nota est dominii. Sic Obad. 21. *eritque Jovae regnum;* Zach. 14, 9. *Jova totius terrae rex fiet.* Post מוֹשֵׁל subaud. הוּא *ipse est.* Eadem sententia Ps. 96, 10. 97, 1.

30. לְפָנָיו — אָכְלוּ *Edent et coram eo supplicabunt omnes opulenti terrae.* Praeterita posita sunt pro Futt., ad majorem certitudinem designandam, quasi res jam evenisset. אכלו *comedent*, quoniam cum supplicatione conjunctum est, de carnibus sacrificiorum accipiendum est. דִּשְׁנֵי־אֶרֶץ *pingues terrae* significat *divites* et *opulentos*, figura omnibus fere linguis recepta. לְפָנָיו tam ad וַיִּשְׁתַּחֲווּ, quod praecessit (cf. Vs. 28.), quam ad יִכְרְעוּ, quod sequitur, pertinet. De sensu vero verborum: לְפָנָיו יִכְרְעוּ כָּל־יוֹרְדֵי עָפָר *coram eo incurvabunt se omnes descendentes ad pulverem* discrepant. Etenim iis, qui ad *pulverem descendunt*, alii *totum genus humanum* intelligunt, eos qui in terram descendunt nascendo, quasi עָפָר pro אֶרֶץ in universo sit positum; alii vero *infimi gradus homines* et miseros ea loquutione existimant denotari, ut Ps. 113, 7. *qui tenuem e pulvere erigit.* Mihi vero diversae videntur esse loquutiones: *in pulvere sedere*, s. *versari*, atque *ad pulverem descendere*, quam posteriorem formulam non differre existimo ab hac: *ad foveam*, i. e. *sepulchrum descendere* Ps. 88, 5. 143, 7. Job. 33, 24. De *sepulchro* עָפָר aperte dicitur Dan. 12, 2. *multi eorum, qui in terrae pulvere dormiunt, evigilabunt.* H. l. autem *descendentes ad sepulchrum* non tam *omnes* omnino *mortales* indicabunt, quam potius eos, qui *pinguibus terrae* oppositi sint, i. e. extreme miseros et afflictos, qui ob praesentissimum vitae discrimen, ad quod summa miseria redacti sunt, jamjam ad sepulchrum sunt descensuri (cf. Vs. 16.), vitamque servare amplius nequeunt, id quod postremis verbis exprimitur: וְנַפְשׁוֹ לֹא חִיָּה et ille qui *animam suam vivam non potest conservare;* subaud. אֲשֶׁר. Est hic *numeri* enallage (quum Pluralis praecesserit), cujusmodi exempla in Pss. ubivis obvia, vid. Vs. 26. 27. נֶפֶשׁ *anima*, pro effectu ejus, sive *vita*, ut Job. 36, 14. Verbum חָיָה, alias *vivificavit*, h. l. idem est, atque *vivum conservavit*,

ut Ez. 13, 18. 19. 18, 27. *quum impius, omissa, quam exercuit, impietate, jus aequumque facit,* הוּא אֶת־נַפְשׁוֹ יְחַיֶּה *is vitam suam conservat.* Totius Vs. sensus: Qui abundant in copia rerum omnium, per totam terram, et qui vitam degunt inopem et miseram, mortuorum instar depositi, animis et corporibus afflictis, utrique hi epulabuntur in epulo publico et adorabunt te cum gestu venerationis et subjectionis. Quum igitur e lectione Masorethica sensus prodeat perquam idoneus, haudquaquam opus erit, cum quibusdam reponere וְנַפְשִׁי לוֹ חָיָה, quod interpretantur: *anima mea ipsi,* Jovae, *vivit.*

31. זֶרַע יַעַבְדֶנּוּ *Posteritas* etiam *serviet ei*, non tantum hoc, quod nunc vivit, hominum genus, יְסֻפַּר לַאדֹנָי לַדּוֹר *narrabitur de Deo aetatibus* futuris. Praefix. ל valet *de*, vid. Ps. 3, 3. coll. Jon. 1, 6. Jes. 4, 17. Verb. סָפַר h. l. est *enarrare, praedicare*, vid. ad Vs. 18. לדור *aetati*, aliae, sive collective, *aetatibus.*

32. וְיָבֹאוּ וְיַגִּידוּ צִדְקָתוֹ *Venient et annunciabunt justitiam suam*, nascentur alii adhuc et novi denuo homines, descendent ex illis alii, qui Jovae benignitatem celebrent. בוא *venire*, h. l. *nasci*, ut Coh. 1, 4. צְדָקָה, *justitia*, omnis virtus, absoluta bonitas (Ps. 50, 6. 36, 11. 71, 1.); vel *justitia* proprie, quod Jova suos cultores praemiis remuneratur, improbos vero suppliciis afficit. Illi vero Jovae virtutem לְעַם נוֹלָד כִּי עָשָׂה *populo* ex se *genito* annunciabunt, *propterea quod* potenter et feliciter *egit.* עשה, absolute dictum, signif. *potenter et feliciter aliquid egit*, ut Ps. 37, 5. Dan. 8, 24. coll. 11, 7. 17. Ita et Ps. 52, 11. Jes. 44, 23. עם נולד *populus genitus* sunt homines illis juniores, posteri, ut Ps. 87, 5. 6.

Ps. 23.

Testatur poeta spem et fiduciam, quam in Dei favore et cura ponat, qua se non solum tutum ab omni periculo, sed etiam felicem et fortunatum futurum esse sperabat, duplici usus imagine, prima e vita pastoritia petita, qua Deum bono pastori, se vero facit ovi similem, quam pastor et diligentissime tuetur et indulgentissime habet (Vs. 1—4.); altera a lauto epulo desumta, cum homo locuples amicum domo sua pro hospitio excipit, cique omni generi festivitatis atque lautitiarum, quam sibi acceptus sit ejus adventus, studiose demonstrat (Vs. 5.). Tandem declarat sibi persuasissimum esse, fore, ut in ea domo Dei perpetuo maneat, quo fiet, ut felicitate, laetitia et consolatione sempiterna fruatur (Vs. 6.). — Qui ex inscriptionis fide Davidicum Ps. habent, eum fere editum ab eo rege statuunt, quum devictis hostibus et constituto regno otio et pace laeta (suppressa fortassis seditione Absalonica) frueretur: tota enim oratio videatur ex animo pacato et tranquillo proficisci. Non hic, ut solet, deplorat suas calamitates, tantum gratias agit Deo, in eoque suaviter se oblectat, quem unum agnoscit prosperi status

auctorem, eundemque conservatorem sperat. Chaldaeus interpres ex populi Israelitici persona dictum existimat, de captivitate et servitute liberati, atque sic accipiendum putat, ac si ad personam totius populi Israelitici pertineret, qui tanquam grex ovium ex Aegypto sit eductus, et per deserta alitus. KIMCHI carmen hoc a Davide effusum tum, quum a Saulo profugus in saltu Hareth sese absconderet (1 Sam. 22, 5.), postea accommodatum censet populo Hebraeo e Babylonico exilio a Jova educendo, unde factum sit ut Psalmo praecedenti, exilii miserias conquerenti, sit subjunctum. Quae quidem sententia haudquaquam repudianda videtur.

1. 2. Comparat se ovi, Deum pastori, obviam imaginem in carmen vertens. Oves imbelles, inermes, praeda exposita, imprudentes futuri temporis, omnia pastori debent. יְהוָה רֹעִי לֹא אֶחְסָר *Jova pastor meus* est, *non egebo*, nihil desiderabo eorum, quae mihi aliqua in re necessaria poterunt esse, optime mihi provisum est, quia Deus, a quo omnia subsistunt, ipse mei curam et tutelam suscepit. Eadem similitudo Jes. 40, 11. — 2. Incipit jam similitudinem explicare, quam summatim enunciaverat. בִּנְאוֹת דֶּשֶׁא יַרְבִּיצֵנִי *In pascuis*, vel *mansionibus herbae facit me accubare*, de pascuis optimis mihi providet. נָוֶה (Plur. נָוֹת et נְאוֹת) nomen est pastoritium, quod primo *tractum* designat, *quem Nomades cum pecudibus pererrare solent*, regionem pascuam (Ez. 34, 14. Ps. 65, 13. Joel 1, 19. 2, 22.), qualem pastores sibi deligunt alendo gregi, in qua sua figere solebant tentoria; deinde vero ipsas *caulas pastoritias*, tentoria, quae pastores secum portare solent, ut Zeph. 2, 6. *inserviet maritimus tractus* נְוֹת כְּרֹת רֹעִים *pastoritiarum caularum mansionibus pecorumque septis.* בנאות דשא *in pascuis herbae tenerae*, h. e. in pascuis herbidis, posterius enim nomen subst. adjectivi loco est positum. Notat autem דֶּשֶׁא *herbam teneram*, qualis primo vere terram solet vestire, quae nondum exaruit, vel senio facta est ingratior, Gen. 1, 11. Prov. 27. 25. Joel 2, 22. Indicatur itaque vocabulo hoc apposite pascui cum salubritas tum jucunditas. יַרְבִּיצֵנִי *cubare me facit*; רָבַץ *cubare*, proprie est quadrupedum, in Hiphil vero הַרְבִּיץ, *facere ut quis accubet*, maxime de pastoribus dicitur, qui gregem accubare faciunt, veluti Cant. 1, 7. *indica mihi, ubinam pascas*, אֵיכָה תַּרְבִּיץ *ubinam recubare facias* (oves tuas) *circa meridiem.* Cf. Jes. 13, 20. Jer. 33, 12. Futurum nostro loco designat actum consuetum, ut saepe alias. Respicere autem nonnulli poetam existimant ad accubationem ovium meridianam, quae in calidis maxime regionibus, quae est Judaca, ad declinandum solis aestum fit apud tabernacula et septa non longe a pascuis, imo in ipsis pascuis, quae septa seu tabernacula hic *tuguria herbida* idcirco vocet, quasi dicat, tuguria in ipsis pascuis, vel non longe a pascuis fixa. עַל־מֵי מְנוּחוֹת יְנַהֲלֵנִי *Ad aquas lenes aquatum me ducit.* Particula עַל pro אֶל, ut Gen. 38, 12. *profectus est ad tonsores gregis sui.* Pastores,

quibus greges sui curae sunt, eos non aquatum ducunt ad torrentes magno cum strepitu ruentes, cujusmodi aquatio periculosa est ovibus, nec satis sana. Hinc dicit, ad placidas et leniter fluentes aquas, *aquas quietum*, se duci, ubi jam in molli planitie aut serpunt rivi, aut stagnant. נָהַל convenit cum Arab. نهل, quod in Conj. 4. significat: *curavit pecudes primo potu bibere, aquatum duxit.*

3. נַפְשִׁי יְשׁוֹבֵב *Animam meam reducit*, i. e. recreat et reficit me languentem, cf. ad 19, 8. יַנְחֵנִי בְמַעְגְּלֵי־צֶדֶק *deducit me in orbitis rectitudinis*, i. e. per orbitas non ambagibus sinuatas et intortas, in via complanata, quae nec terret nec defatigat anfractibus hiatibusve asperis, nec laedit senticetis. De מַעְגָּל vid. 17, 5. לְמַעַן שְׁמוֹ *Propter nomen suum*, propter nominis sui gloriam et famam, ut bonitas sua celebretur. שֵׁם saepe ponitur pro *fama* et *celebritate* alicujus, sicut lat. *vir magni nominis*, et: *magnum et memorabile nomen.* Cf. 1 Reg. 8, 41. Ps. 79, 9.

4. Non modo cum per campos patentes et latas planasque vias ducit, securus incedo, sed etiam cum per imas valles et luce carentes et periculosas, nihil mali timco, quum tu, Jova, mecum sis, quum tu praestes mihi ductum, curam et custodiam fidelem tuam. רַע — גַּם *Etiam quando per vallem umbrae mortis mihi eundum sit, nihil mali timeo.* כִּי h. l. adverb. temporis, *quando*, ut 2 Sam. 7, 1. Hos. 7, 13. גַּיְא notat locum inter duos montes situm (qualis fisso medio Oliveti monte fiebat, Zach. 14, 4. cf. 1 Sam. 17, 3.), hinc angustum per montes transitum, qui eo nobis videtur periculosior, quod neque satis queamus circumspicere, nec etiam latronibus inopinato supervenientibus vel aufugere vel latitare, imo prominentia ex alto saxa vehementer terrent, solisque lumen una cum umbrosis arboribus impediunt, quare dicit בְּגֵיא צַלְמָוֶת *per vallem umbrae mortis*, per vallem summe caliginosam atque terribilem. צַלְמָוֶת (compos. ex צֵל et מָוֶת) *tenebras* significat *letiferas*, vel *tenebras orci*, quemadmodum Job. 38, 17. *num revelatae tibi portae mortis? et portas umbrae mortis vides?* De regione et ditione mortis adhibetur Job. 10, 21., de summa caligine, qualis in metallorum fodinis, Job. 28, 3., de summo periculo, pleno mortis et terroris Ps. 44, 20. Jerem. 13, 16. — שִׁבְטְךָ — וְנַחֲמֻנִי *Baculus tuus et scipio tuus, illi me consolantur.* שֵׁבֶט h. l. accipitur pro baculo pastoritio, sive *pedo* (quod, auctore Festo, est baculum incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves aut capras pedibus), et, per metonymiam signi, pro cura et studio pastoritio, h. e. pro Dei defensione et gubernatione, ut Mich. 7, 14. *pasce populum tuum pedo tuo.* מִשְׁעֶנֶת *scipio*, h. l. non differt a שבט, sed ἐπεξήγησις est Hebraeis usitata, ut designetur *pastoralis baculus*, quo pastor oves regit et defendit contra lupos ferasque alias, et sic etiam significetur Jovae potens defensio atque praesidium. ינחמני *consolantur me*, bono me jubent esse animo.

5. צֹרְרָי — תַּעֲרֹךְ *Adornas coram me mensam e regione hostium meorum.* Nova similitudo, ducta a convivio opiparo, ubi et necessitati et delectationi consulitur. עָרַךְ est *ordinate instruxit, disposuit*, v. c. ligna Gen. 22, 9., frusta victimae Lev. 1, 7. 12., lucernas 24, 11., mensam Ex. 40, 4. 23. Jes. 21, 5. Ps. 78, 19. שֻׁלְחָן a *mittendo* (שָׁלַח) nomen habet, sicut apud Latinos *ferculum* a *fero*, et *missus* a *mittendo*, adeoque שלחן non tam molem ligneam, quam missus aut dapes, mensae imponi solitas, designat, ut Ps. 78, 19. 1 Reg. 18, 19. Hinc Job. 36, 16. *mensa tua plena pinguedine.* Quod autem dicit, paratam sibi esse mensam in conspectu adversariorum, in eo securitatis et felicitatis quaedam amplificatio est. Adeo tutum se et securum fore praedicat, ut videntibus inimicis suis, nec potentibus jam quicquam lacessere, epulaturus sit et plane deliciaturus. דִּשַּׁנְתָּ בַשֶּׁמֶן רֹאשִׁי *impinguasti oleo caput meum*, tractas me splendidissime, variisque totum veluti obruis deliciis. Respicit morem Orientalium, quo convivae honoratiores balsamis aliisque fragrantibus unguentis adspergebantur (Luc. 7, 46. Ps. 45, 8. Coh. 9, 7. 8. Am. 6, 6.), quod ipsum hodienum fieri solet. כּוֹסִי רְוָיָה *poculum meum ubertas*, poculum infundis potui meo plenum et redundans. רְוָיָה (h. l. et 66, 12. obvium) est *ubertas*, a רָוָה, quod de omni largo potu, aquae etiam, et rigatione primum dicitur, deinde vero ad omnem omnino uberem bonorum suppeditationem transfertur, ut Ps. 36, 9. Hinc *inebriare* quoque significat (Prov. 11, 25. Jes. 34, 5. Jer. 46, 10.). Quare et h. l. nonnulli vertunt: *poculum meum est ebrietas*, i. e. vino nobili plenum, quo inebriari possim. Qui tamen nominis רויה significatus non satis aptus videtur Ps. 36, 9.

6. Quod dixit figurate, nunc simpliciter et summatim explicat. חַיַּי — אַךְ *Profecto bonitas benignitasque me persequentur omnibus vitae meae diebus*, i. e. Deus mihi semper favebit, prosperrima semper sorte fruar. Inest his verbis prosopopoeia. וְשַׁבְתִּי — יָמִים *Et habitatio mea in domo Jovae erit diutina.* שִׁבְתִּי est nomen, sive nominascens infinitivus formae segolatae, שֶׁבֶת, *habitatio*, a יָשַׁב, *sedit, mansit*, ita tamen, ut literae שׁ subditum sit Pathach loco consueti alias Chirek, ut 27, 4. 2 Sam. 7, 5. 1 Reg. 8, 30. 38. Quod autem h. l. pro שִׁבְתִּי positum est שִׁבְתִּי, in eo nemo facile offendet, qui sciat, in nominibus segolatis, accedente finali incremento, sub prima vocis litera utrumque punctum, et Chirek et Pathach, locum habere. Commorationem in loco Jovae sacro haud exiguam felicitatis humanae partem habebant pii inter Hebraeos, ut in pluribus hymnis declaratur. Quare quod in hemistichio priori טוֹב dicitur, id in posteriori per שֶׁבֶת בֵּית־יְהוָה amplius illustratur. לְאֹרֶךְ יָמִים *in longitudinem dierum*, h. e. in dies longinquos, sive, quousque modo vitae meae dies prolongabuntur, כָּל־יְמֵי חַיַּי, ut in membro priori et 27, 4. coll. 21, 5. Adhibetur etiam haec formula in promissione longae-

vitatis 91, 16. Deut. 30, 20. Prov. 3, 2. 16. Prius substantivum, אֹהֶךְ, loco adjectivi, ut 14, 7., quem loc. cf.

Ps. 24.

Carmen hoc tres habet partes. Prima celebrat Jovae potentiam et majestatem (Vs. 1. 2.); secunda docet, quales se praestare debeant ii, qui tanti Dei veri cultores haberi, et horum coetui adjungi velint (3 — 5.). In tertia parte vates, eleganti usus prosopopoeia, ipsas sacrarii portas compellat, quas hortatur, ut late pandantur ingredienti arcae sive potius, cujus haec sedes, Jovae Opt. Max., cujus virtus et magnitudo dehinc sublimi dialogismo praedicatur (7 — 10.). — Veteres ex Hebraeis interpretes Davidem cecinisse hoc carmen existimant, postquam oraculo vatis Gad esset admonitus de loco, in quo Jova sibi vellet templum exstrui (2 Sam. 14, 18 — 24. coll. 1 Chr. 21, 18 — 22, 19.). Factum vero hoc a pio rege eo consilio esse, ut instrueret Salomonem filium hymno, quo uteretur, quando arca sacra ex tabernaculo Sionico in aedem novam, quam Salomo ei exstructurus erat, inferretur. Recentiores vero interpretes consentiunt fere in hac sententia, Ps. hunc compositum esse occasione solennis pompae, qua sacrosancta Jovae arca in montem Sionem inducebatur (2 Sam. 6. 1 Chr. 15.); ut igitur Ps. 15. sit *σύγχορος*, cum quo sane plurima habet communia. Attamen *portae aeternae* (Vs. 7.) quum multo magis templo, quam tabernaculo aut arci Sioniae conveniant; mallem in priori sententia acquiescere. Ceterum carmen alternis choris in ipsa solenni pompa cantatum fuisse, haud inepte concluditur ex Vss. 3. 4. 8. Singuli vero chori hujus aliorumque Psalmorum accuratius discerni vix poterint a nobis, qui in summa ignoratione versamur artis musicae veterum Hebraeorum.

1. 2. לַיהוָה הָאָרֶץ *Jovae est terra*, quamvis diversarum regionum varii sint domini, supremus tamen dominator omnium est Jova. וּמְלֹאָהּ *Et plenitudo ejus*, quicquid vel intra, vel supra terrae globum continetur, quicquid eandem *replet*. מְלֹא, formae תְּהֹם, significat id, quod capacitatem aliquam replet, v. c. pugillum, Coh. 4, 6. Amos 6, 8. תֵּבֵל *orbis*, sc. est Jovae, quod est repetendum. Est autem תֵּבֵל *orbis habitabilis*, *οἰκουμένη* Graecis dicta, quare et h. l. statim sequitur de ejus incolis. ארץ et תבל sibi invicem respondent; cf. 50, 12. וְיֹשְׁבֵי בָהּ *Et* omnes *qui in ea habitant*. Participium ponitur in regimine, quia substantivi naturam induit, sequensque pron. בָּהּ habet rationem alterius substantivi, ut Ps. 2, 12. חוֹסֵי בוֹ. — 2. יְסָדָהּ — כִּי *Nam is supra maria fundavit eam*, insigne divinae potentiae argumentum. Aedificaturi homines operam dant, ut fundamenta ponant in loco solido et immoto; contra autem Deus tantam orbis machinam superstruxit mari ac fluminibus. Cf. ad 18, 16. coll. 136, 6.

3. Quum cuncti mortales tam potentis Dei figmentum sint, quam stupenda est ejus erga nos tanta dignatio, ut nos peculiariter in suum populum, inque medio nostri suam sedem sibi elegerit? Ita Ex. 19, 5. *eritis mihi peculium ex omnibus populis*, כִּי־לִי כָל־הָאָרֶץ *quamvis mihi omnis terra.* Cf. Deut. 10, 14—16. Eadem est hoc in loco, quamvis paulo minus explicata, argumentatio. Sed nec omnes Israelitae digni sunt, qui in loco sacro compareant et germani ejus cives habeantur. מִי־יַעֲלֶה בְהַר יְהוָה *Quis* igitur *ascendet in montem Jovae?* quis in Sione, in templo, se publice sistet Jovae cultorem? Responsionem tres Vss. seqq. habent. Pron. מִי non tam interrogat de persona ipsa, quam de ejus requisitis, quae mox etiam subjunguntur. Similem interrogationem cum responsione vid. 15, 1. 25, 12. וּמִי יָקוּם בִּמְקוֹם קָדְשׁוֹ *Et quis stabit*, quomodo comparatus esse debet ille, qui coram tanto Domino, in tam sancto loco vult digne comparere? *in loco sanctitatis ejus*, h. e. loco ei sacro.

4. נְקִי כַפַּיִם *Purus manuum*, h. e. qui nec sanguine humano, neque rapina aut furto contaminavit manus, insons facinorum cruentorum atque violentorum. Cf. 18, 21—25. Gen. 20, 5. Latini quoque et Graeci *puras manus*, *καθάρας χειρὰς*, dicunt a caede et rapina innoxias. וּבַר־לֵבָב *et purus cordis*, omnis, qui nullum admittat in animum perversum consilium aut affectum. Verba אֲשֶׁר לֹא־נָשָׂא לַשָּׁוְא נַפְשִׁי *qui non effert in vanum animam ejus*, sc. Jovae, i. e. ejus nomen, de perjurio intelligenda sunt (quod probant verba postrema: וְלֹא נִשְׁבַּע לְמִרְמָה *et qui non jurat in fraudem*, non promittit aliis quidquam adhibito jurejurando cum animo fallendi); haud enim discrepant a tertio decalogi praecepto (Ex. 20, 7. Deut. 5, 11.): לֹא תִשָּׂא אֶת־שֵׁם יְהוָה אֱלֹהֶיךָ לַשָּׁוְא *ne enuncies nomen Jovae Dei tui in mendacii asseverationem*, nisi quod pro שֵׁם nostro loco נֶפֶשׁ positum sit. נפש autem haud raro pronominis vicem obtinet etiam cum de Deo est sermo (vid. Lev. 26, 11. Jes. 1, 14. Jer. 5, 9.). Nostro loco, quum verba e tertio praecepto sint petita, נַפְשׁוֹ (quod per se *animum suum*, et *animum ejus* significare potest) sine ullo dubio *animum Dei*, sive Deum ipsum indicat, et satis apte, praesertim a poeta, dici potuit pro שֵׁם יְהוָה אֱלֹהָיו. Alias quoque, ut Jer. 51, 14. Am. 6, 8., Deus dicitur *jurasse* בְּנַפְשׁוֹ. Part. לְ ante לַשָּׁוְא h. l., ut Ex. 20, 7. et Deut. 5, 11., *finem in quem* aliquid fit, *propter* significat. Lectio marginalis quoque, נַפְשִׁי, sensum aptum efficit, quamvis Chetibh, ut fere semper, exquisitior reperiatur. Si נפשי assumas genuinam lectionem, Deus respondens inducitur: *is nimirum*, respondet Jova, *dignus est, qui in sacrario meo compareat, qui nomen meum non inaniter laturus est.*

5. יִשָּׂא בְרָכָה מֵאֵת יְהוָה *Auferet beneficia a Jova* (de בְּרָכָה vid. 21, 4.), וּצְדָקָה מֵאֱלֹהֵי יִשְׁעוֹ *atque benefacta a Deo salutis suae*, sospitatore suo. Sic צְדָקָה saepius accipitur pro

clementia, ut 22, 32., item pro *beneficiis*, ex clementia Dei profectis, ut 1 Sam. 12, 7. *disceptem vobiscum de omnibus beneficiis Jovae* (צְדָקוֹת יְהוָה), *quae vobis fecit.* יִשְׁעוֹ *salutis suae*, qui liberationem a malis, custodiamque ipsi praestat. Genitivus posterior notat effectum, vid. ad 4, 1. coll. 18, 3.

6. זֶה דּוֹר דֹּרְשָׁו *Haec est generatio quaerentium eum.* זֶה h. l. *hujusmodi* notat, ut Vs. 3. מִי *quis*, pro *qualis*. דּוֹר proprie: homines una aetate vel seculo viventes (Ps. 10, 6.), tum *familia* (14, 5. 73, 15.), h. l. *coetus cultorum Jovae* (cf. 9, 11. 13.). מְבַקְשֵׁי פָנֶיךָ *Investigantium vultum tuum. Vultus Jovae* significat praesentiam ejus hominibus gratiosam et beneficam, 4, 7. 10, 11. 13, 2. 22, 25. Hinc *faciem Dei quaerere*, est, vel ejus gratiam expetere precibus, ut 27, 8.; vel, tanquam assiduus cultor ejus frequentare aedem suam, *comparere in loco cultus publici* coram arca sacra, ut 100, 2. 104, 4. Quare et h. l. significantur illi, qui ascendunt in montem sanctum ibique Jovam supplices venerantur, ut ejus favorem consequantur. In פָנֶיךָ est enallage personae 2. et 3., praecesserat enim affixum tertiae personae וֹ, cf. Ps. 18, 16. 17. 29. Vox ultima, יַעֲקֹב, est praedicatum, hoc modo: illi, qui faciem tuam quaerunt, sunt Jacob, genuini Jacobi posteri, tibique peculiari modo gratus populus; ii demum Israelitae veri, dignique hoc nomine habentur. Eadem appellatio Jes. 44, 2. *noli timere* עַבְדִּי יַעֲקֹב *servus meus Jacob*, i. e. nolite timere, servi mei, Israelitae.

7. Jam hortatur ad exstructionem templi, et, per prosopopoeiam, ipsum templum nomine *portarum* et *forium*, synecdoche Hebraeis familiari, appellat, uti 9, 15. per *Zionis portas* ipsam Zionem significaverat. שְׂאוּ שְׁעָרִים רָאשֵׁיכֶם *Attollite, o portae*, sc. templi, *capita vestra*, i. e. exstruimini, exsurgite, ut inferatur vobis arca foederis, Jovae sedes. וְהִנָּשְׂאוּ פִּתְחֵי עוֹלָם *Et elevamini fores aeternae*, i. e. in aeternum duraturae, sempiternae, quo nomine templi portas, seu templum ipsum, appellat ideo, quod intra illud arca sacra jam fixa permansura erat, non, ut antea, in deserto, de loco in locum transferenda, id quod Dominus Davidi 2 Sam. 7, 7. sqq. promisisse legitur. Unde 1 Reg. 8, 13. Salomon dicebat: *Aedificavi domum, in quo permaneres, locum, ubi habitares* עוֹלָמִים, *per secula*. Causam, cur deberet cupide illa Dei domus exstrui, adjungit וְיָבוֹא מֶלֶךְ הַכָּבוֹד *ut introeat rex gloriae*, gloriosissimus. Particula וְ ante יָבוֹא h. l. *ut* vertenda, quemadmodum Jon. 1, 11. 2, 5. Mich. 4, 2. *Rege glorioso* vix dubium est *arcam sacram* indicari, quum ea 2 Sam. 6, 2. his verbis describatur: *Dei arca quae appellatur nomine omnipotentis Jovae, Cherubis supra eam insidentis.* Et Num. 10, 35, 36. narratur, cum arca sacra iter ingrederetur dixisse Mosem: *Surge Jova* etc.; quando in loco suo reponeretur: *revertere Jova* etc. Ut hic ergo Moses Jovam velut arcae insidentem alloquutus fuit,

ita et noster vates, cum inferendam templo arcam dicere vellet, recte dicere potuit, ipsum Jovam illud ingressurum.

8 — 10. Jovae vero praesentiam quo poeta magis explicaret, subjunxit veluti portarum interrogationem: מִי־זֶה מֶלֶךְ הַכָּבוֹד *Quis est rex ille gloriosus*, divina majestate verendus? Et mox suam responsionem subjungit: יְהוָה וגו׳ *Jova*, *robustus*, *potens ac fortis heros*, *Jova*, *heros bellator*. Quod bis dicit *Jova*, pictate et divinae erga Israelem bonitatis admiratione flagrantem animum ejus indicat. Eo autem, quod potentem, virtuteque insignem bellica laudavit, refricare voluit memoriam tam multorum et insignium divinae virtutis miraculorum, quibus Jova hostes Israelis dejecit ac perdidit. Voc. עִזּוּז praeter h. l. tantum exstat Jes. 43, 17. *educens currum et equitem* חַיִל וְעִזּוּז *virtutis et robustum.* גִּבּוֹר *praevalens* cunctis adversariis, מִלְחָמָה, quoad *bellum*, i. e. bello praevalens. Ceterum de arca sacra etiam si haec accipiantur, commoda erunt illa epitheta et ad rem. Nam quando arca in bellum deferebatur, victoriam Israelitae solebant reportare. Cf. 1 Sam. 4, 3. coll. Vs. 7. 8. — 9. Repetitur Vs. 7. ad incutiendam majorem reverentiam animis coram tanto rege adventante. שְׂאוּ, quod secundo loco ponitur, reciproce accipiendum est: *attollite vosmet.* — 10. מִי הוּא *Quis is* זֶה *hic?* i. e. quis est hic etc. Pronomina enim saepe ponuntur loco verbi substantivi, *sum*, *es*, *est*, ut Jes. 43, 25. אָנֹכִי הוּא מֹחֶה *ego sum abstergens*, nec non 46, 4. וְעַד־זִקְנָה אֲנִי הוּא *usque ad senectutem ego sum* is, qui sustinet (coll. Vs. 3.). יְהוָה צְבָאוֹת *Jova exercituum*, i. q. Jova Deus exercituum, coelestium, puta, i. e. siderum et angelorum. Integra loquutio habetur 89, 9. Jer. 15, 16. Hos. 12, 6. Am. 3, 13.

Ps. 25.

Precatio est pii periculis gravissimis hostiumque multitudine (Vs. 19.) pressi, simulque trepidantis in conscientia peccatorum. Orat igitur ardenter sibi remitti sua peccata, et liberari se a periculis et malis illis, quibus ea puniantur; postremo attexit clausulam, qua pro populo etiam toto orat. Inseruntur et *διδασκαλικά* multa, itemque praeconia fructuum pietatis, et celebrationes misericordiae divinae. — Qui Davidis hunc Psalmum habent, hunc regem ad cum fundendum adductum fuisse arbitrantur memorabilis alicujus peccati conscientia, unde occasionem arripuerit etiam ea commemorandi, quae in ipsa juventute ab ipso commissa fuerant, et quorum recordatione angebatur (Vs. 7.). Respexisse alii putant ad adulterium cum Bathseba, alii vero ad censum, a Davide praeter Dei voluntatem institutum. Alii hoc carmen ad Absalonici temporis fugam referunt, alii de Saulicis temporibus, et fuga ac exilio tum Davidis in deserto Maonio cogitant. Verum Psalmi clausula satis arguere videtur, contineri eo totius populi Israelitici, magnis cum miseriis conflictantis, sub persona singuli hominis, preces,

una cum confessione peccatorum, quorum poenas nunc se luere agnoscit, quibus tandem liberari petit.

Est hic Psalmus primus eorum, qui *acrostichidis* ostendunt artificium, quo singuli vel Versus vel strophae literis primoribus ordinem Hebraei alphabeti repraesentant. Cujus rei plura inter sacra poemata exempla exstant (Ps. 34. 37. 109. 112. 119. 145. Prov. 31. a commate 10. ad finem. Jer. Threni per totum, excepto ultimo capite), nec non inter Syriaca et Persica. Caussam vero hujus instituti certam ne Hebraei quidem reddere possunt. Nostratium nonnullis causa probabilis videtur esse haec, memoriam hoc artificio juvare voluisse poetas, ut alii talia carmina facilius addiscerent, et commodius recordarentur. Nobis cum DE WETTIO (in Prolegg. ad Commentar. in Pss. p. 66. ed. tert.) et BELLERMANNO (*Versuch üb. d. Metrik d. Hebräer*, p. 101.) videtur non alia causa fuisse ejusmodi structurae carminum quorundam, quam studium poetae, artificiosius aliquod, ad externam etiam formam, carmen pangendi. Neque tamen ordinis alphabetici ita tenaces fuerunt poetae Hebraei, ut in omnibus ac singulis ejusmodi carminibus numerum elementorum sine ulla interruptione aut defectu literis initialibus repraesentandum existimarent. Sic in nostro Ps. duo priores versiculi inchoantur a litera *Aleph*, nullus a *Beth*. Rursus nullus in eo est Versus, qui inchoetur a litera *Vau*, nullus a *Koph* incipiens, duo sunt vero a *Resch* incipientes; denique post literam *Tau* additur in fine versiculus a litera *Phe* incipiens. Quem quidem minus accuratum literarum ordinem quidam librariorum tribuerunt incuriae, qua Versus perturbati et transpositi fuerint. Quod tamen eo minus credibile est, quo magis illud ipsum, quod literis Versuum initialibus alphabeti ordo repraesentandus erat, librariorum attentionem excitare debuit. Nec, si vel in uno alterove codice librarii culpa Versus omissi vel transpositi fuissent, credibile est, tam apertos errores per omnes codices ita propagatos fuisse, ut verae lectionis ne vestigium quidem superesset. Sed videntur in hujusmodi carminibus condendis poetae ipsi nonnihil licentiae sibi interdum arrogasse, ut fieri in omni ejusmodi artificio assolet. Quo pertinet, quod in nostro Psalmo litera *Vau* non Versum, ut debebat, sed modo posterius Versus quinti hemistichium (וְלַמְּדֵנִי) exorditur, quod ipsum et Psalmo 34. eadem illa litera factum est. *Koph* vero etiam in media voce מִמְּצוּקוֹתַי (Vs. 17.) positum suffecisse poetae creditur. Eodem referendum, quod Vs. 2. ante בְּךָ legitur אֱלֹהַי, quam vocem, literarum seriem turbantem, eliminare, ac librariis relinquere, nemo facile audeat, qui modeste criticen exercendam putet, quia omnes illam prisci interpretes legerunt. Illud אֱלֹהַי extra numerum Versus positum videtur, quemadmodum apud Graecorum Tragicos ὤμοι, aliaeque hujusmodi voces, animi affectum indicantes, abundare solent. Ad hanc vero poetarum in minuto artificio libertatem minime referendum videtur, quod nostro carmine post ה additur Versus alius

a פ incipiens; idem enim et in Ps. 34. factum videmus. Atque MICHAELIS quidem conjecit, duplex quum esset literae פ appellatio, F et P, signo aliquo figuraeve diversitate priscos illam notasse, unde sensim accidisse literae, quod apud Arabes literis puncto diacritico ob mutatum sonum notatis, ut duplex haberetur, figuraque ejus recentior reliquis vicesimo tertio loco postponeretur: aliis numerum antiquum servantibus, et utramque figuram pro unica litera habentibus. Certi tamen quidquam hodie nemo facile proferat, quum antiquissimi Hebraici alphabeti ratio nobis prorsus ignota sit.

1. אֵלֶיךָ יְהוָה נַפְשִׁי אֶשָּׂא *Ad te, Jova, animam meam levo*, h. e. totam spem in te ac tua unius bonitate colloco, te solum ex animo concupisco; quo sensu ea loquutio occurrit Deut. 24, 15. *et ad illud* (pretium laboris) *levat* (mercenarius) *animam suam*, cupidissime et magna cum spe illud exspectat, quia ex eo vitam sustentat. Ad *spem* et *desiderium* significandum phrasis illa adhibetur quoque Jer. 22, 27. *in terram*, אֲשֶׁר הֵם מְנַשְּׂאִים אֶת־נַפְשָׁם לָשׁוּב שָׁם *in quam redire feret animus, non redibunt.* Cf. 44, 14. et Ez. 24, 25. *auferam eis, quod adspicere cupiunt*, וְאֶת־מַשָּׂא נַפְשָׁם *et quod animis desiderant.* Vid. et Ps. 86, 4.

2. אֱלֹהַי — אֲבוֹשָׁה *Mi Deus in te speravi*, non in alio, idcirco precor te, *ut ne erubescam.* Nam si quod a te spero, non consequar, erubescendum mihi potius erit, et spe atque exspectatione mea frustrata etiam irridendi mei occasio dabitur inimicis meis, quemadmodum Job. 6, 20. *pudore suffusi sunt, quia speraverant.* Sic *erubescere* saepius est frustrari spe, laetove conatus sui exitu, ubi nos pudet nostri instituti, cf. Ps. 6, 11. 22, 6. 31, 2. 37, 19. Addit: אַל־יַעֲלְצוּ אוֹיְבַי לִי *Ne exsultent hostes mei de me* prae gaudio, de conatus sui prospero successu, meaeque in te fiduciae frustratione.

3. גַּם כָּל־קֹוֶיךָ לֹא יֵבֹשׁוּ *Etiam omnes, qui te freti, non erubescent;* nunquam frustratur eventus eos quicunque te fidunt. קֹוֶיךָ *exspectantes te*, i. e. qui sperant in te, est enim spes exspectatio opis. Affixum resolvendum est in particulam, ac si ita esset scriptum, קֹוִים אִתְּךָ vel קֹוִים לָךְ, ita enim verbum קָוָה construi alias solet, uti constat ex Gen. 49, 18. Jes. 8, 17., cf. infra Vs. 5. יֵבֹשׁוּ הַבּוֹגְדִים רֵיקָם *Pudore suffundantur omnes nefarie impii.* Per *epanodon* repetitur verbum יֵבֹשׁוּ, cujusmodi exempla vid. Jes. 5, 20. Ez. 7, 6. 7. Potest autem יֵבֹשׁוּ, futurum, h. l. reddi vel optative, *confundantur*, vel indicative, *confundentur*, posito Futuro pro Praesente, in re, quae plerumque fieri solet. הבוגדים veterum plures sensu generaliori vertunt: *impii*, *iniqui.* Rectius vero alii: *οἱ ἀποστατοῦντες*, *desciscentes.* Verbum בָּגַד enim saepe dicitur de iis, qui *ab officio suo discedunt*, veluti de subditis domino fidem non servantibus et in eum rebellibus, quo modo aperte dicitur Jud. 9, 22. (al. 23.) וַיִּבְגְּדוּ *rebellarunt* Siche-

mitae in Abimelechum; et locis pluribus aliis de *perfidis* atque *foedifragis* usurpatur, ut Mal. 2, 10. Jer. 3, 7. 8. 20. Nostro itaque loco illis, qui in Jova fiduciam ponunt, adeoque ipsum ut patronum suum colunt, apte opponuntur ii, qui suis ipsorum viribus freti, Jovam contemnunt, rebelles in eum fiunt. Quare et Prov. 2, 22. רְשָׁעִים et בּוֹגְדִים *protervi*, conjunguntur. Adverb. רֵיקָם haud pauci explicarunt: *sine causa*, nullam defectionis suae a Jova habentes causam, quo sensu usurpatur Ps. 7, 5. Sed quemadmodum *vanitatis* notio in omnibus fere linguis ad *homines malos et nequam* transferri solet, ita etiam nostrum ריקם, quod proprie *vane* significat, *inaniter* h. l. *nequiter* interpretandum videtur.

4. דְּרָכֶיךָ — לַמְּדֵנִי *Vias tuas*, h. e. vivendi rationem a te praescriptam, *mihi ostende*, *semitas tuas*, quae tibi probantur, *doce me*. *Via Dei* indicat tam eam rationem, qua ipse in consiliis suis atque in agendo uti solet, quam illam, quam homines suos sequi jussit, praecepta atque instituta sua, ut Ps. 1, 6. 18, 22. De דֶּרֶךְ vid. et Ps. 1, 1.

5. הַדְרִיכֵנִי *Fac me incedere*, ducas me, בַּאֲמִתֶּךָ *in veritate tua*, in vera et recta a te praescripta via, in vera tua religione, ut infra 26, 3. Cf. 119, 30. דֶּרֶךְ אֱמוּנָה. Alii reddunt: בַּאֲמִתֶּךָ *pro fide tua*, sive, *pro sincera tua bonitate*. Cui interpretationi tamen obstat, quod הדריך *ducendi* significatu nusquam absolute ponitur; verum semper cum nomine *viae*, in qua (ב) quis ducitur, conjungitur, ut Vs. 9. et infra 119, 35. כִּי־אַתָּה אֱלֹהֵי יִשְׁעִי *Tu enim Deus ille*, *qui salutem mihi potes praestare*, cf. Ps. 24, 5. Addit: אוֹתְךָ קִוִּיתִי כָּל־הַיּוֹם *Te exspecto*, auxilium a te spero, *quotidie*.

6. זְכָר־רַחֲמֶיךָ *Recordare miserationum tuarum*, ne indignantem te erga me miserum geras, sed auxilio demonstra, te mei esse memorem. *Recordari* dicitur Deus aliquorum plerumque in bonam partem, ac significat, opitulari eis, idque plerumque post aliquas duras calamitates, in quibus visus est quasi oblitus fuisse eorum. Cf. 8, 5. 20, 4. 8. Gen. 8, 1. Addit: וַחֲסָדֶיךָ *benignitatis tuae*, חֶסֶד enim designat affectum benevolum erga alios, beneficiis sese exserentem, vid. Ps. 5, 8. Subjungit: כִּי מֵעוֹלָם הֵמָּה, *quod a longis retro temporibus illae*, h. e. memento, quam benignus semper fueris erga eos, qui te coluerunt, ne igitur jam demum incipias, hanc tuam clementiam deponere erga me miserum. הֵמָּה *illae* sc. *sunt*, vid. ad 24, 10. Sensus itaque erit: utere erga me eadem illa benignitate, qua olim erga tuos semper usus es. Ita et Jer. 2, 2. Jova dicit: *recordatus sum misericordiae adolescentiae tuae*, i. e. beneficiorum, quae in adolescentia tua in te contuli.

7. חַטֹּאות נְעוּרַי וּפְשָׁעַי אַל־תִּזְכֹּר *Peccatorum juventutis meae delictorumque meorum ne sis memor*. נְעוּרִים, ut nomen aetatis, est pluralis numeri tantum, denotatque aetatem illam

universam, quae antecedit aetatem virilem, sive sit *infantia*, sive *pueritia*, sive *adolescentia*, sive *juventus* (ex Varronis computo incipiens ab anno 30. ad annum usque 45.), ut Prov. 5, 18. Mal. 2, 14. 15. Ps. 127, 4. *Peccatorum juventutis* vero ideo mentionem facit, quod in adolescentia homines procliviores sunt ad inhonesta, pravisque cupiditatibus magis obsequentes, quam maturiores annis. Inter חַטֹּאות et פְּשָׁעִים ita distinguunt, ut priore vocabulo *peccata*, *quae per imprudentiam* quis committit, posteriore *malefacta*, *quae de industria* fiunt, significentur. Neque videtur ea distinctio, si etyma spectes, vana aut falsa esse, quandoquidem חטאות proprie *lapsus*, a חָטָא (vid. ad Ps. 1, 1.), פֶּשַׁע vero *rebellionem* denotat, a פָּשַׁע *rebellavit*. כְּחַסְדְּךָ זְכָר־לִי־אַתָּה *Secundum benignitatem tuam*, illa peccata mea gratiose condonantem, *tu mei memento*. Particula כ ostendit veluti regulam divinae recensionis aut recordationis, quod non secundum praescriptum rigidae justitiae eandem debeat instituere, sed secundum benignum paternumque affectum. לְמַעַן טוּבְךָ יְהוָה *Propter bonitatem tuam, Jova;* adhibe in consilium tuum unam tuam inenarrabilem bonitatem, et ex illius instinctu sortem meam moderare.

8. טוֹב־וְיָשָׁר יְהוָה *Bonus et rectus est Jova.* Quia *bonus* est ac misericors, propterea non rejicit eos, qui ad ipsius clementiam confugiunt, et quoniam *rectus* est in omnibus viis suis, et rectitudinis amantissimus: עַל־כֵּן וגו׳ *propterea monstrat peccatoribus viam*, qua ipsis ambulandum sit, docet eos, quid ipsis sit agendum vel omittendum. Idem loquendi modus Ps. 32, 8. Prov. 4, 11.

9. יַדְרֵךְ עֲנָוִים בַּמִּשְׁפָּט *Dirigit humiles in judicio*, ad instituta sua. De עֲנָוִים vid. 10, 17.; h. l. denotat illos, quibus sua mala displicent, quos vitiositatis suae conscientia deprimit, humiles, demissi et probi, Ps. 37, 11. 76, 10. מִשְׁפָּט non tantum *judicium* denotat, verum etiam regulam, ad quam judicia diriguntur, i. e. *leges* et *praecepta*, secundum quae judex sententiam et jus dicit, tum, omnem omnino *agendi rationem legibus consentaneam*, hinc Prov. 1, 3. conjungitur cum צֶדֶק, *rectitudine*, atque מֵישָׁרִים, *probitate*. Quare et h. l. in hemistichio altero *via Dei* respondet: וְיַלֶּמֶד עֲנָוִים דַּרְכּוֹ *docet demissos viam suam.*

10. כָּל־אָרְחוֹת — וַעֲדָתָיו *Omnes semitae* (vid. Vs. 4.) *Jovae* sunt *benignitas et fides*, benigne atque fideliter agere solet, *cum iis, qui foedus suum atque mandata sua servant.* בְּרִית *foedus*, pro *praeceptis divinis*, quae sistuntur ut pactio quaedam, qua certa quadam ratione duae diversae partes conveniunt, et inter sese certis conditionibus foedus ineunt, quibus utraque sese alteri obligat. Jova enim promisit, se velle esse Israelitis tutelitare numen, et Israelitae vicissim illi, quod cum solum pro suo Deo agnoscere et colere velint. Quapropter ipsae tabulae legis Deut. 9, 11. dicuntur *tabulae foederis*, atque arca, qua inclusae erant

tabulae illae, *arca foederis Jovae*, Num. 10, 33. עֵדְוֹתָיו *testimonia ejus*, literae veluti testimoniales, quae fidem faciunt mutui foederis Jovam inter et populum, sensu non differunt a בְּרִית, *foedere* ipso, ita ut his etiam *mandata* atque *praecepta divina* significentur; unde *arca foederis* etiam (Ex. 25, 22.) *arca testimonii*, i. e. tabularum foedus illud inter Jovam et Israelitas testantium, dicitur. Quare in universum *divina praecepta* עֵדוֹת vocantur, veluti 78, 5., ubi עֵדוּת et תּוֹרָה ut *ἰσοδύναμα* ponuntur; cf. 81, 6.

11. לְמַעַן — לְמַעַנְךָ *Propter nomen tuum* (i. e. ob famam misericordiae, *nomen* pro fama nominis), *Jova, peccata mea condona.* In וְסָלַחְתָּ praepositum ו non est copulativum, verum *conversivum* Praeteriti in Futurum, simulque apodosin indicans. Ita Gen. 3, 4. *die illa, qua de eo comederitis*, וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם *oculi vestri aperientur.* Cf. Ex. 12, 15. Jes. 28, 18. Adhibetur autem transformatum hoc modo Practeritum in Futurum h. l. pro *Optativo: condones.* Sic Gen. 33, 10. *si gratiam apud te invenerim*, וְלָקַחְתָּ מִנְחָתִי *accipias munus meum e manu mea.* כִּי רַב־הוּא *Quia magnum* peccatum meum *est.* Quare si in me castigando judicii severitatem adhibere velles, ego non ferre possem castigationem, et pereundum mihi foret. Hoc ipsum, quod poeta magnitudinem suorum peccatorum agnoscit, causa est, cur Jovam precatur, velit ipsi ea condonare.

12. מִי — יְהוָה *Quis*, qualis (ut 24, 3.) est *vir ille, qui timet Deum?* Quomodo connectenda sit haec interrogatio cum iis, quae sequuntur, vid. ad Vs. sq. יוֹרֶנּוּ בְּדֶרֶךְ יִבְחָר *Monstrabit ei viam*, quam *eligat*, ostendet ei Jova viam ipsi eligendam rectam; ei, in bivio quasi constituto suggeret recta consilia ad eligendum in quovis negotio conveniens. Ante יִבְחָר omissum est אֲשֶׁר, ut 4, 8. 7, 16. 9, 16. Locus nostro similis est 119, 13. cf. Vs. 173.

13. נַפְשׁוֹ *Anima ejus*, i. e. ipse, vid. ad 16, 2. Distribuitur h. l. felicitas piorum tum quoad propriam personam נַפְשָׁם, tum quoad personam posterorum, sive זַרְעָם, in hemistichio altero. בְּטוֹב תָּלִין *In bono*, in felicitate omnigena *pernoctabit*, i. e. constans permanebit, et quidem secure et tranquille. לוּן proprie est *pernoctare*, unde ad quietam et perpetuam immorationem traducitur, ut Prov. 15, 31. *inter sapientes* תָּלִין *commorabitur*; cf. et 91, 1. Prov. 19, 23. Job. 19, 4. Jam *in bono morari*, quietemve agere, quid aliud est, quam, pro voto bonis perfrui? diuturna frui felicitate, ac tanquam domi esse in prosperis? וְזַרְעוֹ יִירַשׁ אֶרֶץ *Posteritasque ejus jure hereditario terram possidebit.* Respicit promissionem piis Israelitis datam Lev. 26, 3. sqq. Ceterum hic Vs., posteriusque Vs. 12. hemistichium responsionem constituunt ad interrogationem Versus 12. initio propositam. Illa vero interrogatio subjectaque h. l. responsio conjunctae aequipollent *enunciato connexivo*, cujus *antecedens* ex interrogatione,

consequens ex responsione sumitur. Quare, ad latinae linguae genium accommodate, duo haec commata conjuncta ita erunt exprimenda: *Ei, qui Jovam colit, is ipse viam ostendet sibi eligendam; talis semper bonis fruetur, ejusque posteri terram possidebunt.* Similis interrogandi formulae exempla habes 34, 13. 14. 107, 43. Prov. 22, 29.

14. סוֹד יְהוָה לִירֵאָיו *Familiaris Jovae consuetudo cum illis, qui ipsum colunt*, cum his Jova familiariter agit, consilia sua, tanquam amicis, eis communicat, quum contra impii in Jovam ab ejus consuetudine et notitia longissime absint. Nomen סוֹד aliqui pro יְסוֹד dictum existimant, a יָסַד, Arab. وسد *ponere, supponere*, unde وساد *cervical, lectulus*, super quo interdiu decumbitur quietis et confabulandi causa, Turcis *Divan* dictus. Haudquaquam vero est opus, literae י aphaeresin statuere, quum סוֹד aptissime ad radicem סוּד referatur, cujus reliquiae sunt in Arab. ساد pro سود, quod in Conj. 3. significat: *clanculum in aurem loquutus fuit*, et Substant. inde derivatum denotat *colloquium secretum.* Syris quoque סודא est *sermo, colloquium*, et verbum אסתוד *confabulatus est.* Ita et hebr. סוֹד denotat *congressum cum amicis, in quo familiariter cum eis colloquimur.* Sic Prov. 3, 32. *improbos Jova abominatur, at cum rectis* סוֹדוֹ *familiaritas*, familiaris consuetudo, *ei* est. Cf. Ps. 55, 15. Job. 19, 19. מְתֵי סוֹדִי sunt *homines, cum quibus familiariter solebam colloqui.* Tum dicitur de *concilio conventuque eorum, qui familiaria inter se consilia agitant*, ac in universum de quavis *congregatione*, ut Jer. 6, 11. 15, 17. Ps. 89, 8. Nostro loco autem nomine סוֹד, *congressu colloquioque familiari*, significantur haud dubie *praecepta divina*, quae quasi bona consilia sunt, quae Jova cum familiaribus suis communicat, quibus eos admonet de rebus aut noxiis aut salutaribus, quare sequitur: וּבְרִיתוֹ לְהוֹדִיעָם *et foedus suum ad notum faciendum eis*, foederis sui conditiones et leges notas eis facit. De בְּרִית יְהוָה vid. ad Vs. 10. Ad לְהוֹדִיעָם observandum est, tempus infinitum regi ab omisso הָיָה *est*, scilicet paratus *Jova, foedus suum eis notum facere.* Verbum הָיָה in hac loquendi formula expressum vide Gen. 15, 12. 2 Chr. 26, 5. Saepius vero הָיָה omittitur, ut Infinitivus s. Gerundium pro Futuro positum sit, vid. Jes. 38, 20. Jova לְהוֹשִׁיעֵנִי *ad servandum me* se. paratus est, h. e. servat me. Syris similiter solenne est, Infinitivo cum praefixo Lomad praemittere suum עתיד *paratus*, eoque modo periphrasin futuri facere.

15. עֵינַי תָּמִיד אֶל־יְהוָה *Oculi mei continuo ad Jovam*, subaud. רָאוּ, *vident*, vel Participium, נְכוֹנוֹת *directi*, ut 123, 1. *ad te levo oculos meos.* Similis elliptica loquendi formula 141, 8. Sensus: spes mea anxie subinde dispicit de auxiliatore. Cf. 121, 1. Quare addit: כִּי — רַגְלַי *Nam is*, Jova, *e reti educit pedes meos*, liberat me e periculo gravissimo, unde alias ego, instar ferae,

penitus ac undique constrictae, me ipsum evolvere plane non potuissem. De רֶשֶׁת vid. 9, 16. 10, 9.

16. אֵנִי — פְּנֵה *Respice ad me* (ut visis quasi aerumnis meis, eo citius ad misericordiam commovearis), *et miserere mei, nam solitarius*, ab omni humana ope destitutus, *et miser ego sum*, maximis affligor aerumnis. Notanda paronomasia inter עָנִי et אֲנִי, cujusmodi exempla sunt Coh. 7, 1. 6. Jer. 48, 43. Joel 1, 15.

17. צָרוֹת לְבָבִי *Angustiae cordis mei*, gravissimae illae perturbationes, quas cor meum veluti arctissime compressum experitur, partim ex praesentium aerumnarum acutissimo sensu, partim ex imminentium adhuc malorum graviorum metu. צָרָה est *angustia*, propric talis, ubi aliquis ita constringitur, ut libertate non modo privetur, sed elabendi quoque nullam omnino videat rimam. Nam צָרַר et צוּר significat *ligare*, *comprimere*, *constringere*, item aliquem veluti compressum vehementer *vexare*, quomodo solet facere hostis civitatem obsidens, Ez. 4, 3. Deut. 20, 12. Jud 9, 31. Cf. Ps. 9, 10. הִרְחִיבוּ haud pauci *intransitive* vertunt. Alex. ἐπληθύνθησαν, *multiplicatae sunt*. Alii: angustiae cordis meae *latae*, i. e. magnae *sunt*. Sed verbum הִרְחִיב intransitive accipere, omnino repugnat linguae usui; ubique *transitive* usurpatum reperitur. Quare et h. l. vertendum esset: *angustiae dilatarunt cor meum*, dilatarunt quasi locum seu terminum suum. Quae tamen sententia minime congruit hemistichio posteriori. Optime contra hemistichia sibi invicem respondebunt, ita divisis vocibus, ut literam ו in fine verbi הִרְחִיבוּ nomini מִמְּצוּקוֹתַי, quod proxime sequitur, praeponamus, pro הִרְחִיב autem *Imperativum*, הַרְחֵיב, enunciemus, unde hic prodibit sensus: *dilata cordis mei angustias*, i. e. hilarem et lactum reddas tristem me et anxium. De *gaudio* רָחַב לֵב dicitur etiam Jes. 60, 5., atque הִרְחִיב לֵב de *exhilaratione* Ps. 119, 32. Cf. et not. ad Ps. 4, 2. Addit vates: וּמִמְּצוּקוֹתַי הוֹצִיאֵנִי *Et e pressuris meis me educ*, e miseriis, adeo valide me circumvallantibus, ut de libertate recuperanda ferme sit mihi desperandum. Descendit מְצוּקָה a צוּק, *arctari*, usurpaturque de talibus anxietatibus, quales sunt famelicorum ac sitibundorum in deserto, ubi quis inopiam sublevare prorsus nequit, Ps. 107, 6., item captivorum, ibid. Vs. 13., moribundorum Vs. 19., naufragium metuentium, Vs. 28.

18. רְאֵה *Intuere*, commiserandi et opitulandi animo, vid. Vs. 16. Deducit poeta Jovam veluti in rem praesentem, ut, quid secum agatur, non per nuncios resciscere sed ipsemet intueri velit propius, ac proin de auxilio sibi mittendo cogitare. עָנְיִי וַעֲמָלִי *Miseriam et laborem meum*, h. e. molestias ac lassitudinem meam, dum tantopere sub aerumnarum conflictu defatigor atque absumor, instar ejus, qui diuturnos et gravissimos exantlavit labores, vid. 7, 17. 10, 7. וְשָׂא לְכָל־חַטֹּאתָי *Et aufer omnia peccata mea*, mea mihi peccata condona. נָשָׂא *abstulit*, de *peccatis* dictum,

significat, poenis de peccato admisso luendis, tanquam onere quodam immenso, aliquem liberare, vid. Gen. 4, 13. Num. 14, 19. Praefixum לְ *accusativi* nota est.

19. רְאֵה אוֹיְבַי *Intuere inimicos meos*, intuitu irato, et ulciscendi animo; usurpatur enim Jovae intuitus tam in bonam, quam in malam partem (Ex. 14, 24. 1 Chr. 12, 17.). Vel: *considera illos*, כִּי רַבּוּ *quam* s. *ut multi sunt et viribus valent*, utrumque enim רַבּוּ significat, וְשִׂנְאַת חָמָס שָׂנְאוּנִי, *et odio violentiae*, vel *injuriae*, *me odiunt*, odio perquam iniquo me persequuntur. Conjungitur שָׂנָא *odio habuit*, eum suo nomine verbali שִׂנְאָה, emphaseos causa. חָמָס *violentia*, vel *injuria*, vim habet adjectivi *iniquus*, deseribit enim adjunctum illius odii, *injustitiam*, propterea quod prorsus absque ulla laesione praevia esset conceptum. Sie Ps. 5, 7. *vir fraudis*, i. e. fraudulentus.

20. שְׁמֹרָה נַפְשִׁי *Custodi animam meam*, i. e. vitam meam (Gen. 32, 31. 37, 21. infra 26, 9.), ne ab hostibus mihi eripiatur. וְהַצִּילֵנִי *Et eripe me*, ex capitali, in quo nunc versor, periculo. הִצִּיל enim significat *aliquem subtrahere*, fortiter eripere, tanquam e praesentissimo vitae periculo, veluti ex ore ferarum, 1 Sam. 17, 7., e laqueo venatorio, Prov. 6, 5. בָּךְ — אַל *Ne pudore suffundar* (vid. Vs. 2.), *nam speravi in te*, perfugium posui in sola tua ope, hinc si spe illa ac fiducia in te semper collocata exeidam, eedet illud in detrimentum gloriae tuae. De חָסָה vid. ad 2, 12. et de בָּךְ ad 5, 12.

21. תֹּם־וְיֹשֶׁר יִצְּרוּנִי *Innocentia et rectitudo me servent*, innocentiae et aequitatis studia me tueantur, ita Prov. 20, 28. *Benignitas et veritas custodiunt regem, et benevolentia thronum suum fulcit.* Cf. Prov. 2, 11. 13, 6. Ps. 40, 12. De תֹּם vid. ad 26, 1. יֹשֶׁר *rectitudo*, qua quis a recto tramite non declinat, ita ut vitiositatis aut pravitatis sit expers. Hinc in Geometricis *rectum* opponitur *obliquo*, in Ethicis vero rectum est, quod est consentiens virtuti, scientiae, prudentiae, congruens normae praeceptorum divinorum. Cf. Job. 6, 25. Prov. 2, 13. 4, 11. Coh. 12, 10. Alex. abstracta accepit pro concretis: ἄκακοι καὶ εὐθεῖς ἐκολλῶντό μοι· *innocentes et recti adhaeserunt mihi*, quod ipsum Syrus etiam secutus est. Repugnat tamen Vs. 16., ubi pocta se solitarium esse questus erat.

22. פְּדֵה — צַרְתָּיו *Libera, o Deus, Israelem ex omnibus suis miseriis.* פָּדָה *redimere*, crebro significat *liberare*, quod inde factum est, quia qui in tristem servitutem erant venditi aut rapti, redimebantur data pecunia, cf. 103, 4.

Ps. 26.

In periculis ab hominibus et inimicis impiis testatur de innocentia sua ad Deum, quasi provocando ad judicium hujus, et quod

culpa careat, et pietati studeat sincere. Et hujus innocentiae et studii sui hos fructus petit, quos percipiat, ut liberetur e periculis, neque iis malis afficiatur, quae ipsi impendent, neve communibus, cum impiis hostibus suis, poenis abripiatur, ut, quorum peccata non peccarit, eorum poenas non ferat. Atque ita simul implorat justitiam et misericordiam Dei, tandemque promittit a se studium pietatis, et recti verique etiam in posterum, et celebrationem beneficiorum divinorum. — Quodsi Davidis sit hoc carmen, possint in eo ea recoli tempora, quae 1 Sam. 22, 5. 8. describuntur, quum Davides, in saltu Hareth versaretur, et Saul crimen perduellionis ipsi inferret, quam calumniam poetam hoc Psalmo a se depellere voluisse verisimile sit. Nec obstat *altaris* et *domus Jovae* mentio Vs. 6. 7. 8. Nam et altare et aedes exstitit ante templum Hierosolymitanum. Quamvis enim utriusque illius locus ante Salomonis regnum fixus non fuit, semper tamen exstitit ab ipsa Mosis aetate, et, quo tempore natus est Samuel, erat in urbe Silo, 1 Sam. 1, 3. 11. 13. sqq., deinde in Cariathiearim alibique. Atque quum ter quotannis masculi omnes in locum Jovae sacrum, ut rei divinae operam darent, ire tenerentur (Deut. 16, 16.), dubium non est, quin Davides, prius quam in saltum Hareth fugeret, istud religionis officium tribus non solum, sed pluribus vicibus obierit, quod ipsum Vs. 6. 7. 8. forsan respexerit. Neque tamen admodum necesse est, illam aliamve specialem occasionem Psalmi compositi sumere. Poterat enim vel Davides, vel alius sincere pius, in universum tali carmine testari, ut ex animo innocentiae studuerit, malorum societatem fugerit, et religioni incubuerit, atque hac suae pietatis conscientia fretus, ultionem, quae manet improbos, deprecari.

1. שָׁפְטֵנִי *Judica me*, cognosce causam meam, et ulciscere me, ac poenas sume de hostibus meis. Judicis est, non solum causam cognoscere, sed etiam, cognita causa, innocentes defendere, in malos vero animadvertere. Similes loci Ps. 9, 5. 17, 2. 35, 24. כִּי אֲנִי בְתֻמִּי הָלַכְתִּי *Nam ego in simplicitate mea incessi*, sine dolo fraudulentave calliditate, sed candide semper atque sincere cum adversariis meis sum conversatus, et pro viribus inculpabilem me praestiti in officio meo. תֹּם et תָּמִים proprie de eo dicitur, quod nulla ex parte sui est diminutum, mutilatum, mancum, aut alioqui laesum, debilitatum et convulsum; ita de *victimis omni vitio et labe carentibus* dicitur Exod. 12, 5. Lev. 1, 3. 22, 25. A rebus corporeis ad animum et mores translatum, ita integrum significat, qui non sit fraudulentus et versutis consiliis velut partitus et imminutus. Vafri enim et cati homines, qui suis tantum commodis student, numquam totos se exhibent, sed dividunt, facie et verbis benevolos se aliis saepe profitentur, corde autem et re ipsa sua tantum quaerunt et curant. Gen. 25, 27. Jacobus dicitur אִישׁ תָּם *innocuus*, *simplex*, minime vafer et versutus. Abimelech Gen. 20, 5. 6. dicebat uxorem Abrahami ad se transtulisse בְּתֹם לֵב,

in cordis sui innocentia, i. e. imprudentem. Cf. et 2 Sam. 15, 11. Cum igitur David de se dicit, *incessi ego in integro meo*, significat, simplici et sincero animo se vixisse. Quemadmodum enim *via* pro vitae ratione dicitur (25, 4. 5.), ita *ire* pro *vitam agere* frequentissime ponitur, vid. Gen. 17, 1. Ps. 1, 1. וּבַיהוָה בָּטַחְתִּי *Et in Jova fiduciam locavi*, pro: in *te* fiduciam locavi, praccesscrat enim secunda persona verbi *judica*, enallage personarum, vel loco pronominis ponitur nomen ipsum antecedens. *Fiduciae* vero *suae* in Jova positae vates meminit ad commovendam judicis clementiam, ne se patiatur succumbere in causa justa, triumphantibus hostibus, parum Deo tribuentibus. לֹא אֶמְעָד *Non vacillabo*, certissime confido, me firmissime contra omnes hostium insultus perstiturum esse.

2. בְּחָנֵנִי *Examina me.* De verbo בָּחַן vid. ad 11, 4. coll. 7, 10. 17, 3. 95, 9. וְנַסֵּנִי *Tenta me*, explora interiorem animi mei indolem, non tantum tui ipsius causa, sed mei et aliorum causa, ut et ipsi experiantur me inique ab adversariis fuisse toties afflictum et traductum. נָסָה significat, alicujus potentiam, sapientiam, constantiam *explorare* ita, ut specimine dato illa palam fiat, experimento illam tentare (vid. 1 Reg. 10, 1. Ps. 95, 9. Deut. 33, 8.), unde h. l. *tentare* est, facere, ut innocentia tentati aliis patefiat. צָרְפָה *Liqua*, h. e. instar argenti vel auri (vid. 12, 7.), in catino super igne examinati, explora etiam internos animae meae recessus eosque innocuos (quoad iniquas adversariorum criminationes) deprehensos, palam coram omnibus siste. כִּלְיוֹתַי וְלִבִּי *Renes meos et cor meum*, h. e. intimos quosque meos tum affectus (vid. 7, 10.), quorum sedem Hebraei tribuunt *renibus*, tum consilia et cogitationes, quarum officina *cor*.

3. כִּי חַסְדְּךָ לְנֶגֶד עֵינָי *Nam misericordia tua in conspectu oculorum meorum*, sc. *fuit*. Omnis mea cura atque fiducia est fixa unice in sola tua gratia affectuque paterno. נגד עינים designat perpetuam recordationem et observantiam, 10, 5. 16, 8. 18, 23. וְהִתְהַלַּכְתִּי בַּאֲמִתֶּךָ *Et ambulavi indesinenter et sedulo in veritate tua*, secundum praecepta tua, quae sunt verissima et rectissima. הָלַךְ in *Hithpael* frequentative usurpatur 1 Sam. 30, 31. Gen. 5, 22. 17, 1. Sententia huc redit: Quia in misericordiam et bonitatem tuam direxi et intendi oculos meos, qua conservas tuos, ideo eum me praestiti, ut inculpata esset vita mea, et conservaretur a me veritas et integritas ea, quam tu postulas. Testatur autem de vita ante acta ad innocentiae suae testificationem contra adversariorum insimulationes.

4. לֹא־יָשַׁבְתִּי עִם־מְתֵי־שָׁוְא *Non sedi* (vid. 1, 1.) *cum hominibus vanitatis*, vanorum et levium hominum consuetudinem fugi. *Homines vanitatis* sunt rebus inanibus, mendaciis et levitati dediti homines nequam, ut Job. 11, 11., qui Job. 22, 15. מְתֵי אָוֶן dicuntur (cf. ad Ps. 25, 3.). Hoc loco tales maxime nequam signi-

ficari videntur, qui vanitate verborum suorum et falsiloquis sermonibus alios lacdunt, ut respondeat τοῖς נֶעְלָמִים in hemistichio altero. וְעִם נֶעְלָמִים לֹא אָבוֹא *Et cum absconditis non ingredior*, cum occultis et callidis simulatoribus nihil mihi fuit commercii, nihil communicavi cum consiliis aut facinoribus talium. נֶעְלָם propric denotat *signatum*, *obsignatum*, hinc, quia quae *condimus*, ea ferc *signamus*, vel *sigillo impresso claudimus*, transfertur ad omne in universum *absconditum*, qua significatione constanter in veterum Hebraeorum scriptis usurpatur, veluti 2 Chr. 9, 2. לֹא־ נֶעְלַם דָּבָר מִשְּׁלֹמֹה *nihil quidquam Salomoni erat absconditum*; sic 1 Reg. 10, 3. *res abscondita regi*. Vid. Lev. 4, 13. 5, 2. Num. 5, 13. Nostro vero loco, ubi vox illa de hominibus absolute dicitur, non plane consentiunt interpretes, quale hominum genus vates *absconditis* sive *occultis* designet. Alexandrinus sensu generaliori reddidit: *μετὰ παρανομούντων*, *cum iniqua gerentibus*, ut Vulgatus vertit. Syrus *stultos*, et Hieronymus *superbos* interpretatus est. Uterque significationem a se expressam ab עֶלֶם *adolescens*, *juvenis*, petiisse videtur. Magis probanda Chaldaei explicatio: *qui occultant sese ad malefaciendum*. Aptissime vero Aben-Esra explicat: *qui secus agunt quam sentiant*. Ita נעלמים erunt *tecti* (Gallis *cachés*), qui tegunt et dissimulant, quae mala moliuntur, et bonum, quod minime volunt, simulant. לֹא אָבוֹא *Non ingredior* illorum latibula, vel: non ingredior cum illis viam eandem, separo me cautissime a talibus pravis consortiis. Similis fere loquutio Job. 31, 5. *si ambulavi cum vanitate*, i. e. cum vano. Cum igitur David hoc loco ait, se cum impiis neque sedere, neque ambulare, in universum negatum vult omne cum ipsis consortium.

5. שָׂנֵאתִי קְהַל מְרֵעִים *Odio habeo congregationem malefacientium*, odi communitates eorum, qui sunt homines nocentes et facinorosi. מרעים sunt illi, quorum unicum fere studium est, damnum aliis inferre, atque ex ipsorum detrimento sibi parare lucrum atque gaudia. Cf. 22, 17. Iidem describuntur 64, 3. 4., quod acuant linguam ut gladium. וְעִם רְשָׁעִים לֹא אֵשֵׁב *Neque cum improbis sedebo*, non veniam in eorum consessus, ut iis in perversis consiliis assidens, perniciosis ipsorum molitionibus assentiar. De רְשָׁעִים et יָשַׁב cf. not. ad Ps. 1, 1.

6. אֶרְחַץ בְּנִקָּיוֹן כַּפָּי *Lavo in innocentia manus meas*, i. e. sedulo opcram dedi, ne pravis impiisque moliminibus vitam meam contaminarem. Eo sensu *lavare manus in innocentia* Ps. 73, 13. conjungitur cum *mundatione cordis*; cf. Job. 9, 30. Alii illam loquendi formulam repetunt a manuum lavandarum ritu, qui praescriptus erat illis, qui a caede se testari velint innocuos, Deut. 21, 6., ubi lavare manus suas jubentur seniores super vitulam, qua expietur cadaver interfecti incerto auctore. Unde hic mos receptus Judaeis, ut testaturi innocentiam suam abluerent manus,

cum asseveratione, se vacare culpa, et immunes esse a facinore, quod committerctur, quomodo et Pilatus manus abluisse narratur Matth. 27, 24. cum detestatione, sua culpa non damnari innocentem. Sed נְקִיּוֹן כַּפַּיִם *mundities manuum* opponitur impuris hominum vanorum, clanculariorum et malignantium actionibus, sensusque est, Davidem lavare manus mundas, nulloque criminum sánguine commaculatas. Sic et alias substantivum cum praepositionc ponitur pro adjectivo, v. g. פַּחַד בַּלֵּילוֹת *timor in noctibus*, h. e. nocturnus, Cant. 3, 8. וַאֲסֹבְבָה אֶת־מִזְבַּחֲךָ יְהוָה *Et circumdo altare tuum*, frequens et propinquus sum non coetibus impiorum, aut illorum, qui fictitios deos colunt, sed tuo cultui, et potissimum frequens compareo ad tuum altarc cum sacrificiis meis, ut ibi te colam pietate vera, cui studeo.

7. לַשְׁמִעַ בְּקוֹל תּוֹדָה *Ad edendum sonum voce laudis*, h. e. propterea tam frequens ad altare tuum compareo, ut mei etiam causa tua celebretur gloria, ut et ego ansam praebeam Levitis, te instrumentis musicis, cantuque tripudiante late celebrandi. Sic enim haec ipsa loquendi formula usurpatur in descriptione musicae sacrae, quam inter sacrificandum adhibebant sacri cultus ministri, 1 Chr. 15, 19. 16, 5. 42. 2 Chr. 5, 13. Potest etiam reddi per Gerundium in *do*, hoc sensu: *circumeo personando*, quemadmodum ל Gerundium hoc format in vulgato illo לֵאמֹר, *dicendo*. שָׁמַע in Hiphil quandoque post se habet Accusativum, valetque *audire fecit*, v. c. sonum, ut Cant. 2, 14. *audire me fac vocem tuam;* quandoque ponitur absolute, sine Accusativo sequente, ut in locis paullo antca citatis, et tunc significat: *sonum edere audibilem, personare.* וְלִסַפֵּר כָּל־נִפְלְאוֹתֶיךָ *Et ad enarrandum*, sive *enarranda omnia mirabilia tua*, intelligit vates sive in universum omnes omnino res admirabiles a Jova gestas, sive admirabilia beneficia ipsi collata, quae inter sacrificandum hymnis celebrat. Cf. Ps. 9, 1.

8. יְהוָה אָהַבְתִּי מְעוֹן בֵּיתֶךָ *Jova, diligo mansionem domus tuae*, frequento cupidc aedem tuam, quam incolis. De hoc sunt multae et ardentes testificationes in Psalmis, cf. 37, 4. 63, 3. 122, 1. sqq. Haec aedis divinae dilectio opponitur etiam domiciliis impiorum exosis (Vs. 4. 5.). מעון ביתך *habitaculum*, seu *hospitium domus tuae*, h. e. tabernaculum tibi sacrum, seu templum, in quo promisisti, tc peculiari modo habitaturum. Idem sanctuarium describitur verbis: וּמְקוֹם מִשְׁכַּן כְּבוֹדֶךָ *Et locum habitationis gloriae tuae*, ubi gloriam tuae sapientiae, sanctitatis, benignitatis declaras peculiariter, reddendo responsa ex hac ipsa aede, preces exaudiendo, cultumque ab hominibus in hoc tantum loco suscipiendo. Possit כבוד etiam exponi adjective, *habitatio tua gloriosa*, celebris, conspicua, splendida.

9. אַל — נַפְשִׁי *Ne colligas cum peccatoribus animam meam*, averte igitur a me poenas tuas, ne corripe animam meam, ut

simul tollatur cum facinorosis, quando in hos animadvertes. אָסַף propric est *colligere*. At, quia quae *colliguntur*, de loco, unde colliguntur, domum, vel alio auferuntur (Deut. 16, 13. Ex. 23, 16.), ideo אסף etiam *auferre* valet (Gen. 30, 23. Jes. 4, 1. Ps. 85, 4.), et *subtrahere* (Joel. 2, 10.). Hinc Deus *spiritum* interficiendi *ad se colligere*, sive ab eo *auferre* dicitur Job. 34, 14. et *vitam colligere*, ut hoc loco. Cf. Jud. 18, 25. Hos. 4, 3. Zeph. 1, 2. Ps. 104, 29. וְעִם־אַנְשֵׁי דָמִים חַיָּי *Et cum viris sanguinum* (qui sanguini fundendo intenti sunt, 5, 7.) *vitam meam* ne abripias, quod verbum est repetendum. Respicere videtur suos adversarios, qui nil nisi caedem et sanguinem suum sitiebant.

10. אֲשֶׁר בִּידֵיהֶם זִמָּה *Quorum in manibus* est (i. e. quod moliuntur, quodve agunt) *dolus*, qui artes malas exercent. Nomen זמה (a זָמַם) proprie *cogitatio*, *consilium*, in singulari semper in malam partem accipitur de *versuto*, *perverso consilio*. Hinc dicitur de omni opere scelerato, quod quis praemeditate et consulto perpetrat, veluti de *homicidio*, *deastrorum cultu* Ez. 22, 9.; de *incestu*, Lev. 18, 11. 19, 29. 20, 14.; *scortatione mortifera* Jud. 20, 6. Addit: וִימִינָם מָלְאָה שֹׁחַד *Et quorum dextra plena munere*, injusto, quod a parte rea offertur judici, ad eundem corrumpendum, Deut. 16, 19. 27, 25. Ps. 15, 5. *Dextram* dicit, quod ejus in dando et recipiendo frequentior usus prae sinistra. Videntur poetae adversarii muneribus corrupti fuisse, ut ipsum oppugnarent. Vel est una quaedam injustitiae species pro omni iniquitate posita.

11. Professionem innocentiae et pietatis repetit, indeque orat, ut se Deus a malis, quae jure imminent reprobis, immunem servet, imo spem, id fore, id quod aliquoties monuit, sibi confirmat. וַאֲנִי — וְחָנֵּנִי *Verum ego in simplicitate mea ambulo*, in innocentia illa mea, quam sectari coepi (Vs. 1.), pergam; *libera* igitur *me* (propr. *redime*, vid. 25, 22.) ex adversariorum insidiis, *et miserere mei*.

12. רַגְלִי עָמְדָה בְמִישׁוֹר *Pes meus consistit in plano*, incedo ego in via recta et plana, a te praescripta, cf. 25, 4. Nomen מִישׁוֹר proprie dicitur de *solo plano*, quod caret clivis et collibus, Deut. 3, 10. 4, 43., illiquc opponitur curvum et tortuosum, Jes. 40, 4. 42, 16. Hinc per metaphoram hoc loco designat vitae genus simplex, quod caret fraudum scelerumque tortuosis anfractibus (125, 5.). Cf. 27, 11. 143, 10. בְּמַקְהֲלִים אֲבָרֵךְ יְהוָה *In coetibus celebrabo Jovam. Coetus* intelligit saeros populi ad cultum Jovae congregati. Nomen מַקְהֵל masculinum praeter hunc locum non exstat in V. T., femininum autem, מַקְהֲלוֹת, reperitur Ps. 68, 27. Videntur hi coetus opponi congregationibus impiorum, Vs. 5. Verbum בָּרַךְ proprie *in genua procumbere*, etiam *adorandi causa* (Ps. 95, 6.), valet, hinc non solum *salutare*, verum etiam, ut fieri solet in convenientium et digredientium salutatio-

nibus, *bene precari*, quae quidem significatio omnium maxime est usitata. Homines vero cum *bene precari* dicuntur *Deo*, sive *bene* de eo *dicere*, id vix aliud quidquam significare poterit, quam, *laudes* illius *praedicare*, eum *celebrare*, animo religioso et pio ejus potentiam et bonitatem efferre, gratias agere, ita h. l. et Ps. 16, 7. 28, 6. 103, 1.

Ps. 27.

Et hic Psalmus, ut 26., preces continet pii in periculo aliquo insigni constituti, in quo se recordatione divini promissi contra ingruentia mala plurimum animat, victoriamque de hostibus, et tranquillam in religionis studiis vitam, sibi pollicitus, de celebri gratiarum actione votum nuncupat, sicque optima spe confirmatus, opem Dei implorat, docerique se vitam Jovae gratam precatus, iterum ad fidendum fortiter Deo semet ipsum hortatur.

Quum Davidi tribuat inscriptio Psalmum, quaerunt, num periculum, de quo Vs. 2. et 3. loquuntur, a Saule, an vero ab exteris hostibus, an denique ab Absalomo fuerit? Graecus titulus Psalmi habet, scriptum esse a Davide, antequam rex ungeretur (*πρὸ τοῦ χρισθῆναι*). Quae inscriptio de illa privata unctione, qua in domo patris sui, et inter fratres suos, Saule adhuc vivo, sed jam a Jova rejecto, a Samuele, mandato divino, rex unctus fuit (1 Sam. 16.), de hac igitur unctione accipi Graeca inscriptio neque potest, neque debet. Nihil enim adhuc periculorum tum quidem ab hostibus, neque a Saule, neque aliis, David expertus erat. De altera igitur unctione, vel, ut accurate loquamur, tertia illa, interpretandus erit Graecus titulus, qua publice, sicut octavo anno ante, Hebrone Rex Judae, ita tum omnium tribuum Israelis, consentientibus sententiis, rex unctus, creatus et renunciatus fuit (2 Sam. 5.). Atque ita Saulicarum insectationum temporibus editus putari possit Psalmus, quibus et congruere volunt Versum 10., quo parentibus se orbum queritur, nec non Versum 12., quo calumniatorum mentionem facit. Attamen quod se a parentibus derelictum queritur vates, nequaquam ad definiendum tempus, quo factum sit carmen, quidquam facere, ad Vs. 10. videbimus. Preces vero adversus calumniatores generaliores sunt, quam ut ad Davidem eos restringi necesse sit. Quare in universum hoc Psalmo hominem studio cultus divini ardentem et amore Dei plenum, sed ab impiis popularibus exagitatum, induci arbitor, qui se recordatione divini promissi contra ingruentia mala animat, et ad fidendum fortiter Deo semet ipsum hortatur.

1. Exhibet se, tanquam jam secum magnitudinem periculi, in quo erat, considerantem, et statim consideratione Jovae, in quo omnem spem collocaverat, quidquid id erat, fortissime contemnentem, salutemque sibi certissime promittentem. יְהוָה אוֹרִי *Jova lux mea*, Jova est ille, cujus ductu diriguntur omnes gressus mei,

cujus splendore omnes tenebrae mearum aerumnarum dissipantur. Cf. Mich. 7, 8. Figuratam dictionem statim exponit: וְיִשְׁעִי *et salus mea*, h. e. ipse est, non vero humana praesidia, qui e periculis me eripit, creptum in statum securum transfert; cf. 18, 3. 24, 5. 25, 5. Per metonymiam autem *salus* ponitur pro salutis auctore (coll. 18, 47.). מִמִּי אִירָא *A quo* igitur adversario mihi *metuerem?* Observanda est paronomasia אוֹרִי inter et אִירָא. Appellat Jovam porro: מָעוֹז־חַיַּי *propugnaculum vitae meae*, i. e. protector vitae meae, cujus praesidio haec nititur, qui mihi, ob varia pericula fluctuanti, vires tam corporis, tam animi addit, omneque periculum imminens a me arcet, imo qui se ipsum mihi praebet contra hostiles incursus propugnaculum inexpugnabile. Nomen מָעוֹז *munimentum*, referendum est ad עָזַז *potens*, *validus fuit.* מִמִּי אֶפְחָד *A quo pavebo?* quae pericula igitur, quem hominem exhorrescerem?

2. בְּקָרֹב — בְּשָׂרִי *In appropinquando contra me malefactores ad devorandum carnem meam*, cum circumcludor hostilium turba, meum sanguinem sitientium. Verbum קָרַב *appropinquavit*, cum עַל conjunctum, hostilitatem indicat, unde appellatio *belli* קְרָב, quando copiae hostiles propius invicem conflicturae congrediuntur, Cohel. 9, 18. Cf. Deut. 20, 2. 10. מְרֵעִים *malefactores*, qui omnis generis contumeliis me vexant, imo necem mihi intentant, id quod statim addit. Cf. 22, 17. 26, 5. Quod vero dicit, aggredi se adversarios לֶאֱכֹל אֶת־בְּשָׂרוֹ *ad devorandum carnem suam*, eo describit illorum ferocitatem et saevitiam, quae tanta sit, ut more ferarum, quae praedam a se interfectam laniant, cadaver ipsius dentibus suis discerpere cuperent. Cf. Ps. 14, 4. Jer. 3, 16. Mich. 3, 3. צָרַי וְאֹיְבַי לִי *Adversarii nempe mei et inimici mei*, quibus epithetis plenius adhuc designantur illi מְרֵעִים. Quod additur, לִי, abundat, quemadmodum 2 Sam. 22, 2. *Jova est sospitator meus* לִי *mihi.* Dum homines mali et nocentes, poeta inquit, iidemque hostes mei, sperant se mei potituros, הֵמָּה כָּשְׁלוּ וְנָפָלוּ, *ipsi impingent et cadent*, mala, quae in me moliuntur, in ipsos recident. Verbum כָּשַׁל proprie esse videtur, prae *segnitie* sive *lassitudine labare* (nam consonum arab. verbum est *segnis fuit*, *torpuit)*, unde dicitur de genubus, ex imbecillitate nutantibus Jes. 35, 3. *(roborate genua labantia)*, et Ps. 109, 24., nec non de viribus, prae lassitudine labantibus Neh. 4, 4. vel 10. *(labant vires bajuli)*, hinc *offendere*, *impingere* denotat (quae significatio et Syris usitatissima), et ita quidem, ut vix, vel plane non, se a lapsu queat asservare impingens, quare saepius huic verbo subjungitur נָפַל, *cecidit*, ut hoc loco, item Jes. 31, 3. Jer. 46, 6. 12. 50, 32.

3. לִבִּי — אִם *Si castra metetur contra me exercitus, tamen non trepidabit cor meum*, eadem sententia, quae Ps. 3, 7. expressa est, nec non 91, 7. Eandem sententiam repetit hemi-

stichio posteriore, בּוֹטֵחַ — אִם־תָּקוּם *Etiamsi contra me surgat bellum, in hoc ipso quoque confido*, nihil metuo. בְּזֹאת *in hoc ipso*, id est מִלְחָמָה *bello*, cum quo nomine pronomen illud genere convenit; ad *Jovam* enim si referendum esset, poeta dixisset in masculino, בּוֹ *in eo* fiduciam meam pono, quem sensum expressit 13, 6. 25, 2. 26, 1. Aliis בְּזֹאת idem est quod בְּכָל־זֹאת (Job. 1, 22.) *in omnibus hisce* sc. periculis. Hoc dicit: etiamsi inter medios hostes verser, tamen meam non descro fiduciam, sed confidens et bene sperans maneo. Designatur itaque hoc pronomine non id, in quo fiduciam ponat vates, sed tempus, quo ea se exserat. בּוֹטֵחַ, absolute positum, ut hic, est *fidens*, nihil mali extimescens, securus. Sic Jud. 18, 7. 10. 27. incolae urbis Lais vocantur עַם שֹׁקֵט וּבוֹטֵחַ *populus secure et tranquille agens.* Cf. Prov. 11, 15.

4. אַחַת — אֲבַקֵּשׁ *Unum petii a Jova, id ipsum quaeram*, non desinam orare. אַחַת, *unam*, subaudi שְׁאֵלָה *petitionem*, ex Jud. 8, 24. 1 Sam. 2, 20. 1 Reg. 2, 20., quibus locis phrasis plena exstat. Ita saepius nomen verbale suppleri debet ex verbo apposito, cf. Ps. 13, 4. Porro *unum* ponitur pro *primo*, seu primario, quemadmodum et alias numerus cardinalis usurpatur pro ordinali, ut Gen. 1, 5. *dies unus*, i. e. primus, et 4, 19, *nomen unius*, i. e. primae. Hanc rem, ait, prae omnibus aliis numquam orare desinam, שִׁבְתִּי — חַיַּי *habitare me in domo Jovae omnes dies vitae meae*, id est, ut mihi deinceps semper liceat versari in loco cultus sacri publico, לַחֲזוֹת בְּנֹעַם־יְהוָה *ad conspiciendum jucunditatem Jovae*, id est sacrificia, suffitus, ceterique ritus, quibus Jova in fano sacro coli solebat. Nam quum summa esset piis ex cultu Jovae amoenitas et jucunditas, per metonymiam et ipse potuit *jucunditas* vocari. Possit quoque *decor Jovae* verti, atque tabernaculum sacrum vel templum eo nomine intelligi, habebat enim hoc suum ornatum, et quidem eximium, et erat cultus Jovae a Mose institutus sane speciosissimus. Sententia hujus Vs. convenit cum 26, 8. Ceterum verba *videndi* רָאָה, חָזָה, הַבִּיט, cum ב constructa, indicant cum contemplatione conjunctam oblectationem, ut vidimus 22, 18. coll. infra Vs. 13. Mich. 4, 11. Cant. 7, 1. Job. 36, 25. Jes. 47, 13. Addit: וּלְבַקֵּר בְּהֵיכָלוֹ *et ad visitandum regiam ejus*, id enim הֵיכָל significat Jes. 39, 7. 1 Reg. 21, 1. Nec alia ratione primum tabernaculum (1 Sam. 3, 3.), et postea templum Jovae הֵיכָל nominata sunt, quam quod utrumque esset Jovae regia quaedam, in qua peculiarem divinitatis suae praesentiam exhiberet. בָּקַר, quod in Kal non exstat, significat, *aliquid diligenter et singulari cum attentione requirere*, quomodo v. g. sacerdos investigat pilos leprosorum rufos, Lev. 13, 36. Cf. Ez. 34, 11. 12. Hoc loco commodissime *visitare* vertitur.

5. Rationem reddit, cur tantopere Jovam propius continuoque accedere gestiat. רָעָה — כִּי *Nam abscondit me in tugurio suo in die malo*, cum tempus fuerit adversum, maxime contra me de-

saevientibus hostibus. Metaphora petita est a pastore, qui oves abscondit in suo tugurio, ne nimio solis aestu, aut tempestatis injuria laedantur. Etenim סֹךְ et סֻכָּה proprie *tugurium* significat, *ex ramis frondibusque arborum factum*, vid. Lev. 23, 40—42. Tunc ad quamlibet *habitationem* transfertur, modo sit operta, veluti ad lustra leonum Ps. 10, 9. Jer. 25, 38., ad *palatium regium*, Am. 9, 11., ad domicilium arcae sacrae Hierosolymis, Ps. 76, 3., atque ad ipsum *tabernaculum sacrum*, Thren. 2, 6. et hoc loco. יַסְתִּירֵנִי בְּסֵתֶר אָהֳלוֹ *Latitare me facit in latibulo tentorii sui*, tam securum me reddit, ac si in tabernaculi sacri adyto, quorsum non penetrare potest hostilis impetus, absconditus latitarem. Tutissimum enim praesidium contingebat illis, qui ad adyta sanctuarii, ad aram, vel sacra, ut asylum, confugiebant. Exempla vid. Num. 14, 10. 1 Reg. 2, 28. סֵתֶר est *locus absconditus*, quo quis latitare potest. Ita nubes appellantur סֵתֶר *Jovae*, Job. 22, 14. Cf. et Jes. 32, 2. Ps. 61, 5. 91, 1. Subdit: בְּצוּר יְרוֹמְמֵנִי *In petra exaltat me*, non minus tutum me reddit, quam is esse possit, qui in rupem celsam evectus sit, ad quam hostes conscendere prorsus nequeant. Cf. ad 18, 3.

6. Sed non modo securus ero ab hostibus, sed et victor eorum. סְבִיבוֹתַי — וְעַתָּה *Et nunc etiam elevabit caput meum super hostes meos circa me*, qui me cingunt, h. e. sicut antea Deus me afflictum erigere consuevit, ita hac etiam vice mihi opem feret. De formula רֹאשׁ הָרִים vid. ad 3, 4. Nomen סָבִיב et סְבִיבָה, *circuitus*, elliptice positum absque praepositione ב, naturam induit adverbii *circumquaque*, ut Ps. 18, 12. Mox erit, ut solennes pro victoria Jovae gratias agam, adhibitis holocaustis cum hymnis et canticis, quod his verbis expressit: וְאֶזְבְּחָה וגו׳ *Et sacrificabo sacrificia clangoris, cantabo et hymnum dicam Jovae.* Sacrificia eucharistica faciebant gratias solennes Deo agentes. Jam ad illa sacrificia clangebatur buccinis duabus argenteis, ut praescriptum est Num. 10, 10. Earum vero sonus תְּרוּעָה *clangor* vocatur Hebraeis, Num. 10, 5. 6. 29, 1. Quare quod poeta scripsit, זִבְחֵי תְרוּעָה idem est atque זְבָחִים עִם תְּרוּעָה *sacrificia cum clangore buccinarum*, quae alias זִבְחֵי תוֹדָה *sacrificia laudis* dicuntur, 2 Chr. 33, 16. Ps. 116, 16. 17. אָשִׁירָה *canam*, sc. voce, וַאֲזַמְּרָה *et psallam*, instrumentis nimirum musicis. Similis conjunctio horum verborum exstat Ps. 51, 8. 105, 2. 108, 2. 21, 14. Et quidem זָמַר usurpatur de eo laetitiae genere, quod exserit se nablio decachordo Ps. 33, 2., cithara, 98, 5. 147, 7. 71, 22., tympanis 149, 3.

7. שְׁמַע־יְהוָה *Audi Jova*, scilicet benigne, id est, exaudi. Infertur Deus tanquam rex clemens, qui subditorum supplicationes benigne admittit. קוֹלִי אֶקְרָא *Quum voce mea clamavero.* Hanc constructionem postulant accentus; nam יהוה separatur a קולי per *Tiphcha*, קולי autem connectitur cum אקרא per *Munach.* Quare

ellipsis erit adverbii temporis כַּאֲשֶׁר, vel כִּי, *quando* vel *quandoquidem*. וְחָנֵּנִי וַעֲנֵנִי *Miserere mei et responde mihi*, precibus meis, et ita quidem, ut ea praestes, quae a te oro. Ita עָנָה *respondere*, pro *exaudire* et Ps. 13, 4. 17, 6.

8. Equidem, vates pergit, non temere te sic invoco. Tu enim et promissiones tuas nobis dedisti, et nos ad te fidenter accedere jussisti. לְךָ אָמַר לִבִּי בַּקְּשׁוּ פָנָי *Tibi dicit cor meum*, subaudi nomen ejusdem generis אִמְרָתְךָ, sive דְּבָרְךָ *verbum tuum*, quod hoc erat: *quaerite faciem meam*, commonefacio te illius, quod ipse nobis dedisti, praecepti, nos debere faciem tuam quaerere. Omissione nominis דָּבָר e contextu subaudiendi nihil frequentius est apud Hebraeos. De formula *faciem Dei quaerere* vid. 24, 6. Veteres in verbis בַּקְּשׁוּ פָנָי mire inter se dissentiunt. Alexandrina versio in editione Romana ita sonat: ἐξεζήτησά τὸ πρόσωπόν σου, *quaesivi faciem tuam*, ac si Hebraica verba essent: בִּקַּשְׁתִּי אֶת־פָּנֶיךָ. Sed in Complutensi atque Aldino textu sic legitur: ἐξεζήτησέ σε τὸ πρόσωπόν μου, quam legendi rationem non solum Vulgatus confirmat *(exquisivit te facies mea)*, verum et Arabicus interpres. Ex hac igitur lectione, quae omnino praeferenda videtur, versio Graeca verba Hebraea expressit haec: בַּקְּשׁוּ פָנַי אֶת־פָּנֶיךָ. Imperativum בקשו Alexandrinus igitur accepit pro Praeterito. Pronomen σε respondet verbis את־פניך, quae junxit verbo בקשו, neglecta interpunctione Hebraea. Cum Alexandrino convenit Symmachus: σὲ ἐζήτει τὸ πρόσωπόν μου· nec is aliter, ac nos, videtur Hebraea verba legisse, nisi quod vel בַּקְּשׁוּ pro Praeterito accepit, vel בִּקְּשׁוּ enunciavit. Alterutrum et Aquila fecit, qui sic vertit: ἐζήτησαν πρόσωπά μου. Syrus hunc Versum ita reddidit: *Tibi dicit cor meum, et quaerunt facies meae facies tuas.* Ultimum verbum, אֲבַקֵּשׁ, prorsus omisit, et penultimum יְהוָה ad Vs. sq. traxit, adeoque totum Versum ita legit: לְךָ אָמַר לִבִּי וּבַקְּשׁוּ פָנַי אֶת־פָּנֶיךָ. Sensus igitur ex hac legendi ratione in utroque membro idem est, nimirum hic: *ego ad te precor.* Chaldaeus בקשו in Singulari reddidit: *quaere faciem meam*, non quod בַּקֵּשׁ in suo codice legerit, ut ego quidem existimo, sed quod singularem numerum orationis tenori magis convenire putaret. Ceterum ea lectio, quam codices Hebraei hodie exhibent, utpote difficilior, omnino retinenda est. Dissensus omnis graecorum interpretum ex breviloquentia non intellecta ortus videtur, quae tamen ipsa maximam facit elegantiam, atque affectui Davidis precantis egregie convenit. Jovae, homines ad auxilium suum quaerendum invitanti, se morem gerere, poeta affirmat his verbis: אֶת־פָּנֶיךָ יְהוָה אֲבַקֵּשׁ *faciem tuam, Domine, quaero*, ad opem tuam, sicuti jussisti, confugio.

9. אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ מִמֶּנִּי *Ne abscondas faciem tuam a me*, exaudi me, et juva me, quia jussisti invocationem, et promisisti auxilium. De formula *faciem occultare* vid. ad 22, 25. coll. 13, 2.

אַל־תַּט־בְּאַף עַבְדֶּךָ *Ne declinare facias in ira servum tuum*, ne in indignatione tua repelle a te, vel, iracunde averseris cultorem tuum, quo minus in posterum tua fruatur ope aut praesidio. Alex. *μὴ ἐκκλίνῃς ἐν ὀργῇ ἀπὸ τοῦ δούλου σου*, quod sequutus Vulgatus: *ne declines in ira a servo tuo*, ac si in suo codice reperisset מֵעַבְדֶּךָ. Lectionem receptam expresserunt Syrus *(ne afflige in ira servum tuum)* et Chaldaeus עֲזָרְתִי הֲוִיתָ, tu, qui adhue *auxilium meum fuisti*. Quam sententiam repetit: אַל־תִּטְּשֵׁנִי וגו׳ *Ne deseras et derelinquas me*, ne subtrahe mihi manum et opem tuam, *Deus salutis meae*. De אֱלֹהֵי יִשְׁעִי cf. ad 24, 5.

10. יַאַסְפֻנִי — כִּי *Nam pater meus et mater mea deseruerunt me, sed Jova me recipit;* vel: quamvis me deserant parentes mei, tamen Jova me recipit; qua quidem significatione particula כִּי saepius occurrit. Qui hoc Psalmo Davidem de se ipso canere existimant, *parentum* mentionem proprie capiunt, eamque eo referunt, quod rex ille parentes suos, ipsos etiam secum exules factos, in clientela regis Moabitici reliquit, ut narratur 1 Sam. 22, 3. Ita tamen non queri potuit, illos ipsum sponte deseruisse. Michaelis, qui Psalmum ad tempus illud, cujus historia legitur 1 Sam. 21., retulit, existimavit, parentes Davidis noluisse eum excipere, quod sibi a Sauli crudelitate metuissent. Nobis quidem non est dubium, esse illam loquutionem proverbialem, qua is qui ab omnibus, etiam iis, qui sibi proximi essent, se destitutum videret, se *a patre et matre derelictum* diceret. יַאַסְפֻנִי *Colligit me*, id est, desertum et veluti hic illic errantem, tecto recipit et tanquam familiae adscriptum diligenter curat. Sic enim אָסַף usurpatur de receptione divagantis jumenti in domum Deut. 22, 2., de receptione Bathsebae, tanquam viduae, et posthae regiae uxoris in domum, 2 Sam. 11, 27., de receptione homicidae fugitivi in asylum, Jos. 20, 4., viatoris in diversorium, Jud. 19, 15. Cf. de hoc verbo not. ad Ps. 26, 9.

11. הוֹרֵנִי יְהוָה דַּרְכֶּךָ *Doce me, Jova, viam tuam*, vivendi agendique rationem tibi gratam, pendentem totam a nutu tuo. Cf. ad 25, 4. Quam ipsam sententiam repetit his verbis: וּנְחֵנִי בְּאֹרַח מִישׁוֹר *et deduc me in semita rectitudinis*, h. e. recta et plana, posterius enim substantivum vices gerit adjectivi. Vid. 5, 7. 25, 19. 26, 12. לְמַעַן שׁוֹרְרָי *Propter observatores meos*, ne ii veram nanciscantur calumniandi materiam, si ego, tua destitutus gubernatione in peccata incidam, cumque reliqua improborum turba paribus affligar aerumnis. Est vero שׁוֹרֵר ejusmodi *inimicus* vel *insidiator*, qui undique observat calumniandi nocendive occasiones, a שׁוּר, et in Piel שׁוֹרֵר, *contemplari*, cf. ad 5, 9.

12. אַל־תִּתְּנֵנִי בְּנֶפֶשׁ צָרָי *Ne des me in animam adversariorum meorum*, ne permittas me hostium libidini perversaeque cupiditati. נֶפֶשׁ Hebraei recte h. l. explicant *desiderium*, *cupiditatem*, cf. ad 24, 4. Significatur hostium cupiditas, in Davide

odii sui furorem explendi. כִּי קָמוּ־בִי עֵדֵי־שֶׁקֶר *Nam surrexerunt in me testes falsitatis*, falsi, vel falsiloqui, hoc est, vel eam ob causam me non permittas hostium meorum libidini, quia hi ipsi acerbissime contra me jam fuerunt, aliorum calumniis et mendaciis contra me excitati. וְיִפַּח חָמָס *Et efflans injuriam*, qui verbis injuriam facit. יִפַּח *efflans* est nomen formae כִּבֵּד, a verbo יָפַח, quod in forma Hithpael occurrit Jer. 4, 31. (*vox filiae Zion* תִּתְיַפַּח), significatione vero convenit cum פּוּחַ et נָפַח, *spiravit*, *flavit*, *efflavit*, quemadmodum verba alia plura primae radicalis *Jod* et mediae *Vau* significationes habent communes. Inde phrasis Actor. 9, 1. *ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου.* Et locus huic plane similis est Prov. 6, 19. *prostat mendacia testis falsiloquus.* Nomen vero יִפַּח praeter hunc locum non reperitur. Singularis pro plurali est positus, pertinetque ad verbum קָמוּ. Alii speciatim insignem illum calumniatorem Doëg (1 Sam. 22, 9.) innui existimant. Alexandrinus syllabam priorem verbi primi Versus 13. (לוּלֵא) traxit ad hunc Versum, vertit enim hoc modo: *καὶ ἐψεύσατο ἡ ἀδικία ἑαυτῇ*, quod Vulgatus sic expressit: *mentita est iniquitas sibi.* Vid. not. ad Vs. sq.

13. לוּלֵא הֶאֱמַנְתִּי — חַיִּים *Nisi credidissem videre bonitatem Jovae in terra viventium.* His verbis *aposiopesis* inesse posset, hoc modo explenda: *actum esset de me meisque.* Posset etiam ex Ps. 119, 92. suppleri: אָז אָבַדְתִּי בְעָנְיִי. Sic enim habet locus parallelus: לוּלֵי *Nisi lex tua fuisset oblectatio mea* (sic hoc loco relative: nisi credidissem); *jamdudum periissem in afflictione mea.* Causa aposiopeseos hujus fuisset vehementior animi commotio, ex meditatione malorum maximorum, quae poetae, fidem amittenti, accidere potuissent: quomodo et alibi ob ejusmodi vehementiam affectus abrumpitur sermo, veluti Ps. 6, 4. Vocabulum לוּלֵא tamen olim in codicibus pluribus abfuisse, non tantum arguunt interpretes veteres omnes (Chaldaeo excepto), quorum nullus illud expressit, verum etiam *puncta*, singulis ejus literis a Masorethis superimposita. Est enim nostrum לוּלֵא unum ex quindecim illis vocabulis, quae superne punctis sunt notata. Illis punctis vero significatur, non repertas esse literas, iis notatas, in codicibus antiquissimis. Quid? quod etiamnum reperiantur codices, in quibus לוּלֵא prorsus desit. Ac certe לוּלֵא facile abesse posse, sensu illaeso, imo turbare sensum, est manifestum. Cogitantibus vero nobis, qui factum esset, ut tale vocabulum hic locum naneisceretur, verisimile fit, exstitisse olim in quibusdam antiquissimis codicibus sub Versus 12. finem vocalem לוֹ, quam ipsam et a nonnullis veterum interpretum expressam esse vidimus. Quod לוֹ in aliis codicibus ex diverso scribendi modo לֹא, ut alias haud raro, videtur exaratum fuisse. Utrumque vero, לוֹ et לֹא, quum seriores critici, justo scrupulosiores, retinuerint, denique factum fuerit, ut ambae lectiones conjungerentur, atque ne sensu carerent,

vocalium etiam notis instrucrentur. Omisso igitur לוּלֵא ego ita vertendum censeo: *persuasum mihi habeo, me visurum bonitatem Jovae*, hoc est, me fruiturum esse beneficiis Jovae, nec fore, ut hostibus meis succumbam. Verbum רָאָה, cum ב constructum (cf. ad Vs. 4.), significat etiam *frui aliqua re*, ut Coh. 2, 1. *fruere bono*. בְּאֶרֶץ חַיִּים *In terra viventium*, etiam in hoc orbe, quem incolunt vivi homines, fruar beneficiis divinis et felicitate omnigena. *Terram viventium* Hebraeorum nonnulli de *futurae vitae statu* intelligunt; sed satis liquet vel ex Ps. 52, 7. et Jes. 38, 11., *praesentis vitae* locum sic vocari. Cf. Jes. 53, 8. Ez. 32, 32. Ps. 142, 6.

14. קַוֵּה אֶל־יְהוָה *Exspecta Jovam*, opem ejus, ne despera. Sic se ipsum poeta admonet; aut generale est epiphonema, et totius Psalmi quasi summa et argumentum, sicut hoc etiam facere alicubi vates animadvertitur, ut de suo exemplo alios hortetur, ut Ps. 31, 24. Quomodo vertendum esset: *exspecta ergo, quicunque pius es.* חֲזַק *Esto fortis*, animo forti et intrepido. Ita frequenter hoc ipsum verbum alias solet usurpari in exhortationibus ad fortitudinem, v. g. Deut. 31, 7. 23. Jos. 1, 7. 9. 18. Deut. 31, 6. וְיַאֲמֵץ לִבֶּךָ *Robur assumat cor tuum*, animus tuus. Verb. אָמַץ in Hiphil (quae forma tantum h. l. et 31, 25. reperitur) denotat *vires assumere*, *animum fortem* et intrepidum *concipere*. Alex. κραταιούσθω ἡ καρδία σου, *corfortetur cor tuum*, ut Vulgatus reddidit. Syrus: *et roboretur cor vestrum.* Quod Syrus et Alexandrinus, alias non facile consentientes, hoc tamen loco in Passivo exprimendo conveniunt, credibile facit, exstitisse olim codices, in quibus וַאֲמֵץ, pro eo, quod hodie legimus, וַאֲמַץ, scriptum fuerit.

Ps. 28.

Primis hujus odarii versiculis vates Jovae auxilium ardenter exposcit, ut ex ingenti aliquo et imminente periculo vindicetur. Tum precatur, ne se innocentem nocentibus in ultione conjungat, quibus meritas poenas imprecando praedicit. Post haec pro salute, quam sive recuperavit, sive recuperaturum se certo confidebat, Jovae gratias agit. Postremo pro communi populi universi salute precatio est addita.

Quum carmen hoc partim preces, partim gratiarum actiones contineat, utrum poeta illud in ipso periculo constitutus, an eo superato composuerit, merito dubitari potest. In Psalmis aliis pluribus quoque preces et gratiarum actiones eodem modo sunt conjunctae, ut saepe difficile sit definire, quibus temporibus talia carmina sint assignanda. Quam rem non una ratione explicare studuerunt Interpretes. Sunt, qui in iis gratias precibus attextas aut insertas sic esse existiment, ut poeta quae in periculis precatus fuerat, quum post liberationem describeret, appendices aut insertiones gratiarum actionis adjecerit, atque ita cantoribus de-

cantanda dederit, qui et saepe distinctis choris et modis preces, et aliis gratiarum actiones, hac de causa, decantarint, quale aliquid in Psalmo 30. apparet. Nos tamen cum iis facimus, qui tales Psalmos precationum Psalmos judicant, et gratiarum actionem in iis de fidei πληροφορίᾳ interpretantur, qua precator jam certam spem concipiat, se exauditum iri, et liberationem suam animo praevideat et praeconcipiat, atque ita quidem, ut tanquam jam exauditus gratias agat.

De tempore si quaeras, quo hujus carminis preces poeta fuderit, dubitari possit, utrum ad Saulicum exilium pertineant, an ad Absalonicum. Versus tamen 8. et 9. quum magis congruere videantur regem jam agenti, quam designato; precationem, quae prioribus carminis Versibus continetur, ad Absalonicum potius, quam ad Saulicum tempus, existimo referendum esse. Quo vero Absalonicae seditionis momento illae preces sint fusae, nemo facile definiat. Non tamen omni veri specie caret conjectura, vatem illud recolere tempus, quo eduxerat copias in Galilaea Peraea contra exercitum seditiosorum Absalonis ex oppido Mahanaim (2 Sam. 18.).

1. אֵלֶיךָ יְהוָה אֶקְרָא *Ad te, Jova, clamo.* Verbum קָרָא, *clamare*, hoc loco, ut alias admodum crebro, significat, *auxilium invocare*, praesertim cum majori aliquo ardore, sive id clara, sive submissa voce fiat, ut 3, 5. 17, 6. Ex. 22, 22. צוּרִי *Petra mea*, qui securum mihi praestas perfugium, vid. ad 18, 3. 27, 5. אַל־תֶּחֱרַשׁ מִמֶּנִּי *Ne obmutescas a me*, ne taceas ad preces meas, sed opem mihi ferendo, te illas exaudisse et benigniter eis respondisse ostendas. Sub Hebraico חָרַשׁ duo verba comprehenduntur, unum *aravit* (Job. 4, 8. 1 Sam. 29, 9. Ps. 129, 3.), alterum *obmutescere, tacere.* 1 Sam. 7, 8. Israelitae Samuelem sic alloquuntur: אַל־תַּחֲרַשׁ, *ne sileas a nobis clamando ad Jovam*, ut ne porro clames ad Jovam. Ita et Jer. 38, 28. *et obmutuerunt ab eo, nec verbum ullum fuit auditum. Tacere* vero *ab aliquo*, est, *tacendo alienum se ab alio gerere, tacere alicujus causa*, ab aliquo tacens recedere, responso aliquem indignum habere; adeoque particula מִן, *ab*, post verbum חָרַשׁ, secessionem et desertionem includit, ita ut verbum *tacendi* videatur esse *praegnans*, de qua dicendi ratione vid. ad 9, 14. 18, 43. Jova autem sistitur tacens se avertere, si preces negligere videtur. Cf. 13, 2. 22, 25. Sic חָרַשׁ, *obmutescere, tacere*, pro, *quietum, otiosum esse*, occurrit 2 Sam. 19, 11. *quare vos siletis*, hoc est, cessatis, omittitis, *regem reducere.* Precatur igitur vates hic, ne cesset Deus se juvare in periculo constitutum. Quod ipsum statim repetit: פֶּן־תֶּחֱשֶׁה מִמֶּנִּי *ne taceas a me.* וְנִמְשַׁלְתִּי עִם־יוֹרְדֵי בוֹר *ut* ne *assimiler descendentibus in foveam*, h. e. mortuis, quorum non est spes amplius, quos nemo audit, nemo curat. יורדי בור sunt qui in sepulchri voraginem demittuntur, ut Prov. 1, 12. Ps. 30, 4. 143, 7. Ez. 26, 20. 31, 14. 16. Nomen בור, quod in genere *foveam*

designat, hoc loco ponitur pro voragine sepulchri, quemadmodum locis modo memoratis. Participium יוֹרְדֵי ad morem substantivorum ponitur in regimine, cujus rei exempla vidimus Ps. 2, 12. 5, 12. 19, 8. 21, 1.

2. שְׁמַע קוֹל תַּחֲנוּנָי *Audi*, exaudi, *vocem precationum mearum.* Nomen תַּחֲנוּנִים, quod in Plurali tantum usurpatum reperitur, significat ejusmodi precationem, qua alium, ut gratiosus nobis fiat, movere conamur (a חָנַן *gratiosus fuit*), sic Prov. 18, 23. de pauperis deprecatione erga divitem, 2 Paral. 6, 21. de precibus populi in templo. בְּשַׁוְּעִי אֵלֶיךָ *In vociferando me ad te*, quando ob periculi magnitudinem non ingemisco clanculum, sed anxie intentaque voce te ad auxilium advoco, vid. de verbo שָׁוַע ad Ps. 18, 7. בְּנַשְּׂאִי יָדַי אֶל־דְּבִיר קָדְשֶׁךָ *Dum elevo manus meas ad adytum sanctitatis tuae.* Manuum elevatio supplicantium gestus, apud omnes fere gentes receptus, unde etiam ipsae preces *sublationis manuum* phrasi saepius veniunt, veluti Ps. 141, 2. Thren. 2, 19. 3, 41. 1 Tim. 2, 8. דְּבִיר esse partem *Sancti Sanctorum* apparet ex 1 Reg. 6, 20. sqq. 7, 49. 8, 6. 8. De ratione vera denominationis interpretes dissentiunt. Antiquiorum plerique illam a verbo דָּבַר *loqui*, petunt, nomenque דביר λαλητήριον, χρηστήριον, reddere solent, aut cum Vulgata versione *Oraculum*, vel, *oraculi sedem*, quia *Jova illic responsa dare*, seu *loqui solitus.* Sed nullus Judaeorum nominis דביר significationem a *loquendo* repetiit. Repetenda potius est origo voc. דביר ex Arab. verbo דבר, quod, ut plurima ejus derivata de *postica* aut *posteriori rei alicujus parte*, et quum haec pro constanti orientalium loquendi more, cujus et in Hebraeis scriptoribus plurima vestigia occurrunt, occidentem versus, ut anterior orientem versus statuatur, de *plaga mundi occidentali* usurpatur. Erat vero דביר tabernaculi sacri et templi *pars postrema*, *occidentem versus posita*, ad quam Judaei se in precibus convertebant, sicuti Mohammedani inter orandum ad fanum Meccanum, *Caaba* dictum, se convertunt.

3. אַל־תִּמְשְׁכֵנִי עִם־רְשָׁעִים *Ne trahas me cum impiis*, ad paria cum eis supplicia, ne inde adversarii ansam capiant triumphos de me agendi, cf. 26, 9. מָשַׁךְ significat *aliquid trahere*, *trahendo abripere*, veluti abripere aliquem reti Ps. 10, 9., hamo Job. 40, 25., funibus Hos. 11, 4., item de abreptione ad inferos crudeli cum interfectis gladio, Ez. 32, 20. וְעִם פֹּעֲלֵי אָוֶן *Et cum patrantibus pravitatem.* De voc. און vid. 7, 15. 10, 7, 14, 4. דֹּבְרֵי שָׁלוֹם וגו *Loquentibus pacem cum proximis suis, sed malum in cordibus eorum*, qui verbis utuntur ad alios blandis, et intus corde penitus pravo meditantur mala. שלום apud Hebraeos omnigenam comprehendit felicitatem, unde et in salutationibus, quando vel quaerunt de *pace*, vel *pacem* precantur, intelligunt universum ejus statum prosperum, ut Gen. 43, 27. Ex. 18, 17.

2 Reg. 4, 26. *Loqui* igitur *pacem* est, sermones amicos cum aliquo habere, prosperitatem et benevolentiam alicui apprecari. De nomine רֵעַ (forma frequentior pro רֵעֶה), quod propr. eum denotat, qui eodem cum nobis utitur pascuo, vid. ad 15, 3. רָעָה *malum*, h. l. indicare malas et noxias machinationes, quae aliorum perniciem spectant, res ipsa docet. Ceterum observanda paronomasia inter רֵעַ et רָעָה.

4. מַעַלְלֵיהֶם — הֵן *Da eis juxta facta eorum et juxta malitiam operum eorum*, repende facinoribus et consiliis malis ipsorum quod merentur, repende mercedem debitam studiis ipsorum. Nomen מַעֲלָלִים, quod in Plurali tantummodo usurpatum reperitur, de quibuslibet actionibus dicitur, sive bonae sint, ut Dei ipsius Ps. 77, 12. 78, 7., sive malae, ut Zach. 1, 6. Deut. 28, 20. כְּמַעֲשֵׂה יְדֵיהֶם תֵּן־לָהֶם *Juxta opus manuum suarum da eis*, repende iis quae perpetrant manus eorum; quam crudeliter et inique se gesserunt erga quosvis obvios, etiamsi essent innocui, tam dure etiam erga eosdem se gerant alii vicissim. הָשֵׁב גְּמוּלָם לָהֶם *Redire fac retributionem eorum ipsis*, remunerare eos paribus, ut experiantur in se, qualia per ipsos experti sunt alii. Verbum הָשִׁיב constructum cum ל, *redire facere alicui*, significat *alicui rependere*, sive *retaliare*, ut Prov. 24, 12. 29. Ps. 79, 12. Hos. 4, 9.

5. יָדְיוּ — כִּי *Nam non attendunt ad opera Jovae, opusque manuum ejus*, neque curant Jovam, neque documenta, quae edit, providentiae suae considerant. Hoc aliqui de creationis opere interpretantur, ex quo Jovae potentia et sapientia potissimum eluceat; alii de providentiae ejus actionibus in genere, ut accuset eos simpliciter profanitatis ejusmodi, quod non credant esse Deum, neque agnoscant opera ulla ejus in natura et rebus humanis, praesertim in Davide, rege constituto. Neque hoc quidem male. Selegerat enim sibi Jova regem Davidem, regnumque ejus confirmasse se multis indiciis declaraverat, ex quibus perfacile fuisset conjuratis istis agnoscere, Jovae se constitutionem oppugnare. Sed ut omni religione vacui erant, ita horum nihil cogitabant, fretique suis viribus omnia tentabant. Digni igitur fuerunt, quos pro ipsorum impietate Jova dejiceret, quod his verbis exprimit vates: יְהָרְסֵם וְלֹא יִבְנֵם *destruet eos, non exstruet*, funditus perdet eos et numquam instaurabit.

6. Ita certus est, se exauditum iri, ut statim gratiarum actionem subjungat pro auxilio, quod Jova ipsi sit praestiturus; cf. Argum. תַּחֲנוּנָי — בָּרוּךְ *Laudetur Jova, nam exaudivit deprecationem meam.* De formula *Jovae benedicere* vid. ad 26, 12.

7. יְהוָה עֻזִּי וּמָגִנִּי *Jova virtus mea, clypeus est*, protector meus contra quosvis adversariorum insultus. בּוֹ בָטַח לִבִּי *In eum confidit cor meum*, animus meus, de cunctis aliis desperans, unicam in Jova fiduciam, tanquam auxiliatore fortissimo, conservat. וְנֶעְזַרְתִּי *Et adjutus sum*, nam עָזַר in Kal est *auxilium ferre*,

hinc in Niphal *auxilium impetrare, adjuvari*, qua in passiva forma praeter hunc locum tantum Dan. 11, 34. et 2 Chr. 26, 15. reperitur. וַיַּעֲלֹז לִבִּי *Quare exultat cor meum*, laetor hac re, quod ipsum habeo propitium et auxiliatorem. וּמִשִּׁירִי אֲהוֹדֶנּוּ *Et e cantico meo celebrabo eum*, efficiam, ut e cantico meo laus Dei proficiscatur. Idem est, ac si dixisset, *cantione mea* (בְּשִׁירִי) *eum efferam*. Ita particula מ saepius indicat causam, a qua effectus aliquis proficiscitur, veluti Jes. 58, 12. *aedificant* מִמְּךָ *a te*, i. e. per te, *desolationes antiquas*. Cf. Ez. 28, 18. Obad. Vs. 9. Ps. 76, 7. Job. 7, 14. In אֲהוֹדֶנּוּ *He* characteristicum Conjugat. Hiphil post praeformativam Futuri retinetur more Chaldaico, ut in יְהוֹדוּךָ Ps. 45, 18., יְהוֹשִׁיעַ 116, 6. Olim vero h. l. in codicibus Hebraeis lectionis diversitatem exstitisse, arguit Graccae Alexandrinae atque Syriacae versionis ab hodierno textu discrepantia. Ita enim Graeci: *ἀνέθαλεν ἡ σάρξ μου, καὶ ἐκ θελήματός μου ἐξομολογοῦμαι αὐτῷ, et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor ei*, quomodo Vulgatus reddidit, ac si Hebraea ita sonarent: וַיַּעֲלֹז בְּשָׂרִי וּמִלִּבִּי אֲהוֹדֶנּוּ. Similem lectionem expressit Syrus: *et crevit caro mea, et celebratione confitebor ei*. Receptam lectionem exhibent Chaldaeus, Aquila et Symmachus.

8. יְהוָה עֹז לָמוֹ *Jova robur est illis*, id est, populo suo, ex Vs. 9. Nam quum pronomen collectivum לָמוֹ hoc loco carcat antecedente nomine plurali, ad sequens collectivum עַם debet referri (cujusmodi exempla sunt Ps. 87, 1. יְסוֹדָתוֹ *fundamentum ejus*, id est, Sionis, ex Vs. 2.; Num. 24, 17. אֶרְאֶנּוּ *video id*, nempe quod proxime sequitur). Eadem plane sententia, quae Ps. 29, 11. Hunc sensum et Alex. expressit; *κύριος κραταίωμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, Dominus fortitudo plebis suae;* nec non Syrus: *Dominus est fortitudo populi sui.* Addit: וּמָעוֹז יְשׁוּעוֹת מְשִׁיחוֹ הוּא *et propugnaculum salutum uncti sui ipse* est, robur firmum, quo conservatur salus regis ab ipso constituti; Jova me, Davidem, qui ipsius auctoritate a Samuele unctus sum, tuetur providissime, est mihi instar munitionis saluberrimae, in qua a cunctis malis sum tutus. מעוז ישעות *propugnaculum saluberrimum*, posterius enim nomen vicem gerit adjectivi. De nomine מָעוֹז vid. ad Ps. 27, 1. Israelitarum reges appellantur *uncti Jovae* (v. g. Saul 1 Sam. 24, 6. 10., David 2 Sam. 19, 22. 23, 1., Zedekias Thren. 4, 22.), quod novus rex oleo inungebatur, vid. 1 Sam. 10, 1. 16, 13. 1 Reg. 1, 39.

9. הוֹשִׁיעָה אֶת־עַמֶּךָ *Salva populum tuum*, eripiendo e malis tum praesentibus, tum imminentibus. וּבָרֵךְ אֶת־נַחֲלָתֶךָ *Et benefac haereditati tuae*, ei populo, quem voluisti esse peculium gratum tuum tibique proprium. וּרְעֵם *Et pasce eos*, instar pastoris curam populi tui suscipe fidelem, eum gubernando et defendendo. Ita saepius *pascere* transfertur ad eos, qui aliorum

gerunt curam, eos ducunt, alunt, defendunt, vid. ad 23, 1. 2. וְנַשְּׂאֵם עַד־הָעוֹלָם *Et extolle eos usque in seculum.* Verb. נָשָׂא (de quo vid. 25, 1.) in Piel notat *extollere;* aliquem supra alios, eminentiorem aliis aliquem facere, quomodo v. c. Jova נִשָּׂא regnum Davidis 2 Sam. 5, 12., nec non eos quos sibi redemit Jes. 63, 9. Quare hoc loco significatur talis Jovae circa populum suum cura, qua eundem supra cunctos extollit adversarios, omnibusque bonorum generibus reddit summe gloriosum et conspicuum.

Ps. 29.

Hymnus est, quo majestas gloriae et potentiae Dei celebratur, qualis potissimum sese exserit in tonitruis et fulminibus tempestatum et cladibus harum. Ac primo quidem, ut magis excitet homines, ut virtutem illam ac majestatem summi Numinis agnoscant et revereantur, superos invitat ad celebrandas Jovae, coelestium maxime potentis, laudes (Vs. 1. 2.). Ex eo transit ad tonitru, quod verborum adeo magna sublimitate et magnificentia poetice describit, ut vix quidem in ullo alio scriptore Graeco vel Latino talia reperiantur (Vs. 3 — 9.). Ac tandem, ubi diligenter admonuit, eluvionem aquarum non esse pertimescendam, quia Jova, qui olim diluvio praefuit, isti procellae praesidebat, vates pro sua pietate carmen ea promissione concludit, populo Jovae, ab ipsius bonitate, bene esse futurum (Vs. 10. 11.).

„Tonanti Deo (monet J. D. Michaelis in Epimetro ad *Lowthii Praelect.* 26. *de sacra poesi Hebraeor.* p. 592. ed. Lips.) septenarium numerum dicari meminerimus: huc enim spectat artificium Psalmi *septies* illud קוֹל יְהוָה, *vox Jovae*, seu *tonitru*, repetentis, ut mystici etiam numeri usu omnem tonitruum gloriam terroremque principi Deo consecret, qui septem diebus coelum terramque perficiens septimum sibi diem festum esse statuit. [*Septem tonitrua* memorantur et Apocal. 10, 3. 4.] Cui numero nisi aliquid dedisset vates, Versus quartus, me quidem judice, abesse potuisset.“

Ad titulum Psalmi quod attinet, in Hebraeis tantum praescribitur hoc, quod sit Psalmus Davidis; sed in Graeca Alexandrina versione additur, quod sit Psalmus ἐξοδίου σκηνῆς, quae verba Vulgatus *in consummatione tabernaculi* reddidit. Animadvertere autem licet, graecas Psalmorum inscriptiones, etiamsi ab hebraeis pleraeque recedunt, non prorsus tamen explodendas esse, quum antiquitatis ritum redoleant, et quibus temporibus decantati olim fuerint Psalmi, plerumque soleant annotare. Quod ipsum et nostri carminis graecus titulus spectat. Vocabulum ἐξόδιον Judaeis Graecis Alexandrinis erat solenne ad designandum *octavum diem festi tabernaculorum*, quomodo aperte usurpatur Lev. 23, 36. Quare hoc vult sibi graeca inscriptio, consummato festo tabernaculorum decantari hoc carmen solitum fuisse.

1. הָבוּ — וְזוּ *Tribuite Jovae, filii Deorum, tribuite Jovae gloriam et robur.* *Dare alicui gloriam* est, eidem verbis atque opere debitum exhibere honorem, eum celebrare et laudibus extollere. Sic Deut. 32, 3. 1 Chr. 16, 28. 29. Ps. 96, 7. 8. *Dare* autem *Jovae robur* erit, Jovae fortitudinem adscribere, Jovam numen potentissimum agnoscere et confiteri; ut igitur עֹז idem sit quod *laus*, *gloria*, simpliciter, ut Ps. 8, 3. De בְּנֵי אֱלִים discrepant interpretes propter ambiguitatem nominis אֵל, quod quum proprie *robur* significet (contracte scriptum pro אֵיל ex אֵיִל), ut clarissime cernitur in phrasi אֵל־יָד *robur manus*, Gen. 31, 29. Deut. 28, 32. Prov. 3, 27. Mich. 2, 1. Neh. 5, 5.; deinceps, per metonymiam abstracti pro concreto, in genere omnem quidem *robustum* et *fortem* denotat, sed *κατ' ἐξοχήν* de *Deo* dicitur locis paene innumeris. Et quamvis אֵל *sine Jod* scriptum, longe plerumque *Deum*, et אֱלִים *Deos*, אֵילִים vero, *inserto Jod*, *fortes* significet, vix tamen est exspectandum, illud scriptionis discrimen ita constanter ubique servatum fuisse, ut non subinde אֱלִים pro אֵילִים defective esset scriptum, quemadmodum promiscue חֵק et חֵיק legitur. Certe Ex. 15, 11. in aliis codicibus אֱלִים *Dii*, reperitur, in aliis אֵילִים *fortes*, similisque lectionis textualis et marginalis diversitas deprehenditur 2 Reg. 24, 15. Et hoc ipso nostri Psalmi loco plures codices אֵילִים *fortes*, exhibent, unde dubium est, utrum h. l. *filii fortium*, an vero *filii Deorum* sit vertendum. Atque interpretes quidem bene multi nostrum בְּנֵי אֱלִים *fortes* explicant (nomen enim *filii* in ejusdem loquutionibus pleonasticum est, ut בְּנֵי נֵכָר *peregrini*, Ps. 18, 45., בְּנֵי־חוֹרִים *nobiles*, *optimates*, Coh. 10, 17., בְּנֵי הָאָדָם *homines*, 1 Reg. 8, 39.), quos hortetur vates, ne viribus aut principatu elati, Deum contemnant, et se sub illo esse, et ab illo vires aut dignitatem accepisse obliviscantur. *Potentes* tamen, sive *principes* sub בני אלים etiam intelligunt illorum haud pauci, qui אֱלִים *Deos* h. l. interpretantur. Etenim prisci aevi hominibus solenne fuit, viros principes, dotibus eximiis, et corporis specie cumprimis insigniore et praestantiore praeditos, *Deorum filios* indigetare, tanquam Deorum aliquo, nec humana, sed divina stirpe satos editosque. Verum ut בְּנֵי אֱלִים *filios Deorum*, sive *Deos* interpretemur, suadet Ps. 89, 7. 8., ubi בני אלים aperte sunt *spiritus superantes*, docente membrorum parallelismo. Canit igitur vates, Jovam omnibus quamlibet divinitatem prae se ferant, supereminere. Sunt vero בני אלים ex pleonastico dicendi more, quem paullo superius annotavimus, iidem qui alias simpliciter אֱלִים dicuntur, veluti Ex. 15, 11. *quis est qualis tu* בָּאֵלִים *inter Deos*, *Jova?* Videntur autem אלים, sive בני אלים (quos non diversos existimo a בְּנֵי אֱלֹהִים, Job. 1, 6. 2, 1. 38, 7.) *Deorum concilium*, ex mente Hebraeorum, constituisse, cui *Jova*, אֵל אֱלִים (Dan. 11, 36.), sive אֵל אֱלֹהִים (Jos. 22, 22. Ps. 50, 1.), tanquam supremus omnium Deus, praesidebat, Job. 1, 6. 2, 1. Vid. Hom. Iliad. 4, 1. sqq. 20, 4. Virg. Aen. 10, 2. 3. Invitat

ergo noster, aptissime sane, ante omnia *coelites* ad celebrandas Jovae laudes, quo haud dubie significare voluit, nihil tam sublime, nihil adeo virtute praestans esse, quod non supplex Jovae laudem canere debeat, cujus potentia et virtus tanto intervallo cuncta praecellit. Alex. ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ, υἱοὶ Θεοῦ, ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὺς κριῶν, Vulgatus: *afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Duarum lectionum, אלים et אילים, interpretationes junctas esse apparet, אַיִל enim *arietem* significare constat. Geminam hanc versionem profectam esse ex annotatione marginali in textum relata, satis verisimile est. Lectionem אילים expressit Syrus: *Afferte Domino filios arietum.* Sed omnium rectissime Chaldaeus: *turmae* vel *chori angelorum.*

2. הָבוּ לַיהוָה כְּבוֹד שְׁמוֹ *Date Jovae gloriam nominis ipsius*, gloriam ejus nomine dignam, quae Jovae vel famae ejus debetur. De שֵׁם vid. 23, 3. coll. 20, 2. הִשְׁתַּחֲווּ לַיהוָה בְּהַדְרַת־קֹדֶשׁ *Incurvate vos Jovae in decore sanctitatis*, ejus jam festum agi existimate, dum tempestatem concitat, sanctisque ei vestibus sumtis, proni eum adorate. Hujusmodi namque subjectissimum cultum designat verbum שָׁחָה, quod in Kal semel tantum occurrit, Jes. 51, 23., in Hithpael vero saepissime usurpatur de subjectissima reverentia, *tum* civili, erga reges, ut Esth. 3, 5. Gen. 37, 9. 10., *tum* saera, erga Jovam, Deut. 26, 10. 30, 19. Ps. 138, 2. Pertinetque huc mos Orientalium, qui honoraturi aliquem adeo se incurvabant in terram, ut facie eandem attingerent, seque ab honorato illo suscitari quasi ex pulvere peterent, quandoquidem indignos quasi adspectu se hoc modo testabantur. *In decore sanctitatis*, i. e. sancto, qualis convenit illis, qui magno regi apparent, quemadmodum sacerdotes vel Levitae, Jovae ministraturi, depositis indumentis domesticis et vilioribus, puris candidisque vestibus, ornatuque cetero sacro incedere solebant. Cf. 110, 3. הֲדָרָה significat *ornatum honorificum*, ut Prov. 14, 28. *copia populi* הַדְרַת־מֶלֶךְ *ornatus est regis.* Alexandrinus verba בהדרת־קדש h. l. et 96, 9. 2 Chr. 20, 21. reddidit ἐν αὐλῇ ἁγίᾳ αὐτοῦ (quod Vulgatus vertit: *in atrio suo sancto*), fortassis quod sub הֲדָרָה sanctuarii atque omnis cultus sacri splendorem et decorem intelligens, sensum exprimere vellet.

3. קוֹל־יְהוָה עַל־הַמָּיִם *Vox Jovae super aquas* incedit, vel auditur. *Vocem Jovae* vocat tonitru, quod est instar sonorae et horribilis cujusdam increpationis de coelo, Jovae sede, emissae. Cf. Ps. 18, 14. Ex. 11, 23. 28. sqq. Job. 37, 1. sqq. *Aquas* alii interpretantur aquosas et imbriferas nubes, e quibus crumpunt tonitrua, quemadmodum Gen. 1, 7. nubes vocantur *aquae coelestes*, et Ps. 18, 12. ab ipso nostro poeta *aquarum caligines*; alii vero aquas marium et fluviorum, ubi tonitruum fragor fortius solet repercuti, latiusque protendi et personare, quare et in mari tonitrus sonum terribiliorem esse, referunt navigantes. Huc Ps. 104, 7.

Ab increpatione tua fugiunt aquae. Cf. 77, 18. Jer. 10, 13. Ceterum Palaestinae tempestates ab Occidente atque mari mediterraneo ingruunt, gravissime in juga Libani detonaturae, indeque Arabiae deserta petiturae. אֵל־הַכָּבוֹד הִרְעִים *Deus gloriae*, gloriosus, *intonuit*, potentiam suam et majestatem ostensurus. יְהוָה עַל־מַיִם רַבִּים *Jova super aquas multas* intonuit, i. e. inter nubes multas tumultuatur tonitru suo, sive, fragor Jovae universi orbis regiones et maria personat.

4. קוֹל יְהוָה בַּכֹּחַ *Vox Jovae in fortitudine*, fortis est, sic enim haud raro Hebraei adjectivum solent exprimere substantivo, cui praepositionem ב praefigunt, cf. 17, 15. קוֹל יְהוָה בֶּהָדָר *Vox Jovae in gloria*, gloriosa est, de Jovae tonantis magnificentia testimonium ferens. Nisi potius הָדָר, quod proprie *decorem*, *splendorem* designat, ad fulguris, tonitru comitantis, splendorem et coruscationem sit referendum.

5. קוֹל יְהוָה שֹׁבֵר אֲרָזִים *Vox Jovae frangit cedros*, fulminibus, per tonitru e nubibus excussis, perculsas. Cedri autem, quum maximae sint, et altitudinis, et crassitudinis arbores, voluit vates ex earum dejectione vim tempestatis exaggerare. Nomine אֶרֶז hodienum ipsis Libani indigenis *cedrus* dicitur. וַיְשַׁבֵּר וגו׳ *Imo Libani cedros frangit Jova.* Particula ו h. l. vim habet et exaggerandi, q. d. non cedros tantum communes, verum tales etiam, quales Libanus habet, quae aliis sunt robustiores, Jova prosternit. MAUNDRELLUS cedrorum Libani aliquam reperit sex et triginta pedum ambitum habere, et ARVIOSIUS harum arborum maximas asserit crassitudinis esse ad sex hominum complexum, referente OEDMANNO (*Vermischte Sammll. a. d. Naturk. zur Erkl. d. heil. Schr.* P. II. p. 213.), ubi plura alia hujus rei testimonia afferuntur.

6. וַיַּרְקִידֵם כְּמוֹ־עֵגֶל *Subsilire eas facit sicut vitulum.* Membrorum parallelismus jubet pronomen 3. pers. plur. verbo וַיַּרְקִיד affixum, non ad *cedros*, sed ad *montes* potius referre, qui in hemistichio altero nominantur, ut saepe alias affixa pronomina ad id quod in textu sequitur sunt referenda (vid. 28, 8.). Idem parallelismus Ps. 114, 4. 6. *Libanum* itaque et *Sirionem* noster dicit subsilientes factos Jovae voce, quod omnia in iis, arbores, animalia, incolae, aedificia, horrido tonitruum fragore ita concutiuntur, ut toti montes videantur quasi tremuli aut subsilientes. Possint tamen haec verba etiam referri ad terrae motus, qui tempestatum magnorumque tonitruum haud raro solent esse comites. לְבָנוֹן *Libanus*, ingens montium jugum, et altissimum, quippe quod vertice nubes scindat, quadragesimo et amplius milliario terra marique conspicuum. Est autem duplex jugum montium, *Libanus*, proprie sic a veteribus dictus, occidentalis, litorique Phoenices angusto, ex quo adsurgit, imminens, et *Antilibanus*, orientalis, occidentali altior, cujus jugum summum australe, sub

quo Jordanes oritur, aeternis nivibus tectum. Montem hunc orientalem, Antilibanum, Hebraei appellabant חֶרְמוֹן, Emoraei שְׂנִיר, Sidonii שִׂרְיֹן, ut discrte traditur Deut. 3, 9. Posteriore nomine h. l. utitur vates, atque haec ingentis montis juga audaci figura ait *salire*, primo quidem *quasi vitulum*, quia vitulus animal est σκιρτητικόν, huc illuc saliens, deinde vero כְּמוֹ בֶן־רְאֵמִים *quasi filium orygum*, animal agile et velox, ut omnia omnino caprearum genera. Vid. de רְאֵם ad 22, 22. Mirum vero in modum a textu Hebraeo in hoc Versu reddendo discedit Alexandrinus: καὶ λεπτυνεῖ αὐτὰς ὡς τὸν μόσχον τὸν Λίβανον, καὶ ὁ ἠγαπημένος ὡς υἱὸς μονοκερώτων· Vulgatus: *et comminuet eas tamquam vitulum Libani; et dilectus quemadmodum filius unicornium.* Alexandrinum igitur confudisse apparet, sive falso videndo, sive falso audiendo, primo quidem, יְדַקֵּם *comminuet eos*, ex usu Chaldaico, cum eo, quod est in textu Hebraeo, יַרְקִידֵם, deinde autem שִׂרְיוֹן, quod nos legimus, cum יְשֻׁרוּן, quam populi Israelitici appellationem Alexandrini et Deut. 32, 15. 33, 5. 26. Jes. 44, 2. vocabulo ἠγαπουμένου reddunt.

7. Fulmina, tonitruum fragorem comitantia, graphice nunc describit. קוֹל יְהוָה חֹצֵב לַהֲבוֹת אֵשׁ *Vox Jovae diffindit flammas ignis*, quibus verbis significat, tonitru vehementi percussione ignem ardentem et fulmina excutere, quae cum micant, intercisa quodammodo videntur, et in plures acies vehementi vocis appulsu discissa, quemadmodum Sencca in *Hercule Oeteo* vs. 17. *fulmina* vocat *trisulca;* et Ovid. *Metam.* 2, 848. canit: *Ignibus trisulcis armata dextera Jovis.*

8. קוֹל יְהוָה יָחִיל מִדְבָּר *Vox Jovae trepidare facit desertum*, quod aliqui synecdochice interpretantur de feris locorum desertorum, quod animalia etiam solitudinum conturbari et pavescere deprehendantur in tempestatum fulminibus et tonitruis, et sese in lustra et latebras abdere. Sed haec ipsa etiam de solis locis loquutio talis nequaquam est figurae abhorrentis, praesertim cum de terrae motu (vid. ad Vs. 6.) cogitamus. יָחִיל יְהוָה מִדְבַּר קָדֵשׁ *Terret Jova desertum Cades;* solitudinis hujus meminit exaggerandi causa, quod est prae aliis desertis multo vastissimum et maxime horridum. Cadesicum autem desertum est Arabicum.

9. קוֹל יְהוָה יְחוֹלֵל אַיָּלוֹת *Vox Jovae parturire facit cervas*, s. *capreas*, quas ferunt difficillime parere (vid. Bochartı *Hieroz.* Tom. II. p. 249. 250. ed. Lips.), unde terroris magnitudo hinc indicatur, quod vocis Jovanae horridus fragor etiam cas feras, quarum partus est difficillimus, tanto pavore percellat, ut, eo audito, statim enitantur etiam ante legitimum tempus, sive abortum patiantur. Lowthus (l. c. p. 550.) vertit: *vox Jovae commovet*, concutit (quam notionem verbo חוֹלֵל e radice quadam arabica tribuit) *quercus.* אַיָּלוֹת accepit pro אֵילוֹת, sive אֵלוֹת, plurali nominis אֵלָה, *quercus*, sive potius *terebinthus.* Eundem sensum ex

veteribus Syrus expressit. Sed אַלָּה in plurali ubique אֵלִים dicitur, nusquam אֵלוֹת, sive אֵילוֹת; חוֹלֵל autem de *pariendo* usurpatur Jes. 51, 2., atque de *parturiendo cervarum* Job. 39, 4. Unde recte Hieronymus, Chaldaeum sequutus: *obstetricans cervis.* Egregia praeterea est, et minime vulgari poeta digna sententia, animantium quoque genera, Jovae voce audita, terrore perterrita ita contremere, ut parerent ante legitimum tempus et ipsa ea animalia, quae suo etiam tempore aegre enitantur. וַיְחֲשֹׂף יְעָרוֹת *et denudat sylvas*, exstirpant enim arbores tempestatum procellae et decutiunt ramos, atque ita nuda loca faciunt, ubi antea erant arbores, et in sylvis campos aperiunt. Satis apposite ad prius hemistichium possis etiam vertere: *et abortiri facit capras.* Arabibus enim חשׂף est *abortum facere*, et voci יְעָרוֹת non sine aliqua veri specie tribui potest significatio Arabici יערה, femin. nominis יער *haedus*, quum hebr. יַעַר *sylva* alias in plur. scribatur יְעָרִים, et יְעָרוֹת non nisi h. l. reperiatur. וּבְהֵיכָלוֹ כֻּלּוֹ אֹמֵר כָּבוֹד *Et in palatio suo universo dicens gloriam*, sc. vox Jovae, tonitru, quibus verbis hoc dici videtur: haec eadem vox Dei, quae omnes creaturas terret, ipsius gloriam per totam rerum universitatem praedicat. הֵיכָל enim, sive *palatium* Jovae, h. l. non tam de aede, sive sacrario ejus accipiendum existimo, ut multi faciunt, quam potius de coelestibus, terrestribus, marinis, quae omnia laudes ejus personent. De *coelo* certe היכל manifeste dicitur Ps. 11, 4. 18, 7., et quum h. l. כֹּל sit additum, reliquam etiam rerum naturam eo nomine comprehendere potuit.

10. יְהוָה לַמַּבּוּל יָשָׁב *Jova ad diluvium sedit*, quod plerique ita intelligunt: sicuti Jova, instar judicis punientis, potentem et majestate venerabilem se ostendit in primo illo diluvio, Noae tempore, quod et ipsum magna procul dubio habuit adjuncta tonitrua et fulgura, ita et adhuc hodie in ejusmodi magnis regnat tempestatibus, regnabitque in aeternum, quod hemistichio altero subjicitur. יָשַׁב *consedit*, instar potentis moderatoris; regum namque et judicum est *sedere*, vid. Ps. 9, 5. 8. 9. 47, 9. Joel 3, 12. Ex aliorum sententia propterea hoc loco meminit diluvii, quod tunc promiserat Jova, se non amplius orbem terrarum velle per aquas vastare, ac si dicat: cum densus imber, copiosis veluti torrentibus e nubibus delabitur, tum pii in Jovam eluviones illas non extimescunt; sciunt enim, Jovam, quem adorant, praefuisse olim diluvio tempore Noae, et virtute sua prohibuisse, quominus ipse cum familia aquis absorberetur. Aliis מַבּוּל h. l. in genere quosvis significat densos imbres (derivatur enim a יָבַל, quod Arabibus est *copiose et vehementer pluit coelum*), qui inter tonitrua solent descendere, in quibus tamen ipsis imbribus Jova quoque *sedet*, i. e. gubernationem retinet, illosque pro lubitu vel cohibet, vel intendit. Nobis ea explicatio, quam primo loco posuimus, hemistichio alteri aptissima videtur. וַיֵּשֶׁב יְהוָה מֶלֶךְ לָעוֹלָם *Et*

sedet, manet, *Jova rex in aeternum.* וישב in *Praesenti* est vertendum; *Vav* h. l. mere copulat. Neque enim de Praeterito sermonem esse, satis docet nomen proxime additum לעולם.

11. יְהוָה עֹז לְעַמּוֹ יִתֵּן *Jova robur populo suo dabit*, iste rex gloriosus et tam potens omnem suam potentiam in bonum populi sui exerit, virtute instruit, ne a malis opprimatur. יְהוָה יְבָרֵךְ אֶת־עַמּוֹ בַשָּׁלוֹם *Jova populo suo benefacit cum incolumitate*, omni beneficiorum genere eum cumulat, atque incolumitatem ipsi praestat.

Ps. 30.

Periculo gravissimo liberatus gratias agit Jovae σωτῆρι, a quo fuerit conservatus, et ipsius bonitatem, quae per totam vitam nostram duret, quum ira ejus, et quae ab hac immittuntur mala, nobis minime soleant esse diuturna, magnis affectibus praedicat, testatus, non alia causa se petere vitam sibi prorogari, quam ut fortiter ea instauret et promoveat, quae faciunt ad gloriam Dei.

Quum titulus hujus carminis verba ista prae se ferat: *cantio dedicationis domus*, quaerunt interpretes, qualis et cujusmodi domus consecratio indicetur, sacrae an profanae? Atque aliqui quidem de tabernaculi sacri consecratione, alii de domo regia, quam Hierosolymis David in Sionio sibi exstruxerat (2 Sam. 5, 6. 12. 1 Chr. 14, 12.), titulum intelligendum existimant. Quum nullus inter Judaeos, qui domum aedificasset, in eam ingrederetur habitandi causa, quin prius illam consecrasset (vid. Deut. 20, 5.), quod fiebat religioso aliquo ritu, et, ut verisimile est, cantione alicujus poematis; conjectura est minime absona, titulum istum ita legi posse: *Psalmus, canticum dedicationis domus, Davidis:* ut haec duo verba, *Psalmus Davidis*, jungantur, ut assolet, ad designandum auctorem, reliqua sint veluti parenthetica vel trajecta, et tantummodo significent, hanc odam fuisse compositam ad earum ideam, quae solebant in domuum consecratione cantari. Non quod argumento conveniat, sed quod eadem erat modulatio, eademque Versuum compositio et structura. Quum tamen haec opinio minus certis argumentis nitatur; praestet titulum illum huic Psalmo praefixum existimare, non ut ejus materiam et occasionem indicaret, sed ut tempus, quo compositus est, designaretur. Nullum vero tempus in Davidis historia reperiatur, quod melius huic carmini conveniret, quam illud, quo eum locum, in quo templum postea exstruendum esset, ita dedicavit, ut in eo et altare erexerit, et sacrificium obtulerit. Id autem a Davide factum esse scriptum est 1 Chr. 21, 26. 22, 1. Nam populo ejus jussu numerato, quum eo facto iram Jovae concitasset, optioneque proposita maluisset tribus diebus gladium Jovae in terra versari, misit ille pestilentiam in Israelitas, quae tanta vi in populum grassata est, ut septuaginta millia virorum interimeret. Tum Angelus missus Hierosolymam,

cum percutiendi initium fecisset, miseratus Jova praecepit, ut percutiendi finem faceret. Stabat autem Angelus juxta aream Ornanis Jebusaei, quem quum David adspexisset strictum gladium in urbem intendentem; ut calamitatem a populo averteret, se morti obtulit, precatus, ut in se potius, qui peccati auctor fuisset, manum converteret. Tum Angeli monitu altari in eadem area constructo, oblatisque in eo sacrificiis, iram Jovae placavit. Atque hunc ipsum locum, quem templo exstruendo dedicavit, jam tum a Davide appellatum esse *aedem Jovae*, diserte dicitur 1 Chr. 22, 2., unde et in carminis nostri inscriptione *dedicatione aedis* illud potuit tempus designari, quo primum in Jovanae aedis area sacrificium obtulit. Quam bene autem huic tempori congruant carminis nostri singuli fere Versus, nostra explicatio ostendet.

2. אֲרוֹמִמְךָ יְהוָה *Exaltabo te, Jova*, summis te laudibus extollam; ita verbum רוֹמֵם de hominibus, Deum verbis altiorem eminentioremque omnibus rebus creatis declarantibus etiam dicitur Ps. 99, 5. 9. כִּי דִלִּיתָנִי *Nam evexisti me*, e calamitatibus, in quas, tanquam in profundum putcum, immersus eram, ne penitus demersus interirem, me extraxisti, situlae instar; est enim verbum דָּלָה *hauriendo per situlam*, דָּלַי, *sursum trahere*. In Piel non nisi hoc loco occurrit. וְלֹא־שִׂמַּחְתָּ אוֹיְבַי לִי *Nec laetificasti hostes meos de me*, non concessisti hanc voluptatem hostibus meis, ut laetarentur interitu meo. Magna namque eorum laetitia fuisset, qui vel de Saulis familia erant, vel ei favebant, si mortuus ipse, et peste fuisset absumtus. לִי non est jungendum nomini אוֹיְבַי, quasi sit: *hostes mei*, qui *mihi*, sed verbo וְלֹא־שִׂמַּחְתָּ et vertendum: *super me*, i. e. de meo interitu; vid. 25, 2.

3. יְהוָה אֱלֹהַי שִׁוַּעְתִּי אֵלֶיךָ וַתִּרְפָּאֵנִי *Jova, Deus meus, anxie ad te vociferatus sum, et sanasti me.* Dolorem, quo angebatur de eo, quod populum peccati sui poenas luere videbat, aegritudini gravissimae comparat, a qua *sanavit* ipsum Jova, cum a populo pestem avertit. Ita verbum רָפָא de *restituta animi tranquillitate* 103, 3. 147, 3. Jes. 6, 10.

4. יְהוָה הֶעֱלִיתָ מִן־שְׁאוֹל נַפְשִׁי *Jova, ex inferno eduxisti animam meam*, quum morti vicinus essem, inde me reduxisti, et paene ab ipso sepulchro ad vitam revocasti. חִיִּיתַנִי מִיּוֹרְדֵי־בוֹר *Vitam mihi concessisti a descendentibus in foveam*, ne iis adnumerarer, qui in sepulchrum demittuntur. Praefixum מ ante יוֹרְדֵי h. l. negat, sive excludendi vim habet, ut 1 Sam. 15, 23. *rejecit te* מִמְּלֹךְ *ut ne esses amplius rex;* Hos. 9, 12. *orbabo eos*, מֵאָדָם *ut non sint*, vel *supersint*, *homines*. Ita et hic: *ne sim inter eos qui descendunt.* Masora tamen marginalis aliam hic assignat lectionem, ita ut non sit Participium plurale, sed Infinitivus cum affixo, מִרְדִּי *a descendere me*, i. e. ne descenderem. Sed verbi יָרַד forma Infinitivi cum affixis est רֶדֶת ut infra Vs. 10. בְּרִדְתִּי, item Ez. 31, 15. בְּיוֹם רִדְתּוֹ שְׁאֹלָה, nec non

Ex. 34, 29. Deut. 20, 20. De dictionis יוֹרְדֵי בוֹר significatione vid. ad Ps. 28, 1.

5. Voti sui, ac salutis compos factus non solum ipse gratias agit, verum etiam alios ad Jovae laudem hortatur. זַמְּרוּ לַיהוָה חֲסִידָיו *Canite Jovae, pii erga eum*, qui beneficentiam una mecum experimini. וְהוֹדוּ לְזֵכֶר קָדְשׁוֹ *Et celebrate memoriam sanctitatis ejus*, laudate cum, ejus magnitudinem et majestatem celebrantes. De qua autem re illum laudaturi sint, exponit.

6. כִּי רֶגַע בְּאַפּוֹ *Nam momentum in ira sua*, sc. persistit Deus, i. e. non diuturna est ira ejus, vix unius momenti est. Est itaque hoc loco consueta ellipsis verbi substantivi: *Deus* est, vel existit, vel *persistit*, עֹמֵד (quod saepius est subaudiendum, ut Jer. 33, 1. Prov. 17, 24. Ps. 106, 1. Job. 20, 5. coll. Ps. 112, 3. 9. 19, 10.) *in ira sua paululum.* Eadem sententia Jes. 54, 7. 8. Vates vero his verbis hoc respicere videtur, quod pestis illa, populo divinitus immissa brevi esset exstincta, Jovae ira, precibus vatis, in misericordiam conversa. Alexandrinus sensu diluto, nec membrorum parallelismo congruente: ὅτι ὀργὴ ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ, *quoniam ira in indignatione ejus*, ut Vulgatus reddidit. Quae interpretatio haud dubie ex eo nata, quod hebraeum רֶגַע accepit pro רֶגֶז, praelegentis verba sinistre excipiens, quae ipsa duorum illorum nominum permutatio deprehenditur Ps. 35, 20. חַיִּים בִּרְצוֹנוֹ *Vita in benevolentia ejus*, gratia contra et bonitas ejus semper durat, et non desinit in tota vita nos prosequi. Alii sensum hunc esse arbitrantur: delectatur conservando vitam. Sed benevolentiae divinae diuturnitatem, brevitati irae oppositam, hisce verbis significari, altera Versus pars docet: בָּעֶרֶב וגו׳ *Vesperi hospes adest fletus, sed mane ovatio*, h. e. si quid triste etiam aut malum in hac vita intercidit, i. e. instar viatoris pernoctantis, suum brevi post diversorium relicturi; si ad vesperam malum ingruit, illico tamen evanescit, adeo, ut mane statim iterum sit, unde laeteris, redeuntque gaudium et ovatio.

7. וַאֲנִי — לְעוֹלָם *Et ego quidem dixeram in tranquillitate mea*, cum fortuna utabar felici: *non nutabo in sempiternum*, cogitabam, hanc fortunam mihi fore perpetuam, et me numquam ullius potentia ullo tempore eversum iri. Quia enim vidit regnum suum omnibus a partibus firmatum, inprimis adversus externos hostes, ita hoc fuit interpretatus, quod usque ad exitum vitae continenti hac fortuna esset usurus, praesertim quum Jova regnum et posteritati ipsius promisisset. Nomen שַׁלְוָה, formae masculinae, non nisi hoc loco repcritur, quum alias in feminino saepiuscule occurrat. שַׁלְוָה *tranquillitas*, ut 122, 7. Prov. 1, 32. 17, 1. עוֹלָם *Aeternitatem*, h. l. ut alias saepe, ad totius vitae tempus restringendam esse, res ipsa docet.

8. עֻזּ — יְהוָה *Jova, benevolentia tua constitueras monti meo robur; monti*, h. e. magnitudini, potentiae et dignitati meae,

ne laberetur et nutaret, fortitudinem addideras. *Monte* et Arabes gloriam et celsitudinem significare, ostendimus in Commentario uberiori. Aliis hoc loco Davides per *montem* regnum et imperium suum, undique omnibus praesidiis firmatum, editae munitionis instar, designare videtur, quemadmodum *montium* figura et 76, 5. Jer. 51, 25. Hab. 3, 6. regna et imperia significentur, quod ea instar montium praeeminent. Alexandrinus vertit: *παρέσχου τῷ κάλλει μου δύναμιν, praestitisti decori meo virtutem*, ut Vulgatus reddidit. Pro לְהַדְרִי expressit לְהַרְרִי, quod aliqui lectioni receptae praeferendum existimarunt, sine ratione idonea, quum illa sensum perquam commodum fundat. Videtur autem prius hoc Versus hemistichium parenthesi includendum, et cum iis, quae praecesserunt, hoc modo conjungendum: ego cogitabam, me numquam vacillaturum *(quandoquidem tu, Jova, meum consolidaveras imperium)*, sed ubi הִסְתַּרְתָּ פָנֶיךָ הָיִיתִי נִבְהָל *abscondisti faciem tuam, factus sum conturbatus.* De *faciei occultatione* vid. 13, 2. 22, 25. Ante הסתרת subaud. adverbium temporis, וְאָם, *sed quum*, vel בַּאֲשֶׁר *postquam.* היתי נבהל *Perturbatus fui*, ita ut nullum amplius vel consilium, vel animi robur restaret ad evadendum ex imminentibus illis malis. Apprime vero haec congruunt tempori, cui in Argumento hunc Psalmum adsignavimus. Gloria enim et potentia regius vates quum polleret, eamque sibi stabiliter permansuram putaret, ideoque numerare populum voluisset, quasi hoc auxilio regnum confirmaturus; repente spoliatus his opibus, et numero populi pestis contagio multum imminuto, in summum est discrimen adductus, et in maximum moerorem timoremque conjectus.

9. אֵלֶיךָ — *Ad te, Jova, clamavi, ad Jovam supplex oravi ad impetrandam gratiam.* Hoc mihi unum in malis meis consilium relictum est, ut ad Jovam assidue clamarem, et miserabili prece iram suam flecterem. Formulam precum suarum statim subjicit Vs. 10. 11.

10. מַה־בֶּצַע בְּדָמִי *Quod lucrum in sanguine meo? Sanguis* h. l. pro sanguine profuso, i. e. nece, ut alioqui saepe, veluti Gen. 27, 26. Jos. 20, 3. בְּרִדְתִּי אֶל־שָׁחַת *In descendendo me ad foveam*, quid commodi percipias de me sepulto? שחת *fovea*, sepulchrum denotat, ut 7, 16. 16, 10. הֲיוֹדְךָ עָפָר הֲיַגִּיד אֲמִתֶּךָ *Num celebrabit te pulvis? praedicabit fidem tuam?* An gratias tibi agere poterit pulvis meus, aut testari hic de fide et veritate tua in promissis? *Pulverem* indicare h. l. cadaver, in sepulchro resolutum in pulverem (Gen. 3, 19.), res ipsa docet.

11. שְׁמַע — עֶזֶר לִי *Exaudi, Jova*, precantem, *et miserere mei; Jova, opitulator mihi adsis.* Alexandrinus in Praeterito expressit: *ἤκουσε κύριος, καὶ ἠλέησέ με, κύριος ἐγενήθη βοηθός μου·* Vulgatus: *audivit Dominus, et misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.*

12. Orationis suae et precationis fructus qui fuerit, declarat: הָפַכְתָּ מִסְפְּדִי לְמָחוֹל לִי *Convertisti mihi planctum meum in choream*, cum pestis tuo jussu cessavit, luctus meus et moeror in gaudium est conversus. מָחוֹל *chorus tripudiantium* (Jer. 31, 4. 13. Ps. 149, 3.), *tripudium saltationis*, quae est signum effusae laetitiae. Intelligitur itaque gaudium exultans, et tale, quale esse saltantium solet. פִּתַּחְתָּ שַׂקִּי *Aperuisti saccum meum*, tam largam gaudii suppeditasti mihi causam, ut cuncta luctus signa protinus mihi fuerint deponenda. Erat enim שַׂק, *saccus*, cilicinum vestimentum, quo induebantur, cum in luctu essent. Sacco autem hujusmodi vestitum fuisse tam Davidem, quam majores natu, legimus 1 Chr. 21, 16., quum pestilentia grassante in populum, lugubri habitu ad Jovam deprecandum, vultu in terram inclinato, conversi essent. Saccus autem dicitur *aperiri*, sive *solvi*, quod ille lumbis ita adstringi solebat, ut corpus eodem coaretaretur, et compressis humeris lumbisque homo lugens incederet, hinc phrasis חָגַר שַׂק, *accingere saccum* 2 Sam. 3, 31. 1 Reg. 20, 32. Jes. 3, 24. Quia vero, sacco abjecto, vestis alia ejus loco subroganda erat, quae sacco esset opposita, itaque optime subjungit: וַתְּאַזְּרֵנִי שִׂמְחָה *et cinxisti me laetitia*, tanquam zona quadam splendida, seu vestibus pretiosis, lactitiam significantibus.

13. לְמַעַן יְזַמֶּרְךָ כָבוֹד וְלֹא יִדֹּם *Propterea celebrabit te gloria*, s. *anima* mea, *nec silebit.* Particula לְמַעַן, quae alias causalis est, *propterea ut*, ἵνα, h. l. *idcirco*, *propter ea* significat, ut Hos. 8, 4. *simulacra sibi fecerunt*, לְמַעַן יִכָּרֵת *propterea exscindetur;* nec non Jer. 17, 15. Deut. 29, 19. Ad כבוד subaud. pron. 1. pers., ac si scriptum esset כְּבוֹדִי, quod et expressit Alexandrinus: ὅπως ἄν ψάλῃ σοι ἡ δόξα μου, *ut cantet tibi gloria mea.* Sic enim Davides alias quoque de sua loquitur anima, Jovam celebrante, veluti Ps. 16, 9. 57, 9. 108, 2. De dictione כָּבוֹד, *animam* significante, vid. ad Ps. 7, 6. 16, 9. Chaldaeus abstractum per concretum explicat hoc modo: *propterea ut laudent nobiles hujus mundi.* Aben-Esra: *celebrabit te omnis homo, cui gloria, hoc est, anima sapiens.* Retinenda tamen ea, quam antea dedimus, interpretatio videtur, utpote locis parallelis, atque hemistichio hujus Versus posteriori, ubi vates clarius de se in prima persona: יְהוָה אוֹדֶךָּ *Jova, te laudabo*, magis consentanea. Nec obstat pronominis affixi defectus, quo nihil crebrius apud Hebraeos, vid. 60, 6. 77, 16. יִדֹּם non est verbi דָּמַם Futurum conjugationis Niphal, cujus significatio huic loco non convenit, nec alias reperitur, sed futurum formae Cal, more Chaldaico scriptum; solent enim in ea dialecto praeformantes literae habere vocalem brevem, quam sequitur Dagesch forte, primam radicalem duplicans, ad mediam elisam compensandam, ut יְדֹק *comminutus erit*, pro יְדֻקַּק, יְשֹׁם *obstupescet*, 1 Reg. 9, 8. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 370.

Ps. 31.

Apparet in hoc carmine motus animi perturbati conspectu periculorum hominisque in summum vitae et salutis discrimen adducti, et tamen fiducia certa invocantis opem et auxilium Jovae, atque hoc nitentis. Habet invocationem ardentem, preces sollicitas, querelas miserabiles, et eluctans tamen ex omnibus animi sui perturbationibus, in precibus fidelibus suis acquiescit, et exaudire se non dubitat; hortaturque ad similem fiduciam, quam collocent in Jova, pios omnes, qui numquam auxilio suo destituat fideles suos. Psalmum hunc autem, ita ut nunc eum legimus, Davidem non in ipsis periculis composuisse, sed postea orationem et voces, quas ad Jovam urgente periculo misisset, simul cum iis verbis, quae ad gratias de salute jam adepta pertinerent, conjunxisse, et carmen ex utrisque connexum edidisse, plura ejus loca arguunt, veluti Vs. 8. et 9., nec non 20. sqq. Cf. not. ad Vs. 9.

Interpretes longe plerique Davidem hoc Psalmo referre putant, ut affectus fuerit, et quae precatus sit, quum cinctus esset a Saule in deserto Maonico, proditus a Ziphensibus, 1 Sam. 23. Quam conjecturam deducunt ex eo, quod Vs. 23. poeta eodem verbo חָפַז est usus, quod adhibuit ille, qui 1 Sam. 23, 26. hoc Davidis discrimen literis consignavit. Ita enim ille: *Ibat Saul in latere montis uno, et David cum suis in altero, fuitque David* נֶחְפָּז, id est, *praecipitatus*, nempe terrore summo, conatuque fugiendi peranxio incitatus. Erant autem res Davidis tum eo loco, ut evadere non potuisset; quod jam quasi constrictus irretitusque teneretur a Saule, tam ipse, quam copiolae ipsius. Sed dum in eo est hostis omni contentione, ut rem conficiat, affertur ei nuncium in castra, Philisthaeos irrupisse in regnum, quae res coëgit Saulem, misso Davide decedere. In illis igitur periculis summis praesentis interitus haec precatus fuisse putatur. Vetus autem haec est opinio de carminis hujus tempore, et jam Alexandrino interpreti recepta, qui titulum fecit: *Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ἐκστάσεως*, quod ultimum nomen addidit ex Vs. 23., ubi hebraeum בְּחָפְזִי vertit *ἐν τῇ ἐκστάσει μου*, hoc est, *in pavore atque trepidatione mea*, in desperatione rerum omnium, cum de summo periculo humano consilio evadere me posse desperarem. De Wette hoc quoque Psalmo totum Hebraeum populum de suis miseriis questum induci statuit, hoc potissimum argumento motus, quod poetae hostes Vs. 7. *idolorum cultores* designentur, quales Davidis adversarii non fuerint. Verum iis, qui illic *observantes vanitates mendacii* appellantur, intelligendi non praecise idolorum cultores, sed omnino tales, qui in rebus vanis spem suam collocant.

2. בְּךָ יְהוָה חָסִיתִי *In te, Jova, praesidium meum collocavi.* Vid. 7, 2. 16, 1. 25, 20. 71, 1. De verbo חָסָה vid. ad 2, 12. אַל־אֵבוֹשָׁה לְעוֹלָם *Ne pudefiam unquam*, cf. 22, 6. 25, 2. בְּצִדְקָתְךָ פַּלְּטֵנִי *Per justitiam tuam eripe me*, pro fide tua optima,

qua agere soles cum iis, qui tibi sese concrediderint, eripe me e periculis et angustiis meis. De צְדָקָה יְהוָה vid. ad 5, 9. 22, 32. 24, 5.

3. הַטֵּה אֵלַי אָזְנְךָ *Inclina ad me aurem tuam*, promtus ac benignus exaudi meam supplicationem; cf. 10, 17. 18, 7. מְהֵרָה הַצִּילֵנִי *Festinanter me libera*, in maximo enim vitae discrimine constitutus, cito et expedito opus habeo auxilio. מְהֵרָה pro בְּמְהֵרָה (Coh. 4, 12.), *in festinatione*, et alioqui sine ב adverbii sensum obtinet, ut Num. 17, 11. Deut. 11, 17. Coh. 8, 11. הֱיֵה לִי לְצוּר מָעוֹז *Esto mihi in petram propugnaculi*, praesta te mihi refugium tutissimum, ubi securus delitescam contra hostium incursiones, non aliter ac fugitivi belli tempore tuto latent in munitionibus super petris inexpugnabilibus exstructis. Cf. 18, 3. 47. 19, 15. 27, 5. 28, 1. De מָעוֹז vid. 27, 1. לְבֵית מְצוּדוֹת לְהוֹשִׁיעֵנִי *In domum summitatum montium ad me servandum*, sis mihi vice arcis in montis praealti fastigio exstructae. De מְצוּדָה vid. 18, 3.

4. כִּי־סַלְעִי וּמְצוּדָתִי אָתָּה *Nam petra mea et arx mea tu*, cf. 18, 3. וּלְמַעַן שִׁמְךָ *Et propter nomen tuum*, h. e. ob famam potentiae, misericordiae et veritatis tuae, vid. 23, 3. 25, 11. תַּנְחֵנִי וְתְנַהֲלֵנִי *Deduc et moderare me*, nam ad rupes editas atque arces in praealtis montibus sitas difficile adiri potest, nisi a viae perito, dextre ducente. De verbis נָחָה et נָהַל vid. 23, 2. 3.

5. תּוֹצִיאֵנִי מֵרֶשֶׁת זוּ טָמְנוּ לִי *Educ me e reti, quod absconderunt mihi*, libera me ex insidiis, cf. 9, 16. 10, 9. Videntur haec eo respicere, quod quum Ziphaei latibulum poetae diligentissime exploratum Sauli indicassent, ejus hinc milites ipsum undique cingerent, adeo ut se posse evadere desperaret. Pronomen demonstrativum זוּ h. l. ponitur pro relativo, cf. ad 9, 16. coll. 17, 9. Ad verbum טמנ nominativus e contextu est petendus, aut impersonaliter illud explicandum est, *quod occultatum mihi est*, ut Jes. 38, 16. *per hoc* יִחְיוּ *vivitur*; Joel 2, 17. יֹאמַר *dicetur*. כִּי־אַתָּה מָעֻזִּי *Quia tu propugnaculum meum*, quia te mihi adjutorem et protectorem elegi, in te spem omnem salutis collocavi.

6. בְּיָדְךָ אַפְקִיד רוּחִי *Manui tuae committo spiritum meum*, quum tu sis protector meus, tuae fidei credo vitam et salutem meam custodiendam. Verbum פָּקַד *diligenter inspicere, attendere, observare*, in Hiphil est: facere, ut aliquis quidquam diligenter curet, *aliquem rei alicui curandae praeficere, concredere quidquam alicujus curae et custodiae*, ut 2 Chr. 12, 10. *rex clypeos custodiendos credidit principibus cursorum.* Jer. 40, 7. *quod fidei ejus commisisset viros.* פָּדִיתָה אוֹתִי יְהוָה *Redemisti me, Jova*, tu jam saepe me liberasti e periculis. De verbo פָּדָה vid. 25, 22. אֵל אֱמֶת *Deus veritatis*, Deus verax et fidelis, qui in promissis tuis constans es, fidemque semel datam numquam frangis. Addit hanc appellationem, quod meminit antea depositi, nempe animae suae, fideliter a Jova asservandae.

7. שָׂנֵאתִי הַשֹּׁמְרִים הַבְלֵי־שָׁוְא *Odi observantes vanitates mendacii*, adversatus semper sum et odi eos, qui in rebus vanis fluxisque collocant praesidia sua, fiducia inani. הֶבֶל proprie est *halitus oris*, *qui frigido aëre oculis cernitur*, Ps. 52, 10. Jes. 57, 13. Unde dicitur de quavis re subito evanescente et vana, praesertim de *deastris*, Deut. 32, 21. Jer. 2, 5. 10, 3. 15. 16, 19. Atque quum הבלי־שוא *de falsorum deorum studio* et *cultu* dicatur Jon. 2, 9., sunt plures, qui horum verborum sensum faciant hunc: eos, qui ad deos vanos respiciunt, hos colunt, et ab iis salutem exspectant, odi et exsecratus sum, וַאֲנִי אֶל־יְהוָה בָּטָחְתִּי *sed in Jova ego spem meam collocavi*, ut in hemistichio altero subjungit. Alii auguria et divinationes existimant *vanitates falsi* h. l. appellatas. Sed possunt per הבלי־שוא res quaecunque vanae et fluxae, calumniae quoque et malae fraudes intelligi. Pro שָׂנֵאתִי veteres interpretes, excepto Chaldaeo, exprimunt secundam personam, שָׂנֵאתָ, *odisti*, tu, Jova.

8. אָגִילָה — אֶת־עָנְיִי *Gaudebo et laetabor de benignitate tua*, quam experturum me confido in eo, *quod respexeris miseriam meam*, h. e. auxilio lato te habuisse rationem mei declaraveris. Similiter verbum *videndi* dicitur 10, 14. Vocabulum אֲשֶׁר h. l. conjunctionis causalis significationem obtinet, sicut latinum *quod*, ac si עַל־אֲשֶׁר *eo quod*, scriptum esset. Sic etiam Gen. 34, 29. 1 Reg. 5, 13. Hos. 14, 4. usurpatur. וְיָדַעְתָּ בְּצָרוֹת נַפְשִׁי *Et agnoveris angustias animae meae*, quod salutem et vitam meam curae tibi esse passus fueris, atque e periculis urgentibus me liberaveris. Verbum יָדַע *cognovit*, ut in hemistichio priori רָאָה *vidit*, h. l. significat, alicujus angustias eo consilio cognoscere, ut eas removere studeamus; opponitur enim incuriae, vel neglectui, cum aliquis ne tantillum quidem temporis impendere vult cognitioni miseriae alterius. Cf. 1, 6. De צָרָה vid. 9, 10. 25, 17.

9. וְלֹא הִסְגַּרְתָּנִי בְּיַד אוֹיֵב *Nec quod in manu adversarii me incluseris*, neque permiseris, ut circumventus venirem in potestatem inimicorum. Verbum סָגַר *clausit*, in Hiphil significat *resignavit*, vel recludendo quasi *tradidit* alteri, aut in alterius manum tradendo *conclusit*, ut Amos 1, 6. לְהַסְגִּיר *ad tradendum* captivos Edomaeis; Ps. 78, 62. וַיַּסְגֵּר *tradidit* populum suum gladio, vid. et Deut. 23, 16. Addit: הֶעֱמַדְתָּ בַמֶּרְחָב רַגְלָי Quodque *in amplum spatium posueris pedem meum*, quod inter adversarios viam aperueris pedibus meis, qua ambularem itinere expedito et patente, in quod me deductum statueris, ubi tutus ingrederer. Vid. ad 4, 2. coll. 18, 20. Ceterum nonnulli hunc Versum cum eo qui proxime praecesserat, ita accipiunt, quasi Davides, si precibus Jova satisfecerit, in agendis gratiis hoc praedicaturum se profiteatur. Alii vero pro liberatione facta ex praesentibus periculis gratias poetam agere autumant, et post liberationem, cum Psalmum scriberet, haec eum inseruisse. Cf. Argument. Ps. 28.

10. Cujus formae *χαριστήριον* et gratiarum actio futura sit cum spoponderit, redit jam ad orandum, et sua mala, in quibus versatur, exponenda: חָנֵּנִי יְהוָה כִּי צַר־לִי *Miserere mei, Jova, nam angustia est mihi*, graviter angor admodum. עָשְׁשָׁה וגו׳ *Contabuit aegritudine oculus, anima et venter meus*, attenuata et deformata est facies mea macritudine, deficiunt et evanescunt spiritus animae meae, et vitae meae vigor omnis, totum corpus meum exhaustum est. De formula עָשְׁשָׁה עֵינִי vid. 6, 8. Ceterum עששה h. l. minus proprie etiam ad *animam* refertur, quemadmodum exteri quoque scriptores haud raro pluribus nominibus unum aliquod verbum jungere solent, cujus notio illorum nominum uni tantum aptum est. Apposite autem ad rem poeta ad animi sui affectum exprimendum adhibuit nomen כַּעַס, quod proprie *aegritudinem animi ad iram et indignationem irritati* significat (vid. 1 Reg. 21, 22. 2 Reg. 23, 26. Coh. 7, 9.). Permulta enim erant, quae Davidem summa indignatione contra Saulem, et assentatores ejus, crudeliter adeo ipsum et immeritum persequentes, accendere poterant. Optime de omnibus meritus erat, vitae periculum pro populi ac regis salute saepissime adierat, nihil unquam tale cogitarat, quod ei falso illi impingebant; contra autem illi neminem odiebant pejus, in nullius necem tam erant intenti, adeo ut in abditissima usque saltuum et desertorum ipsum insectarentur. Haec reputanti non potuit non saevissimus dolor oboriri, et tabifica quaedam animi aegritudo, praesertim cum hostium, tam immerito innocentem persequentium, crudelitas nullis quamlibet magnis benefactis mitigari posset.

11. כִּי — בַּאֲנָחָה *Consumta sunt moerore vita mea, et anni mei gemitu*, mors acceleratur aetati meae gemitibus perpetuis, in quibus peragitur. כָּשַׁל וגו׳ *Corruit in noxa mea virtus mea et ossa mea contabuerunt.* In verbo כָּשַׁל egregia latet metaphora ab homine infirmo morbisque plane enervato petita, qui vix amplius valet sublevare pedem, sed impingendo saepe corruit ac prosternitur. Vid. 27, 2. Haec ipsa loquutio occurrit Neh. 4, 10. (al. 4.). Nomen עָוֹן primo et proprie quidem notat *errorem*, a verbo עָוָה, quod Arabibus significat *erravit;* hinc עון, plane ut Latinorum *noxa*, non tantum significat *errorem*, *peccatum*, quo vel alii, vel ipsi peccanti *nocetur*, quo quidem sensu frequentius in Codice Hebraeo usurpatur, verum etiam *damnum*, quod vel proprio vel alterius peccato contrahitur, atque generatim *omne* omnino *infortunium.* Ita 1 Sam. 28, 10. *si damnum tibi eveniet hac re.* Et de *infortunio*, *calamitate*, dicitur a Davide 2 Sam. 16, 12. *fortasse Jova miseram meam conditionem respiciet.* Atque eodem significatu hoc ipsum nomen nostro quoque loco a vate usurpari, res ipsa docet. וְעַצְמַי עָשְׁשׁוּ *Et ossa mea contabuerunt*, h. e. medulla quasi absumta et exhausta est, adeoque totus ego deficio. Nimirum ossa tunc dicuntur arescere aut ex-

siccari, cum vires hominis quam maxime debilitantur. Cf. ad Ps. 22, 15. 16.

12. Vs. 12—14. exaggerat miseriam suam, ab his quae externe adfligebant, sicut Vs. 10. 11. de internis cruciatibus questus est. Praecipue dolet ab illis se desertum et contemtum, a quibus, non praesidium, saltem animum compatientem et amicam consolationem jure debuerat exspectare. מְאֹד — מִכֹּל *Et prae omnibus hostibus meis fui opprobrium etiam vicinis meis maxime*, summe contemnor, etiam a vicinis et contribulibus, quibus magis execrabilis habeor, quam adversarii mei, homines sceleratissimi. Nisi sensus potius sit hic, vicinos in eum conjecisse opprobria plus, quam ipsi acerrimi inimici. חֶרְפָּה *opprobrium*, h. e. summe probrosus. Emphatice enim abstractum ponitur pro concreto, ut Prov. 3, 23. et Gen. 46, 34. תּוֹעֲבָה *abominatio*, pro summe abominabili. וְלִשְׁכֵנַי *Etiam vicinis meis*, h. e. illis, qui, cum vitae meae integritatem magis haberent perspectam, eo magis etiam a contemtu meo debuissent abstinere. Sunt interpretes, qui notari putent Ziphaeos et Ceilenses, qui cum contribules essent Davidis, eum ad Saulem deferebant. Fuisse enim Ziphenses in sorte Judae legimus Jos. 15, 24., et idem Ceilam 15, 44. Vocula מְאֹד trajecta videtur, et ad חרפה pertinere, ut *opprobrium valde* sit opprobrium maximum vel insigne. Etenim adjectivi locum quandoque obtinet adverbium, ut 1 Sam. 25, 31. דָּם חִנָּם *sanguis innocuus*, Prov. 3, 25. פַּחַד פִּתְאֹם *timor subito*, i. e. subitus. וּפַחַד לְמֹיְדָעַי *Et pavor notis meis*, refugiunt tanquam terriculamentum conspectum meum; vel, ne fraudi eis sit notitia et consuetudo mea, neque propter me in periculum veniant, uti Achimelecho et reliquis sacerdotibus contingit (1 Sam. 22, 11.), vel certe, quod tam foedis criminibus me foedatum putant, ut me tanquam hominem, execrabili morbo laborantem, summe detestentur et abominentur. Hanc causam ipse Vs. 14. subjicit. Participio מְיֻדָּעִים *noti*, designantur familiares, quorum diuturnam habemus notitiam, qui nobis ex intimiori innotuerunt conversatione ac familiaritate, quomodo de amicis Achabi usurpatur 2 Reg. 10, 11. De amicis etiam dicitur Ps 55, 14. 88, 9. 19., ubi eadem fere, quae hic queritur, nec non Job. 19, 14. Addit: רֹאַי בַּחוּץ נָדְדוּ מִמֶּנִּי *Qui me vident foris, aufugiunt a me*, refugiunt occursum meum ex longo intervallo. Loquitur de se tanquam de homine, qui molestissimo et execrabili morbo laboret, quem nemo intueri sustineat, a quo omnes cum horrore et pavore recedant.

13. Contemtum, quem expertus fuerit, auget, quod subjicit: נִשְׁכַּחְתִּי כְּמֵת מִלֵּב *Oblivioni traditus sum sicut mortuus e corde*, desiit haberi mei ratio, velut mortui, qui animo exciderit. Eodem sensu praegnante נשכח cum מן construitur Deut. 31, 21. לֹא תִשָּׁכַח מִפִּי זַרְעוֹ *non tradetur oblivioni* ita ut excidat *ex ore progeniei ejus*. הָיִיתִי כִּכְלִי אֹבֵד *Factus sum sicut vas periens*, non magis

mei ratio habetur ac vasis inutilis, cujus jactura sit vilis. אֹבֵד non est nomen, *perditio*, sed Participium verbi אָבַד.

14. Tantae suae abjectionis atque abominationis, quam modo memoravit, causam nunc reddit: כִּי שָׁמַעְתִּי דִבַּת רַבִּים *Nam audivi infamiam multorum*, h. e. multos me mentitis criminibus infamantes, quod partim ab amicis, qui ab eo defecerant, factum est, partim autem eos, qui adhuc in amicitia perstabant, abalienavit. Sunt, qui intelligant calumnias, falsaque crimina, quae ad Saulem deferebant, quasi adversus illius regnum vitamque moliretur insidias. דִּבָּה, proprie *reptatio*, in codice Hebraeo ubique deprehenditur usurpatum translate de *rumoris*, praesertim *mali et infamantis*, *reptatione*, de *infamia*, ut Gen. 38, 2. *afferebat infamiam eorum* ad patrem. Ita Num. 13, 32. 14, 36. 37. illi, quos Moses Palaestinam explorandi causa miserat, quum rediissent, *protulerunt infamiam terrae*, h. e. aliqua singularia probra et incommoda terrae Canaan multitudini narrarunt et persuaserunt. Vid. et Prov. 10, 18. 25, 10. Ez. 36, 3. Latini quoque *serpere* de *rumore* usurpant. מָגוֹר מִסָּבִיב וגו׳ *Formido circumquaque, quum illi contra me una consultarent; de tollenda anima mea cogitarunt callide.* Formido circumsteterat eum, cum adeo nemo amicus illi reliquus mansisset, plerique autem hostibus se junxissent, atque una cum illis de perdendo ipso consilia captarent, et vafre de struendis ei insidiis cogitarent. Quum verbum גּוּר et *commorari* significet, nomen מָגוֹר cum vocabulo proximo Alexandrinus vertit: *παροικούντων κυκλόθεν*, *commorantium undique.* Sed plerisque recentiorum מָגוֹר est *formido* (de verbo גּוּר *timere*, vid. 22, 24.). De pavore in viis et agris ob hostem dicitur Jer. 6, 25. לָקַחַת נַפְשִׁי *Ad capiendum animam meam*, h. e. ad eripiendum mihi vitam. לָקַח enim quandoque est *per vim capere* et *eripere*, ut 2 Reg. 4, 1. de creditore pueros raptante, 1 Chr. 5, 21. et Prov. 24, 11. *raptati ad mortem.* Sic et Gen. 6, 2. 34, 2. Job. 5, 5. *Animam* vero per metonymiam saepe pro *vita* accipi, notum est. De verbo זָמְמוּ *machinati sunt*, vid. Ps. 17, 3.

15. Ego tamen tot et tantis malis undique septus, numquam deposui fiduciam in Jovae auxilio: וַאֲנִי — אֶתָּה *Ego vero super te fiduciam collocavi; dixi, Deus meus* es *tu*, te judicem et vindicem elegi, certo sciens, numquam te commissurum, ut supplicem tuum deseras.

16. בְּיָדְךָ עִתֹּתָי *In manu tua tempora mea.* Quum עֵת de *tempore*, s. *duratione vitae* usurpetur Jes. 33, 6. Ez. 16, 8., imo etiam pro *termino vitae*, Coh. 9, 12. (*ignorat homo* אֶת־עִתּוֹ), cf. 7, 18.; et h. l. עִתֹּתַי interpretes hanc multi de *vitae spatio* acceperunt, unde sensus enascitur hic: in tua, non hostium, manu et potestate est, vitae meae certum destinare terminum, quare tu ea jam potestate tua utere, nec hostium libidini me adeo permitte. Ego tamen pluralem numerum h. l. a poeta usurpatum, non *vitam*

solum, verum et omnes vicissitudines et commutationes rerum, *fortunam*, sive bonam, sive malam, explicaverim. Simili notione hoc nomen reperitur 1 Chr. 29, 30. *Omne regnum ejus, et potentia ejus,* וְהָעִתִּים *et tempora quae transierunt super eum et Israelitas* etc., h. e. varii casus, vel prosperi, vel adversi, qui quovis tempore eis accidernnt. Nec longe a nostra explicatione abesse videtur Alexandrinus, qui עִתֹּתַי vertit: *κλῆροί μου.* Sic itaque verba nostra intelligenda erunt: scio, quidquid vel prosperi vel adversi mihi accidere possit, a nutu tuo pendere; itaque etiamsi multos patior inimicos, nihilominus in te omnem spem collocavi, et oro te, הַצִּילֵנִי מִיַּד־אוֹיְבַי וּמֵרֹדְפָי *eripe me e potestate hostium et persequutorum meorum.* Hinc Chaldaeus hemistichium prius sic vertit: *in tua manu sunt tempora liberationis meae.*

17. הָאִירָה פָנֶיךָ עַל־עַבְדֶּךָ *Illumina vultum tuum super servum tuum*, i. e. super me; sereno vultu me respice, non per indignationis nubilum obfuscato, opemque sic re ipsa confer. Innuit hac ratione vates, Jovam sibi adhuc iratum quodammodo fuisse, faciemque aliquamdiu occultasse, ut conqueritur Ps. 10, 11. 13, 2. 24, 6.; nunc itaque eandem *lucentem*, h. e. serenam, favore exhilaratam, sibi denuo adverti petit. Loca parallela sunt Num. 6, 25. Ps. 4, 7. 67, 2. Dan. 9, 17. In *servi* nomine simul latet argumentum, cur Jova Davidi opem ferre debeat: nimirum quia mutuus inter hunc et illum est respectus, qualis inter dominum et servum; jam dominus tenetur servum suum ab aliis inique vexatum defendere. הוֹשִׁיעֵנִי בְחַסְדֶּךָ *Salvum me redde per misericordiam tuam*, quod non potes non misereri cultoris tui, tantopere ab aliis afflicti et pessum euntis.

18. יְהוָה אַל־אֵבוֹשָׁה *Jova, non erubescam;* repetitur desiderium, supra Vs. 2. expositum, quorsum redit. כִּי קְרָאתִיךָ *Nam invocavi te*, non meis viribus, sed tuae potentiae, quam supplex invocavi, innitor, quare indignum foret, si a te desererer. יֵבֹשׁוּ רְשָׁעִים *Erubescant potius improbi*, impios, qui me per injuriam insectantur et exagitant, justius est confundi et erubescere, a te ereptum videntes, quem se capturos et occisuros confidebant. יִדְמוּ לִשְׁאוֹל *Conticescant ad infernum*, h. e. *sileant et descendant in infernum*, ut recte Chaldaeus verbi praegnantis vim explicavit: fac, Jova, ut iniqui mei opprcssores, qui tantopere jam tumultuantur ac saeviunt, subito praecipites ruant ad orcum, et tumultuum finem tandem faciant. Verbum דָּמַם, i. q. דָּמָה, dicitur de eo, qui cessat ab aliquo opere vel sermone, vid. ad 4, 5. Ita usurpatur de *silentio* consternatorum et lugentium, veluti de Aarone, Lev. 10, 3. Sic Thr. 2, 10. 3, 28. Ex. 15, 16. *cadet super eos terror,* יִדְמוּ *tacebunt sicut lapis.*

19. תֵּאָלַמְנָה שִׂפְתֵי־שֶׁקֶר *Obtumescant labia falsitatis* (i. e. falsiloqua), tua virtute compressa, debitisque plagis ad silentium ac pudorem redacta. Intelligere videtur eos mendaces, qui, quum

se Davidis amicos fingerent, apud Saulem illum fictis criminibus accusabant, quasi contra illum machinaretur et regnum invadere tentaret. *Silentium* hic non tantum infert convitiorum pausam, verum etiam infortunii simul immissi grave pondus, quod istorum hominum grandiloquentiam plane intercludat et compescat. הַדְּבֵרוֹת עַל־צַדִּיק עָתָק *Loquentia contra justum* (innocentem, qui nullo impios hos facto lacessivit, nec vitio maledicendi ansam dedit) *fastum*, magna ex arrogantia confidentiaque dicta. Nomen עָתָק, quod proprie *liberum* videtur sonare (cognatum verbum Arab. *liber fuit*, et Substantivum *libertatem*, *liberalitatem*, significat), in codice Hebraeo quatuor, quibus occurrit locis (h. l. et 1 Sam. 2, 3. Ps. 75, 6. 94, 4.), dicitur in malam partem de *verbo liberiore*, sive fastuoso, feroci et insolenti. Chaldaeus ubique *convitia* vertit. בְּגַאֲוָה וְבוּז *Cum superbia et contemtu*, quod neminem verentur, omnes prae se contemnunt, cunctis sese superbe praeferunt, quicquid eis in buccam venerit contra innocentes eblaterant.

20. מָה — לְיִרְאֶיךָ *Quam magnum est bonum tuum, quod abscondisti timentibus te.* אֲשֶׁר־צָפַנְתָּ *quod abscondisti*, servasti, ita ut nondum appareat neque piis, cum premuntur, neque improbis, qui illos affligunt. צָפַן est *recondidit*, in suum vel alterius usum aliquid asservavit. Ita Jova justis יִצְפֹּן *asservat* bona solida (Prov. 2, 7.). פָּעַלְתָּ לַחוֹסִים בָּךְ Quod (אשר subaud.) *parasti eis, qui in te fiduciam ponunt.* Pertinent haec ad descriptionem boni, piis a Jovae benignitate sperandi. Verbum פָּעַל significat *efficere* aliquid, vel *parare*, ut Ex. 15, 17. *sedem parasti tibi, Deus.* Cf. Ps. 68, 29. נֶגֶד בְּנֵי אָדָם *Coram hominibus*, palam et frequenti hominum coetu beneficia tua piis in te exhibes, ut eorum innocentia omnibus clara et testata sit. LUTHERUS haec verba ad pios retulit: *die vor den Leuten auf dich trauen*, qui fiduciam in te verbis factisque profitentur coram aliis. Sed prior sensus magis videtur convenire. Eundem expressit Chaldaeus: *Facis fidentibus in te rependere mercedem bonam coram hominibus.*

21. תַּסְתִּירֵם בְּסֵתֶר פָּנֶיךָ *Abscondis eos in latibulo vultus tui*, in ipso tuo domicilio, ubi veluti latet, occultatur, facies tua. Idem haud dubie innuit, quod Ps. 27, 5., ubi vid. not. פָּנֶיךָ *faciei tuae*, h. e. tui ipsius. *Facies* enim frequentissime loco pronominis reciproci, *ego*, *tu*, *ille*, usurpatur, non Hebraeis tantummodo (vid. Ex. 33, 14. *facies mea ibit*, ego ipse praecedam; 2 Sam. 17, 11. *facies tua*, i. e. *tu ipse* inibis proelium), verum Aethiopibus etiam et Syris. Dictioni סתר פניך in hemistichio altero manifeste respondet בסכה. מֵרַכְסֵי אִישׁ *A conspirationibus virorum.* Verbum רָכַס significat *colligavit*, Ex. 28, 28. 39, 21. Hinc רְכָסִים (quod nusquam alias in Codice Hebraeo recurrit) videntur esse *conjuratorum in aliorum perniciem catervae.* Sic Chaldaeus: *turmae potentium.* Eadem plane ratione etiam verbum קָשַׁר *ligavit*, ad *conjurandi* sensum transfertur 1 Reg. 16, 16. 20.

conjurationem fecit Zimri. Item Am. 7, 10. 2 Reg. 10, 9. 21, 24. Aliis רְכָסִים sunt *perversitates, conturbationes*; quomodo Alexandrinus vertit: *ἀπὸ ταραχῆς ἀνθρώπων, a conturbatione hominum*, hoc est, ab hominibus furentibus et concitatis, innocentium hominum sanguinem sitientibus. Syrus etiam *conturbationem* reddit. תְּצַפְּנֵם בְּסֵתֶר פָּנֶיךָ מֵרִיב לְשֹׁנוֹת *Occultas eos quasi sub tugurio a contentione linguarum*, a jurgiis, a maledictis et probris, quae in eos jactantur, a criminationibus et cavillationibus hominum lingua valentium. *Linguae* hic intelliguntur hominum ferocium, qui *linguas instar gladiorum solent acuere*, Ps. 55, 22. Ante בסכה intelligendum est *Caph* similitudinis, quod saepissime omitti solet.

22. לִי — בָּרוּךְ *Laudetur Jova, nam mirabilem fecit gratiam suam mihi*, h. e. beneficia mihi Jova exhibuit plane singularia et admiranda. Verbum פלא in Niphal significat proprie *separatum esse* a rebus aliis, hinc, *singulare, mirabile fuit*, et in Hiphil, aliquid *mirificum facere*, supra et extra communem aliorum sortem quasi elevare, v. g. populum aliquem, Jes. 29, 14. Vid. ad Ps. 17, 7. coll. 4, 4. 2 Chr. 26, 15. Addit: בְּעִיר מָצוֹר *in urbe munitionis*, s. munita; quod comparative explicandum videtur, intellecta ante בעיר particula כ, ut jam Symmachus fecit: *ὡς ἐν πόλει περιφραγμένῃ*. Sensus igitur est, Jovam tam mirifica benignitate ab hostium vi defendisse Davidem, non aliter, ac si in urbe munitissima eundem conclusisset.

23. וַאֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי *Dixeram ego in trepidando me*, cum ex nimio periculo anxius hinc inde vacillarem, nescius, quo me verterem. חָפַז significat ex anxietate *festinare, trepidare*, ut Deut. 20, 3. *ne timeatis et ne* תֶּחְפְּזוּ; nec non 2 Reg. 7, 15. בְּחָפְזָם *dum trepidantes festinarent Aramaei.* Cf. 2 Sam. 4, 4. Ps. 116, 11. Alexandrinus h. l. vertit *ἐν τῇ ἐκστάσει μου*, de quo vid. Argument. נִגְרַזְתִּי מִנֶּגֶד עֵינֶיךָ *Excisus sum a conspectu oculorum tuorum*, instar arboris, securi, quae גָּרְזֶן dicitur (Deut. 19, 5. 20, 19. Jes. 10, 15.), prostratae, atque e conspectu tuo procul remotae, et projectae (Alexandrinus, sensum spectans, *ἀπέῤῥιμμαι, projectus sum*, vertit). מנגד עיניך *a coram*, e conspectu, *oculorum tuorum*, hoc est, de terra, quam tu conspicis. Terram enim illam, in qua arca sacra Jovae erat, veteres illi, tanquam ipsius numinis domicilium, adeo magnifaciebant, ut alibi habitare instar mortis ducerent, de qua re idem ipse Davides cum Saulo expostulat (1 Sam. 26, 19.), quod ejecerint eum, ut non habitaret in haereditate Jovae. Cf. Jon. 2, 5. Verbum גָּרַז, *ἅπαξ λεγόμενον*, idem est cum גָּזַר, quod ipsum verbum (נגזרתי) Codd. nonnulli h. l. habent. Arabibus quoque גרז et גזר *amputavit, resecuit*, est unum idemque verbum. אָכֵן שָׁמַעְתָּ וגו׳ *Verum tu exaudivisti vocem deprecationum mearum, dum ad te vociferarer*, exaudivisti preces meas, quum ego frustraneas opinarer ipse omnes meas vociferationes atque gemitus.

24. אֶהֱבוּ אֶת־יְהוָה כָּל־חֲסִידָיו *Diligite Jovam, omnes erga eum pii*, nam אֱמוּנִים נֹצֵר יְהוָה *fidelitatem custodiens est Jova*, quod aliqui ita explicant: *servat Jova fidem*, omnis ab ipso ipsinsque promissionibus abest deceptio. Sed videtur abstractum, *fidelitas*, h. l. pro concreto, *fideles*, s. sinceros, positum esse, ut 12, 2., ubi vid. not. Cf. 2 Sam. 20, 19. Ita etiam Chaldaeus: *fideles servat a malo*, homines, qui veritatem et fidem colunt, Jova ab adversis casibus tuetur, et ab hostibus defendit. וּמְשַׁלֵּם עַל־יֶתֶר עֹשֵׂה גֵאוָה *Et retribuit abundanter facienti superbiam.* עַל־יֶתֶר *secundum*, s. *juxta abundantiam*, h. e. abunde. Ita particula עַל, plane ut Arab. علي, nominibus praeposita saepius *Adverbia* facit, veluti Lev. 5, 39. עַל־שֶׁקֶר *secundum falsitatem*, i. e. falso, Jer. 6, 14. 8, 11. עַל־נְקֵלָה *secundum leve*, i. e. leviter. Et Graeci eodem modo utuntur suo κατὰ e. c. Jo. 5, 4. κατὰ καιρὸν, *tempestive;* Act. 19, 20. κατὰ κράτος, *valide.* Alexandrinus dictionem עַל־יתר conjunxit proxime sequenti עשה גאוה, dum sic vertit: καὶ ἀνταποδίδωσι τοῖς περισσῶς ποιοῦσι ὑπερηφανίαν, *retribuit eis, qui abundanter faciunt superbiam*, sensu non satis concinno. Sed recte Masorethae accentu conjunctivo *Merca*, ultimae vocabuli ומשלם literae apposito, illud conjungendum esse cum עַל־יתר significarunt, quemadmodum eam dictionem accentu subdistinctivo, *Rbhia gereschato*, a sequente עשה גאוה sejunxerunt; ut ita sit vertendum: *rependit abunde.* Fastui eorum, qui superbiam usurpant, rependit cumulate, quod ipsi committunt in alios. Chaldaeus: *retribuit magnatibus*, qui *operantur superbiam.* Videtur יֶתֶר significatione *praeminentis dignitatis* accepisse, qua Gen. 49, 3. pollet. Et verbum שָׁלַם per עַל construitur quoque Joel. 3, 4. (al. 9.). עֹשֵׂה גֵאוָה *Faciens superbiam*, collective accipiendum de iis, qui fastuose et contemtim alios infirmiores supplantant, cf. Vs. 19. Aben-Esra compendiose haec verba posita existimat pro his: עֹשֵׂה מַעֲשֵׂה בְּגַאֲוָה. Participium vero ponitur in regimine, pro עֹשֶׂה; nimirum quandoque Participia induunt naturam nominum, ac proinde eorundem imitantur constructionem, vid. ad 28, 1.

25. חִזְקוּ וְיַאֲמֵץ לְבַבְכֶם *Confortamini et roboret sese cor vestrum*, animo forti et intrepido estote. Eandem exhortationem vid. 27, 14., ubi not. cf. כָּל־הַמְיַחֲלִים לַיהוָה *Omnes, qui Jovae confiditis.* Verbum יָחַל proprie est: *exspectavit* aliquid anxie, ut pluviam, Job. 29, 23., hinc saepius de iis dicitur, qui auxilium a Jova exspectant, spem suam in eum posuerunt, veluti Ps. 33, 18. 119, 45. 74. 81.

Ps. 32.

Docet, beatos illos esse, qui peccatorum veniam obtinuerunt, quod probat ex conscientiae terroribus, quibus, dum in peccato esset, urgeretur, affirmans, se a peccatorum poenis sincera con-

fessione esse liberatum, et veniam assequutum. Inde consilium tribuit, ut, qui a malis liber et immunis esse cupiat, sponte ac libenter divinis monitis obsequatur, improbis enim mala, bona bonis Jovam dispensare.

Scriptum esse hoc carmen post veniam impetratam propter adulterium cum Bathseba et caedem Uriae (2 Sam. 12.), interpretum plurimorum est opinio satis probabilis.

1. De nomine מַשְׂכִּיל vid. Prolcg. p. 20. אַשְׁרֵי נְשׂוּי־פֶּשַׁע *Beatitudines absoluti a crimine!* beatus, cui condonatum est crimen. De nomine אשרי ἐπιφωνηματικῶς usurpato vid. ad Ps. I, 1. Verbum נָשָׂא *elevavit*, quandoque, ubi de peccatis dicitur, idem est, ac *condonavit*, vel, reatum aut poenam ab eo qui deliquit, abstulit, removit, veluti Num. 14, 19. נָשָׂאתָ לָעָם הַזֶּה, item Ez. 4, 5. 6. נָשָׂאתָ אֶת־עֲוֹן וגו׳ *abstulisti*, condonasti, *iniquitatem domus Judae.* Cf. Exod. 34, 7. Mich. 7, 18. Hinc Participium Paul נָשׂוּי, quod Jes. 33, 24. reperitur, et נְשׂוּי, mutato א in י, more verborum tertiae radicalis ה (ut frequenter verba quiescentia tertia litera א et tertia litera ה formas suas ex vicissitudine literarum אהוי solent permutare), *condonationem consequutus*, quod utrobique ponitur in regimine, more scilicet nominum, qua ratione et dicitur בְּרוּךְ יְהוָה Gen. 24, 31., בְּזוּי עָם Ps. 22, 7., חֲגֹרַת־שָׂק Joel. 1, 8. Conferenda cum nostra dictione formula illa, qua Davidem absolvit Nathan, 2 Sam. 12, 13. יְהוָה הֶעֱבִיר חַטָּאתְךָ. Oppositum est κρατεῖν, *retinere*, peccata, Joh. 20, 23. Infra Vs. 5. eaedem quae hoc Versu dictiones recurrunt, mutatis tamen personis. כְּסוּי חַטָּאָה *Tecti*, s. operti, *quoad peccata*, qui tegumentum veluti peccatorum est consequutus coram irato Jovae vultu, ne huic scelera ulterius bilem concitent, eumque ad vindictam impellant. Eodem sensu verbum סכה in Piel usurpatur 85, 3.

2. אַשְׁרֵי־אָדָם לֹא יַחְשֹׁב יְהוָה לוֹ עָוֹן *Beatitudines hominis, cui non imputat Jova peccatum.* Est h. l. ellipsis pronominis אשר, ut 4, 8. 7, 16. 9, 16. 16, 4. Verbum חָשַׁב *cogitavit*, cogitando *reputavit*, quandoque cum ל constructum significat aliquid alteri *imputavit*, vel de ipso cogitavit, aut cogitando *annumeravit* (ut Germani ajunt *zurechnen*, et חָשַׁב est *supputavit, numeravit*), ut 2 Sam. 19, 20., ubi Simei ad Davidem: אַל־יַחְשֹׁב־לִי אֲדֹנִי עָוֹן, et mox sequitur phrasis aequipollens, אַל־תִּזְכֹּר, *ne recorderis* etc. Cf. Gen. 15, 6. Sic in Niphal Lev. 7, 18. לֹא יֵחָשֵׁב לוֹ *non imputabitur ei* (offerenti). Jam vero *alicui non imputare peccatum*, est, sic cum eo agere, ac si non peccasset, et, cum commeritus sit poenam, non tamen illum punire, neque exigere, ut poenae postea sit obnoxius. וְאֵין בְּרוּחוֹ רְמִיָּה *Nec in cujus spiritu est dolus*, cujus animus expers est omnis fraudis. רוּחַ h. l. *mens, animus*, ut Dan. 7, 15. Prov. 29, 11. Ille autem, cujus animus *doli* est *expers*, h. l. talis est, qui sincere coram Jova sua exponit delicta; qui non alium se simulat coram Deo ac hominibus, quam

qualis est revera, qui non simulat se innocentem, quum sit malorum sibi conscius. Nomen רְמִיָּה enim significat *dolum*, cum aliud prae se fert externa species, aliud vero reconditum est interius, quomodo v. c. tribuitur linguae, blanda proloquenti verba Job. 13, 7. 27, 4. Ps. 52, 4. Mich. 6, 12.

3. הַיּוֹם — כִּי *Cum conticui, contabuerunt ossa mea rugitu meo toto die*, i. c. ejulatu continuo. Particula כִּי h. l. est adverbium temporis, ut 23, 4. Jud. 20, 22. *quando venient parentes earum.* הֶחֱרַשְׁתִּי *Tacui*, nimirum peccata confiteri nolens. בָּלוּ *Contabuerunt*, vigorem omnem et succum nativum ex moerore diuturno amiserunt. Cf. 22, 16. Verbum בָּלָה, ut consonum verbum Arab., significat *tritus, attritus fuit.* Hinc non de iis tantum, quae *usu ac vetustate attrita veterascunt*, ut vestibus, calceis (v. g. Deut. 8, 4. 29, 5. Jos. 9, 13. Jes. 50, 9. 51, 6.), et aliis (ut de Sara Gen. 18, 12.) vulgo frequentatur, verum etiam de iis, quae *detrita plane absumuntur et intereunt* adhibetur. De *homine putredine absumto* dicitur Job. 13, 28., item de *carne et cute absumta* Thren. 3, 4. עַצְמִי *Ossa mea*, praecipua vitae meae virtus et stabilimen. De שְׁאָגָה cf. 22, 2.

4. כִּי יוֹמָם וָלַיְלָה *Nam die et nocte*, h. e. indesinenter, sine requie, תִּכְבַּד עָלַי יָדֶךָ *gravis est manus tua super me*, castigatio tua, instar gravissimi oneris, me quotidie magis deprimebat. *Manus Jovae* h. l. denotat ejusdem plagas, tanquam ab irato patre aut hero inflictas, cujusmodi metaphora Job. 13, 21. *manum tuam a me elonga.* Cf. Ps. 21, 9. Pergit: נֶהְפַּךְ לְשַׁדִּי בְּחַרְבֹנֵי קָיִץ *eversus est succus* s. humor *meus* tanquam *in siccitatibus aestatis*, succus meus vitalis adeo absumtus est, non aliter atque aestivo tempore diuturnis caloribus exsiccari solent plantae, ut foliis marcescentibus et pendulis miseram prae se ferant speciem. Idem queritur vates 102, 5. coll. Vs. 12. Nomen לֵשַׁד praeter h. l. tantum Num. 11, 8. reperitur (ubi vid. not.). Hoc nostro loco denotat *succum*, ab Arab. لشد *suxit.* Optime Chaldaeus: *eversus est humor*, s. viror *meus siccitate aestiva.* Sed reliqui veteres in alia omnia abeunt. Alex. ita vertit: *ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν, conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina*, ut Vulg. reddidit. Apparet, Graecum interp. נֶהְפָּךְ (*Particip.*) legisse, idque pro אֲנִי נֶהְפָּךְ accepisse, et לְשַׁדִּי pro לְשָׁדִי, a nomine שׁוֹד, quod et Ps. 12, 6. *ταλαιπωρίαν* reddidit, sicut verbum שָׁדַד frequentissime per *ταλαιπωρέω*. Porro quod Alex. pro בְּחַרְבֹנֵי *ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι* posuit, vel ideo fecit, quod בְּחַרְבֹנֵי legendum existimaret, mutuata significatione a nomine חֶרֶב *gladium*, *cultrum*, *lanceam*, aut tale quid linguis Hebraeae affinibus, notante, vel חַרְפּוֹנִי, adscita significatione Syriaca *acuendi*, a nomine חַרְפָּא *acies.* Tandem pro קָיִץ legit קוֹץ, quod ubique exprimit per vocem *ἄκανθα*. Syrus: *volutus est in pectore meo dolor ad occidendum me.* Accepit et is literam ל in לְשַׁדִּי

pro servili, et ipsum nomen idem putavit significare, quod שַׁד vel שׁוּד *uber*, in duali שָׁדַיִם *ubera*. Ceterum videtur Alexandrinum sequutus esse, nisi quod sensum hujus interpretis paullo liberius expresserit.

5. חַטָּאתִי אוֹדִיעֲךָ וַעֲוֹנִי לֹא־כִסִּיתִי *Peccatum meum notum tibi facio, neque operui culpam meam*, אָמַרְתִּי *dixi*, cogitavi mecum, אוֹדֶה עָלַי פְּשָׁעַי לַיהוָה *confitebor Jovae delicta mea*. Verbum יָדָה in Hiphil alias semper fere de laudum divinarum celebratione dicitur, construiturque modo cum nomine nudo, ut אוֹדֶה יְהוָה, Ps. 7, 18. 9, 2., modo per accusativi notam אֵת, ut Gen. 29, 35., modo per partic. לְ, ut Ps. 75, 2., nec non 2 Chr. 7, 3. Ps. 30, 5. De confessione proprii delicti usurpatur praeter hunc locum tantum Prov. 28, 13. *Qui tegit peccata sua, numquam prosperabitur*, וּמוֹדֶה *sed confitens, et derelinquens illa, misericordiam consequetur*. Construitur vero h. l. per Praepos. עָלַי, qua designatur confessionis *objectum*, ut postea *subjectum*, cui fit confessio, notatur praefixo לְ. Alexandrinus pro עָלַי posuit *κατ' ἐμὲ*, *adversus me*, ut Vulgatus reddidit, quasi עָלַי scriptum esset. Sed inaudita Hebraeis loquutio: *confiteri adversus se ipsum peccata*. נָשָׂאתָ עֲוֹן חַטָּאתִי *Abstulisti iniquitatem peccati mei*, h. e. peccatum meum iniquissimum, cujusmodi exaggerationem inferre solet conjunctio synonymorum, cf. 40, 3. Alex. habet: *ἀσέβειαν τῆς καρδίας μου*. Sed vox *καρδίας* librarii haud dubie errori debetur, et reponendum est *ἁμαρτίας*. Illum errorem tamen jam longe olim in graecae versionis codices irrepsisse necesse est, quum et Aethiopicus et Arabicus interpres, qui suas versiones ex Alexandrina fecerunt, *cordis* exprimant.

6. עַל־זֹאת יִתְפַּלֵּל כָּל־חָסִיד אֵלֶיךָ *Propterea-te suppliciter orabunt omnes pii*. Pron. femin. זֹאת neutralem habet sensum, facitque cum praepos. עַל conjunctionem ratiocinativam, *quapropter, propter hanc rem*, quod ego poenitens tam benigne a te fui susceptus. יִתְפַּלֵּל *Orabit supplex* coram te, tanquam judice, gratiam tuam implorando; nam הִתְפַּלֵּל vocabulum est juridicum, cum quis pronus quasi coram *judice* פְּלִילִי, procidit, ejusque gratiam implorat, semper vero de precibus ad Deum usurpatur (Ps. 5, 3. 1 Sam. 2, 25. Dan. 9, 4.). לְעֵת מְצֹא *Tempore inveniendi*, i. e. cum tu temet inveniendum praebes, ut exaudias preces eorum. Alii: tempore gratiae, dum adhuc inveniendum te praebes quaerentibus. רַק לְשֶׁטֶף מַיִם רַבִּים *Sane inundationem aquarum magnarum quod attinet* (ita praefixum לְ etiam usurpatur Ps. 16, 3., ubi vid. not.), h. e. quando infortunia vel afflictiones vehementes ingravescent. Particula רַק hic valet *certo, profecto*, ut Gen. 20, 11. Deut. 4, 6. et aliis locis. Per *aquas* innuuntur pericula subita, rapida, evasionem praecludentia, quaeque aliquem insperato et penitus absumere minantur, vid. Ps. 18, 17. 66, 12. 69, 1. 2. Jes. 28, 2. Ez. 26, 19. Nomen שֶׁטֶף denotat *inundationem* subitam ac vehe-

mentem, ut Nah. 1, 8.: Jova iratus בְּשִׁטֶּפֶת *inundatione consummationem faciet loci ejus.* Cf. Job. 38, 25. Prov. 27, 4. Dan. 9, 27. — אֵלָיו לֹא יִגַּיעַ *Ad eum non pertingent;* si ad Jovam confugerit pius ejus cultor, non modo non punietur ob peccata, quae imprudens commiserit, sed, etiamsi orbis diluvio quasi calamitatum inundaretur, liber tamen ipsemet evadet, tanquam in rupe inaccessa collocatus.

7. אַתָּה סֵתֶר לִי *Tu latibulum mihi* es, parem mihi praestas ab omnibus adversitatibus immunitatem, qualem ab aestu solis vel impetu irruentium turbinum, imbrium aut aquarum praestat סֵתֶר, *latibulum*, contra ejusmodi tempestates probe communitum, cf. ad 27, 5. מִצַּר *Ab hoste*, vel hostili angustia, utrumque enim hoc nomine exprimitur. תִּצְּרֵנִי *Custodis me*, ne mihi, qui protectioni tuae, ceu asylo, confido, vim queat aliquis inferre, sive qua corpus, sive qua animam, famam aut bona cetera. Nota paronomasiam in *mizzar tizzereni;* cf. 26, 16. Alexandrinus: σύ μου εἶ καταφυγὴ ἀπὸ θλίψεως τῆς περιεχούσης με, *tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me*, ut Vulgatus reddidit, contra interpunctionem Hebraeam, ubi Sarka primam facit incisionem: *tu refugium mihi es*, hinc sequitur demum: *ab hoste me custodis.* Pro תִּצְּרֵנִי vero Alexandrinus enunciavit תְּצָרֵנִי, a צוּר *pressit.* רָנֵּי פַלֵּט תְּסוֹבְבֵנִי *Cantionibus* s. jubilis *liberationis circumdas me*, auxilium mihi exhibendo, copiosam simul suggeris undiquaque materiam, pluribus te concelebrandi jubilis ac hymnis. Vel: ferendo opem singularem, facis, ut gratulationibus populi jubilantis saluter. Forma nominis רָנֵּי pluralis nusquam alias in V. T. reperitur; singularis ad praeceptum regulae esset רֹן *jubilum*, a רָנַן *jubilavit*, Ps. 5, 12. Convenit cum רִנָּה *cantus*, 100, 2. 63, 6. *Jubila* vero פַּלֵּט *liberationis*, sunt talia, quae liberationem e magno periculo sequi solent. Infinitivus *Piel* hic iterum induit naturam nominis, ut מִצָּא Vs. 6. Sensus: gaudiis, quibus gaudere solent e manibus hostium elapsi, me afficeis. Alexandrinus: τὸ ἀγαλλίαμά μου λύτρωσαί με ἀπὸ τῶν κυκλωσάντων με, quod Vulgatus reddidit: *exultatio mea, erue me a circumdantibus me*, ac si in Hebraeo hoc modo scriptum esset: רָנִּי פַלְּטֵנִי מְסוֹבְבֵנִי. Sed nostrum textum bene expressit Chaldaeus: *exultatione evasionis me circumdas.* Dehinc, interposita pausa, סֶלָה (vid. Proleg. p. 21.), ad aliam formam sermonis transit, et benevoli monitoris personam assumit.

8. אַשְׂכִּילְךָ *Erudiam te*, sc. peccatorem, qui in pari mecum haerens impoenitentiae periculo, non vis ad Deum humiliter confitendo appropinquare. Loqui videtur David hoc loco tanquam de venia jam certus, adeoque, gratitudinis loco, a Deo benigno se convertit ad proximum, cujus se informatorem constituit, quod patet inter cetera ex loco parallelo Ps. 51, 15., ubi in simili poenitentiali Psalmo informaturum se dicit praevaricantes. Minus

commode proinde alii haec dici censent in persona Dei ipsius. וְאוֹרְךָ בְּדֶרֶךְ־זוּ תֵּלֵךְ *Et monstrabo tibi viam, quo ambules*, vid. ad 25, 8. 12. זוּ h. l. *illa, quam*, pronomen enim hoc demonstrativum quandoque inclusum gestare relativum, vel pro eo poni, monuimus ad 31, 5. — אִיעֲצָה עָלֶיךָ עֵינִי *Consulam* tibi et ponam *super te oculum meum*, ipse dispiciam, quid tibi conducat, quo iter tuum dirigas. Verbum יָעַץ cum עַל junctum alias *adversum* s. *inimicum consilium* denotat, quod contra aliquem capitur (2 Sam. 17, 21. Jes. 7, 5. 19, 17. 23, 8. Jer. 49, 30. Ps. 83, 4.); sed h. l. illo verbo includitur significatio verbi שׂוּם *posuit*, et verba ita sunt accipienda, ac si plene sic esset scriptum: אִיעֲצָה וְאָשִׂים עָלֶיךָ עֵינִי. Verbum שׂוּם latet in praepositione עַל, qua quidem constructione praegnante (vid. ad 9, 14. 18, 43.) nil usitatius est apud Hebraeos. Ita Ex. 27, 20. Num. 19, 2. *praecipe Israelitis* וְיִקְחוּ אֵלֶיךָ *ut sumant* (et *adducant*) *ad te*, ubi *adducendi* significatio in praepositione אֶל latet. Cf. 2 Chr. 32, 1. Jes. 7, 6. Jer. 41, 7. *jugulavit eos* et projecit (Vs. 9.) *in foveam*. Nostri loci sensum recte expressit Chaldaeus: *consulam tibi et ponam super te benigne oculum meum*, h. e. benigne te respiciam, tui curam geram. Id enim denotatur loquutione: *oculum super aliquem ponere*. Plena phrasis exstat Gen. 44, 21., ubi Josephus de Benjamine: אָשִׂימָה עֵינִי עָלָיו. Jer. 24, 6. Jova Israelitis promittit: וְשַׂמְתִּי עֵינִי עֲלֵיהֶם לְטוֹבָה *benigne eos respiciam*. Et Jer. 40, 4. Nebusaradan prophetae dicit: *veni mecum Babylonem*, וְאָשִׂים אֶת־עֵינִי עָלֶיךָ *tui curam geram*. Alexandrinus reddidit: ἐπιστηριῶ ἐπὶ σὲ τοὺς ὀφθαλμούς μου, *firmabo super te oculos meos*, ut Vulgatus vertit. Vocis אִיעֲצָה radicem fecit עָצָה.

9. אַל־תִּהְיוּ כְּסוּס כְּפֶרֶד *Ne sitis instar equi, instar muli*, vos peccatores, quos criminum admissorum non poenitet. Est hic enallage numeri; praecesserat enim singularis, sequitur pluralis; cf. ad 2, 6. coll. 14, 1. al. Praeterea h. l. est asyndeton, quale 35, 14. כְּרֵעַ כְּאָח לִי. Cum *equis* autem et *mulis*, qui nonnumquam recalcitrant, et vix domari possunt, pecta comparat homines ferocientes, qui negligunt suum herum, Deum, neque ei obtemperare et parere volunt. אֵין הָבִין Quibus *non est intellectus*, qui ratione carent, atque recti et honesti nullum habent sensum, admonitionibus nullum relinquunt locum. Infinitivus, הָבִין, nominis vicem h. l. gerit (ut Vs. 6. מְצֹא, et Vs. 7. פַּלֵּט), ac si scriptum esset: אֵין בִּינָה לָהֶם; deesse enim pronomen relativum, per se patet. בְּמֶתֶג־וָרֶסֶן עֶדְיוֹ לֶבְלוֹם Qui *cum freno et capistro, ejus ornatu constringi*, sive *obturari debet*, h. e. apparatus talium brutorum semper secum habere necesse est dura frena aut lupata, quibus os probe constringendum, ut facilior sit horum subjugatio. עֶדְיוֹ *Ornatus* h. l. significat omnem illum apparatum, quo equi aut muli instruuntur, ephippia, lora, clitellas, tegmina, in quo ornatu tamen numquam deesse debent et ea instrumenta, quibus ferox

illorum brutorum natura domari possit, hoc est *frenum*, מֶתֶג (vid. Prov. 26, 3. 2 Reg. 19, 28. Jes. 37, 29.), et *capistrum*, רֶסֶן, quod alii *lupatum* vertunt, minus recte. Cognatum verbum Arab. est: *capistro*, sive *fune*, *qui naso incumbit*, *constrinxit equum.* Exstat praeter h. l. Job. 30, 11. 41, 4. Jes. 30, 28. — לִבְלוֹם *Constringendum est*, sc. os, alioquin mordens, quippe equus non modo non obsequitur, sed et trahere volentem mordendo vel calcitrando laedit. Verbum בָּלַם *ligavit*, ἅπαξ λεγόμενον, soli sub hac significatione habent Aramaei, Arabes sub aliis. *Ligandi* generalem significationem, huic loco egregie aptam, confirmat Syriasmus, cui verbum בלם est *obligare os* bovis triturantis (Deut. 25, 4.), indeque *ad silentium redigere*, Marc. 1, 25. in Philoxeniana versione, nomenque בלמא pro *freno labiis indito* ponitur 2 Reg. 19, 28. Jes. 37, 29., itemque pro חַח *annulo per nasum cameli aut bubali trajecto*, Ez. 19, 4. לְ Infinitivo praemissum hic ut alias haud raro, *debitum* exprimit, ut Jer. 51, 49. גַּם־בָּבֶל לִנְפֹּל *etiam Babel debet cadere.* Vid. et Jes. 5, 4. Hos. 9, 13. בַּל קָרוֹב אֵלֶיךָ *In non appropinquando ad te*, quando non appropinquare vult ad te, renititur tibi. Est ante בַּל praefixum ב subaudiendum, quod ante ב saepe omittitur: *ob*, vel *in non* accedere, i. e. *dum*, vel, *quod non accedunt ad te.* Alii, ut Kimchi, Aben-Esra, aliique, e recentioribus quoque nonnulli, praefixum לְ ante בַּל omissum putant, atque phrasin לְבַל־קָרַב explicant: *ne appropinquet ad te*, laedendi causa. Addunt, hoc modo Infinitivum per enallagen poni pro Futuro, quum alias particula בַּל Infinitivo non soleat praeponi. Sed prior sensus magis convenit cum scopo vatis, qui est, suadere obsequentem appropinquationem ad Deum; vocula בַּל autem saepe tantumdem valet ac בְּלִי, *absque*, et fortius negat, veluti Jes. 43, 17. *jacebunt*, בַּל־יָקוּמוּ *nequaquam resurgent*, vid. Ps. 30, 7. Prov. 23, 7. 35. Atque sic et hoc loco: quibus os constringere cogeris quum nequaquam appropinquare vult ad te. Frenum praeterea et capistrum equorum mulorumque ori non tam in hunc finem induuntur, ne mordeant, quam ut regi et domari possint. Ceterum אֵלֶיךָ impersonaliter dictum esse, vix est, quod moneamus. Praeterimus aliorum sententias, qui sine necessitate hunc Versum aliter explicant, verba vel diversa, ac Masorethae fecerunt, ratione distinguendo, vel vocibus quibusdam novas significationes affingendo. Sic c. g. MICHAELIS, Syrum sequutus, verba: במתג ורסן עדיו לבלום reddit: *quorum juventus freno et capistro coërcenda est.* Contra Chaldaeus eodem, quo nos, sensu vertit: *cum freno et capistro apparatus ejus ad constringendum, simulac non appropinquat ad te.*

10. רַבִּים מַכְאוֹבִים לָרָשָׁע *Multi dolores impio*, multis doloribus impius excruciatur, partim in animo, conscientiae morsibus, partim in corpore, poenis a Deo vindice immissis. וְהַבּוֹטֵחַ בַּיהוָה חֶסֶד יְסוֹבְבֶנּוּ *Sed sperantem in Jovam gratia cinget. Sperans*

in Jovam h. l. significat hominem, qui quum a Jova solo omnia bona exspectet, omnem impietatem aversatur. *Fiducia* in Jovam igitur per synecdochen totum complectitur ejus cultum, quemadmodum alias *timor Jovae.* Nominativus הַבּוֹטֵחַ hic rationem habet membri integri, q. d. *sperantem in Jovam* quod attinet, *gratia complectetur ipsum*, vel affixum redundat, cujus constructionis exempla vidimus Ps. 10, 5. 14. 11, 4.

11. שִׂמְחוּ בַיהוָה *Laetamini de Jova*, patrono et protectore vestro, de cujus gratia certi estis. וְגִילוּ צַדִּיקִים *Et exultate, probi!* gaudio scilicet insigni, ubi non tantum cor internum hilaritate repletum est, verum et externa corporis membra laetabundis gestibus eandem exprimunt. וְהַרְנִינוּ *Et cantate*, Dei tam gratiosi et mirabilis laudes hymnis depraedicando. Verbum רָנַן (de quo vid. 33, 1.) in Hiphil quandoque est transitivum, ut Job. 29, 13. *cor viduae* אַרְנִין *cantare faciebam;* cf. Ps. 65, 9. Aliquando tamen significationem conjugationis Cal retinet, ut Deut. 32, 43. *celebrant gentes populum ejus;* nec non Ps. 81, 2. Sic כָּרַת et הִכְרִית est *exscidit;* בָּזָה et הִבְזָה *contemsit.* כָּל־יִשְׁרֵי־לֵב *Omnes recti corde*, h. e. qui sincere Deum colitis, non animo duplici vel fucato; opponuntur hi illis, *in quorum corde dolus*, supra.

Ps. 33.

Hymnus est, qui celebrat laudes Jovae Opt. Max. Principio poeta pios homines hortatur ad Jovam laudibus celebrandum, Vs. 1—3. Deinde exhortationis suae rationes reddit, easque potissimum petitas ex consideratione naturae Dei ipsius, et ex virtutibus ejus, fidelitate, justitia, bonitate, Vs. 4. 5. Inde traducit animum ad contemplationem potentiae Numinis, quae laudum uberem materiam, timoris atque reverentiae causam apertam ac vehementem suppeditat. Potentiae autem illius argumentum ducit ex creatione rerum, quae solo verbo Dei facta est. Versu 10. et 11. de providentia Dei disserere incipit, et ejus consilia cum consiliis hominum comparat, ac divinis quidem immotae firmitatis laudem tribuit, humanorum vero, cum ea Deo dissipare libet, vanitatem et imbecillitatem ostendit. Postea paullo de eadem providentia specialius tractat, eum quatenus versatur in procuratione hominum generatim, tum quatenus singularem quandam curam eorum suscipit qui in Deo fiduciam suam colloeant; atque id persequitur usque ad Versum 19. Denique profitetur, et reliquos pios populi Israelitici esse in eo numero, quocirca sperat, omnia bona sibi obventura esse ex bonitate Dei, cujus beneficia vehementer exposcit. Ceterum hic Psalmus ita planus est per se, ut prorsus supervacaneum videatur, auctorem atque occasionem illius propriam quaerere.

1. רַנְּנוּ צַדִּיקִים בַּיהוָה *Canite, o boni, Jovam.* Verb. רָנַן est *fortiter exclamavit*, sive ex tripudio, gratulatione et laude, sive ex moerore. De *luctu* usurpatur Thr. 2, 19., de *laude* vero

ac *jubilis* laetantium Jes. 65, 14. Zeph. 3, 14., de coelis laetantibus Jes. 49, 13., cf. Job. 38, 7. Unde et Alexandrini reddiderunt modo *εὐφραίνομαι*, *χαίρω*, *laetor*, *γαυριάω*, *glorior* (Job. 39, 23.), modo *ἀγαλλιάω*, ut hoc loco. בַּיהוָה Chaldaeus recte vertit *coram Jova*, particula ב enim haud raro *coram* interpretanda est (utpote quae determinat objectum actionis, ad quod dirigitur, ut eandem *in* se recipiat), veluti 2 Reg. 4, 16. *ne mentiaris* בְּשִׁפְחָתֶךָ *coram ancilla tua;* Zach. 3, 6. וַיָּעַד מַלְאַךְ יְהוָה *et testatus est angelus Jovae* בִּיהוֹשֻׁעַ *coram Josua.* לַיְשָׁרִים נָאוָה תְהִלָּה *Rectos decet laudatio. Recti* sunt illi, qui Jovam animo sincero colunt, qui 32, 11. יִשְׁרֵי־לֵב dicuntur.

2. הוֹדוּ לַיהוָה בְּכִנּוֹר *Celebrate Jovam cum cithara*, ut tanto gratior auribus hominum fiat haec celebratio, ut eo potentius etiam spiritus in auditoribus excitentur, adhibete insuper instrumenta musica, quale est כִּנּוֹר, quod nomen cum ipsa re, instrumento musico Asiatico, in Graecam linguam receptum: *κινύρα*. Sic et vertere solent Alexandrini in libris Regum ac Nehemiae; in aliis, Jobo, Psalmis, Jesaja, plerumque *κιθάραν*, quae synonyma sunt. Pro chordis fila olim ex lino fuerunt, hinc et nomen dictum videtur, a Syriaco כנרא *cannabis;* cannabinis forte filis Asia primum usa. Utroque nomine נֵבֶל עָשׂוֹר non unum instrumentum significatur; nam distincta haec fuisse instrumenta, נֵבֶל et עָשׂוֹר, constat ex Ps. 92, 4., ubi dicitur: עֲלֵי־עָשׂוֹר וַעֲלֵי־נָבֶל. Itaque quod hic נבל עשור ponitur, asyndeton est, quale observavimus 32, 9., et quale in his ipsis nominibus occurrit 144, 9. Atque נֵבֶל quidem *utris* figuram habuisse, non sine veri similitudine colligunt ex ipso nomine, quod *utrem* significat; chordis vero instructum fuisse, asserit Josephus *Antiqq.* VII, 12, 3. Et plura hujusmodi instrumenta musica, quibus utraque haec nota convenit, tam apud Graecos memorata, quam hodienum ab illis, qui regiones australes invisere, descripta reperiuntur. Plura vid. in A. F. Pfeifferi libro *de veterum Hebraeorum re musica*, vernacule scripto (Erlang. 1779. 4.) p. 26. sqq. עָשׂוֹר nomen est numerale, significans *decem;* ter tamen accipitur pro instrumento musico, Ps. 92, 4. 144, 9. et hoc loco. עשור vero a נבל ita differre existimant, ut hoc duodecim, illud decem chordis instructum fuerit.

3. שִׁירוּ־לוֹ שִׁיר חָדָשׁ *Canite ei canticum novum*, i. e. admirabile, non adhuc auditum, insolitum, interpretantur. Cf. 96, 3. 149, 1. הֵיטִיבוּ נַגֵּן *Benefacite pulsare*, h. e. bene, suaviter et diligenter pulsate. Prius verbum adverbii naturam induit, ut Hos. 11, 9. *redibo ad perdendum*, h. e. iterum perdam. Referendum huc 1 Sam. 16, 18. *vir benefaciens pulsando*, pro, optime pulsans. בִּתְרוּעָה *Cum clangore*, h. e. ut dulcis ille sonus audiatur eminus, tantoque magis afficiat allieiatque audientes. Cf. de תרועה Ps. 27, 6. Alex. *καλῶς ψάλατε ἐν ἀλαλαγμῷ*, *bene psallite ei in vociferatione*, ut Vulgatus vertit. *Vociferationem* autem intel-

lexisse videtur populi acclamantis et respondentis sonum (id enim proprie significat ἀλαλαγμὸς), cum illud benc psallere et scite citharam pulsare, cantorum esset. Exemplum hilaritatis hujusmodi sonorae ac devotae est Esrae 3, 10. 11. sqq.

4. כִּי־יָשָׁר דְּבַר־יְהוָה *Nam rectum est verbum Jovae.* דְּבַר־יְהוָה Aben-Esra et Kimchi interpretantur *decreta Dei*, quibus orbem administrat, quaeque tanquam principis edicta Angelorum ministerio perficiuntur. Alii *verbum Dei* ejus responsa et oracula interpretantur, in quibus perversum et iniquum nihil est. וְכָל־מַעֲשֵׂהוּ *Et omne opus ejus*, omnis agendi ratio, qua cum hominibus versari solet, est בֶּאֱמוּנָה *in veritate*, convenit cum ejus promissionibus aut comminationibus, caret omni fraude et dolo. Deut. 32, 4. Ps. 145, 17.

5. אֹהֵב צְדָקָה וּמִשְׁפָּט *Diligit justitiam et judicium*, h. e. exequutionem sententiae justae, reddentis cuique, nullo personarum respectu habito, juxta merita, sive bona, sive mala. Sic haec vox accipitur Jes. 59, 11. *exspectavimus* משפט *et non est*, et Vs. 7. *elongavit se* משפט *a nobis.* Vel צדקה *justitia*, sumitur pro eo judicis officio, quo innocuos absolvit, et juris beneficia iisdem impertitur, משפט *judicium*, vero pro reorum condemnatione et poena, ut 2 Sam. 8, 15. *exercuit Davides judicium et justitiam omni populo.* Possit tamen per ἐν διὰ δυοῖν *justitia et judicium* exponi *judicium justum*, ut Jer. 22, 3. *facite* משפט וצדקה *judicium justum.* Ejusdem generis ἐν διὰ δυοῖν est Ps. 66, 20. חֶסֶד יְהוָה מָלְאָה הָאָרֶץ *Gratia Jovae repleta est terra*, summae Jovae beneficentiae manifesta ubique monumenta deprehenduntur (cf. 104, 24.), quomodo simili phrasi, sed in sensum contrarium dicitur Gen. 6, 13. *terra plena est violentia;* Ez. 7, 23. *terra repleta est sanguinariis judiciis.* Cf. Jes. 11, 9. Jer. 23, 10.

6. בִּדְבַר — צְבָאָם *Verbo Jovae facti sunt coeli, et spiritu oris ejus omnis illorum exercitus.* דְּבַר יְהוָה et רוּחַ פִּיו unum idemque significant, nempe jussum aut mandatum Dei, quo vult ut aliquid fiat. Sic Jes. 11, 4. *spiritus labiorum ejus* dicitur, et 55, 11. *quidquid ex ore Dei egreditur.* Cf. Matth. 4, 4. *Exercitus* vero *coelorum* sunt astra et stellae, quae instar acici instructissimae procedunt singulis diebus, sub solis et lunae, tanquam ducum, moderamine, Gen. 1, 16. De צָבָא vid. Ps. 24, 10.

7. כֹּנֵס כַּנֵּד מֵי הַיָּם *Colligit quasi cumulum aquas maris*, immensam diffusamque aquae multitudinem rediqendo in locum unum, quum antea toti terrae superficiei undique esset superinfusa, vid Gen. 1, 9. כָּנַס est *congerere* aliquid, sive *congregare* rem dispersam in locum unum, v. c. lapides Coh. 3, 5. (ubi opponitur dispersioni), aurum et argentum 2, 8.; Judaeos Esth. 4, 16. Nomen נֵד convenit cum Arab. נד *collis cumulusve in altum assurgens*, unde Jes. 17, 11. de acervo frugum messarum dicitur. Etenim mare eminus prospicientibus altum videtur et tumidum, ac

tanquam aliquis tumulus, aut fluctuans collis aquae. Veteres omnes raro consensu *utrem* reddunt, ac si נאד (Jud. 4, 19. 9, 4. 14. 1 Sam. 16, 20.) in Hebraeo scriptum esset. Etenim Alexandrinus: *συνάγων ὡσεὶ ἀσκὸν ὕδατα*· Vulgatus: *congregans sicut in utrem aquas maris;* item Symmachus, Chaldaeus et Syrus. Atque lectio נאד recentiorum quoque nonnullis convenientior videtur, quum sequatur: *et dat abyssos in thesauris.* Sed נד *cumulus* aptissime convenit, et quoad sensum (convenienter enim dicitur Deus *congregare aquas maris* in locum sc. unum, *sicut acervum*, in suos alveos), et quoad stylum scripturae, quia alibi haec phrasis etiam occurrit. Vid. Ps. 78, 13. coll. Exod. 15, 8. Jos. 3, 13. 16. — נֹתֵן בְּאוֹצָרוֹת תְּהוֹמוֹת *Reponit tanquam in receptaculo fluctus.* נֹתֵן *dans*, h. l. colloeans, reponens; verba enim שׂוּם, שׁוּת, נָתַן, promiscue apud Hebraeos usurpari solent. אוֹצָר *thesaurus*, sumitur tam pro bonis, repositis in usus futuros, ut 1 Reg. 14, 26. 2 Reg. 24, 13.; quam pro receptaculo ejusmodi pretiosorum, in quod bona omnis generis reconduntur, pro cellis, horreis, veluti Ez. 28, 4. Joel. 1, 17. Atque ea notione אוצר etiam h. l. est accipiendum, nempe pro vastis illis terrae voraginibus, in quibus tanta aquarum copia a Jova asservatur recondita, ut illinc exire nequeat, nec umquam fundus hujusmodi receptaculi immensi patefiat oculis humanis.

8. יִירְאוּ מֵיהוָה כָּל־הָאָרֶץ *Timeant Jovam omnis terra*, omnes omnium regionum incolae, numini tam potenti omnem cultum merito referre tenentur. Verbum יָרֵא *timuit*, generatim quandoque complectitur omnem Deo debitum cultum, et quae ab eodem dependent, cujus synecdochicae loquutionis exempla sunt 34, 12. Jes. 29, 13. 2 Reg. 17, 28. Jon. 1, 9. מִמֶּנּוּ יָגוּרוּ כָּל־יֹשְׁבֵי חֵבֵל *Revereantur eum omnes incolae orbis.* De גּוּר, cum מ post se habet, vid. Ps. 22, 24. De חֵבֶל et אֶרֶץ vid. Ps. 24, 1.

9. כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי *Nam ipse dixit, et factum est*, quum tanta hujus numinis sit potestas, ut ad solum ejus jussum mox exsisterent omnia, merito etiam homines talem huic domino suo obedientiam et cultum exhibebunt, ut ejus praeceptis obtemperent. Respiceri videtur vates his verbis Gen. 1, 3. 7. 8. 9. 11. 14. 20., ubi continuo וַיֹּאמֶר et וַיְהִי, *dixit*, *et factum est*, se mutuo solent excipere. הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד *Jussit ipse et stetit*, exstitit illud, quod fieri jussit. Verbo autem *standi* videtur exprimere promtam rerum creatarum obsequutionem, quomodo ministri jussa alicujus promte exequuturi dicuntur עמד, *stare*, ut Joseph coram Pharaone Gen. 41, 46., pueri coram rege Babyloniae Dan. 1, 5. Repetitur eadem sententia, quae priore hemistichio expressa erat, verbis paulo fortioribus; nam plus est *jubere* (צִוָּה), quam nude *dicere*, et plus est *consistere*, nempe promte ad obsequendum, quam *esse*.

10. יְהוָה הֵפִיר עֲצַת־גּוֹיִם *Jova irritum facit consilium gentium*, consilia eorum, licet callidissima et prudenter excogitata,

sperato frustratur successu. עֵצָה h. l. *consilium fastuosum.* Praeteritum הֵפִיר h. l. irritum *facere solet* interpretandum est, ut Ps. 1, 1., ubi vid. not. פּוּר *disrumpi*, in Hiphil est *disrumpere* aliquid, *invalidum et inutile reddere*, *invertere*, quomodo v. g. aliquis irritum facit foedus Jes. 33, 8., mandatum, negligendo id ipsum, Num. 15, 31., votum, illud revocando Num. 30, 9. Cf. 2 Sam. 15, 34. 17, 14. הֵנִיא מַחְשְׁבוֹת עַמִּים *Infringit cogitationes populorum.* נוּא, in Hiphil tantum usitatum, significat, institutum aliquod *facere irritum*, quomodo v. g. pater irritum potest reddere filiae votum, Num. 30, 6. 9. 12. Sic ibid. 32, 7. (coll. Vs. 9.) *quare* תְּנִיאוּן *irritum reddetis propositum Israelitarum, ne transeant?* In Alexandrina versione additum est: *καὶ ἀθετεῖ βουλὰς ἀρχόντων*, quod additamentum nulli Codd. hebraei agnoscunt, quare videtur irreptitium esse.

11. עֲצַת יְהוָה לְעוֹלָם תַּעֲמֹד *Consilium Jovae perpetuo stabit*, decreta ejus quaelibet immutabilia permanent, eventus respondent consiliis certissime, quidquid modo fieri vult, non potest ab ullo homine inhiberi vel irritum reddi. Verbo עָמַד h. l. innuitur constantia immobilis, qua aliquid subverti aut loco moveri nequit. Sic Coh. 1, 4. *terra* et 2, 9. *sapientia* dicuntur *stare.* מַחְשְׁבוֹת לִבּוֹ לְדֹר וָדֹר *Cogitationes cordis ejus*, quaecunque secum statuit, *stabunt* (hoc enim verbum ex priori hemistichio est repetendum, ut 17, 9. *abscondas me* ex Vs. 8., et Vs. 14. *eripe* ex Vs. 13.) *in generationes et generationes*, h. e. per infinitas generationes, sibi invicem succedentes, sive, durant ab una generatione ad aliam, quando una generatio abiit, et nova venit, stant tamen adhuc Dei decreta. Similem phrasin vid. 10, 6. Cf. Coh. 1, 4.

12. אַשְׁרֵי — אֱלֹהָיו *Felicia* (vid. 1, 1.) *illius gentis, cujus Deus est Jova*, quae non Molochum, Camos, Astharotam, sed Jovam, coeli et terrae conditorem, agnoscit pro uno et vero numine, et quam vicissim Jova protegit, seque tanquam illius Deum gerit. Opponit vates populum Israeliticum reliquis gentibus, quarum dii sunt fictitii. Cf. Gen. 17, 7. Ps. 65, 5. 144, 15. Ceterum observanda tironibus constructio relativi אשר, cui subjungi solet affixum pleonasticum, ubi relativum ipsum poni debet in casu obliquo, v. g. *quorum os*, dicitur Hebraice: *quorum os illorum*, אֲשֶׁר פִּיהֶם Ps. 144, 8.; אֲשֶׁר אֵלָיו *quem ad eum*, ad quem, Jer. 1, 2. Sic et h. l. redundat latino interpreti posterius affixum *(ejus).* הָעָם בָּחַר לְנַחֲלָה לוֹ *Et populus*, sc. beatus est (repet. אשרי, et post הָעָם subaud. אשר), *quem elegit sibi in haereditatem*, quem peculiari modo amat, tuetur, auget, quemadmodum aliquis bona haereditario accepta solet studiose curare iisque praeesse. Vid. ad Ps. 28, 9.

13. Dixit, quanta sit Jovae potentia, nunc ad illius scientiam et providentiam transit. מִשָּׁמַיִם וגו׳ *De coelo intuetur Jova et adspicit homines.* In coelo, tanquam in alta regia sedens indu-

citur Jova; non opus habet, ut modo hunc, mox alterum singulatim inspiceret, ac visionem notitiamque suam pro diversitate rerum, quae inspiciendae sunt, divideret, sed uno obtutu omnes et singulos intuetur, ut nihil esset in singulis, quod unicum illius adspectum fugeret.

14. מִמְּכוֹן — הָאָרֶץ *De sede habitationis suae prospicit ad omnes incolas terrae.* מָכוֹן est *locus* vel *sedes parata et firmiter stabilita* (a כוּן *parare, stabilire*), sic templum vocatur מכון Ex. 15, 17. 1 Reg. 8, 13. Jes. 4, 5., coelum 1 Reg. 8, 39. 43. 49. 2 Chr. 6, 33. 39. — שִׁבְתּוֹ *habitationis suae*, h. e. ubi certam fixamque habet sedem, numquam illine receedens. Metaphora iterum est petita a regibus, qui in palatio certam ac peculiarem sedem figere solent. Vox autem שֶׁבֶת proprie est Infinitivus verbi יָשַׁב, et saepius usurpatur nominis instar (1 Reg. 10, 19. Obad. Vs. 19.), sicut דַּעַת est *scire* et *scientia*. Verbum הִשְׁגִּיחַ praeter h. l. tantum habetur Cant. 2, 9. de sponso *prospiciente* per fenestras, et ostendente se per cancellos; et Jes. 14, 16. *qui te vident* (in orcum descendentem) *contemplabuntur te;* ex quo posteriore loco colligi possit, verbum hoc plus significare, quam simpliciter *videre*, nempe, accurate, cum cura et diligentia aliquid considerare. In locis nostro parallelis, Ps. 14, 2. 53, 2. pro השגיח positum est הִשְׁקִיף, *deorsum prospexit*, qui ipse significatus et tribus illis locis optime convenit.

15. הַיֹּצֵר יַחַד לִבָּם *Ipse omnium pariter corda finxit.* Causam addit his verbis rerum humanarum scientiae, qua Jova pollet. Quandoquidem enim fictor cordis humani est ipse, quid illum non operum modo, sed et cogitationum hominis lateret? Simile habet Ps. 94, 9. Cf. Zach. 12, 1. יַחַד *pariter*, nullo excepto, ut 62, 10. הַמֵּבִין אֶל־כָּל־מַעֲשֵׂיהֶם *Attendens omnia eorum opera*, nimirum quoad omnes rationes, causas, effecta. Etenim verbo בּוּן *intelligere*, designatur cognitio accurata, ubi quis non simpliciter videt, verum etiam *intelligit*, de cujusque facti ratione et consilio judicare potest. Construetum cum אֶל significat *attendere*, ut 28, 5.

16. In iis, quae sequuntur, spem hominum opibus, copiis, viribus confidentium vanam esse, eamque in solo Jova collocandam docet. אֵין הַמֶּלֶךְ נוֹשָׁע בְּרֹב־חָיִל *Nullus rex servatur multo robore.* נושע *salvatus*, h. e. periculis se suumve regnum eripere, inque felicem augustumve statum collocare, inibique conservare potest; haec enim omnia verbo יָשַׁע comprehenduntur, ut patet ex 3, 8. 7, 2, 22, 22. 86, 2. בְּרֹב־חיל *in multitudine roboris*, per multum suum robur, aut magnas ejus vires. חַיִל denotat in genere *vires*, quibus aliquis prae alio pollet, sive sint vires mentis, ut virtutes, sive corporis, sive bona fortunae, ut Zeph. 1, 13. Obad. Vs. 13. Mich. 4, 13. Ps. 49, 7. 73, 12. Quare et h. l. comprehenduntur omnis generis praesidia, quibus confidere solent reges,

ut sunt aerarium amplum, armamentaria instructa, copiae numerosae, munitiones et propugnacula invicta. גִּבּוֹר לֹא־יִנָּצֵל בְּרֹב־כֹּחַ *Heros non eripitur* periculis, vel discrimine, quod ipsi imminet, *multo robore*. גִּבּוֹר (a גָּבַר) *heros*, qui scil. aliis praevalet robore. Adjective usurpatur Ps. 24, 8. Cf. Dan. 11, 3. 1 Sam. 14, 54. Gen. 10, 8. 9. Jud. 6, 12. 11, 1.

17. שֶׁקֶר הַסּוּס לִתְשׁוּעָה *Falsitas ad salutem est equus*, h. e. equus ad opitulandum plane est impotens, ita ut vehementer fallatur ille, qui in multitudine equorum, seu equestri exercitu confidit. Abstractum *falsitas*, pro concreto *fallax*, exprimit *superlativum*, quasi dicatur, summopere fallitur, qui robur aliquod invictum in equis sibi polliceatur. Sic homo appellatur הֶבֶל, vid. 39, 6. coll. 5, 10. 19, 10. 22, 7. 31, 12. Et gratia, vel externa morum venustas dicitur שֶׁקֶר *falsitas*, vel *fallax*, Prov. 31, 30. *Equus* collective intelligendum de equorum in exercitu copia, quibus tum pro equitibus, tum pro curribus bellicis vehendis utebantur. לתשועה *ad salutem*, h. e. ut salvus aliquis evadat e periculo ab hostibus imminente, non juvabitur equitum numero, vel equi, quo ipsemet portatur, velocitate aut robore. Nomen hoc descendit a יָשַׁע *salvavit*, ita tamen, ut ratione formae radix potius videatur שׁוּע, cum alias litera servilis ת ob sequentem primam radicalem Jod, quae h. l. plane deest, non posset habere Schva, sed vocalem requireret longam. Ita et verba חוּל et יָחַל *exspectavit*, טוּב et יָטַב *bonus fuit*, סוּד et יָסַד *fundavit*, confundere solent formas. וּבְרֹב חֵילוֹ לֹא יְמַלֵּט *Nec multitudine virium suarum eripiet equus*, utut equi a robore suo sint commendati, attamen non poterunt prodesse domino suo, Jova non annuente.

18. יְרֵאָיו — הִנֵּה *Ecce oculus Jovae ad timentes eum*, ad eos, qui pio et sincero animo ipsum colunt (vid. Vs. 8.), attentus est. *Oculo Jovae* provida ac benigna ejusdem cura seu providentia designatur Ita Esr. 5, 5. Ps. 34, 16. Job. 36, 7. לַמְיַחֲלִים לַחַסְדּוֹ *Ad exspectantes gratiam ejus*, qui non confidunt viribus propriis, sed soli gratiae Jovanae, ab hac auxilium exspectant omne. De יָחַל vid. 31, 25.

19. לְהַצִּיל מִמָּוֶת נַפְשָׁם *Ad eripiendum* directus est Jovae oculus, ita ut magno cum effectu et commodo inspectionem suam comprobet, *e morte animam ipsorum*, h. e. vitam. Vel synecdochice *anima* pro tota ponitur persona. Instituitur vero his verbis antithesis inter herois robur, quod *non eripit* (Vs. 16.), et inter Jovae curam, qui facile non modo eripit, verum et ereptum sustentat, additur enim: וּלְחַיּוֹתָם בָּרָעָב *et ad sustentandum eos in fame*, h. e. omnis generis periculis ac angustiis, ubi de vita nostra agitur; synecdoche speciei pro genere. חָיָה *vixit*, in Piel חִיָּה *in vita conservavit*, vel, vitam cum adimi posset, non adimendo; vel, alimenta, vitam conservantia, suppeditando, Ex. 1, 17. Deut. 20, 16, Jos. 2, 13. Neh. 9, 6. Ps. 30, 4.

20. נַפְשֵׁנוּ חִכְּתָה לַיהוָה *Anima nostra sperat in Jova.* Verbum חָכָה *exspectavit*, in Piel significat, magno cum desiderio in aliquid ferri, praestolari aliquem ferme impatienter, quomodo Job. 32, 4. Elihu impatientissime exspectabat (חִכָּה) finem verborum Jobi; aut quomodo anxie exspectatur mors, Job. 3, 21. Sic 2Reg. 9, 3. *fugies, nec exspectabis*, unde apparet, oppositum huic verbo esse *fugere*. Cf. 2Reg. 7, 9. Hinc de spe in Jovam constante saepe usurpatur, ut Zeph. 3, 8. Hab. 2, 3. Ps. 106, 14. Jes. 8, 17. 64, 4. עֶזְרֵנוּ *Auxilium nostrum*, opitulator noster longe optimus ac potentissimus, וּמָגִנֵּנוּ הוּא *et clypeus noster ipse*, h. e. qui nos potentissime protegit ac tuetur, vid. 3, 4. 7, 11. 18, 3. 31. 36. 28, 7.

21. כִּי־בוֹ יִשְׂמַח לִבֵּנוּ *Nam in eo*, propter eum, *laetabitur cor nostrum*, non frustrabitur nos exspectatio nostra, sed certae lactitiae fructus in ipso percipient animi nostri. כִּי בְשֵׁם קָדְשׁוֹ בָּטָחְנוּ *quod in nomine sanctitatis ejus fiduciam posuimus.* שֵׁם *nomen*, metonymice pro nominato collocatur; *sanctum* vero (posterius enim nomen קדשו adjectivi loco ponitur) dicitur hoc nomen, quia a nominibus aliis, tum dominorum, tum Deorum, longissime est separatum, et singulari plane reverentia dignum.

22. יְהִי־חַסְדְּךָ יְהוָה עָלֵינוּ *Sit benignitas tua, Jova, super nos*, i. e. nobis eveniat, nobis quasi superincumbat ac manifesto deprehendatur, quemadmodum in contrarium sensum Gen. 27, 13. Rebecca ait: *super me sit maledictio*, h. e. mihi eveniant ea, quae tibi forte imprecabitur parens. כַּאֲשֶׁר יִחַלְנוּ לָךְ *Quemadmodum in te speramus;* respondeat eventus spei nostrae, quam de te concipimus indubitatam, quia a te toti pendemus.

Ps. 34.

Liberatus a summo discrimine vates, gratias agit Jovae, cujus beneficio atque praesidio se conservatum profitetur. Exultans igitur laetitia secum gaudere etiam jubet alios, et se atque exemplum liberationis suae proponit piis omnibus, in quo spectent benignitatem Jovae, et fructus pietatis et invocationis fidelis. Idcoque ad commune pietatis studium et fiduciam omnem in Jovam collocandam hortatur, quod, qui haec sequuntur, ex omnibus malis eripiantur, et bonis universis cumulentur.

Qua occasione sit editus Psalmus, Vs. 1. indicat. Historia autem, quae in titulo notatur, exstat 1Sam. 21, 10. sqq. Quum David, monente Jonatha, fugeret Saulis, regis, infestissima arma ac saevitiem, relicta Judaea venit in Palaestinam, quae regio Syriae tum incolebatur a Philisthaeis, et quidem in ditionem regis Achis, et sedem regiam hujus, Gatham, ut videtur, ut ibi exulans lateret. Sed agnitus a ministris regiis ad regem pertractus est, indicio facto, eum esse, qui totius provinciae regnum affectaret, totque Philisthaeos, ipsumque Goliath, Gethaeum, ceeidisset. In

tantum ille vitae periculum adductus, fictione sibi effugium invenit. Simulabat dementiam, et ita quidem, ut aeceperit etiam motus aliquid epileptici aut siderationis. Itaque inter manus, vel stipantium, vel etiam ducentium aut trahentium ad regem, gestibus et motibus corporis alienis, et committendo, quae sani non solent, et spumas ore aetas in barbam demittendo, hoc perfecit, ut Achis, qui ista viderat, pro insano et misero homine eum haberet, atque vel non crederet ministris suis, Davidem eum esse, aut non esse amplius judicaret eum, in quo ulla vindicta recte exercereretur, quippe qui contemnendus potius esset, quam ulciscendus. Itaque cum indignatione cum a se ejecit atque expulit, et Davides hoc modo conservatus ab eo discessit. Ad idem vitae Davidis tempus pertinet Ps. 56., qui tamen a nostro in eo differt, quod petit et sperat auxilium, adeoque statim postquam a Gathitis comprehensus esset, compositum fuisse necesse est, quum Ps. 34. auxilium ipsi praestitum celebret, quo singulari beneficio motus, Dei erga suos curam et bonitatem in universum magnifice praedicat, simul ad innocentiae et pietatis studium hortans, quod qui eo praediti sunt, ex omnibus malis eripiantur, et bonis universis cumulentur, cujus praeclarum in se ipso exemplum considerandum offert. „Hoc tamen," inquit RUDINGERUS, „dissimulare non possumus, nisi Hebraeorum inscriptio ei tempori, et quae cum Achi Gathae Davidi acciderunt, Psalmum tribueret, vix futurum fuisse, ut posterorum aliquis hoc faceret, et sunt saepe pericula et tempora ejus alia, quibus non minus, vel aliquanto etiam magis, congrueret talis pro liberatione gratiarum actio. Quum tamen et Graecorum liber adstipuletur, et antiquitas; nemo libenter novando architectabitur aliquid."

Habet hoc etiam carmen *ἀκροστιχίδας* ad ordinem literarum alphabeti hebraici, sicut aliquot alii. Vid. Argum. Ps. 25. Illud artificium quum serioris temporis Psalmis proprium sit, Paulus et De Wette Davidi hoc carmen abjudicant.

1. לְדָוִד — אֲבִימֶלֶךְ *Davidis* Psalmus, *cum coram rege Abimelecho simularet, se mente captum esse.* בְּשַׁנּוֹתוֹ *In immutando suo*, h. e. dum ipse immutaret. שִׁנָּה *iteravit, secundo aliquid fecit*, in Piel significat aliquid *mutare*, et altera quasi vice reformare, quomodo v. g. rex Babyloniae שִׁנָּה *mutavit* vestes carceris, sive captivitatis, regis Jojachin, Jer. 52, 33. 2 Reg. 25, 29., et quomodo Ahasverus יִשְׁנֶּה *mutavit* Estheram, regias ipsi vestes conferendo, Esth. 2, 9. Eodem sensu dicitur Jer. 2, 36. de *via*, quae mutatur; cf. Ps. 89, 35. Prov. 31, 5. Atque sic usurpatur 1 Sam. 21, 15. et h. l. de Davide, insanum se coram Achi simulante, dum priorem suum *immutabat* habitum atque mores, assumtis ineptis atque ludicris. אֶת־טַעְמוֹ Alex. vertit *πρόσωπον*, quod sequutus Vulgatus, *vultum suum*, Lutherus, *Geberde*. Recte vero Chaldaeus: *intellectum ejus*. Nam טַעַם *sapor* alicujus rei,

v. g. vitelli ovorum Job. 6, 6., mannae Num. 11, 8., vini Jer. 48, 11., transfertur ad illam *animi* facultatem, qua veluti gustamus aut discernimus rerum differentias, h. e. designat judicium hominis, vel *rationem*, qua aliquid dijudicat, consulit aut decernit, quomodo v. g. David inquit 1 Sam. 25, 33. *laudatum* טַעְמֵךְ *judicium*, vel consilium, *tuum*, *Abigail!* Cf. Ps. 119, 66. Prov. 11, 22. Job. 12, 20. לִפְנֵי אֲבִימֶלֶךְ *coram rege Philisthaeorum*, cujus nomen proprium erat *Achis* (1 Sam. 21, 10.), qui ipse tamen pro more regum illius gentis, nomine eis communi, et *Abimelech* (h. e. *pater regis*, sive *pater regius*) cognominari solebat, ceu colligere licet ex historia Abrahami, Gen. cap. 20. sqq., et Isaaci, cap. 26. Sic Aegyptii reges prisci *Pharaones*, et posteriores *Ptolemaei* cognominabantur, et Ponti reges *Mithridatae*, quum nomina ipsorum propria exstent ab his cognominibus alia; et Romanis Imperatoribus *Caesaris* et *Augusti* nomen commune est. וַיְגָרְשֵׁהוּ *Et expulit eum* per ministros suos, quos ob insani hominis introductionem increpabat, 1 Sam. 21, 14. 15. — וַיֵּלַךְ *Et abiit*, scil. incolumis et salvus, quum carceres aut mortem metueret; recepit vero se postmodum ad speluncam Odullam, 1 Sam. 22, 1.

2. אֲבָרְכָה אֶת־יְהוָה *Benedicam Jovae*, laudibus eum extollendo, veluti mox exponitur per תְּהִלָּה *laudem*. De בָּרַךְ vid. ad 26, 12. coll. 27, 2. 11. 28, 9. בְּכָל־עֵת *Omni tempore*, ut Job. 27, 10. תָּמִיד תְּהִלָּתוֹ בְּפִי *Continuo laus ejus in ore meo* erit.

3. בַּיהוָה תִּתְהַלֵּל נַפְשִׁי *Jova gloriatur anima mea*, glorior tali ac tanto protectore, ejus potentiam atque favorem depraedicando. Verb. הָלַל *laudavit*, in Hithpael est *gloriari*, vel *jactare se*, h. e. laudare propriam sortem ob hanc illamve peculiarem praeeminentiam, atque tunc causa gloriationis designari solet praefixo ב, ut Prov. 25, 14. Jer. 9, 23. Ps. 97, 7. 105, 3. 106, 5. יִשְׁמְעוּ עֲנָוִים *Audiant miseri*, qui similibus in angustiis periculisve haerent, quibus ego adhuc fui constrictus, atque jam Jovae ope rursus liberatus. *Miseri* aut *mansueti* opponi videntur superbis illis et furibundis Davidis persequutoribus, qui de ejus liberatione nequaquam laetabantur. Alias עָנָו (ab עָנָה *afflictus fuit*) significat *mansuetum*, *humilem*, qui multarum miseriarum perpessione fastum didicit deponere, ac proinde promiscue solent poni עֲנָוִים *miseri*, et עֲנָוִים *mansueti*; vid. Ps. 9, 13. 10, 12. 17. 22, 27. 25, 9. וְיִשְׂמָחוּ *Et laetabuntur* ob spei fideique suae in Jova positae per hoc meum exemplum confirmationem.

4. Hortatur depressos ac miseros, ut secum Jovam laudibus efferant. גַּדְּלוּ לַיהוָה אִתִּי *Magnificate mecum Jovam*, potentiam et magnitudinem ejus praedicate. Nam גִּדֵּל, a גָּדַל *magnus fuit*, *crevit*, est, *magnum aliquem facere*, cibum et alimenta v. g. subministrando, h. e. aliquem educare, ut Jes. 1, 2. 49, 21. 51, 18. 2 Reg. 10, 6.; item significat aliquem magnum facere dignitatis et potentiae collatione, ut Jos. 3, 6. 4, 14. Esth. 3, 1. 5, 11. 10, 2.

Quodsi vero usurpetur de hominibus, respectu habito ad Deum, tunc denotatur, Deum optimum ac maximum agnosci, asseri ac celebrari apud omnes, ut ejus magnitudo laudibus nostris innotescat, unde Ps. 69, 31. additur: *magnificabo ipsum* בְּתוֹדָה *concelebratione.* וְנָרוֹמְמָה שְׁמוֹ *Et exaltabimus nomen ejus*, ipsum (vid. 33, 21.), sive famam ejus (25, 11.). יַחְדָּו *Pariter*, conjuncto et unito studio. In יַחְדָּו, sive, ut Jer. 31, 13. 46, 12. 21. scribitur, יַחְדָּיו, *Vav* paragogicum, plane ut adfixum Pronomen ad nomen plurale, per Camez accedit ad veterem formam pluralem יַחְדִּים, a יָחַד *unitio*, et hinc, usu Particulae, *una.* Ita לַיְחָדָיו proprie est *unitionibus suis*, atque etiam ipsum ut Particula, valens *una conjunctim*, usurpatur.

5. דָּרַשְׁתִּי אֶת־יְהוָה *Quaesivi Jovam precibus meis*, ejus opem invocavi, quo sensu hoc verbum saepe dicitur, veluti Ps. 9, 11. 69, 33. 105, 4. וְעָנָנִי *Et respondit mihi*, exaudivit me. עָנָה *respondit*, quandoque usurpatur cum effectu, idemque valet, ac, *respondit ipso opere*, invocantem exaudivit, ut Jes. 58, 8. 1 Sam. 12, 9. Ps. 3, 5. וּמִכָּל־מְגוּרוֹתַי הִצִּלָנִי *Et ex omnibus pavoribus meis me eripuit*, ex multifariis aerumnis et periculis, quae tum a Saule, tum ab Achiso imminebant. De מָגוֹר vid. ad Ps. 31, 14.

6. הִבִּיטוּ אֵלָיו *Respiciunt ad eum*, nempe *miseri*, qui cum Davide debent laetari, Jovamque ob praestita auxilia extollere, Vs. 3. Potest tamen ante הביטו pron. אשר subaudiri, Praeteritum vero h. l. eodem significatu accipiendum est, ut 33, 10. הפיר. Verbum הִבִּיט *prospicere*, h. l. est *sperare* (ut Jes. 22, 11.); unde enim speramus aut exspectamus aliquid boni, eo crebro respicimus. וְנֶהָרוּ vulgo vertunt: *et confluunt*, scil. ad te, h. e. illorum, qui tuum quaerunt auxilium, magna non solum est copia, verum et insignis in quaerendo fervor atque impetus, nam verbum נָהַר quandoque significat in magna copia ac vehementi cum impetu *adcurrere*, instar נָהָר *fluvii*, quomodo accipitur Jes. 2, 2. Jer. 31, 11. Mich. 4, 1. de confluxu gentium ad templum Jovae; et Jer. 51, 44. de gentibus Babelem confluentibus. Sed sensum multo elegantiorem Chaldaei interpretatio fundit: *respiciunt ad eum, et illuminantur.* Nimirum accepit נהר significatione *splendendi*, qua apud Chaldaeos pollet. Simili notione נָהַר occurrit Jes. 60, 5. *tunc videbis* וְנָהַרְתְּ *et splendebis*, prae gaudio et laetitia. Sic itaque et nostro loco vertendum: *intuentur eum et splendebunt*, erunt vultu sereno et splendido, quia non fallet eos sua spes; וּפְנֵיהֶם אַל־יֶחְפָּרוּ *et facies eorum non suffundentur pudore*, pudescunt enim et ruborc suffunduntur, qui ferunt repulsam, aut spe sua excidunt. Hebr. חפר duo comprehendit verba, sono diversa, quae Arabes etiam scriptione discernunt, חָפַר *fodit*, Coh. 10, 8. Jos. 2, 2. et חָפַר *erubescere*, *pudefieri*, synon. verbi בּוֹשׁ (de quo vid. ad Ps. 22, 6. 25, 2.), quocum saepe conjungitur, ut

Jer. 14, 9. *erubuit et confusa est.* Cf. Ps. 35, 4. 26. 40, 15. 70, 3. 71, 24. 83, 18. Jes. 1, 30. 24, 23. Jer. 50, 12. Mich. 3, 7. Veterum plerique verba hoc Vs. occurrentia in Imperativo exprimunt, et pro פניהם exhibent פניכם, Alexandrinum sequuti, qui vertit: *προσέλθατε πρὸς αὐτὸν καὶ φωτίσθητε, καὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν οὐ μὴ καταισχυνθῇ*, Vulgatus: *accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

7. זֶה עָנִי — הוֹשִׁיעוֹ *Hic miser clamavit, Jova exaudivit, et liberavit eum ex omnibus angustiis.* Vid. ad 17, 7. Se ipsum enim exempli loco, tanquam alium, adducit, ac si diceret: videte me, Davidem, quum varie fuerim miser et afflictus, et quam mirandum in modum a Jova benignissimo e tot pavoribus fuerim ereptus.

8. Jam tutelam Jovae erga quoslibet, ipsum recte colentes celebrat, sed a sua liberatione occasionem accipiens: לִירֵאָיו — חֹנֶה *Jovae angeli castra ponunt circum eos, qui ipsum timent.* חנה *castra ponens*, h. e. castra ponere solet; sic enim Praesens efferri solet per Participium, vid. Gesenii *Lehrg.* p. 791. חָנָה est verbum militare, notans *castra metari*, positis in agro tentoriis copiisque certa serie distinctis, ac vallo probe munitis undique, ut 1 Sam. 26, 5. Jes. 29, 3. Num. 2, 34. Itaque h. l. Jovae ministri impiorum castris opponere sistuntur sua castra, ut isti pios nequeant perdere. Vid. 2 Reg. 6, 17. coll. Gen. 32, 2. Nomen מַלְאָךְ (h. l. collect. pro מלאכים), in genere quivis *nuntius* aut *legatus*, praesertim ad spiritus illos administratorios, *πνεύματα λειτουργικὰ* (Ebr. 1, 14.), designandos adhibetur, quibus Deus ad mandata sua exsequenda utitur, veluti 1 Reg. 19, 5. 2 Chr. 32, 21. סָבִיב est alias nomen, *circuitum* aut *ambitum* notans, hic tamen adverbiascit, vel potius fit praepositio, *circa*, quae regit nomen, mediante לְ, ut Ex. 16, 13. 40, 33. Additur: וַיְחַלְּצֵם *Et eripit eos*, Futurum pro Praesente, ob actum consuetum et continuum. חָלַץ (de quo vid. 7, 5.) in Niphal significat *extrahi ex angustia*, vel coarctatione, Prov. 11, 8. 9. Ps. 60, 7. 108, 7.; in Piel est *cum conatu eruere*, v. g. lapidem e pariete Lev. 14, 43., animam a morte Ps. 116, 8., ex hominibus malis Ps. 140, 2., ex acrumnis Ps. 6, 5. 50, 15. 81, 8. 91, 15.

9. טַעֲמוּ וּרְאוּ כִּי־טוֹב יְהוָה *Gustate et videte*, experientia cognoscite, *quam bonus sit Jova*, quam benigne adsit suis. Metaphora ducitur ab externo sensu ad internum hominis intellectum, adeoque *gustare* idem est ac intelligere, experiri, frui, ut Prov. 31, 18. Cf. 1 Petr. 2, 3. אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר יֶחֱסֶה־בּוֹ *Felicia viro, qui confidit in eum*, felix ille vir, qui illius fidei se committit. גֶּבֶר (a גָּבַר), proprie *vir validus*, h. l. ponitur in universo pro *homine*, ut אִישׁ, Ps. 1, 1. Ante יחסה subaud. אשר, ut 7, 16. 18, 1. 44. 25, 12. 32, 2.

10. יִרְאוּ אֶת־יְהוָה קְדֹשָׁיו *Timete Jovam, sancti ejus*, vos, qui ex communi vulgo hominum segregati, atque cultui ejus addicti,

vitae morumque puritati student. *Populus sanctus* nota est gentis Israeliticae appellatio. יִרְאוּ pro יִרְאוּ, Imperat. verbi יָרֵא ad modum verbor. לֹה, vid. GESENII *Lehrg.* p. 417. כִּי־אֵין מַחְסוֹר לִירֵאָיו *Nihil enim iis deerit, qui eum venerantur*, tanquam protectorem suum colunt.

11. כְּפִירִים רָשׁוּ וגו׳ *Leunculi egent et esuriunt, sed qui Jovae student, nullo bono carent*, h. e. videbitis leunculos, qui praedam vi sibi comparare possunt, interdum egere, et fame laborare, nec illis quicquam prodesse suam vim (quomodo Job. 4, 11. dicitur: *leo perit inopia praedae et filii leaenae disperguntur*), pios vero numquam egere. Veterum nonnulli *leunculorum* nomine divites aliorum oppressores, potentes impios et violentos significari censent, ut haec sit sententia, injustum, ferum et violentum genus hominum non semper rapinas reperire; sed qui ab omni vi atque injuria abstineant, eos plus proficere ad victum reperiendum, quod pascat eos Jova. Sed est nihil in Psalmis frequentius, quam ut David vel hostes suos, vel in genere quosvis impios *leones* indigitet, quia immanitate, truculentia et ferocia certare videbantur cum leonibus atrocissimis, vid. 7, 3. 10, 9. 22, 22. 35, 17. 58, 7. 91, 13., quorum locorum tribus posterioribus כְּפִיר, ut nostro loco, positum est, quod proprie significat catulum leonis, a lacte depulsum, qui praedari incipit, et sibimet victum quaerere sine matris opera. לֹא יַחְסְרוּ כָל־טוֹב *Non egebunt* quoad *ullum bonum*, vid. de hac constructione verborum, quae dicuntur copiae et inopiae SCHROEDERI *Institt.* Synt. Reg. 70. b.

12. לְכוּ *Ite*, agite! Etenim Imperativus verbi יָלַךְ saepius adverbii exhortantis vicem gerit, ut Gen. 19, 32. Hos. 6, 1. Coh. 9, 7. Ps. 95, 1. בָּנִים *Filii*, h. e. vos mei auditores vel subditi, qui eruditione indigetis. Sic *filiorum* nomine saepissime, apud Salomonem potissimum, v. g. Prov. 1, 8. 10. 15., significantur *discipuli*. Cf. 1 Reg. 20, 35. 2 Reg. 2, 3. שִׁמְעוּ לִי *Obtemperate mihi*. שָׁמַע cum ל aut ב constructum, praeter *auditionem attentam*, infert etiam *assensum* seu *obsequium*, veluti Gen. 3, 17. *quia obtemperasti voci uxoris tuae*. Plura autem Hebraeis sunt verba, quae duplicem admittant constructionem, ita ut modo nomen in Accusativo regant, modo id sibi jungant praepositione intercedente, qualis diversitas constructionis saepe immutat significationem plus minusve. Vid. SCHROEDERI *Institt.* Synt. Reg. 77. a. יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם *Timorem Jovae vos docebo*, vid. ad 33, 8.

13. מִי הָאִישׁ *Quis vir iste?* Interrogatione hac exclamatoria allicere vult poeta singulos, ut quicunque modo prosperitatem vitae sibi exoptet, ad ipsum accedat praeceptorem. Similes interrogationes vid. 15, 1. 24, 3. 35, 12. vid. et 107, 43. Et quidem interrogatio haec, subjunctam mox habens responsionem, aequipollet enuntiato connexivo, ubi interrogatio rationem gerit antecedentis, responsio vero consequentis, hoc modo: *ille, qui diligit*

vitam, custodiat linguam suam etc. הֶחָפֵץ *Qui diligit*, exoptat, desiderat. ה demonstrativum, per ellipsin pronominis relativi אשר, usum etiam accipit relativum, quo verbis praeponitur, veluti Esr. 10, 14. הַהוֹשִׁיב *hic* qui *duxit uxores peregrinas.* Cf. 1 Chr. 29, 17. Ps. 35, 27. חַיִּים *Vitam*, scil. prosperam et tranquillam, ut 16, 11. 30, 6. אֹהֵב יָמִים *Amans dies*, h. e. vitam, *dies* enim *alicujus* saepe vitae ejus tempus designat, ut 102, 12. 116, 2. Job. 27, 6. לִרְאוֹת טוֹב *Ad videndum bonum*, h. e. ut, quamdiu vixerit, bonis fruatur. De רָאָה vid. ad 16, 10.

14. נְצֹר לְשׁוֹנְךָ מֵרָע *Custodi linguam tuam a malo*, diligenter observes sermones tuos, ne ullo modo, sive per incuriam, sive per affectuum praepollentiam, noxium inde aliquod excidat verbum, cf. Sir. 28, 25. Prov. 13, 3. נָצַר est *sedulo quidquam observare*, *custodire*, veluti quomodo observare solemus pupillam oculi, ne eidem adversi aliquid obveniat, Deut. 32, 10. Cf. Job. 27, 18. Jes. 27, 3. Prov. 27, 18. וּשְׂפָתֶיךָ מִדַּבֵּר מִרְמָה *Et labia tua a loquendo dolum*, a sermonibus fraudulentis, sive, ab injuria, dolo obtrusa.

15. סוּר מֵרָע וַעֲשֵׂה טוֹב *Recede a malo et fac bonum.* בַּקֵּשׁ שָׁלוֹם *Quaere pacem*, si ea per dissidia aut injurias illatas turbata forte fuerit inter te et alios, sedulo instauranda ac requirenda concordia, וְרָדְפֵהוּ *et persequere illam*, si pax et mutua concordia non statim facileque possit restaurari, cave, ne mox reconciliationem tentare prorsus desinas.

16. עֵינֵי יְהוָה אֶל־צַדִּיקִים *Oculi Jovae ad rectos*, pios (vid. ad 33, 18.). Subaudiendum vero hic est verbum commodum: *directi sunt*, aut simile quid, ut in dictione proxima, וְאָזְנָיו אֶל־ שַׁוְעָתָם *et aures ejus ad vociferationem*, preces *eorum* inclinatae et apertae sunt, vid. 10, 17. 18, 7. 31, 3.

17. פְּנֵי יְהוָה בְּעֹשֵׂי רָע *Sed in patrantes malum facies Jovae*, scilicet irata et ultrix, quando instar judicis severi oculis flammantibus intuebitur maleficos, vid. ad 9, 4. coll. 21, 10. Lev. 17, 10. לְהַכְרִית *Ad exscindendam*, h. e. penitus tollendam, quemadmodum exstirpari solent aut radicitus evelli arbores aut plantae, de quibus non raro verbum hoc usurpari solet, ut 2 Reg. 23, 14., cf. Ps. 12, 4. מֵאֶרֶץ זִכְרָם *e terra memoriam ipsorum*, ut intereant una cum posteris, careantque omni laude et fama. Cf. 9, 7. Ex. 17, 14. *delebo memoriam Amalek*, eosdem una cum omni progenie exstirpabo. Vid. etiam Deut. 32, 26. Jes. 26, 14. Ps. 111, 15. Job. 18, 17. Coh. 9, 5.

18. צָעֲקוּ *Clamant*, sc. pii, quorum clamoribus aperta est Jovae auris, Vs. 16., ex eo enim Versu, licet remotiori, repetendus huc est Nominativus, ut fecerunt Alex. et Chaldaeus; quod enim proxime antecedit nomen, עֹשֵׂי רָע, minime aptum esse, sponte patet. צָעַק saepius usurpatur de clamore anxio ob malum pre-

mens, aut jamjam imminens, vid. 1 Reg. 20, 39. 2 Reg. 8, 5. Thren. 2, 18. Ex. 22, 22.

19. יוֹשִׁיעַ — קָרוֹב *Propinquus* est *Jova iis, qui sunt corde confracto, et servat contritos spiritu*, h. e. ab aliis oppressos, atque inde graviter adflictos, animoque saucios et consternatos; tales enim significantur *fractis corde*, vid. 51, 19. 147, 3. Jes. 57, 15., atque *attritis spiritu* Jes. 57, 15. His igitur *propinquus* esse Jova dicitur, h. e. praesto, ut eos exaudiat atque ab aerumnis liberet; quasi enim *longe* est cum diutius in miseria versari sinit, et clamorem afflictorum quodammodo negligit, cum vero illico ab aerumna vindicat, quasi proximus esse videtur. Jes. 58, 9. *clamabis, et dicet, ecce adsum.*

20. Quam diversa sit piorum et sceleratorum sors, nunc pluribus exaggerat. *Multa mala justi*, et si plurima incidunt pio mala, *ex omnibus illis tamen Jova eum eripiet*, ita ut nulla in re prorsus laedatur. רַבּוֹת *multae*, habet h. l. rationem Praedicati. Adjectivum enim praepositum indicat transpositionem subjecti substantivo praedicati, ita ut enunciatio sit talis: *mala justi sunt multa.* Et רַבּוֹת non pro nudo Adjectivo sequentis substantivi רָעוֹת habendum esse, indicat etiam accentus distinctivus *(Tiphcha anterior)* voci רַבּוֹת appositus. In dictione מִכֻּלָּם, *ex universitate eorum*, affixum masculini generis, ־ָם, refertur ad femininum, רָעוֹת, de qua generis enallage vid. Schroederi *Institt.* Synt. Reg. 34. et Gesenii *Lehrg.* p. 731. no. 2.

21. *Omnia ossa ejus custodit, ut ne unum ex iis confringatur. Ossium* meminit, quia haec sunt corporis humani veluti fundamentum, cui tota innititur strues, quibus laesis mox etiam periclitatur tota corporis moles. Ceterum videntur haec verba proverbialis quid habere, quo singularis Dei cura et providentia erga suos indicetur, ut simili effato Christi Matth. 10, 30.

22. תְּמוֹתֵת רָשָׁע רָעָה *Interficiet infortunium impios*, scelerati peribunt, nullum nacti sospitatorem, vel mali lenimentum, postquam Jovae ira semel exarserit. וְשֹׂנְאֵי צַדִּיק יֶאְשָׁמוּ *Qui pium oderunt, damnabuntur*, reos se damnatos ex immissa poena cognoscent. Alii: *delinquent*, a consilio et scopo suo aberrantes, ut 5, 11., ubi vid. not.

23. *Redimit* (de פָּדָה vid. 25, 22.), liberat e periculis *animam*, vitam, *servorum suorum; nec punientur*, vel delinquent, spe sua excident (vid. 5, 11.) *confidentes in eum.*

Ps. 35.

Orat Deum, ut sibi adversus inimicos, a quibus per summam injuriam oppugnatur, praesidio sit; eorumque mores, insidias, malignitatem, superbiam describit. Postremo se tanti beneficii memorem, laudes illi per totam vitam relaturum spondet.

Ex illorum numero hunc quoque Psalmum esse, quos de fuga a Saule David composuit, atque de illius assentatoribus, qui ipsum obtrectabant et calumniabantur malitiosissime, atque sic regem et populum contra se irritabant, plerique asserunt; quorum sententiae illud suffragatur, quod eadem paene verba, quae initio posita sunt, tum a Davide dicta legimus, cum in spelunca nactus occasionem Saulem interficiendi, abscidisse oram chlamydis satis habuit, et injuriam suam querela et incusatione regis inhumani persequi maluit, quam ferro vindicare. Vid. 1 Sam. 24, 16. RUDINGERUS vero contra Achitophelem, Simei, Mephibosethum et seditiosos proceres ac Benjaminitas aliquos dici pleraque, vel omnia potius existimat, ut Absalonici temporis Psalmum esse non dubitet, etiam propter Versum 6., cum mentis et consiliorum perturbationem et in historia sacra, et in aliquot synchronis Psalmis, imprecetur Achitopheli et proceribus Absalonicis.

Sunt, qui ad Christum Psalmum referant, et prophetiam de cruciatibus ejus et odiis Judaeorum erga ipsum putent, sicut et Psalmi 109. imprecationes adversus gentem Judaicam dirigi putantur. Sed, recte ait RUDINGERUS: „haec typica sunt et absque hoc Davidis omnia Christum referunt, quum sit David perpetuus typus Christi et ecclesiae, quodque a suis hostibus David est perpessus, hoc idem a gente Judaica Christo accidit, ut temere et sine causa eum odissent. Ideo et Christus apud Joannem 15, 25. citat ex Versu 19. hujus Psalmi: *oderunt me temere et sine causa*, et de se interpretatur, quae et causa fuit allata interpretibus talibus, ut totum Psalmum de Christo interpretarentur."

1. רִיבָה יְהוָה אֶת־יְרִיבַי *Litiga, Jova, cum litigatoribus meis*, instar justi judicis aut fidelis patroni suscipe causam meam, atque me, injuste ab hominibus oppressum et misere a cunctis amicis desertum, in tuam recipe tutelam; causam meam tu ipse agas. Similis metaphora, a judicibus forensibus petita, reperitur Jer. 50, 33. 34. Ps. 43, 1. 119, 154. 1 Sam. 24, 16. *Jova sit judex inter me et te, et litiget litem meam.* Nomen יָרִיב *litigator, adversarius* (quod praeter h. l. tantum occurrit Jes. 49, 25. Jer. 18, 19.), formatum est a רוּב *litigare, contendere*, per *Jod* ab initio, sicut יָפֵחַ *efflator*, a פּוּחַ Ps. 27, 12. Notetur autem in hoc et sequenti membro *polyptoton*, quando vox eadem alia sub flexione recurrit, seu quando verbum cum nomine verbali construitur, vid. et Ps. 3, 2. Sequitur jam phrasis bellica: לְחַם אֶת־ לֹחֲמָי *Pugna cum iis, qui me oppugnant.* לָחַם *comedere, vesci* (unde לֶחֶם *panis*), aliquando idem est, ac *depascere* aliquid et *devorare, destruere, oppugnare*, quomodo in Niphal נִלְחַם significat *pugnare, bellum gerere*, unde מִלְחָמָה *bellum*, tanquam omnia depascens et absumens. *Oppugnandi* notione לחם in *Cal* praeter h. l. tantum occurrit Ps. 56, 2. 3.

2. הַחֲזֵק מָגֵן *Apprehende clypeum*, instar herois bellicosi capesse arma. מָגֵן *clypeum* fuisse minoris, צִנָּה vero majoris

formae, qui totum militis corpus tegeret, concluditur ex 1 Reg. 10, 16. 17. 2 Chr. 9, 16. Ceterum צנה scutum fuisse videtur, cui infixa esset cuspis, ita ut non tantum inserviret repellendis hostibus, sed etiam ipsis, si propius accederent, vulnerandis. Ejusmodi cuspide instructum fuisse talem clypeum, nomen ipsius innuere existimant, quippe quod dictum sit ab *acuendo*, quae vis est verbi צָנַן, unde צֵן *spina*, Num. 33, 55. Jos. 23, 13. וְקוּמָה בְּעֶזְרָתִי *Surge in auxilium meum.* Particula ב ponitur hic pro ל, quomodo in similibus locis dicitur לְעֶזְרָתִי, Ps. 22, 20. 38, 23. 40, 14. 70, 2.

3. וְהָרֵק חֲנִית *Et exsere lanceam*, non solum mea causa indue te clypeo et scuto, sed etiam deprome lanceam. Pingit vates Jovam pro se pugnaturum, quasi strenuum aliquem ducem, utrisque armis, et propulsantibus, et oppugnantibus munitum, ut adversariis ultionis metum injiciat. Verbum רוּק, sive רִיק, in Hiphil tantummodo usitatum, denotat *evacuare*, veluti saccos Gen. 42, 35., vasa vini Jer. 48, 12., vaginam gladio, i. e. gladium protrahere e vagina, ut Ex. 15, 9. Lev. 26, 33. Ez. 5, 2. 12. 28, 7. 30, 11. Sic igitur et h. l. e vagina quasi vel armamentario dicitur expromenda lancea, חֲנִית a חָנָה, *inclinavit*, dicta haud dubie, quod *inclinatur* in eum, qui ea est transfigendus. Breviores autem fuisse has lanceas, atque ad vibrandum idoneas, instar telorum oblongorum, colligi potest ex 1 Sam. 18, 11. 19, 10. 20, 33. וְסֹגֹר לִקְרַאת רֹדְפָי *Et occlude in occursum persequutorum meorum*, intercipe viam, meis hostibus, prodi obviam, et in me irruentibus obsiste ac moram objice, ne me assequantur. סְגֹר est Imper. verbi סגר, et subaudiendum videtur דֶּרֶךְ, quemadmodum in simili phrasi Ex. 14, 3. *conclusit illis desertum*, ne exitum reperire possent. Aliis סָגֹר, sive ut in multis codicibus plene est scriptum, סָגוֹר, nomen visum, teli aliquod genus significans, sive sit *hasta*, *jaculum*, coll. Arab. שגאר *hasta lignea*, sive *securis* genus quo pugnabatur, graec. *σάγαρις*, *Streitaxt*, coll. voc. Armenico *Sacr.* Sed licet nomen hujus formae usitatum esset Hebraeis, nimirum Hos. 13, 8., alium tamen ibi habet significatum: *dilacerabo* סְגוֹר לִבָּם *clausuram cordis eorum.* Adjectivi vicem gerit Job. 28, 15. 1 Reg. 6, 20. 21. 7, 49. 50. 10, 21., quibus locis de *auro concluso*, sive in thesauris habito dicitur. Nostro autem loco veterum interpretum nullus de nomine cogitavit. Alexandrinus: *καὶ σύγκλεισον ἐξεναντίας τῶν καταδιωκόντων με.* Hieronymus: *praeoccupa ex adverso persequentes me.* Chaldaeus: *claude in occursum persequutorum meorum.* Syrus, suum potius sensum, quam verborum Hebraeorum vim exprimens: *et vibra* (gladium) *ante persequutores meos.* Et quum poeta eorum, qui ipsum persequuntur (רֹדְפָי), mentionem faciat, nonne aptissime Jovam orabit, velit objectu armorum suorum prohibere, ne propius isti ad ipsum accedant et assequantur? Vulgarem interpretationem commendat etiam, quod

poeta non dixit לִפְנֵי רֹדְפַי *in conspectu*, sive *coram iis, qui me persequuntur*, verum לִקְרַאת רֹדְפַי *in occursum persequentium me*, quod infert obviam prodeuntem, ut viam illis intercludat. Nomen esset קְרָאָה *occursus*, quod tamen nusquam nisi in forma regiminis reperitur. Sic Gen. 15, 10. *posuit partem* לִקְרַאת רֵעֵהוּ *e regione alterius*; 46, 29. *Josephus ivit* לִקְרַאת *in occursum*, vel obviam, *patri suo*. Cf. Ex. 4, 27. Jos. 8, 14. 11, 20. Sed non tantum propugnationem, verum etiam verbis se confirmari petit, et ut sentiat in corde suo, Jovam velle ei adesse, ideo subjicit: אֱמֹר לְנַפְשִׁי יְשׁוּעָתֵךְ אָנִי *dic animae meae: salus tua ego*; fac, ut sentiam te animae vitaeque meae curam gerere, et istis me periculis erepturum. Persevcrat enim in imagine hominis, se in auxilium alterius parantis et armantis. Solet namque ejusmodi cum, cui ferre auxilium parat et verbis in bonam spem erigere, opemque diligenter promittere.

4. יֵבֹשׁוּ *Erubescant*, vid. 6, 11. 22, 6. 25, 2. 31, 2. וְיִכָּלְמוּ *Et ignominia afficiantur*, tum a te, Jova, justo judice, graviter ipsos puniente, tum ab hominibus, sceleratos istos contemtim tractantibus. Verbum נִכְלַם, quod in Cal non occurrit, significat *ignominiose tractari*, *ignominia affici*, ut 2 Sam. 10, 5. 1 Chr. 19, 5. מְבַקְשֵׁי נַפְשִׁי *Quaerentes animam meam*, qui vitae meae insidiantur; *anima* pro *vita*, ut saepissime, vid. 1 Sam. 23, 15. 25, 29. Ps. 33, 19. יִסֹּגוּ אָחוֹר *Vertantur retrorsum*, cogantur dare terga, potentia tua procul a me depulsi et in fugam versi turpiter. סוּג (de quo vid. 14, 3.), in Niphal significat *retroagi*, *terga dare*, ut Jes. 42, 17. *aversi sunt retrorsum, pudore suffusi sunt*; item 46, 5. de pavidis, conversis retrorsum, fugientibus, nec prae metu retro spectantibus occurrit. וְיַחְפְּרוּ *Et pudore suffundentur*, vid. ad Ps. 36, 6. חֹשְׁבֵי רָעָתִי *Cogitantes malum meum*, h. e. illi qui solliciti sunt, variasque secum volutant machinationes, quomodo mihi parent aliquod infortunium. Cf. Gen. 31, 52. De Participio in regimine vid. 28, 1. — רָעָה, ut 28, 3. 34, 22. Affixum vero י non mali auctorem, sed eum, qui incommodum aut cladem patitur, designat.

5. Jam mira *αὐξήσει* casum in perniciem illis imprecatur, et primo quidem, ut paleae, vento expositae, similes sint, יִהְיוּ כְמֹץ לִפְנֵי־רוּחַ, h. e. ut nusquam queant consistere, nulla certa consilia sequi, sed continuo de malo in malum praecipitentur; vid. ad 1, 4. וּמַלְאַךְ יְהוָה דֹּחֶה *Et Jovae angelus impellens*, angelo Jovae propulsatore. Duo enim Nominativi, quorum alter subjectum exprimit, alter praedicatum, absolute poni solent, eadem ratione, qua duo Ablativi Latinorum, et duo Genitivi Graecorum, ut 2 Sam. 15, 32. *Davide veniente*, Ps. 42, 5. *turba tripudiante*, 1 Sam. 9, 11. *illis ascendentibus*. Verbum דָּחָה significat *trudere*, *protrudere*, *ad lapsum aliquem impellere*, quomodo quater adhuc in Cal usurpatur, Ps. 118, 13. (bis) 62, 4. 140, 5. Hinc in Niphal usurpatur

de expulsis et undique dispersis, v. g. Israelitis, Ps. 147, 2. Jes. 11, 12. 56, 8. et in Pyal de propulsis, qui stare vel resurgere nequeunt, Ps. 36, 13. H. l. tam vehemens impiorum propulsatio et praecipitatio verbo illo indicatur, ut ii, quos angelus Jovae protrudit, persistere amplius nequeant, utut omnibus id intendant modis. Veterum interpretum plerique majoris perspicuitatis causa supplerunt pronomen *ipsos*, sc. adversarios meos.

6. יְהִי דַרְכָּם חֹשֶׁךְ *Sit via eorum caligo*, viae, qua ingrediuntur, obsitae sint tenebris, ut quo se vertant nesciant; sit summe caliginosa: abstractum enim, sive substantivum pro adjectivo ponitur, ut 33, 17., ubi cf. not. וַחֲלַקְלַקֹּת *Et lubricitates*, h. e. summe lubrica, adeo ut pedem figere prorsus nequeant, velut cum quis incedere cogitur in via argillosa luti tenacissimi, ubi ad quemvis passum nutat aut procidit. Similis metaphora 73, 18. Jer. 23, 12. Conditionem autem perquam periculosam hoc nomine innui, patet partim ex geminatione duarum radicalium (radix enim est חָלַק *mollis, laevis, lubricus fuit*), partim ex numero plurali. Prioris exempla sunt חֹלַחֲלָה *dolor vehemens* Neh. 2, 10., צַפְצָפָה *circumspectu accuratissima* Ez. 17, 5., חֲתָחֻתִים *terrores* Coh. 12, 5. Posterioris exempla, ubi scilicet pluralis exaggerandi causa adhibetur, sunt Coh. 5, 6. *in multitudine somniorum* הֲבָלִים *vanitates;* Dan. 12, 2. וְאֵלֶּה לַחֲרָפוֹת *et illi ad ignominias atque ad miseriam aeternam.* Ps. 45, 16. שִׂמְחוֹת *laetitiae*; 22, 4. תְּהִלּוֹת *laudes.* Occurrit autem hocce חלקלקת praeter h. l. Jer. 23, 12. de via lubrica, et Dan. 11, 21. 34. de blanditiis linguae. וּמַלְאַךְ יְהוָה רֹדְפָם *Et angelus Jovae persequatur eos*, in fugam jam conversos, ut prae tenebris et viae lubricitate nemo istorum valeat effugere, sed facillime prosternantur singuli. Latet hic talionis poena; nam qui persequuti sunt Davidem injuste, Vs. 3., hos angelus vindex rursus persequetur.

7. כִּי־חִנָּם טָמְנוּ־לִי שַׁחַת רִשְׁתָּם *Quoniam immerito absconderunt mihi foveam retis sui*, nulla mea culpa insidias mihi posuerunt, ut apertos hostes fugiens, in occultos et in insidiis subsidentes inciderem. Adverbium חִנָּם, formarum in fine per ־ָם (ut יוֹמָם *interdiu*, רֵיקָם *frustra*, אָמְנָם *vere*), descendens a חָנַן *gratiose et citra meritum dedit*, accipi solet pro *immerito* 1 Sam. 19, 5. 25, 31. 1 Reg. 2, 31. — טָמְנוּ *Occultarunt*, operiendo nimirum istud בקש *stramine*, aut terra, ne animadvertat praeteriens, ut Jarchius notavit. שַׁחַת רִשְׁתָּם *Foveam*, sive *perniciem retis sui*, exitiosissimas mihi meaeque vitae struxerunt insidias; vel *pernicies retis* positum est pro *reti pernicioso.* De שחת vid. 7, 16. 16, 10., de רשת 10, 9. 9, 16. חָפְרוּ *foderunt*, sc. foveam, quod nomen ex *fodiendi* verbo subaudiendum est; cf. 13, 4. 27, 4. לְנַפְשִׁי *animae*, vitae *meae*, ad eam mihi eripiendam.

8. Orat igitur, ut Deus adversarios suos subita calamitate, quam minime exspectaverint, opprimat, et in id mali praecipitet,

quod pararunt sibi. תְּבוֹאֵהוּ שׁוֹאָה *Eveniat iis*, vel, *veniat super ipsum, exitium.* Affixum verbi hujus intransitivi ita est resolvendum: תָּבוֹא לוֹ. Mutatio numeri (quum antea pluralis esset usurpatus), sive syllepsis, indicat distributionem, q. d. *unicuique eorum* veniat hoc. שׁוֹאָה usurpatur tum de horrenda urbis vel regionis alicujus devastatione, ut Ps. 63, 10. Job. 30, 3. 14. 38, 27., tum de re ipsa, vastationem istam adducente, quae subito et cum fremitu vel tumultu quasi perrumpit, et obvia quaevis prosternit, quomodo solent facere aquarum subita inundatio, ex qua non datur emergere, vel nimbus nube velut disrupta prolapsus, Ez. 38, 9., vel procella Prov. 1, 26. Jes. 10, 3. — לֹא יֵדַע *Non cognoscat*, h. e. abripiet sceleratos istos exitium, ut antequam illud advenire sentiant, aut conjiciant, se eodem jam abreptos atque excisos animadvertant. Omissa est particula *Vav*, quae in hujusmodi loquutionibus solet poni pro conjunctione, *ut* (non cognoscat); v. g. Thr. 1, 19. *quaerunt escam*, וְיָשִׁיבוּ *ut reficiant animam*; vid. Ps. 18, 39. 24, 7. 28, 1. Vel quod eodem recidit, deest אשר, veniat super eum calamitas, *quam* non animadvertit. Locus huic similis est Jes. 47, 11. (al. 13.) *eveniet tibi malum, cujus ortum ignorabis, accidet tibi calamitas, quam non poteris averruncare, eveniet de improviso tibi nec opinanti vastitas.* וְרִשְׁתּוֹ אֲשֶׁר טָמַן תִּלְכְּדוֹ *Et rete ejus, quod abscondidit, capiat eum.* Verb. לָכַד quoque venatoribus est proprium, ut patet ex Coh. 7, 26. Prov. 3, 26. Ps. 9, 16. Affixum autem וֹ peculiari modo hic est subjunctum, cum alias esset תִּלְכְּדֶנּוֹ. Similia exempla sunt יִקְרְאוֹ Jer. 33, 6. תִּתְּנוֹ Ex. 22, 30. Addit: בְּשׁוֹאָה יִפָּל־בָּהּ *Cum pernicie incidat in illud.* Aliqui voculam בָּהּ accipientes pro affixo pleonastico, ita reddunt: *in vastitatem*, calamitatem, *hanc ipsam incidat*, quae repetitio vehementiam imprecationis indicaret. Sed potest illud בָּהּ etiam referri ad *rete*, ut hic sit sensus: *cum exitio incidat in illud rete*, quod antea non sine oblectatione et spe damni alieni pararat innocenti.

9. Tum vero, cum hostibus meis evenerit, quod merentur, et ego liber ero, וְנַפְשִׁי תָּגִיל בַּיהוָה *anima mea gaudebit de Jova*, servatore, ut statim subjicit: תָּשִׂישׂ בִּישׁוּעָתוֹ *laetabitur ob salutem*, quam tribuit.

10. Nunc eum canit affectum, quo praevidens suam de lato auxilio laetitiam, jam cogitabat, ut totis viribus esset Jovae in se bonitatem laudaturus. *Omnia*, inquit, *ossa mea*, i. e. omnia intima mea, תֹּאמַרְנָה יְהוָה מִי כָמוֹךָ *dicent: Jova quis tui similis?* h. e. ego ita dicam ex intimis affectibus et cunctis viribus meis, eo quod incomparabilis tuae bonitatis admiratio omne corpus et totam animam meam pervasura sit, studioque laudandi te summopere accensura. מַצִּיל עָנִי מֵחָזָק מִמֶּנּוּ *Qui eripis afflictum ab eo qui illi praevalet.* וְעָנִי וְאֶבְיוֹן מִגֹּזְלוֹ *Afflictum et inopem ab eo, qui illum diripit.*

11. Redit jam denuo ad descriptionem adversariorum, exaggeratque illorum vim et crudelitatem. Sunt autem quae Vs. 11—17. exstant ita conjungenda, ut periodum compositam efficiant, cujus protasis est 11—16. *quia tam indigne tractor*; apodosis 17. *noli tu, Deus, diutius hoc ferre.* Sed plus affectus est in eo, quod descriptione utitur injuriarum, quibus afficitur, eoque ad Deum directa, Deoque rem quasi exponente (11—16.), quam apostrophe ad Deum claudit (17.). Est praeterea in illa malorum, quae ipsi tolcranda sunt, descriptione, expostulationis et admirationis aliquid, quasi dicat: surgantne igitur testes violenti? rependant mihi malum pro bono? quum ego tamen ipsorum mala luxcrim? rel. o Deus, quo usque talia adspicies? יְקָמוּן עֵדֵי חָמָס *Assurgant testes violentiae*, h. c. testes violenti ac iniqui, qui apertam mihi infcrunt injuriam, et mecum litigant sine causa, Vs. 1. Cf. 1 Sam. 24, 10., ubi hujusmodi calumniatorum fit mentio, qui Sauli persuadere conabantur, Davidem quaererc ipsius exitium. אֲשֶׁר לֹא־יָדַעְתִּי יִשְׁאָלוּנִי *Quae non cogitaram rogant me*, talium factorum accusor, et accusatus postulor, quae ne in mentem quidem mihi venerunt.

12. יְשַׁלְּמוּנִי רָעָה תַּחַת טוֹבָה *Rependunt mihi maleficium pro beneficio*, שְׁכוֹל לְנַפְשִׁי *orbitatem animae meae*, pendet Accusativus a verbo ישלמוני. Nomen שְׁכוֹל (formae תְּהוֹם) praeter h. l. bis exstat, Jes. 47, 8. *non sedebo vidua, neque cognoscam* שְׁכוֹל; et Vs. 9. *evenient autem haec duo subito,* שְׁכוֹל וְאַלְמוֹן *orbitas et viduitas.* Denotatur itaque eo nomine filiorum privatio, quae etiam verbi שָׁכַל est significatio, ut Gen. 27, 45. 43, 14. Significatur igitur hoc nostro loco dolor illi similis, qualem de orbitate filiorum accipit mater. Quum, inquit, multis beneficiis illos affecissem, illi contra, dolorem mihi maximum inurere non sunt veriti.

13. וַאֲנִי בַּחֲלוֹתָם לְבוּשִׁי שָׂק *Ego, dum illi male habebant, vestiebar sacco.* ואני *et ego quidem*, me enim quod attinet. Nominativus absolutus (vid. Gesenii *Lehrg.* p. 723.) hic vim habet integri membri, ut patet ex seqq. *indumentum meum erat saccus.* Cujusmodi exempla vid. 11, 4. 18, 31. 32, 10. Particula *Vav* autem h. l. non tam copulat, quam causam reddit (ut 1, 3. 7, 10.), vel probat iniquitatem adversariorum, qui mala pro bonis reddunt. בחלותם *dum aegrotarent ipsi*, h. e. quando adversa patiebantur, dolebantve ex infirmitate sive corporis, sive animi. חָלָה communiter significat *aegrotare corpore*, ut Gen. 48, 1. 2 Reg. 8, 7.; item male habere animo, ut quando aegrotat quis ex amore, Cant. 2, 5. 8, 8. Hinc aliquando generatim idem est ac *dolere*, ut Prov. 33, 35. *percusserunt me neque* חָלִיתִי *dolui.* Cf. Jer. 5, 3. 1 Sam. 22, 8. *Indumentum meum saccus* erat, h. e. dolebam et contristabar ex animo, sicut ille, qui insignem luctum externo etiam prodit vestitu, incedens sordidis, vilibus et angustioribus indumentis; ea enim appellabantur שָׂק, vid. ad Ps. 30, 12. עִנִּיתִי

בַּצּוֹם נַפְשִׁי *Adfligebam animam meam jejunio*, aegre mihi ipse feci, cunctisque abstinui delieiis, imo et necessaria corporis refectione, quo tanto ardentius pro ipsis ad Jovam interpellarem. *Anima* sumitur pro *facultate appetendi* (ut Lev. 16, 29. coll. Ps. 27, 12.). Hujus appetitus *adflictio* erat, si quis abstinebat ab omnibus rebus, quae corpori sunt grata, ut cibus, potus, unctio etc. Eadem phrasis Lev. 23, 27. 32. Num. 29, 7. 30, 14. Jes. 58, 3. 5. de *jejunio* usurpatur. Quod autem h. l. expresse בצום *jejunio*, additur, referri potest ad illud loquendi genus pleonasticum, cum dicitur *auribus audire*, Ps. 54, 4.; *oculis videre*, 91, 9. וּתְפִלָּתִי עַל־חֵיקִי תָּשׁוּב *Et precatio mea in sinum meum revertebatur*, in precationibus curvabar, ut R. *Levi* explicat, ut sic precatio quasi in sinum precantis reverteretur. Videntur enim Hebraei varios habitus aut situs corporis adhibuisse inter precandum, quorum hic fortasse species fuerit in magna tristitia, ut capite in sinum inclinato precarentur. Cf. 1 Reg. 18, 42. Atque id ipsum refert etiam de Mohammedanis RELANDUS in libro de *Relig. Mohammed.* p. 87., ubi varios eorum gestus aeri incisos exhibet, inter quos ille, qui in tertia figura comparet, ei, de quo nostro loco sermo est, similis videtur. Alii: repetitis vicibus intra me pro ipsorum incolumitate fundebam preces, adeo ut oratio *reverteretur*, etiamsi bis atque iterum *e sinu meo* emanasset ad Deum. Jarchi: precatum me pro hostibus, nemo potest inficiari; at forte dicent, me malum illis imprecatum, non bonum; peto igitur, *ut in sinum meum precatio mea redeat*, h. e. mihi eveniat, quod oravi illis: bona quae illis in eorum morbo precatus sum, mihi contingant. Et sane phrasis haec: *redire in sinum, reddi in sinum*, alias haud raro usurpatur de retaliatione, quando quid alteri rependitur, veluti Ps. 79, 12. Jes. 65, 6. 7. *(retribuam opus eorum in sinum eorum)* Jer. 32, 8. Luc. 6, 38. Verum ut ego in ea, quam supra proposui, explicatione acquiescendum putem, me movet, quod vates nunc canit, quantopere eos, quos jam hostes experiebatur, dilexerit, et ut, dum morbo gravarentur, pro eis solennem luctum cum jejunio et prece habuerit. Precatum ergo se pro illis puto hac particula narrare, nec video, cur subito hanc occupationem interseruisset, qua testatus fuisset, eis bona, non mala, precatum esse, eoque optare, ut sibi ea, ut illis orarit, eveniat. Ad haec Vs. sequ. abunde testatur, quam fuerit salutis eorum avidus, et nihil fuci in luctu suo admiserit.

14. כְּרֵעַ כְּאָח לִי הִתְהַלָּכְתִּי *Habebam me, ac si* quisque eorum *mihi proximus, ac si frater* fuisset. כְּרֵעַ *Quasi socius*, vel *amicus* scilicet esset iste meus adversarius afflictus, adeo intime afficiebar ex ejus doloribus. De רֵעַ vid. 28, 3. כְּאָח *Quasi frater;* crescit oratio, arctius enim amatur frater, quam amicus, sequitur vero mox etiam *mater*. Atque sic adversarios suos sincere complexum esse singulos testatur, quod numeri ostendit permutatio,

distributionem indicans; praecessit enim affix. plur. ם, cum aegrotarent *ipsi*. הִתְהַלָּכְתִּי *incessi*, intellige ex membro sequ. *tristis*. Nisi *incedere* hic, ut saepissime alias, generatim accipiatur pro ratione agendi et sese gerendi. כַּאֲבֶל־אֵם קֹדֵר שַׁחוֹתִי *Ut qui luget matrem pullatus incurvabar;* eo modo, sicut filius ingenuus matrem demortuam dolet ex animo, ita et ego, cum adversi aliquid accideret meis inimicis, condolebam serio et vehementer. Ob nutricationis enim sedulitatem et morum majorum lenitatem solent matres diligi a liberis tenerius, quam cognati, aut amici, quare mortes earum feruntur gravius. אָבֶל non est ex אֵבֶל *luctus*, quippe quod in regimine retinet *Segol* sub א (vid. Gen. 27, 41. Deut. 34, 8. Jer. 6, 26. Am. 8, 10.); sed ex אָבֵל *lugens*, quod in regimine *Camez* in *Chatephpathach*, et *Zere* in *Segol* mutat ob lineolam *Makkeph*. קֹדֵר (a קָדַר *tenebricosum, obscurum, nigrum esse*) h. l. et 38, 7. Job. 5, 11. Mal. 3, 14. dicitur de *lugentibus*. Quare dictio *atratum incedere* commode explicari potest, vultu obscuro et tristi incedere, qua significatione verbo קָדַר utitur Jeremias 8, 21. *propter calamitatem populi mei* קָדַרְתִּי *obtenebratus sum, stupor arripuit me*. Cf. Jer. 14, 2. Job. 30, 20. Unde h. l. Alex. vertit *σκυθρωπάζων*, quod proprie fit, cum ex moerore hilaritas illa splendorque vultus obtegitur et obfuscatur. Vulgatus *contristatus* reddidit. Sed quia lugentes lotione corporis, sive balneis, abstinere solebant (vid. 2 Sam. 12, 20. 19, 24.), et universus illorum habitus squalidus erat, atque incultus, possit קֹדֵר etiam de *squalore lugubri* intelligi. Cognatum verbum Arab. significat: *immundus et spurcus fuit, sorduit*, quemadmodum et ipsum hebr. קָדַר Job. 6, 16. de torrentibus, gelu et nive in eos resolutis exaestuantibus, *turbidamque aquam* trahentibus, usurpatur. שַׁחוֹתִי *incurvabar*, demisso incedebam capite, toto quasi corpore in terram inclinato, ut facere solent vehementer dolentes, quum contra felices et superbi erecto incedant capite. שָׁחַח propr. *subsidere, sidere* (de cognato verbo שׁוּחַ vid. Ps. 10, 10.), hinc *depressus*, vel ad terram usque humiliatus fuit, ut Jes. 2, 17. וְשַׁח *et humiliabitur altitudo hominum;* cf. Ps. 44, 26. 38, 7. 107, 39. Job. 9, 13. Prov. 14, 19.

15. Canit nunc, quam pro suo candore atque humanitate improbi illi retulerint gratiam. וּבְצַלְעִי שָׂמְחוּ *Sed in claudicatione mea laetati sunt*, quando adversa ego premebar fortuna, cum imbecillis atque viribus adeo eram destitutus, ut vix possem incedere. Etenim *claudicare* Hebraeis synecdochice pro omni genere imbecillitatis accipitur, metaphora desumta ab ovibus, nam ex eis solent multae aestate, praesertim in calidioribus illis regionibus, ex nimio itinere, aestuve solis fatigatae, claudicare. Sic Mich. 4, 6. Zeph. 3, 19. *eo tempore, Jova inquit, congregabo* הַצֹּלַעַת *claudicantem, colligamque dispersam, quam afflixi*. Cf. Ps. 38, 18. Jer. 20, 10. Chaldaeus: *in contritione*, calamitate, *mea*. וְנֶאֱסָפוּ

Et collecti, congregati, *sunt*, convenerunt, sc. ad inferendum mihi damna adhuc plura, vel ut mihi acerbe illuderent, atque cum singulari oblectatione meum contemplarentur miserum statum. וַיֶּאֱסְפוּ עָלַי *Congregati*, inquam, *sunt adversus me*, repetitur eadem vox majoris emphaseos causa, ad exprimendum ardens nocendi studium, cujusmodi anadiplosis et 94, 23. 95, 6. 98, 4. 5. Quod sequitur, נֵכִים, interpretes recentiores tantum non omnes reddunt *claudos*, ex phrasi נֶכֶה רַגְלַיִם *claudus pedibus*, quomodo Mephiboseth dicitur 2 Sam. 4, 4. 9, 3. *Claudicantes* vero post Kimchium quibusdam interpretibus sunt homines penitus abjecti et nihili, e sordida faece plebis. Sed nemo veterum נֵכִים tribuit *claudorum* significatum. Alex. μάστιγες, Vulg. *congregata sunt super me flagella.* Ita et Syrus: *congregatae sunt adversus me scuticae.* Ac *potuisse* sane Hebraeis nomen נֵךְ, a נָכָה *percussit*, *flagellum* significare, quamvis ille Nominativus in V. T. non occurrat; nemo facile infitiabitur. (Eadem enim ratione שֵׁם *nomen*, derivatur a שָׁמָה.) Sic autem נֵכִים *flagella*, per metonymiam effectus, posita erunt pro eis, qui flagellis caedunt, vexatoribus. Nec tamen necesse erit, ad metonymiam confugere; quum, sicut a גָּאָה *superbivit*, גֵּאִים dicuntur, ita et a נָכָה *percussit*, נֵכִים, analogiae plane convenienter, possint esse *percutientes.* Atque hac ipsa voce latina nostram hebraeam reddidit Hieronymus, edoctus haud dubie a suo linguae Hebraeae magistro. Ita et Chaldaeus interpretatus est, quamvis non tam propriam vocabuli significationem, quam sensum, paraphrasi sua expresserit: *impii, qui percutiunt me verbis suis*, unde discimus, nostrum נֵכִים positum esse pro נֵכִים בַּלָּשׁוֹן, quae ipsa phrasis Jer. 18, 18. de prophetae adversariis usurpatur, falsas criminationes in eum proferentibus. Eadem figura Job. 5, 21. שׁוֹט לָשׁוֹן *flagellatio linguae*, de superbis oppressoribus, iisdemque accusatoribus innocentium dicitur. Sic itaque noster etiam queritur de sceleratis, qui criminibus falsis ipsum insimularent, quales Vs. 11. עֵדֵי־חָמָס vocaverat. Id quo magis exaggeret, addit, se hanc eorum perfidiam latuisse, nihil tale de eis fuisse suspicatum, וְלֹא יָדַעְתִּי *quod minime exspectabam*, quomodo יָדַע accipitur Vs. 8. Jer. 9, 19. Job. 9, 5. Alii: *neque ego sciebam* sc. causam hujus adeo gravis ac internecini adversus me odii. קָרְעוּ *Lacerant*, diris quibusque modis acerba mihi inferunt damna, me totum quasi injuriis discerpunt. קָרַע generatim significat *dissolvere*, *discindere*, quomodo de vestium laceratione usurpatur creberrime, veluti 2 Reg. 5, 8. Esr. 9, 3.; hinc de scissione regni 1 Sam. 15, 28. 1 Reg. 11, 31. 2 Reg. 17, 21., coelorum Jes. 63, 19., cordis in luctu Joel. 2, 13., de dilaniatione praecordiorum, Hos. 13, 8. וְלֹא־דָמּוּ *Neque silent*, h. e. crudelitatis ac violentiae illorum nullus est finis, non cessant a diris suis dilacerationibus. De דָּמַם i. q. דָּמָה vid. not. ad 4, 5. 31, 18. coll. Jer. 47, 6. *o gladie! collige te in vaginam, quiesce* וְדֹמִי *et cessa.* Thr. 2, 18. *plora, neque* יִדֹּם *cesset pupilla tua.*

16. Adversariorum suorum vilitatem magis amplificat, dum parasitos illos nunc describit, et mensarum asseclas, qui inter epulas aularum et propter has, quae est merces per se vilissima, assentantur principibus vel patronis, et calumniis irritant eos contra innocentes homines. שִׁנּוּ — בְּחַנְפֵי *Cum impiis sannarum collyrae frendent contra me dentibus suis*, sc. illi נֹכְרִים *calumniatores* Vs. 15., quasi dicat, obtrectatores isti maligni non sunt soli, sed sociati insuper iisdem sunt sanniones impii. Praepositio בְּ valet עִם *cum*, seu comitatum denotat, ut 1 Sam. 1, 24. *abduxit eum* בְּפָרִים *cum juvencis*. Nomen חָנֵף significat *hominem profanum*, *impurum*, *turpem*, *flagitiis palam pollutum*, a חָנַף *contaminari*, *profanari*, quomodo terra per impios incolas Jes. 24, 5. Jer. 3, 1.; per adulterium Ps. 106, 38.; per sanguinem Num. 35, 33. Hinc Jer. 23, 11. *cum vates*, *tum et sacerdos* חָנְפוּ *contaminati*, profani *sunt*. Mich. 4, 11. תֶּחֱנָף *contaminetur*, profanetur, Zion. Unde חָנֵף ubique in V. T. hominem *profanum* et *palam impium* designat, veluti Job. 8, 13. 13, 16. 15, 34. 17, 8. 20, 5. et locis plurimis aliis. Nusquam חנף de *hypocrisi* dicitur, quamvis verbum חנף in Hiphil pro *adulari* usurpent doctores hebraei, Chaldaeum forsan sequuti, qui sensum magis, quam verborum notionem respiciens, nostro loco vertit: *verbis blanditiei*. Sed Syris quoque חנפא semper *impurum*, *profanum*, *impium* significat, quare in N. T. saepe pro *gentili*, sive *ethnico*, ut Matth. 6, 7. 10, 5. 18, 17. usurpatur. לַעַג est *subsannatio*, vel *derisio amara*, qualem experiebatur Jobus 34, 7., populus Israeliticus a gentibus vicinis, Ps. 79, 4. 123, 4. Ez. 23, 32. 36, 4. De etymo vid. ad Ps. 2, 4. 22, 8. חַנְפֵי *profani*, in forma contracta, regiminis indice, juncti לִעֲגֵי, pro אַנְשֵׁי לעגים *viri sannarum*, vel *subsannationum*, quos *sanniones* appellant. Quomodo תַּעֲלוּלִים *illusiones*, pro אַנְשֵׁי תַּעֲלוּלִים *viri illusionum*, illusores, Jes. 3, 4. Ad verbum ergo est *profani sannionum* (uti Prov. 14, 1. *sapientes mulierum*, ubi Graecus: *σοφαὶ γυναῖκες*), i. e. sannionum profanissimi, impurissimi. Sic Ez. 7, 24. *mali gentium*, pro *pessimis quibusque e gentibus*, dicitur. Et *bonus eorum*, pro *optimus ex eis*, sive *inter eos*, Mich. 7, 4. Porro לַעֲגִי etiam regiminis formam gerit, quo ad מָעוֹג regendum destinari ostendatur, quod idem plane significare, quod עֻגָה, hoc est, *panem subcinericium*, patet ex 1 Reg. 17., quo loco, quod מָעוֹג Versu 12. idem ipsum עֻגָה Vs. 13. dicitur. Sunt autem *sanniones panis*, qui aliena vivere quadra assuefacti mensas et symposia affectantur, in quibus scommatibus et dicacitate scurrili convivis risum ciere, ventris causa, solent. Similiter apud Talmudicos לָשׁוֹן עוּגָה *sermo placentae*, usurpatur de sermone jocoso, inani, levi, qualis esse solet eorum, qui placentae causa aliis adulantur, vel alios eludunt. Hinc recte Jarchi ad h. l.: *Adulatores agunt apud Saulem, ut ipse eis cibum ac potum praebeat.* Alexandrinus *μυκτηρισμόν*, *subsannationem*, Chaldaeus *derisores*, reddidit; reliqui veteres, Syrus et Symma-

chus, voc. מָעוֹג non expresserunt, ideo haud dubie, quod ejus vim h. l. non satis caperent. Ceterum notetur, h. l. סמוך עַל סמוך, *regimen super regimen venire*, ut Hebraei loquuntur, h. e. tria invicem connecti substantiva, quemadmodum et Ps. 78, 9. Infinitivus autem חָרֹק *frendere* per enallagen ponitur pro Praeterito, quale praecessit Vs. 15. קָרְעוּ. Ita Coh. 8, 9. רָאִיתִי וְנָתוֹן אֶת־לִבִּי *vidi et applicui cor meum*; Cap. 9, 11. שַׁבְתִּי וְרָאָה *verti me et vidi*. Jer. 31, 2. הָלוֹךְ *ivit ad requiem Israel*. Verb. חָרַק adhiberi solet ad exprimendos hominis furibundi, vel insigniter irati gestus, ut Job. 16, 9. Irati me rapiunt, prae suo in me *odio* חָרַק עָלַי בְּשִׁנָּיו *frendent contra me dentibus*. Thr. 2, 16. *aperiunt contra te omnes tui adversarii os suum, sibilant, ac dente frendent dicentes, perdamus* etc. Cf. Ps. 37, 12. 112, 10.

17. Magni affectus est, quod ait, אֲדֹנָי כַּמָּה תִרְאֶה *Domine, quousque adspicies?* reticentia enim est, et subaudiendum, nec fers opem, et depellis illorum improbitatem? Quousque malignas istas confociationes et injurias, innocenti homini illatas, otiosi instar intueberis? הָשִׁיבָה נַפְשִׁי מִשֹּׁאֵיהֶם *Reduc animam meam a devastationibus eorum*, libera me a calamitatibus, quas mihi illi inferunt, quibus me afflictum omnibus exuunt bonis, ut instar urbis exspoliatae vastatacque regionis destitus sim rebus omnibus. Nomen שׁוֹאָה (ad formam יוֹרֶה *pluvia*) in forma masculina alias non reperitur; haud dubie tamen descendit a שָׁאָה *vastari*, ut solent urbes per bellum privatae incolis, Jes. 6, 11., ac proinde convenit cum שׁוֹאָה Vs. 8. מִכְּפִירִים *A leonibus* sc. *reduc*, quod est repetendum; innuuntur hostes leonino ingenio, rapacitate ac robore instructi. Eadem imago 22, 22. De כְּפִיר vid. 34, 11. יְחִידָתִי *Solitariam meam*, vid. 22, 21.

18. Votum de laudando Jova nuncupat. אוֹדְךָ בְּקָהָל רָב *Celebrabo te in coetu magno*, palam enarrabo tua in me benefacta, aliosque ad similem in te fiduciam exhortabor. בְּעַם עָצוּם אֲהַלְלֶךָּ *In populo numeroso te laudabo*. עָצוּם usurpatur tam de eo, qui praevalet viribus, quam qui numerositate vel copia praepollet, v. g. peculium copiosum, מִקְנֶה עָצוּם Num. 32, 1., גּוֹי עָצוּם gens numerosa Deut. 9, 14. Cf. Prov. 7, 26. Nec aliter Germani voce *stark* tam de viribus, quam de copiositate utuntur, v. g. *starke Armee*.

19. Redit ad preces, Vs. 17. inchoatas. אַל־יִשְׂמְחוּ־לִי אוֹיְבַי שָׁקֶר *Ne gaudeant de me, qui immerito mihi hostes sunt*, ne permittas, quaeso, ut de successu suo contra me innocentem triumphare possint, quomodo jam factum fuisse conquestus fuit Vs. 15. Praefixum לְ verbo שָׂמַח subjunctum denotat laetitiae objectum, valetque *de*, ut 25, 2. 9, 11. Sic Num. 8, 20. *mandavit Jova Mosi* לְלֵוִיִּם *de Levitis*; Gen. 20, 13. אִמְרִי־לִי *dic de me*. שָׁקֶר (vid. 33, 17.) h. l. adverbialiter: *falso*, respondetque ei חִנָּם in hemistichio sq. Referendum est ad odii causam, hoc sensu:

qui inimicitiae vel odii in me falsas suborn.ant causas. שֹׂנְאֵי חִנָּם וְיִקְרְצוּ־עָיִן Et ne *ii, qui me odiunt absque causa, nictent oculis*, voluptatem, quam de malo meo percipiant, nutibus oculorum testentur, cf. Prov. 6, 13. 10, 10.

20. כִּי לֹא שָׁלוֹם יְדַבֵּרוּ *Etenim non pacem loquuntur*, consilia dant maxime turbulenta, mera bella et furores spirantia, inflammant contra me alios. Cf. Gen. 37, 4. Per litoten loquutio negativa ponitur pro contraria affirmativa cum emphasi, ut Ex. 20, 7. *non innocentem habebit*, h. e. gravissime puniet, cf. Ps. 5, 5. 9, 11. 30, 2. *Loqui* autem *pacem*, est proferre ejusmodi sermones, qui pacem vel conservant, vel labantem, aut plane excussam, denuo instaurent. Alex. ὅτι μοὶ μὲν εἰρήνην ἐλάλησαν, *pacifice mecum loquuti sunt.* Neque tamen pro לֹא legit לִי, sed לֹא interrogative sumsit, pro הֲלֹא *annon*, qua ratione affirmativam gignit orationem, et pron. לִי subauditur: *nam annon pacem* mihi *loquuntur?* וְעַל־רַגְעֵי־אֶרֶץ יַחֲשֹׁבוּן — *Et contra quietos terrae verba fraudum cogitant*, contra homines pacis studiosissimos dolos concinnant. Loquutione רַגְעֵי־אֶרֶץ exprimitur superlativus gradus, sicuti 2 Reg. 10, 6. *magni civitatis* sunt praecipui, sive Optimates. Ita Jes. 23, 8. *honorati terrae*, i. e. honoratissimi. רַגְעֵי, quamvis alias non occurrat, certum tamen est, significare *tranquillos*, ex nomine מַרְגּוֹעַ *requies*, Jer. 6, 16. Jes. 28, 12., ad quem loc. vid. Schol. Hinc Chaldaeus: *et contra justos terrae, qui tranquille vivunt in mundo hoc.*

21. וַיַּרְחִיבוּ עָלַי פִּיהֶם *Dilatant contra me os suum*, risu atque cachinno, cf. ad 22, 8. אָמְרוּ הֶאָח הֶאָח *Dicunt eja! euge!* Interjectio gaudentis, vel de casu aliquo exultantis, ut patet ex Job. 39, 25. Ps. 40, 16. 70, 4. Jes. 44, 16. Ez. 25, 3. רָאָתָה עֵינֵנוּ *Vidit oculus noster*, subaudiendum: id, quod jamdudum videre optavimus, Davidem prostratum jacere.

22. רָאִיתָה יְהוָה *Vidisti, Jova!* Utcunque adhuc, praevalentibus mihi improbis istis visus sis non videre, quae mihi iniqua et atrocia fecerunt, scio tamen te vidisse omnia, eoque tandem judicium de me facturum, et jus meum adserturum; id ergo ut facias, oro: אֲדֹנָי אַל־תִּרְחַק אַל־תֶּחֱרַשׁ *Domine, ne velis procul abesse a me*, auxilio tuo. Cf. 10, 1. מִמֶּנִּי

23. הָעִירָה *Expergiscere!* vid. 7, 7. וְהָקִיצָה לְמִשְׁפָּטִי *Et evigila ad judicium meum*, ut jus meum vindices, ut instar justi judicis me, tanquam inique pressum, tandem aliquando liberes ab iniquis meis adversariis. Cf. 9, 5. 17, 2. Mich. 7, 8. לָרִיבִי *Ad litem meam*, subaudi: expergiscere! Tandem aliquando compone te ad cognoscendam causam inter me meosque adversarios. Cf. Vs. 1.

24. שָׁפְטֵנִי כְצִדְקֶךָ *Judica me*, causam meam adferas, *pro tua justitia*, וְאַל־יִשְׂמְחוּ־לִי *ut ne laetentur de me*, vid. Vs. 19. Praefixum ו h. l. reddendum est causaliter: *ut ne*, ut 18, 39.

24, 7. 28, 1. Causa enim indicatur judicii accelerandi, nimirum cessatio ἐπιχαιρεκακίας.

25. אַל־יֹאמְרוּ בְלִבָּם *Ne dicant in corde suo*, q. d. non modo prohibeas, ut convicia in me jactent, mihique illudant, verum etiam, ne vel tacitis cogitationibus sibi gratulentur, atque triumphent de meo infortunio. הֶאָח נַפְשֵׁנוּ *Eja anima nostra*, h. e. votum, desiderium nostrum! subaudi: jam successit, completum est. נֶפֶשׁ, ut Vs. 13. 27, 12. אַל־יֹאמְרוּ בִּלַּעְנוּהוּ *Ne dicant: absorpsimus ipsum*, totum ipsum subvertimus atque e medio sustulimus. Ita בָּלַע *deglutire*, figurate dicitur de eo qui aliquid totum consumit, Jer. 51, 34. de Nebucadnezare, Sionem, draconis instar, ventrem suum deliciis ejus replentis, absumente; Prov. 1, 12. de impiis, justi opes absorbentibus. Pertinet huc, quod Vs. 17. hostes suos leonibus comparavit.

26. יֵבֹשׁוּ — רָעָתִי *Erubescant et pudore suffundantur pariter laetantes de malo meo.* De בּוֹשׁ vid. 22, 6. 25, 2., de חָפַר 7, 17. 34, 6. et de יָחַד 34, 4. Participiale שֹׂמֵחַ ponitur in regimine instar substantivi, ut Ps. 25, 12. יְרֵא יְהוָה, 34, 19. דַּכְאֵי רוּחַ. — יִלְבְּשׁוּ בֹשֶׁת וּכְלִמָּה *Induant pudorem et ignominiam*, pudore et ignominia afficiantur. *Induere* saepius significat rem aliquam alicui penitus arctissimeque adjungere ut propriam, sicut homo induit sibique penitus adjungit, et quasi adglutinat vestimentum, ut jam quasi unum quid, et non amplius res diversae videantur. Cf. 109, 18. 29. 132, 18. Ez. 7, 27. Job. 8, 22. הַמַּגְדִּילִים עָלָי *Qui sese contra me magnos faciunt*, h. e. qui fastuose se extollunt contra me innocentem ac miserum, qui omnis aequi ac juris sunt obliti. Sic verbum גָּדַל, in Hiphil *magnum fecit*, vel alium, vel se ipsum, sequente עַל reciproce est exponendum, tanquam in Hithpael, *magnificavit*, vel, extulit sese contra alium, ut 38, 17. 55, 13. Ez. 35, 13.

27. יָרֹנּוּ וְיִשְׂמְחוּ חֲפֵצֵי צִדְקִי *Ovent et laetentur amantes justitiam meam*, qui justae causae meae favent, atque volunt ex animo, innocentiam meam manifestam fieri. וְיֹאמְרוּ תָּמִיד יִגְדַּל יְהוָה *Dicantque: magnus sit Jova continuo*, in animis linguisque hominum, qui maxima et gloriosa quaeque de hoc summo numine sentiant et loquantur. Simili modo 2 Sam. 7, 22. *ideo* גָּדַלְתָּ *magnificatus es*, *Jova*, *quia nullus est sicut tu.* הֶחָפֵץ שְׁלוֹם עַבְדּוֹ *qui vult* (vid. ad 34, 13.) *pacem servi sui*, qui tandem rebus ipsis ostendit, quantopere paci et prosperitati servi sui studeret, h. e. meae prosperitati; vates namque de se in tertia loquitur persona, tanquam de alio, quod hac ratione formulam laudis fautoribus suis praescribit, ita tamen, ut simul suam tum erga dominum supremum fiduciam et obsequium, tum vicissim domini erga se praesidium, voce *servi* s. cultoris, inferat. Cf. Ps. 31, 7.

28. וְלְשׁוֹנִי תֶּהְגֶּה צִדְקֶךָ *Et mea etiam lingua eloquetur justitiam tuam*; respondent haec Versui 27., q. d. non tantum alios

sinam meis verbis meoque nomine gratias tibi agere, et celebrare beneficia tua; sed ipse etiam a me meaque hoc praestabo. De הדה vid. 1, 2. כל־היום תהלתך *Omni die laudem tuam*, sc. celebrabo.

Ps. 36.

Initium carminis queritur de moribus et vita impiorum, qui tum poetam exercebant, quorum mores tales, et ingenia esse talia, qualia describit, cum malo nimirum suo expertus, ut videtur, didicerat. Turbis autem in vita, quae ab his existunt, et quod tolerat eos Jova, et impune grassari sinit, his igitur ne offendamur, opponit inde a Vs. 6. considerationem providentiae, potentiae, justitiae, atque veritatis Dei, quibus sic tamen, quantumvis turbantibus impiis, mundum ille hunc, et genus humanum, creaturasque suas, et vitam hanc perturbatissimam, administrare et gubernare se ostendit. Hinc Deum rogat, ut hac sua benignitate ac misericordia cultores suos dignetur, et commendat pios Deo in genere, et inter hos se etiam ac suam causam, petitque se protegi adversus impios, quibus et Vs. 13. interitum certum praedicit. — Similes sunt huic Psalmo *duodecimus* et *decimus quartus*. Neque tamen propterea hunc illis *συγγενὲς* esse statuere necesse est.

1. לְעֶבֶד יְהוָה לְדָוִד *Servi Domini, Davidis.* Subjunguntur sibi haec nomina per appositionem, et quidem ita, ut ante לעבד sit subaudiendum מִזְמוֹר *Psalmus*, שִׁיר *canticum*, aut aliud aliquod ex Ps. 4, 1. 5, 1. 6, 1. 8, 1. aliisque. Ornatur in hac inscriptione Davides peculiari elogio, ut *servus*, sive *cultor Jovae* appelletur, id quod fit etiam in titulo Ps. 18., et in his quidem duobus solis, ut unus et idem inscriptionis utriusque auctor fuisse videatur. Nam a Psalmis ipsis quae probabilis causa mentionis talis afferri possit, non video. Idem dignitatis s. honoris titulus Mosi tribuitur Num. 12, 7. Deut. 34, 5. Jos. 1, 1.

2. נְאֻם־פֶּשַׁע לָרָשָׁע בְּקֶרֶב לִבִּי Haec verba non uno modo ab interpretibus explicantur. Atque nomen נְאֻם quidem quod attinet, quod plus centies in V. T. exstat, semper id ponitur in regimine, ita ut sequens genitivus designet personam loquentem (excepto Jer. 23, 31., ubi de Pseudoprophetis וַיִּנְאֲמוּ נְאֻם), ut נְאֻם־יְהוָה *dictum Jovae;* imo semper cum nominibus Dei conjunctum reperitur, exceptis locis Num. 24, 3. 4. 15. 16., ubi de dicto Bileami, 2 Sam. 23, 1., ubi de Davidis dicto, Prov. 30, 1., ubi de dicto Aguris ad Ithielem usurpatur, et denique hoc loco. Hinc interpretum nonnulli Jarchium sequuti, vocem פֶּשַׁע *praevaricatio*, h. l. ita accipiunt, ac si per prosopopoeiam introducatur Nequitia impiorum, proloquens effatum tale, ex quo satis appareat, nullam apud hos reperiri reverentiam numinis. Sic Mendelii filius: *Das Laster predigt selbst dem Frevler (so denk' ich mir im Herzen): Furcht Gottes sey vor deinen Augen nie!* Recentiorum plerique pro לִבִּי legendum putant לִבּוֹ, quod expresserunt Alexandrinus,

Vulgatus, Arabs, Syrus, Hieronymus, Chaldaeus; quod ipsum etiam in paucis quibusdam Codd. exstat. Quo adscito verba hebraea sic erunt reddenda: *oraculum* (quae propria est significatio nominis נְאֻם) *impietatis improbo est in corde suo*, h. e. quidquid homini impio animi improbitas suadet et imperat, id oraculi loco habet, id sibi divinum, ratum, irrevocabile videtur, omnibus religionis legibus posthabitis; sive: cor impii quasi templum est sceleris, quod ei non nisi facinora turpissima suggerit. Attamen quum vix credibile sit, eam scripturam, quae facilioris explicationis est, si genuina fuisset, e codicibus hebraeis fere exulasse, ejusque locum explicatu difficiliorem occupasse; quod vulgo receptum est, לִבִּי, non videtur rejiciendum. Atque sensus, eo retento, satis concinnus prodibit, si verba hoc modo capiamus: *dictum defectionis*, summae improbitatis, quod est *impio*, quod semper in ore habere solet, est *in corde meo*, i. e. quale sit institutum defectionis apud improbum, perpendo, idque graviter me afficit. Sentio, rem omnem eo redire, quod nulla Dei reverentia illis inest. Quod dicunt verba quae sequuntur: אֵין פַּחַד אֱלֹהִים לְנֶגֶד עֵינָיו *nullus pavor Dei in conspectu oculorum ejus*, ipsius menti plane non obversatur aliqua Dei religio. Nec improbabilis est De Wettii sententia, proponere poetam hoc Versu carminis argumentum (ut Ps. 45, 1. 101, 1.), ut hic sit sensus: *dictum*, i. e. poema de improbitate impii in meo animo est, dicere mihi propositum est. De poetae dicto נְאֻם et 2 Sam. 23, 1. Prov. 30, 1. legitur. De פֶּשַׁע vid. Ps. 25, 7.

3. כִּי־הֶחֱלִיק אֵלָיו בְּעֵינָיו *Nam blanditur sibi in oculis suis*, quandoquidem improbus omni caret numinis reverentia, adeoque connatos conscientiae stimulos prorsus supprimit, peccatorum suorum magnitudinem adeo extenuat, ut sibi ipsi blandiatur egregie, se ipsum magnificiendo, alios contemnendo, scelera sua excusando et defendendo. חָלַק *laevis*, *glaber*, *lubricus fuit*, ut *butyrum* 55, 22., aut *oleum* Prov. 5, 2., aut cutis depilis Gen. 27, 11. 16. sensu translato dicitur quoque de *sermonibus mollibus*, *laevigatis*, *blandis*, *adulatoriis*, ut Ps. 5, 10. Prov. 2, 16. 7, 5. 28, 23. 29, 5. *vir*, *qui blanditur amico suo*, *rete coram ipso expandit*. Atque sic etiam h. l. nonnulli nominativum faciunt פֶּשַׁע, *praevaricatio* blanditur etc., h. s. *blandis persuasionibus egit apud illum*, *ut placere incipiat ipse sibi flagitiis suis*. Verum commodius omnino videtur, de הָרָשָׁע *impio* continuari sermonem, adeo ut loco פַּחַד אֱלֹהִים *timoris Dei*, dicatur ipse *blanditiis studere*, quas opponit conscientiae stimulis. Porro, sicut antea dicebatur, *in oculis ejus*, impii, nullam esse Dei reverentiam, ita nunc subjungitur, *in oculis ipsiusmet* esse meras blanditias, quas miser hic ad decipiendum semet ipsum ingeniose excogitat, לִמְצֹא עֲוֹנוֹ לִשְׂנֹא *respectu habito ad invenire culpam suam ad odiendum*, adeo se ipsum pervertit, adeo homo sceleratus ipsemet sibi placet, ut culpae alienjus reum ideoque poena et odio dignum se minime agnoscat.

Invenire culpam alicujus, significat, criminis alicujus reum aliquem reperire, invenire in aliquo, propterea quod puniendus sit. Sic Gen. 44, 16. *Deus invenit culpam servorum tuorum*, h. e. Deus invenit, unde puniret servos tuos ob scelus in fratrem admissum. Et Hos. 12, 9. *profecto dives sum, divitias mihi comparavi, neque invenient mihi culpam*, neque quisquam paratarum malis artibus divitiarum reum me accusare, ideoque poenas a me exigere poterit. Praetermitto alias hujus loci interpretationes, quibus vatis nostri breviloquentia et inde enata sensus ambiguitas occasionem dedit.

4. Fructus tantae perversitatis nunc describit. Oris pravitatem et contemtum doctrinae melioris canit hic Versus: דִּבְרֵי־פִיו אָוֶן וּמִרְמָה *Verba oris sui*, quicquid loquitur, *iniquitas est et dolus*, חָדַל לְהַשְׂכִּיל לְהֵיטִיב *omittit intelligere ad bene agendum*, fugit doceri, ut bene faceret. Per asyndeton ambo hi Infinitivi accipi possent, hoc modo: omittit tum attendere intellectu, tum bene agere; sed commodius connectuntur ita, ut posterior exprimendus sit per Gerundium in *dum:* subtrahit semet ipsum, ut ne intelligat, quomodo recte ei sit agendum.

5. Cordis et factorum pravitas describitur. אָוֶן יַחְשֹׁב עַל־מִשְׁכָּבוֹ *Pravitatem in cubili suo excogitat.* Noctu, cum maxime scilicet vacat animus, tempus est, ut ad se homo redeat, et meliora cogitet, si etiam toto die male vixisset; sed tum etiam improbi excogitant, quomodo die quosque injuria afficiant, et sua commoda aliorum incommodis augeant, unde sequitur, quod יִתְיַצֵּב עַל־דֶּרֶךְ לֹא־טוֹב *sistat se in viam minime bonam*, h. e. addicat se perversis institutis quam constantissime, quod verbo יִתְיַצֵּב indicat, *statuit se* (vid. ad 2, 2.), pertinaciter in ea via persistere apud se constituit. רָע לֹא יִמְאָס *Malum non aversatur*, quasi decreat, quid opus verbis? adeo non detestatur scelera, ut sectetur ea potius, ideo necesse est, ut cuncta ejus cogitata, dicta, et facta noxia sint et pestilentia. Hactenus de pravitate improborum, et omnino videtur occasionem vati dedisse haec canendi aliquorum insignis improbitas, quibus tum ex sententia omnia ceciderint.

6. Sed quicquid fiat aut turbetur ab hoc genere in vita, ideo non desinit providentia tua genus humanum et creaturas tuas respicere et complecti. יְהוָה בַּהַשָּׁמַיִם חַסְדֶּךָ *Jova, usque ad coelos gratia tua* pertingit. Particulam ב valere h. l. *usque ad*, ut Gen. 11, 4. *(turrim* בשמים *ad coelos)*, docet locus parallelus Ps. 57, 11. et hemistichium alterum, אֲמוּנָתְךָ עַד־שְׁחָקִים *Et fides tua usque ad nubes.* Sensus: beneficentia tua fidaque prospectio superat omnia in hoc orbe alta, augusta, vel excellentia. Eadem hac phrasi incomparabilis describitur excellentia, qua ultra captum humanum est, 57, 11. 108, 5. Jer. 51, 9.

7. צִדְקָתְךָ כְּהַרְרֵי־אֵל *Justitia tua quasi montes Dei*, summe est conspicua, omnem hominum justitiam excellit longissime.

Montes Dei autem sunt *montes maximi* ex linguae Hebraicae consuetudine. Quum enim ex iis, quorum aliquid Deo conseerandum erat, optima quaeque legerentur (cf. Num. 18, 12.); *Deo* consecrata, *Dei* propria, *divina* appellabantur, quae in suo genere praestabilia et summa intelligi debebant. מִשְׁפָּטֶיךָ *Judicia tua*, exequutio decretorum tuorum, consilia et gubernandi ratio, juxta quam te orbis universi judicem ac gubernatorem tuis tum beneficiis, tum punitionibus demonstras, תְּהוֹם רַבָּה sunt *abyssus magna*, non possunt pervestigari, non magis quam oceanus vastus et profundissimus. אָדָם וּבְהֵמָה תּוֹשִׁיעַ יְהוָה *Homines et pecudes conservas, Jova!* omnes omnino creaturae, non solum nobiliores, verum et bruta animantia, quae intelligentia carent, providentiae tuae curam, et manus tuae liberalitatem atque tutelam experiuntur.

8. מַה־יָּקָר חַסְדְּךָ אֱלֹהִים *Quam pretiosa*, praeclara, magni facienda *est gratia tua.* מָה, pronomen interrogativum, *quid?* fit nonnumquam particula admirantis, verbo, nomini vel particulae praepositum; ut 3, 2. 8, 2. 21, 2. 31, 20. וּבְנֵי אָדָם בְּצֵל כְּנָפֶיךָ יֶחֱסָיוּן *Ut homines in umbra alarum tuarum* (vid. 17, 8.) *confidant*, confidere possint, ut liceat ipsis sub umbram et protectionem tuam sese recipere, quoticscunque duris et periculosis temporibus urgentur. Particula ו h. l. commodissime redditur *ut*, quemadmodum 18, 39. 24, 7. 35, 24. De חָסָה vid. 2, 12. coll. 5, 12.

9. יִרְוְיֻן מִדֶּשֶׁן בֵּיתֶךָ *Adimplentur pinguedine domus tuae*, copiosissimis ac summe oblectantibus tuis beneficiis homines tuos satias, adeo ut eis perfusi delibutique videantur. De רָוָה vid. 23, 5. H. l. metaphora petita est a cibis delicatis, ita ut *pinguedo* ponatur pro cibis pinguibus, optimis et lautis, veluti Job. 36, 16. *requies mensae tuae plena pinguedine*, i. e. cibis delicatis. Sic *pinguedo terrae*, pro optimis terrae fructibus Gen. 27, 28, 45, 18. Ps. 81, 17. *Domus Dei* h. l. est mundus, in quo divina providentia prospexit, non solum necessariae vitae humanae sustentationi, verum etiam copiae et abundantiae. Eadem sententia adfuit 33, 5. וְנַחַל עֲדָנֶיךָ תַּשְׁקֵם *Et torrente voluptatum tuarum potas eos*, beneficiis tuis deliciisque copiosissime eos afficis, exhilaras eos perenni donorum tuorum favorisque jucundissimi copia. *Torrens* enim ad denotandam rei alicujus abundantiam perennifluam solet adhiberi, ut *torrens mellis et butyri* Job. 20, 17. Cf. Jes. 66, 12. Amos. 5, 24.

10. כִּי עִמְּךָ מְקוֹר חַיִּים *Nam penes te est fons vitae.* מְקוֹר (a קוּר *fodere puteum* Jes. 37, 25. 2 Reg. 19, 24., in Hiph. *ebullire*, instar fontis, Jer. 6. 7.) designat *scaturiginem*, unde *perennes* emanant *aquae* (מַיִם חַיִּים propr. *aquae vitae*, h. e. non stantes, instar paludis, sed indesinenter fluentes) Jer. 2, 13. 17, 13. Saepius autem *fons vitae* solet poni pro qualibet re amoena ac salutari, sive pro bono eximio, quod in regionibus illis Orientis aut Meridiei fervidioribus nihil perinde desideratur, quam aquae lim-

pidae copia. Sic *os pii* appellatur מְקוֹר חַיִּים Prov. 10, 11., item informatio sapientis 13, 14., intelligentia 16, 22. Quare et h. l. redditur ratio, cur Deus deliciarum torrentibus potare possit suos, nimirum quia penes eum est *scaturigo vitae*, h. e. inexhausta et perenniflua copia bonorum omnium, quae voce *vitae* (vid. ad 16, 11. coll. 30, 6. 34, 13.) comprehendi solent. בְּאוֹרְךָ נִרְאֶה־אוֹר *In lumine tuo videmus lucem*, per favorem tuum fruimur omnigena prosperitate. *Lumen Jovae* est *favor*, benignitas Dei, vid. ad 4, 7. coll. 89, 16. רָאָה *frui*, ut 16, 10. 34, 13. Alterum vero אוֹר denotat omnigenam prosperitatem; sicut enim tenebrae symbolum solent esse miseriarum, pavoris ac tristitiae, Jes. 59, 9.; ita contra *lux* gaudii, hilaritatis, omnisque felicitatis. Cf. ad Ps. 27, 1.

11. מְשֹׁךְ חַסְדְּךָ *Protrahe gratiam tuam*, h. e. prolixiorem ac diuturnam semper fac tuam gratiam, perge in hac tua benignitate demonstranda. מָשַׁךְ (de quo vid. 28, 3.) h. l. *continuationem* indicat, ut 85, 6. 109, 12. Jer. 31, 3. Sic Ex. 19, 13. et Jos. 6, 5. de protractione clangoris buccinae dicitur. לְיֹדְעֶיךָ *Cognoscentibus te*, h. e. qui praeter veram tui agnitionem etiam serio te colunt; quippe verba *notitiae*, sicuti de Deo usurpata etiam includunt affectum amoris et effectum beneficentiae, vid. 1, 6. 37, 18. Am. 3, 2.; ita quoque, quando de hominibus enunciantur, comprehendunt aestimium, amorem, fiduciam, vid. 9, 11. 91, 14. Prov. 3, 6. וְצִדְקָתֶךָ *Et justitiam tuam*, pro qua innocentes defendis, improbos, qui eosdem persequuntur, punis. לְיִשְׁרֵי־לֵב *rectis corde*, qui simplici animo, bono, candido, tibi serviunt. Cf. 32, 11. coll. 7, 11. 9, 2.

12. אַל־תְּבוֹאֵנִי רֶגֶל גַּאֲוָה *Ne veniat super me pes superbiae*, ne, quaeso, permittas, ut proculcet, vel supplantare me possit pes superborum. Affixum verbi intransitivi תָּבוֹא h. l. resolvendum est in particulam separabilem עַל *contra*, vel *super me*, ut in קָמַי *insurgentes contra me*, Ps. 18, 40. Sic Ez. 32, 11. *Gladius regis Babel* תְּבוֹאֵךְ *veniet super te*. *Pes* vero *superbiae* significat hominum fastuosorum violentiam, qua debiles prosternunt et quasi proculcant. וְיַד רְשָׁעִים אַל־תְּנִדֵנִי *Et manus*, i. e. *machinatio*, *conatus improborum ne me vagari faciat*, e sedibus meis in exilium propellendo. נוּד *vagari*, Ps. 11, 1., in Hiphil *vagari fecit*, usurpatur de iis, qui in exilium propelluntur 2 Reg. 21, 8.

13. Precibus suis vates, pro more, subjungit statim earum effectum, hostium ruinam, adeo quidem sibi certam, ut eam quasi praesentem videat: שָׁם נָפְלוּ פֹּעֲלֵי אָוֶן *Illic corruunt patrantes iniquitatem!* jam pereunt impii! Alii particulam שָׁם vertunt *tunc*, quando scilicet mihi minantur exilium et perniciem. De פעלי און vid. 5, 6. 6, 9. 14, 4. 28, 3. דָּחוּ וְלֹא־יוּכְלוּ קוּם *Impelluntur* (vid. ad 35, 5.) ad casum, ita ut prosternantur, *ut nequeant surgere*, damnum ipsis illatum est irreparabile, veluti cum saucius quis ex lethali vulnere ita procidit, ut vires resurgendi supersint nullae.

Ps. 37.

Ne homines falsa improborum felicitate decepti, illos aemulari studeant virtute rejecta, docet hoc carmine, brevem et vanam illorum esse prosperitatem ac potentiam, contraque piorum hominum acrumnam brevem, diuturnam porro felicitatem. Quam sententiam vates perpetua antithesi conditionis, eventuum, fortunae, exitus, morum, et vitae piorum et impiorum inculcat.

Sunt vero in hoc carmine plura, quae vatem non in universum de felici conditione piis in hac vita exspectanda agere arguant. Primum enim, quod Vs. 6. 15. 19. dicit, probos vitae recte actae praemia tandem consequi, malos vero nihil adversus eos proficere, sed exitiales ipsis esse eorum conatus, longe aliter usu venire constat. Quod et testatur Ecclesiastes 4, 1. 7, 16. 8, 11. 9, 2. 3. 11. 10, 6. Deinde magnificae promissiones de terra perpetuo possidenda, e qua impium hominum genus sit exstirpandum (Vs. 18. 28. 29.), nequaquam tales recte putari possunt, quae doceant, qualem in regundis hominum rebus modum tenere soleat Deus. Quae quum ita sint, nos quidem haud dubitamus, vatem hoc carmine consolari voluisse suos populares exterorum tyrannide oppressos, eorumque animos confirmare et erigere hac spe, propriam et perpetuam possessionem terrae omniumque bonorum incolis terrae a Deo destinatorum, certo manere homines vere pios, et quidem fidei causa (Vs. 40.), dummodo in fide et virtute constantes maneant. Quare etsi aliquamdiu impii terram occupent, ejusque bonis fruantur, piis non esse desperandum, et ne indignari quidem ea de re decere; fore enim, ut cito sors mutetur; tempus felicitatis impiorum pro nihilo reputandum esse, quum properent ad exitium, omnia bona vero piis sint cessura, et in aeternum quidem. Quas promissiones illustrat iis, quae in vitae suae cursu ipse observavit piis improbisque accidere, Vs. 25. 35.

Structura hujus Ps. eadem est, qua poeta Ps. 25. (ubi vid. Argument.) aliisque nonnullis usus est. Sequutus est enim ordinem alphabeticum. Inter א et ב, et sic deinceps, Versum interseruit. Literae ד, כ et ק vero nonnisi unicum Versum habent, ס autem tres, et ע prorsus deficit. Regularem Versuum seriem restituere tentavit, mutatis ex conjectura illorum distinctionibus, J. J. Bellermann in *dem Vers. üb. d. Metrik d. Hebräer*, p. 117. sqq.

1. Propositio Psalmi, qua pii monentur: אַל־תִּתְחַר בַּמְרֵעִים *Ne exardescas ob malos*, ne ex nimia impatientia ob tuum infortunium aut vilitatem, et ex invidia propter impii felicitatem animum tuum sinas transversum agi. חָרָה *exarsit*, semper (tam expresse cum nomine אַף conjunctum, quam elliptice sine eo occurrens, ut 18, 8.) usurpatur de aestu animi, in ira vehementiori, cum aliquis totus ferme accenditur, meraseque spirat flammas, quomodo etiam Latini loquuntur: *ardescere in iras*, *accendi furiis*, *gerere irarum sub pectore flammas*, imo cum igne comparatur ira vehe-

mens 79, 5. 89, 46. Deut. 32, 22. In Hithpael occurrit tantummodo hoc Psalmo, Vss. 1. 7. 8. et Prov. 24, 19., ubi hacc ipsa verba recurrunt. Indicat vero ea conjugatio propriam sui ipsius concitationem, cum quis, conspecta impiorum sorte prospera, indulget invidiae, et suggestionibus importunis, atque continuatis hujusmodi cogitationibus se ipsum tandem quasi inflammat ad invidiam. Alexandrinus hebraeum verbum in nostro Ps. constanter *παραζηλοῦν* vertit, quod Vulgatus *aemulari* reddidit, ut sensus sit: ne certes adversus malignantes, ut illos aeques. Praefixum ב ante מרעים, quod reddi potest *propter*, objectum indignationis designat, adeoque ad constructionem verbi hujus pertinet, ut constat ex Num. 11, 33. Job. 42, 7. Jes. 5, 25. אַל־תִּקַּנֵּא בְּעֹשֵׂי עַוְלָה *Neque invideas patrantibus pravitatem.* Verbum קִנֵּא *aemulatus fuit*, exarsit vel invidia, vel indignatione, cum ל constructum, in bonam accipi solet partem, valetque *duci alicujus studio*, pro alterius salute aliquid moliri; sed cum ב constructum, sumitur in malam partem, valetque *invidere*, *indignatione accendi* propter alterius prosperum successum, ut Prov. 3, 31. *ne aemulare hominem violentum, nec mores ejus ullo modo imitare;* et 24, 1. *noli invidere malis hominibus, et ne cum ipsis esse concupiscas.* Quo utroque loco verbum קנא *aemulandi* ardorem, cum admiratione fortunae et felicitatis conjunctum exprimit, sive contentionem quandam et studium alterius mores imitandi, ex eo quod felicem illum videmus. Sic igitur et noster non tam *νέμεσιν* interdicit, quam providet, ne ex eo, quia beatos putamus improbos, ad eorum scelera imitanda convertamur. Chaldaeus sensum hujus Versus optime expressit: *Ne aemuleris male facientibus, ut fias similis eis; neque invide patrantibus iniquitatem, ut conjungaris cum eis.*

2. Causam propositionis reddit. כִּי כֶחָצִיר מְהֵרָה יִמָּלוּ *Nam sicut gramen mox succidentur.* Nomen מהרה h. l. sine praefixo ב positum, vim habet adverbii, alibi enim plene dicitur בְּמְהֵרָה *cum festinatione*, festinanter, Coh. 4, 12. ימלו vulgo derivant a נָמַל, quod communem significationem cum verbo מוּל *circumcidere*, obtinere dicunt, quemadmodum et alia verba primae radicalis נ significatus communes habent cum verbis similibus mediae quiescentis, ut דּוּחַ et נָדַח *dispellere*, זוּל a נָזַל *fluere*. Ex significatione vero *circumcidendi*, qua נָמַל Gen. 17, 11. 26. 27. 34, 22. usurpatum reperitur, eidem tribuerunt notionem *abscindendi* nostro loco, et Job. 14, 2. 18, 16. 24, 24. Alexandrinus vero interpres verbum nostrum in Jobo constanter *cadendi*, *decidendi*, nostro loco vero *arescendi* notione reddidit. Etenim Job. 14, 2. *ἐξέπεσεν*, 18, 16. *ἐπιπεσεῖται*, 24, 24. *αὐτομάτως ἀποπεσῶν*, h. l. *ἀποξηρανθήσονται* posuit. Retulit is ימלו non ad מוּל, sed ad מָלַל, quod Arabibus est: *cineribus calidis*, *prunisve*, *supposuit coquendum* panem, *carnem;* 2) *taedium cepit*, *pertaesus fuit;* 3) *cessavit*, *defecit.* Hinc Hebraeis מָלַל *elanguit*, *emercuit*, exhausto solis ardore succo

et vigore, sponte *deficit* et *moritur* herba; quae significatio aperte locum habet Ps. 90, 6. et nostro loco omnibusque Jobi locis indicatis aptissima est. Syrus quoque h. l. *marcescunt* vertit. Bleekio in *Repertor. bibl. exeget.* a nobis edit. P. I. p. 81. יִמָּלֵל a מָלַל = אָמַל *languere* est Futur. Cal in Pathach terminat., more Chaldaico, ut יִדַּל a דָּלַל Jes. 17, 4. Jud. 6, 6., יִשַּׁח Jes. 2, 9. et יִשַּׁחוּ Coh. 12, 4. a שָׁחַח. *Marcescendi* significatus confirmatur hemistichio altero, ubi verbo illi respondet נָבַל, tanquam aequipollens: וְכִירֶק דֶּשֶׁא יִבְלוֹן *et quasi viriditas herbae* (i. e. herba virens et tenera) *flaccescunt*, נָבַל enim proprie usurpari solet de foliis herbisque, ob defectum succi interioris, externique aestus vehementiam tabescentibus, uti constat ex Ps. 1, 3. Jes. 34, 4. 40, 7. 8. Jer. 8, 13.

3. בְּטַח בַּיהוָה *Confide Jovae.* Opponitur hoc monitum diffidentiae circa Dei providentiam, quae pios solet impetere, dum impiis cuncta vident fortunate succedere, ut et ipsi ferme incipiant, suam in Deo prius fixam deponere fiduciam. וַעֲשֵׂה־טוֹב *Et fac bonum;* quod opponitur tum pravorum in sceleribus perpetrandis assiduitati, tum piorum desidiae, quando, conspecta sorte sua tam aspera, desperabundi incipiunt deserere officii sui functiones, versi paullatim ad pravas impiorum artes, quas prospere hactenus successisse sunt diu mirati. שְׁכֹן־אֶרֶץ *Incole terram*, quod nonnulli pro futuro *incoles* capiunt hoc modo: ita fiet, ut secure possis in terra habitare (quomodo Gen. 12, 2. *esto benedictio*, pro: *eris benedictus!* item 42, 18. *hoc facite*, *et vivite*, h. e. vivetis; Deut. 32, 49. *et morere*, pro: et morieris; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 776.). Sed quum reliqui hujus Vs. Imperativi proprie sint capiendi, et promissiones infra demum sequantur, verbis *incole terram* pii monentur, ne prae impatientia terram suam deserere cogitent, sed Deo confisi ejus opem exspectent. וּרְעֵה אֱמוּנָה *Et pasce veritatem*, rectis et honestis operam da, quemadmodum Prov. 15, 14. dicitur: *cor prudentis quaerit scientiam, os autem stulti pascit stultitiam*, operam dat eidem. Synonyma enim eo loco sunt *quaerere* et *pascere;* unde etiam nostro loco Syrus: *quaere fidem*, sensum bene exprimens. Huc etiam phrases: *pascere ventum*, *cinerem*, *pulverem*, Jes. 44, 20. Hos. 12, 2., h. e. operam dare rebus nihili. אֱמוּנָה *veritas*, h. e. pro *pietate* in universum accipitur, cujus fundamentum quasi veracitas et sinceritas est, quum contra improbitas conservandae aut exercendae mendacia, doli, simulationes ac dissimulationes crebro adhibeantur. Sic Prov. 12, 22. *beneplacitum est Deo in factoribus veritatis*, h. e. qui recte ac sincere agunt. Jer. 5, 1. *an sit, qui faciat judicium, quaerens veritatem.* Cf. Ps. 119, 30. Jud. 9, 19. Neh. 9, 33. Alii, Chaldaeum sequuti, qui vertit: *et esto fortis in fide*, nomen אמונה de fiducia in Deo ponenda accipiunt, hoc sensu: semper ex fide vive, certo tenens, nihil tibi defuturum unquam, si modo spem in Deum retineas. Neque hoc quidem male, quum respondeat

בֶּטַח בַּיהוָה in priore hemistichio. Alexandrinus: *καὶ ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλούτῳ αὐτῆς*, *et pasceris in divitiis ejus*, ut Vulgatus vertit. Videtur אמונה, vel אֱמוּן, eo sensu accepisse, ut sit idem quod מְמוּן.

4. וְהִתְעַנַּג עַל־יְהוָה *Oblecta te*, delicias cape, *in Jova*, h. e. si conditio tua haec in vita talis est, ut causa non sit, cur ea contentus vivas, quomodo improbi solent in sua vehementer delectari; eam ob rem noli macerare animum tuum, laetare de eo, quod Jovam habes patronum, acquiesce in benevolentiae ejus conscientia. Cf. Jes. 58, 14. Job. 22, 26. 27, 10. וְיִתֶּן־לְךָ מִשְׁאֲלוֹת לִבֶּךָ *Dabit tibi petitiones cordis tui*, h. e. quicquid modo animus tuus precibus exoptaverit. Ponitur per metonymiam adjuncti *petitio*, pro re petita, ut 1 Sam. 1, 27. Job. 6, 8. Ps. 21, 3.

5. גּוֹל עַל־יְהוָה דַּרְכֶּךָ *Devolve super Jovam viam tuam*, commenda, permitte Jovae res tuas, eventusque omnes in hunc rejice. Cf. ad Ps. 22, 9. — וּבְטַח עָלָיו וְהוּא יַעֲשֶׂה *Et confide in illo, et ipse faciet*, quod tu fieri exoptabas, sed vires tuas superat, ipse perficiet. De עָשָׂה vid. 22, 32.

6. וְהוֹצִיא כָאוֹר צִדְקֶךָ *Et educet instar lucis justitiam tuam;* in apertum producet, claresceere faciet, וּמִשְׁפָּטֶךָ כַּצָּהֳרָיִם *et judicium tuum* educet, splendescere faciet, *ceu meridiem*, h. e. justitiae et vitae recte et ordine institutae dignam tandem aliquando rationem habebit, ut fructus ejus percipias. Dum enim improbis omnia secundant, et piis adversa cuncta accidunt, videtur eorum *justitia et judicium*, i. e. vita ex justitia et aequitate instituta, obscura esse ac latere. Cum ergo Deus suum in pios favorem declarat, ultionemque sumit de sceleratis, manifestumque facit, esse virtutis operae pretium.

7. Eadem canit, quae prioribus Vss., non esse causam, cur bonis stomachum moveat prosperitas malorum, quum hi brevi adeo perituri sint, illi autem terram praecipuo dominio possessuri. Proinde hortatur, ut pii Jovae se prorsus committant, securi omnium. Ait ergo: דֹּם לַיהוָה *Sile Jovae*, quamvis nonnulla videas et experiaris, quae molestiam afferant, tamen molestiam illam taciturnus silentio preme, Jovae auxilium et opem exspectans, וְהִתְחוֹלֵל לוֹ *exspecta eum*, donec te meliore fortuna donet, et improbos dignis malis afficiat. אַל־תִּתְחַר בְּמַצְלִיחַ דַּרְכּוֹ *Ne succenseas in prospere expedientem viam suam*, contra, aut propter eum, cui institutum suum succedit, nimirum impium, ut mox sequitur: בְּאִישׁ עֹשֶׂה מְזִמּוֹת *in virum facientem fraudes*, versutiis intentum; vel, impune expedientem, quicquid modo in mentem venerit. Nomen מְזִמָּה enim est *μέσον*, h. e. tam in bonam, quam malam accipitur partem, vid. ad 17, 3. 21, 12.

8. אַךְ־לָהָרַע — הָרֶף *Remitte ab ira, et derelinque excandescentiam*, quam ob improborum successus prosperos concepisti, *ne succenseas tantummodo ad malefaciendum*, ne pravi

hominis felicitate commotus ad aemulationem ejus tandem te pertrahi, sinens, nil nisi male, ut ille, agas.

9. Causam nunc subjicit, cur boni se non plus nimio malorum felicitatem commoveri sinant: כִּי מְרֵעִים יִכָּרֵתוּן *Nam male facientes exscindentur*, quasi ex imis radicibus excidentur, instar arborum, de quarum excisione verbum כָּרַת et alias usurpatur, veluti 2 Reg. 23, 14., unde ad hominum deletionem transfertur 1 Reg. 11, 16. Lev. 26, 22. — וְקֹוֵי יְהוָה הֵמָּה יִירְשׁוּ־אָרֶץ *Qui autem Jovam fuerint praestolati, illi terram hereditario possidebunt*, ut in posteros quoque possessio transmittatur; quod contrarium est ei, quod in hemist. priori de *exscissione* s. *exterminatione* improborum dictum est. Respectus habetur ad promissiones Lev. 26, 3. sqq. probis Jovae cultoribus datas, ita tamen, ut simul innuatur, fore, ut quiete, non turbati ab oppressoribus, terram incolant; cf. Vs. 34.

10. וְעוֹד מְעַט וְאֵין רָשָׁע *Et parum adhuc et non erit improbus*, non diu exspectaturus es, ut mali exterminium videas. *Paucitas* interdum usurpatur ut Adjectivum, idque *ἀναλόγως*, servata videlicet generis et numeri convenientia, ut מִקְדָּשׁ מְעַט *sanctuarium parvum* Ez. 11, 16.; vel *ἀνομάλως*, i. e. convenientia illa neglecta, ut סִכְלוּת מְעַט *stultitia parva* Coh. 10, 2. (ubi diversitas generis); אֲנָשִׁים מְעַט *homines pauci* Coh. 9, 14. (ubi diversitas numeri). Hoc loco substantive accipitur commodissime: *et adhuc paucitas*, scilicet temporis, restat. וְהִתְבּוֹנַנְתָּ עַל־מְקוֹמוֹ וְאֵינֶנּוּ *Et si attendas locum ejus, et non ipse* sc. exstabit amplius, adeo prorsus evanescet improbus, ut etiam si diligenter locum ejus investiges et oculis lustres, ne vestigium quidem ejus ullum invenias.

11. *Mansueti autem*, qui ab ira et superbia sunt alieni, et in adversis rebus tolerandis patientes, *hereditario terram possidebunt*, malis de terra penitus excisis, *et delectabuntur pace*, plurimo rerum successu. De עֲנָוִים vid. 10, 17. 25, 9.

12. 13. Duo hi Versus conjungendi sunt: זֹמֵם רָשָׁע לַצַּדִּיק *Cogitans*, h. e. varias machinatur fraudes ac insidias (de זָמַם vid. Vs. 7.) *improbus bono*, וְחֹרֵק עָלָיו שִׁנָּיו *et infrendet contra eum dentibus suis*, אֲדֹנָי יִשְׂחַק־לוֹ כִּי רָאָה כִּי־יָבֹא יוֹמוֹ *Dominus ridet illum propterea quod prospiciat, advenire diem ejus.* De חָרַק vid. 35, 16. Dum peccator aliis insidias struit, et tempus atque occasiones inquirit, quibus bono viro nocere possit, et minis ac terroribus, tanquam teterrima bellua devorare quaerens infremit dentibus; a Deo se observari non videt, et irrideri. *Ridere* autem Deum poeta dicit, et imprudentiam et stultitiam peccatoris ridendam describat, alteri perniciem interitumque parantis, qui suum sibi impendere non videat.

14. חֶרֶב פָּתְחוּ רְשָׁעִים *Gladium stringunt impii;* ita verbum פָּתַח *aperire*, usurpatur de gladii, in vagina veluti conclusi,

eductione Ez. 21, 33., ubi gladius פְּתוּחָה est *evaginatus*, et veluti reteetus. וְדָרְכוּ קַשְׁתָּם *Et calcant*, tendunt, *arcum*, vid. ad 11, 2. *Gladio* et *arcu* vis et dolus impiorum significantur. לְהַפִּיל עָנִי וְאֶבְיוֹן *Ad cadere faciendum*, ut prosternant, *afflictum et pauperem*, inopem qui nulli rei confidit, spe omni destitutum, cui neque res, neque animus ad resistendum adest. לְטִבְוֹחַ יִשְׁרֵי־דָרֶךְ *Ad mactandum*, ut perimant, *rectos viae*, homines innocentes, qui nihil mali suspicantur, et subesse fraudes non putant; bonos viros, simplices, qui nec dolis agunt, nec sceum agi putant. Apte vero dixit לטבוח *ut trucident*, tanquam sc. victimas obvias et paratas neque viribus se tutantes, neque astu sibi caventes.

15. תִּשְׁבַּרְנָה — חַרְבָּם *At eorum gladius corda ipsorum transverberabit, et arcus eorum confringentur.* Vires eorum et insidiae adversus ipsos auctores convertentur, et se in suam ipsorum perniciem et potentes et insidiosos fuisse sentient; quod ipsum et Ps. 7, 15. dicitur. *In corda ipsorum* vero dicit, quasi lethali vulnere, et in ipsam vitae sedem inflicto.

16. Dixit de potentia et insidiis malorum, quam timenda non sint; nunc de copiis et opibus, quas homines parum prudentes admirantur atque suspiciunt. רַבִּים — טוֹב *Praestat pauxillum, quod justus habet, quam opes plurimae improborum insignium;* nam ex istis multis divitiis isti nonnisi laborem et sollicitudinem, et anxietatem habent; at vero ex illo suo modico censu ac penu vir seeleris purus multa cum animi quiete quae ad vitam sunt necessaria profert (eadem sententia Prov. 15, 16.). טוֹב מֵהֲמוֹן *bonum prae multitudine*, h. e. melius multitudine. מְעַט *paucitas* nempe *divitiarum.* הֲמוֹן alioquin generatim dicitur de quavis collectione aut multitudine insigni cum strepitu conjuncta (ab הָמָה *strepuit*), v. g. populorum Gen. 17, 4. 2 Sam. 6, 19., mulierum 2 Par. 11, 23., hominum feriantium Ps. 42, 5.; speciatim tamen aliquando accipitur pro copia divitiarum, ut Coh. 5, 9. et h. l.

17. תִּשְׁבַּרְנָה — כִּי *Nam brachia sceleratorum confringentur. Brachia* potentiam, auxilium praesidiumque significare notum est, vid. 10, 15. 44, 4. Job. 35, 9. Brachia malorum, i. e. divitias per vim et injuriam partas, quibus nituntur, confringet Deus, divitias male partas subducendo et comminuendo. וְסֹמֵךְ צַדִּיקִים יְהוָה *Pios autem sustentat Jova*, pii homines non fragili opum baculo sustentantur, sed Jovae fulcienti innituntur, ideoque cum in illo spem omnem ac fidem posuerint, labi et concidere non possunt.

18. יוֹדֵעַ יְהוָה יְמֵי תְמִימִים *Novit Jova dies integrorum*, vitae eorum curam gerit, illis providet et consulit; יָדַע h. l. ut 1, 6. יָמִים *dies*, pro iis, quae diebus vitae suae eveniunt, ut Vs. 13. Alii haec verba de complemento dierum vitae accipiunt, quod Deus bonorum dies producat, ut diu vivant, non praeseindat, ut impiorum, coll. Ex. 23, 26. *numerum dierum tuorum implebo.* Coh. 7, 18. *quare morieris, quum nondum tempus tuum?* De תְּמִים

vid. ad 26, 1. 15, 2. 19, 8. וְנַחֲלָתָם לְעוֹלָם תִּהְיֶה *Et hereditas eorum perpetua erit*, numquam illis adimetur; terram illam, quae Dei singulari beneficio illis obtigerat, filiis ac nepotibus relinquent.

19. יִשָּׁבְעוּ — יֵבֹשׁוּ לֹא *In adverso tempore haudquaquam pudefient, fame invalescente saturabuntur.* Numquam frustranea ipsorum erit fiducia, quam in te collocarunt, numquam necessariis erunt destituti, quantumvis adversa tempora incidant, quin cum fame alii laborabunt, hi saturabuntur.

20. כְּיֶקֶר כָּרִים — כִּי *Nam improbi peribunt, et hostes Jovae* (itidem peribunt) *cum decore pascuorum*, i. e. eodem modo quo decor pascuorum, i. e. gramen et flores eorum, aeque cito; *absumentur, fumo absumentur.* Aliis כָּרִים sunt *agni*, et יְקָר *pretiosum*, i. e. pinguedo eorum, ut חֵלֶב כָּרִים Deut. 32, 14. Sed praestat כָּרִים h. l. pro *pascuis* capere, ut Jes. 30, 23. Ps. 65, 14. יְקָר vero de *herbis floribusque*, quibus pascua decorantur, ut similitudo hic parum sit diversa ab ea quae Vs. 2. aderat. In hunc sensum LUTHERUS: *wenn sie sind wie eine köstliche Aue.* Alex. pro verbis כִּיקַר כָּרִים posuit: ἅμα τῷ δοξαθῆναι αὐτοὺς καὶ ὑψωθῆναι, quod Vulgatus sequutus: *inimici Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati* etc. Legit כִּיקַר כָּרוּם, ut utrumque sit Infinitivus, pro Gerundio accipiendus, et prius quidem a יָקַר *pretiosum et gloriosum esse*, posterius vero a רוּם. — בְּעָשָׁן *in*, vel, *cum fumo*, h. e. aeque, ut fumus, evanescent. Nimirum ut alias praepositio עִם inservit comparationi, veluti Job. 9, 26. *dies mei transierunt cum navibus*, h. e. aeque ut naves, ita h. l. improbi fumo comparantur, qui statim ut ascenderit et evanescit. Adeoque non est opus כֶּעָשָׁן in textum recipere, quod plures codices a Kennicotto et de Rossio inspecti exhibent. Verum ב confirmant Masorethae, et Chaldaeus, qui reddit: *et in fumo Gehennae absumentur.* Eadem similitudo Ps. 102, 4. Hos. 13, 3. Verbum כָּלוּ, de *impiis* enunciatum, geminatur ob emphasin, cujusmodi exempla 68, 13. 93, 3. coll. 35, 15. 124, 4. 5.

21. Amplius nunc declarat, Deum timentibus omnia vitae necessaria effatim affluere, ita ut sit, quod et aliis largiter impertiant; oportere autem, ut tandem egeant impii. וְנוֹתֵן — לֹוֶה *Mutuatur improbus, nec solvit; pius autem miseretur et largitur.* Impius ne mutuum quidem ipsum ac debitum restituere propter egestatem poterit; at pius liberalitatem Dei experietur ita, ut non modo non deficiatur a rebus necessariis, sed omni genere bonorum veluti superfluat, unde munera, et inopiae levamenta ad egenos redundabunt.

22. Causam reddit tantae felicitatis copiaeque piorum: כִּי מְבֹרָכָיו יִירְשׁוּ אֶרֶץ *Nam benedicti ejus* (Jovae; ad hoc nomen enim remotius, Vs. 20., referri debet suffixum, ut 34, 18.) *terram hereditario possidebunt;* וּמְקֻלָּלָיו יִכָּרֵתוּ *at maledicti ejus excidentur* e terra, bonis omnibus evertentur, simulque cum po-

steris funditus tollentur. Cf. ad Vs. 9. Eadem sententia quae Prov. 3, 33.

23. מֵיהוָֹה מִצְעֲדֵי־גֶבֶר כּוֹנָנוּ *A Jova gressus viri stabiliuntur*, ne vacillet aut cadat. גבר *viri*, sc. justi, et Jova benedicti, qualem hactenus instruxit et consolatus est. Aben-Esra monet ad h. l., גבר saepe sonare judicio et cognitione pollentem virum, ut Ex. 10, 11. *ite nunc*, הַגְּבָרִים *viri*, qui valetis judicio, talis autem rectus et probus est. Sensus: Deus prosperat quicquid agat vir bonus, וְדַרְכּוֹ יֶחְפָּץ *et viae ejus favet*, peculiari favore Dei ipse in rebus suis dirigitur, benigne Deus coeptis ejus adspirat.

24. כִּי יִפֹּל לֹא יוּטָל *Cum ceciderit, non sternetur*, si quando cadat in infortunium, non succumbet tamen ei, sed statim restituetur. Perstat in metaphora gressuum ac viae, qualem et usurpavit 27, 2. Cf. Prov. 11, 5. 14. 13, 17. 18, 20. Verbum טוּל, quod in Hiphil *projicere* aliquid significat, in Hophal de forti, qui humi prosternitur, usurpatur etiam Prov. 16, 33. Causam addit: כִּי יְהוָֹה סוֹמֵךְ יָדוֹ *Nam Jova sustentat manum ejus*, instar comitis, amicum lapsui proximum mox manu prehendentis et erigentis; cf. Vs. 17.

25. נַעַר — נֶעֱזָב *Puer fui, etiam senui*, a prima mea pueritia, et quantum mens mea recordari potest longissime, *nec vidi justum derelictum* a Deo, ita ut curam ejus non habuerit ullam in adversitatibus, aut iis, quae ad victum ac vestitum essent necessaria, careret. Cf. Gen. 28, 15. 20. וְזַרְעוֹ מְבַקֶּשׁ־לָחֶם *Aut semen*, posteritatem, *ejus quaerentem panem*, mendicare. Vix monitu opus est, loqui vatem de eo, quod plerumque accidere observaverat. Accedit, quod mendicitas inter diras recensetur, quae impios divinorum mandatorum desertores maneant, Deut. 28, 60. sqq., unde illam a viro bono amovet.

26. כָּל־הַיּוֹם חוֹנֵן וּמַלְוֶה *Quotidie miseretur et dat mutuum*, tantum abest, ut pius ejusque posteri ad mendicitatem redigantur, ut ipsi potius habeant, quod egentibus liberaliter et gratis largiantur, aut saltem mutuo dent, quibus non est necesse largiri, et suis tamen satis relinquerent, וְזַרְעוֹ לִבְרָכָה *adeo ut posteritas ejus benedictioni sit*, perpetua Dei beneficentia insigniter fruatur. De qua loquendi forma cf. 21, 7.

27. Repetit adhortationem ad studium pietatis et innocentiae: סוּר מֵרַע וַעֲשֵׂה־טוֹב *Recede a malo et fac bonum*, primum hoc tibi cavendum est, ne, quae lege prohibita sunt, ea facias, deinde omnibus viribus enitendum, ut, quae per legem praecepta sunt, exequaris, quae duo si praestiteris, וּשְׁכֹן לְעוֹלָם *tunc inhabitabis perpetuo* terram, quam possedisti, cf. Vs. 9. Eadem sententia Prov. 10, 30. Imper. שכן h. l. pro Fut., vid. ad Vs. 3.

28. Rationem dicti affert: כִּי יְהוָֹה אֹהֵב מִשְׁפָּט *Nam diligit Jova judicium*, amat, quod recte et ordine fit, nihil non jure ac rite facit, ideo numquam committet, ut boni viri et illum colentes

hac poena impiis hominibus debita plectantur, et ex terra, quam illis possidendam dedit, ejiciantur; וְלֹא־יַעֲזֹב אֶת־חֲסִידָיו *nec derelinquet pios suos*, illos a sua cura et protectione numquam excludet; sed לְעוֹלָם נִשְׁמָרוּ *in sempiternum custodientur*, Jovae praesidio atque custodia defendentur; וְזֶרַע רְשָׁעִים נִכְרָת *sed impiorum posteritas exscinditur*, genus eorum penitus intercidet, ac nomen prorsus abolebitur, nullo superstite, qui paternum nomen referat atque retineat, quod supplicium in eo populo maximum habebatur. Cf. Vs. 9. 22. Ex quorundam sententia ante וזרע excidit prius hemistichium Versus, qui cum litera ע debeat incipere, haec scilicet verba: עָוְלִים נִשְׁמְדוּ, quae legit Alexandrinus, dum vertit: *ἄνομοι δὲ ἐκδιωχθήσονται*, secundum Codicem Alexandrinum, ubi minus accurate Codex Vaticanus habet: *ἄμωμοι ἐκδικήσονται*, quam lectionem Arabica versio exhibet. Nec non Symmachus: *οἱ δὲ ἄνομοι ἐξαρθήσονται*, Vulgatus: *injusti punientur*. Ab his vocc. Vs. 29. esset incipiendus, qui igitur his verbis conficeretur: עוילים נשמדו וזרע רשעים נכרת צדיקים יירשו־ארץ וישכנו לעד עליה. Et sane ob similitudinem literarum in vocc. עוילים נשמדו et illis, quae proxime praecedunt, לעולם נשמרו, priora illa facile librariorum oscitantia poterant excidere. Chaldaeus tamen interpres atque Hieronymus, nec non Syrus hodiernam textus Hebraei lectionem exprimunt.

29. Impiis autem deletis (Vs. 28.) *justi hereditario possidebunt terram, et perpetuo eam habitabunt*, vid. Vs. 3. et 9.

30. פִּי־צַדִּיק יֶהְגֶּה חָכְמָה *Os justi meditatur sapientiam*, verba ejus sapientiae plena. De הָגָה vid. 1, 2. coll. 2, 1. 35, 28. וּלְשׁוֹנוֹ תְּדַבֵּר מִשְׁפָּט *Et lingua ejus loquitur judicium*, id quod justitiae et aequitati est congruum, recta et utilia semper loquitur.

31. Ideo salutaria loquitur pius, quod תּוֹרַת אֱלֹהָיו בְּלִבּוֹ *lex Dei sui in corde ejus*, hoc est, quod nihil potius cogitat, aut pluris facit, quam voluntatem Dei probe agnovisse, et vitam juxta eam diligenter instituisse. Hinc לֹא־תִמְעַד אֲשֻׁרָיו *non nutabit gressus ejus*, numquam vel tantillum a recta via aberrat, quippe qui ex Legis divino praescripto vitam instituit. Observandum est, verbum femininum, singularis numeri, תמעד, conjungi cum nomine pluralis numeri, אשריו, ita ut hoc distributive sit intelligendum: *unusquisque gressuum ejus*. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 719.

32. צוֹפֶה רָשָׁע לַצַּדִּיק וּמְבַקֵּשׁ לַהֲמִיתוֹ — *Speculatur improbus justum et quaerit ut occidat eum*, occasionem, vel fraudulentam criminis praetentionem ad interficiendum probum. צוֹפֶה *speculatur*, maligne circumspicit ex insidiis, ubi pium facillime commodissimeve possit adoriri et prosternere. De impii insidiis usurpatur idem verbum et 10, 8.

33. יְהוָה־לֹא יַעַזְבֶנּוּ בְיָדוֹ *At Dominus non permittet eum manui ejus*, non permittet, ut improbus bonum virum pro libidine

sua vexet. וְלֹא יַרְשִׁיעֶנּוּ בְּהִשָּׁפְטוֹ *Nec improbum eum pronunciabit cum judicatur*, h. e. non sinet cum judiciorum injuria opprimi. Dum enim aperta vi nocere bonis improbi nequeunt, ad lites confugiunt, et redemptis corruptisque judiciis illos divexant.

34. Jam ad virum bonum sermone converso, illum hortatur, et ejus animum ad spem erigit. קַוֵּה אֶל־יְהוָה *Praestolare dominum*, dum malorum calumniis ac fraudibus premeris, ne desperes, sed praesentis temporis mala spe futurorum consolare. וְשָׁמֹר — אֶרֶץ *Et observa viam ejus* (vid. ad 18, 22.), *tum exaltabit te ad possidendam terram*, tandem a tua humilitate miseraque conditione exaltabit te, facietque, ut fruaris illius terrae bonis, quam Deus est pollicitus (vid. Vs. 9.). בְּהִכָּרֵת רְשָׁעִים תִּרְאֶה *excidium videbis improborum*, non sine singulari voluptate. De רָאָה cum ב vid. 22, 18. coll. 27, 4.

35. Quod sub finem Vs. 34. dixerat confirmat eo, quod ipse in vitae suae cursu passim observavit. רָאִיתִי רָשָׁע עָרִיץ *Vidi improbum validum* s. *violentum*, *violentiae* enim praeter *virium* notionem junctam habet haec vox omnibus fere, quibus occurrit, locis, vid. Job. 6, 23. Ps. 54, 5. Jes. 13, 11. 35, 3. Cf. Ps. 10, 18. Alexandrinus ὑπερυψούμενον, hincque Vulgatus *superexaltatum* vertit, respectu habito ad procerae arboris figuram, quae verticem in coelum porrigit, qua similitudine vates hemistichio altero utitur, וּמִתְעָרֶה כְּאֶזְרָח רַעֲנָן *et semet dilatantem, velut arbor indigena, beneque frondosa.* Quum vates manifesto ad *arboris* figuram delabatur, huic loco convenire videtur, מתערה *patulam*, amplam, et longe lateque suis ramis diffusam ac distentam arborem intelligere (quae ipsa significationum translatio in Latino *patulus*, a *pateo*). Aliis מתערה est Participium verbi denominativi ab עֲרוֹת *gramineta*, Jes. 19, 7., quod *virescentem* significet; sed hoc potius voce רַעֲנָן, quae proxime sequitur, indicatur. כאזרח *Sicut indigenam*, h. e. in suo solo sitam arborem, annosam, quae magnis solet lateque expansis ramis esse visenda. אֶזְרָח enim a זָרַח *ortus est*, designat *indigenam*, seu in ea terra, in qua quis degit, exortum, cui opponitur גֵּר *peregrinus*, aliunde in regionem aliquam illatus, vid. Ex. 12, 19. Lev. 16, 29. 18, 26. 24, 16. 22. Jos. 8, 33. Nobilem igitur, potentem florentemque improbum noster assimilat arbori sponte natae in patrio solo, quae radicibus actis firmiter crescit, et ramis foliisque luxuriat, quod voce רַעֲנָן indicatur. Alexandrinus pro nostris verbis hebraeis haec posuit: καὶ ἐπαιρόμενον ὡς τὰς κέδρας τοῦ Λιβάνου, *et elevatum sicut cedros Libani*, ut Vulgatus reddidit, ac si textus hebraeus ita sonaret: וּמִתְעַלֶּה כַּאֲרָזֵי לְבָנוֹן, est enim אֲרָזָה *cedrus* Zeph. 2, 14. Textum receptum tamen sensum non minus elegantem exhibere vidimus, quamvis vocabulorum significationibus translatis minusque usitatis involutum, quod ipsum genuinae lectionis indicium esse solet.

36. Quis tantam, adeoque pulchram arborem subito exarescere suspicaretur? Et tamen וַיַּעֲבֹר *transivit*, abiit, statim periit, *evanuit e mundo*, ut Chaldaeus vertit. Verbum עָבַר enim, quod alias est *transire*, quandoque etiam valet *praeterire*, vel *interire* penitus, ita ut aliquid non amplius appareat, veluti Nah. 1, 12. Jes. 29, 5. Job. 34, 20. Alexandrinus et Vulgatus *καὶ παρῆλθον*, *et transivi*, habent, quasi וָאֶעֱבֹר in Hebraeo esset. וְהִנֵּה אֵינֶנּוּ *Et ecce nullus ipse*, non amplius fuit. וָאֲבַקְשֵׁהוּ וְלֹא נִמְצָא *Quaerebam eum, nec inveniebatur*, adeo disperiit, ut etiam inquirente me, nullum ejus vestigium possit reperiri.

37. Tandem omnia, quae per totum carmen dixit, in pauca confert. Neque, inquit, magnifaceito felicitatem impiorum, neque illos aemulcris, cum illorum prosperitas tam infelicem exitum habeat; tu potius: שְׁמֹר־תָּם *Custodi simplicitatem*, ut Hieronymus vertit, sive, ut Vulgatus: *custodi innocentiam*, vid. de hoc nomine 26, 1. וּרְאֵה יָשָׁר *Et vide rectum*, semper illud ante oculos habe, quod est ejus, qui aliquid servat et custodit, כִּי־אַחֲרִית לְאִישׁ שָׁלוֹם *nam sunt reliquiae homini pacis*, h. e. illud pro certo habe, hominem integrum reliquias et posteritatem, et successionem generis habiturum. Jam enim saepius dictum est, pro magna mercede rudem illum Israelitarum populum habuisse liberorum successionem, quam pro praemio suas leges observantibus Deus pollicitus erat. Nomen אחרית, proprie *postremitas*, *postremum*, haud raro *posteritatem* designat, ut 109, 13. Jer. 31, 17. Ez. 23, 25. *Vir pacis* est homo pacem colens, tranquillus; posterius nomen vices gerit Adjectivi. Neque hujusmodi constructio horum duorum nominum אִישׁ et שָׁלוֹם est nova, vid. Ps. 41, 10. Jer. 20, 10. 38, 22. Alii nomina תָּם et יָשָׁר pro Adjectivis accipiunt, ut Gen. 25, 27. Job. 1, 1. 8. 2, 3. 9, 20. 21., אַחֲרִית vero de *tempore posteriori*, ut Job. 8, 7. 42, 13., vertuntque hoc modo: *Observa innocentem, vide rectum*, considera recti studiosum, *nam postrema viri pax*, h. e. ejusmodi hominis postrema, pax est; qui tales fuerint, pace et felicitate fruentur. Sed quum Vs. 38., qui est manifesta antithesis nostri, אחרית *posteritatis* notione accipiendum esse pateat, eodem modo h. l. intelligendum erit.

38. וּפֹשְׁעִים — נִכְרְתָה *Scelerati autem pariter*, nullo excepto (vid. 35, 15. 26.) *perdentur*, *posteritas impiorum exscindetur*, cf. supra Vs. 28.

39. צָרָה — וּתְשׁוּעַת *Salus piorum a Jova*, auxilium, quo freti sunt pii, non ut auxilium impiorum, in opibus aut in viribus positum est, nec ab his venit, sed a Jova, qui ipse *propugnaculum eorum* est *tempore angustiae* (de צָרָה vid. 25, 17.), sua fortitudine. Ante מָעוֹז (de quo vid. 27, 1.) subaud. אשר, vel הוּא *ipse est*. Literam ו ante תשועת nonnulli delendam putant, quum Versum cum lit. ת debeat incipere. Omittunt ו Syrus et Arabs.

40. וַיְעָזְרֵם יְהוָה *Et adjuvabit eos Jova*, ne in malum aliquod incidant; at ubi jam inciderint, aut ubi in discrimen aliquod venerint, וַיְפַלְּטֵם *liberabit eos;* exponit praeterea a quo malo liberabit, וַיְפַלְּטֵם מֵרְשָׁעִים וְיוֹשִׁיעֵם *eruet eos ab improbis eosdemque salvabit* (de יָשַׁע vid. 33, 16.), causamque, cur eos liberaturus sit, adjungit, כִּי חָסוּ בוֹ *qui sperarunt in eo*, non fallet spem eorum, qui ad illius *praesidium opemque* confugiunt.

Ps. 38.

Querela animo et corpore graviter affecti, et ab amicis deserti, simulque ab hostibus afflicti. Quas quidem aerumnas etsi peccatis suis commeruisse fatetur, attamen Deum auxilium suum ei non prorsus subtracturum esse et sperat et optat.

Plerique interpretes Davidem hunc Psalmum composuisse existimant, dum gravissimo aliquo morbo laboraret, quem profectum agnoverit ex suis peccatis, quae Deus eo modo castigaret. Quaenam autem fuerint illa peccata, et num inter ea numerari debeat adulterium cum Bathseba commissum, dissentiunt. Sed quod dicit de inimicorum suorum odio, qui vitam ipsius quaerebant, in tempus istius adulterii non quadrat. Tum enim Davides nullam amplius persequutionem patiebatur. Alii in seditionis Absalonicae initiis cum in summis periculis versaretur vates, compositum Psalmum suspicantur. Verum recte vidit DE WETTE, plura habere hunc Ps. communia cum sexto, et ipsum utriusque carminis initium idem fere esse. Ps. 6. vero, quum totius populi magnis miseriis oppressi, sub hominis aegroti et aerumnosi persona, querelas continere videatur; nec aliud hujus Psalmi argumentum fuerit. Eadem est Chaldaei interpretis et Jarchii sententia.

1. De vocabulo לְהַזְכִּיר, quod huic et septuagesimo Psalmo praefixum est, uti de inscriptionibus ceteris fere omnibus, dissentiunt. Alexandrinus *εἰς ἀνάμνησιν* tam hoc loco, quam Ps. 70. posuit, nisi quod h. l. *περὶ τοῦ σαββάτου*, Ps. 70. vero *εἰς τὸ σῶσαί με κύριον* addit. Chaldaeus h. l. *Memoria bona super Israel;* quod Jarchius sic interpretatur: *ut diceret eum tempore angustiarum, ut mentionem faceret adflictionum Israelitarum coram Deo, dixit autem eum* (Psalmum Davides) *pro omnibus Israelitis*, ut formula precum esset universo populo miseriis oppresso. In Psalmi 70. epigraphe Chaldaeus reddidit: *ad recordandum de usu thuris*, quo sensu Jes. 66, 3. מַזְכִּיר לְבוֹנָה est *adolens thus*. Et J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 616. ex eo quod verbum הִזְכִּיר etiam Ex. 20, 21. 34, 19. de sacrificiis usurpatur, titulum hujus Psalmi ita vertendum censet: *Psalmus Davidis inter sacrificandum canendus.* Alii, qui vertunt: *ad reminiscendum*, id sic interpretantur: Davidem voluisse hunc Psalmum conseerare memoriae calamitatum, in quibus haeserit, et e quibus liberarit eum Jova, ut post liberationem opemque divinam hunc titulum Psalmo

praescripserit, quando eum decantandum dedit cantoribus. Similem in modum Grotius: Pertinet hoc carmen ad inculcandam perpetuo Davidi et peccati sui, et indultae veniae memoriam. Aben-Esra initium cantionis alicujus vocabulo illo indicari putat, ad cujus modos carmen decantandum esset. Sed quum non sit dubium, Psalmorum titulos, vel nullos, vel admodum paucos, a Davide scriptos, etiam hac de causa minus attinet, de talibus multum quaerere.

2. Propositio Psalmi, qua deprecatur vates severam vindictam, ne non sit ferenda, si Deus vim irae suae effundere velit: יְהוָה — תּוֹכִיחֵנִי *Ne corripias me, Jova, ex indignatione, neve castiges me ira fervidus.* Eadem fere verba exstant 6, 2. Ante תוכיחני repetenda est particula אל. Plures autem sunt codices, in quibus וְאַל־בַּחֲמָתְךָ *et ne in furore tuo* legitur.

3. כִּי־חִצֶּיךָ נָחֲתוּ בִי *Nam sagittae tuae demissae*, tortae, *sunt in me. Sagittae* clades sunt et calamitates, quas Deus vi potentiae suae tanquam de aren excussas jacit in homines, quos affligendos judicarit, ut Deut. 32, 23. *accumulabo super eos mala, sagittas meas in iis consumam.* De verbo נָחַת vid. 18, 35. וַתִּנְחַת עָלַי יָדֶךָ *Et descendit super me manus tua*, h. e. plaga a te inflicta, nam quia plaga manu fit, manus appellatur, ut 32, 4.

4. אֵין — זַעְמֶךָ *Nil sani est in carne mea propter indignationem tuam.* מתם proprie *integritas*, hinc *sanitas*, ut Jes. 1, 6. quomodo utroque loco vertunt Alex. et Chaldaeus. מִפְּנֵי propr. *a facie*, hinc *propter*, ut 17, 9. Gen. 7, 7. 36, 7. Vehementiam morbi magis exprimit: אֵין שָׁלוֹם בַּעֲצָמַי מִפְּנֵי חַטָּאתִי *Non est quies in ossibus meis propter peccatum meum*, tanta vis est doloris, ut ad intima usque ossa pervadat.

5. כִּי עֲוֹנֹתַי עָבְרוּ רֹאשִׁי *Nam iniquitates superarunt caput meum*, culpae, quibus iram Jovae commerui, adeo multae sunt, ut tanquam inundantes aquae (de quibus עָבַר usurpatur 124, 4. 5. Hab. 3, 9. Jes. 8, 9. Dan. 11, 10.) caput meum supergressae sint. Alii metonymice intelligunt *plagas*, quas Deus ei ob peccata inflixerat; quibus favet quod sequitur: כְּמַשָּׂא כָּבֵד יִכְבְּדוּ מִמֶּנִּי *ceu grave onus ponderosae sunt supra quam possim ferre*, quibus dolorum atrocitatem significare videtur.

6. הִבְאִישׁוּ — אִוַּלְתִּי *Computruerunt et sanie diffluunt ulcera mea propter stultitiam meam.* Verbum מָקַק in Niphal significat *tabidum fieri*, quomodo tumores solent tabescere, quando in iis pus diu contentum facit, ut contabescat et liquescat cutis, exeatque pus et foeteat. Sic Zach. 14, 12. Jova exercitui contra Hierosolymam militanti haec minatur: *tabescet caro ejus, ejusque oculi in suis cavis, et linguae in oribus tabescent.* Cf. Lev. 26, 39. Jes. 34, 4. Ez. 24, 23. 33, 10. Hinc nomen מַק *tabes*, Jes. 3, 24. 5, 24. Nomen חַבּוּרָה denotat tumorem, in quo collectum

sit pus aut sanguis (a חָבַר *collegit*, *sociavit se*), ut per contusionem, plagam, vel alio modo, ita Ex. 21, 25. חַבּוּרָה תַּחַת חַבּוּרָה *tumor pro tumore.* Cf. Jes. 1, 6. Sive *vibices*, ut Prov. 20, 30. *vibices*, s. livores *plagae* sunt *medicina in malo homine.* Cf. Gen. 4, 23. 53, 5. Nomen אִוֶּלֶת, quod in Proverbiis tantummodo, et in Psalmis praeter h. l. tantum 69, 6. reperitur, *inconsiderantiam*, *stoliditatem* denotat, qua quis bona quaevis monita spernit, atque cupiditatibus suis indulget. Vid. Prov. 1, 7. 5, 23. 14, 17. 29. 15, 2.

7. נַעֲוֵיתִי שַׁחוֹתִי עַד־מְאֹד *Incurvatus sum, depressus admodum.* In עָוָה duo verba, Arabibus etiam scriptione diversa, conjuncta videntur (ut חָרַשׁ 28, 1. נָהַר 34, 6.), unum *erravit* (unde עָוֹן 31, 11.), quod reperitur Esth. 1, 6. Dan. 9, 5.; alterum *distorsit*, v. g. annulum, quem in nasu habet camelus, *inflexit*, veluti areum, aut habena caput camelae, ad quod referendum est Thr. 3, 9. *circumsepsit vias meas, et semitas meas* עִוָּה *inflexit*, distortas reddidit. In Niphal praeter h. l. reperitur quoque Jes. 21, 3., ubi propheta lumbos suos dolore ait repletos, et se parturientis angustias persentiseere, hinc pergit, נַעֲוֵיתִי *distortus sum, ut non audiam, consternatus sum, ut non videam*, motus sum a statu reeto corporis et animi, ut nee audiam, nee videam. Ac proinde et h. l. intelligenda erit perversio status felicis in miserum et adversum (cf. Vs. 9.), quae videtur Alexandrini interpretis mens fuisse, dum ἐταλαιπώρησα posuit, *miser factus sum*, ut Vulgatus reddidit. Significatur membrorum prae gravitate doloris distorsio, aut corporis ineurvatio, qualis in magnis oriri solet cruciatibus, aut quomodo aegroti, ex magnis morbis debilitati, capite ad terram pendulo, corporeque antrorsum prono solent ambulare, quod quidem melius congruit sequenti שַׁחוֹתִי, h. e. magnis meis miseriis deprimor in terram usque, externo etiam gestu meam cogor prodere animi velut desperabundi afflictionem, cf. 35, 14. — עַד־מְאֹד *Usque adeo valde;* similis partieulae intendendi, מְאֹד, connexio cum vocula עַד deprehenditur etiam Jes. 64, 11. Gen. 27, 34. 1 Sam. 11, 15. et infra Vs. 9. Addit: כָּל־הַיּוֹם קֹדֵר הָלָכְתִּי *Tota et omni die atratus incedo*, propter luctum et dejectionem morbi, vid. de hac phrasi ad 35, 14.

8. כִּי־כְסָלַי מָלְאוּ נִקְלָה *Nam ilia mea plena sunt adustione.* כְּסָלִים proprie *lumbi* (Lev. 3, 4. 10. 15. 4, 9. 7, 4.), per κατάχρησιν signifieat vieinas partes, puta *ilia.* Chaldaeis quoque כַּסְלִין *ilia* sunt. Verbum קָלָה duplicem habet notionem, unam *vilipendere*, alteram *torrere.* Hinc interpretes נִקְלָה, quod formam habet Participii passivi, valorem autem nominis substantivi, bifariam h. l. aeeipiunt. Aliis enim, a *vilipendendi* notione, est *vile*, ut 1 Sam. 18, 23., ubi David dicit, se esse *hominem pauperem et* נקלה *contemtum*, vilem, ignobilem; et Prov. 12, 9. *felicior* נקלה *ignobilis, qui sibimet ipse servus, quam is qui se jactat et caret pane.* Sic etiam h. l. Alexandrinus: ὅτι ἐπλήσθη ἡ ψυχή μου

ἐμπαιγμῶν, qui tamen potius scripsisse videtur: ὅτι αἱ ψύαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμῶν, Vulgatus: *quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus*, quasi poeta diceret, se execrabili morbo in ea corporis parte laborare, ita ut illudi et ab inimicis irrideri posset propter ejus ignominiam. Sensum vero multo elegantiorem jam pridem monstravit Chaldaeus, qui, ad *urendi* notionem nostram vocem referens (qua קָלָה usurpatur Lev. 2, 14. Jer. 29, 22.), קְדִיחָתָא posuit, quod proprie *adustionem*, *inflammationem* denotat, deinde etiam de *febri ardente* dici solet. Quod sequutus Dathius, recte vertit: *viscera mea torrentur;* et vernacula lingua eundem sensum eleganter expressit Kuinoelius: *Es durchwühlet heisser Brand meine Eingeweide.* Sic Ovid. *Epist.* 21, 169. *artus torrentur febribus;* et *Metamorph.* 8, 516. *viscera torrentur caecis ignibus.* Quum igitur morbi vis flammae instar omnem corporis vigorem depascatur, apte noster iterum subjicit: וְאֵין מְתֹם בִּבְשָׂרִי *Nihil sani est in corpore meo*, cf. Vs. 4.

9. נִפּוּגֹתִי וְנִדְכֵּיתִי עַד־מְאֹד *Vehementer debilitatus sum et contritus.* Verbi פּוּג significatio propria videtur esse *friguit, frigore obriguit*, quam servavit Arab. פאג et Syr. פג. Ex hoc certe fonte reliquae notiones, *debilitari, languescere, deficere, cessare*, quibus hoc verbum apud Chaldaeos et Hebraeos usurpatur, facillime derivari possunt. In Cal ter reperitur, Hab. 1, 4. Ps. 77, 3. Gen. 45, 26. In Niphal nusquam praeter h. l. occurrit. Talis igitur h. l. indicatur virium defectus, quo cessaverat omnis prior integritas, succedente misera perturbatione et infirmitate. Nisi potius ad animum poetae moestum et afflictum referendum sit, et ex malorum perpessione debilitatum (quemadmodum לֵב נִדְכֶּה *animus contritus* 51, 19.), cui consonat, quod sequitur: שָׁאַגְתִּי מִנַּהֲמַת לִבִּי *Rugio prae fremitu cordis mei*, ob maximas cordis mei compressi angustias atque gemitus tumultuantes, in vociferationes plane inconditas erumpere cogor, ut paene rugitum leonis imitarer. Cf. ad 22, 2. Nomen נַהֲמָה in genere femin. semel adhuc reperitur Jes. 5, 30. de *fremitu maris*, alias in masculino נַהַם, ut שְׁאָגָה, itidem leonum denotat rugitum Prov. 19, 12. 20, 2., sicut et verbum נָהַם de leonibus prae fame rugientibus usurpatur Prov. 28, 15.

10. Precem memorat, quam in mediis cruciatibus habuerit: אֲדֹנָי נֶגְדְּךָ כָל־תַּאֲוָתִי *Domine, coram te omne desiderium meum*, tibi patent cuncta vota mea, non igitur opus est ulteriori fremitu, vel prolixa mearum aerumnarum enumeratione, וְאַנְחָתִי מִמְּךָ לֹא־נִסְתָּרָה *et gemitus meus*, licet rudis sit et non in verba distinctus, *a te non est absconditus*, quamvis homines latere possit, qui verba solum exaudiunt.

11. Vehementiam doloris auget, quod dicit: לִבִּי סְחַרְחַר *Cor meum circumivit*, circumagitatur, undique curis et anxietatibus agitatur et circumvolvitur, ita ut nusquam inveniat requiem, vehementius palpitat. סָחַר est *circuire*, et praesertim de mercatoribus

dicitur, qui negotiandi causa circumire solent (Gen. 34, 10. 21. 42, 34.); hinc, quia ambae ultimae radicales geminantur, intenditur significatio (vid. ad 35, 6.). Alias סחרחר non occurrit. Interpretes veteres sensum potius, quam propriam verbi significationem expresserunt. Alexandrinus ἐταράχθη, Vulgatus: *conturbatum est.* Chaldaeus: *horruit*, Syrus: *subversum est.* עָזְבַנִי כֹחִי *Dereliquit me vis mea*, quod plerique de vitali intelligunt, ut 22, 16. Gen. 49, 3. Sed possit etiam de *animi fortitudine* accipi, qua res adversae feruntur fortiter et toleranter, qua se destitutum queratur; quippe qui tanta malorum mole prorsus depressus sit, et quasi obrutus. Ita hic locus conveniret cum 40, 13., ubi not. cf. וְאוֹר עֵינַי גַּם־הֵם אֵין אִתִּי *Et lumen oculorum meorum, etiam eorum, non est mecum*, ipsi etiam oculi mei lachrymis continuis debilitati et hebetiores sunt facti, ut Thr. 2, 11. *consumti sunt lachrymis oculi mei.* Nisi potius alacritas animi et laetitia per lumen oculorum significetur, quae plerumque in oculis apparere et lucere solet (cf. 19, 9.), q. d. oculi mei non ita sereni sunt amplius, ut antehac, verum merae iis insunt caligines. Pron. personale הֵם h. l. nomini עֵינַי subjunctum, ut emphasin quandam adferat. Exempla vid. Num. 14, 32. Ps. 9, 7. et ibi not.

12. אֹהֲבַי — יַעֲמֹדוּ *Amici et sodales mei stant e regione plagae meae.* Sic de se ipso, tanquam de homine lepra contacto loquitur (nam et lepra appellatur *plaga*, נֶגַע, Lev. 13, 3. sq. 14, 3. sq.), ad quem eo tempore nemo, ne contaminaretur, propius audebat accedere. Simillimus est autem locus noster loco Job. 19, 13. sqq., ut multa quoque alia in hoc Ps. sunt verbis et rebus Jobi admodum similia. Inconstantiam igitur amicorum denotat, qui, cum illi bene esset, amicos sese simulabant, ab afflicta amicitia, quia nihil erat, in quo juvari possent, recedebant. יַעֲמֹדוּ *stant*, propius accedere veriti, vel morbi contagionem pertimescentes, vel horrorem morbi fugientes, מִנֶּגֶד *e regione*, procul; particula enim haec ita notat *ex adverso*, ut simul inferat *elongationem*, et significet *e longinquo*, quomodo Hagar Gen. 21, 16. *abiit seditque* מנגד *procul adverso.* Sic Num. 2, 2. castra populi dicuntur ponenda circa tabernaculum, verum מנגד *longinquius ex adverso ejus.* Cf. Deut. 32, 52. 2 Reg. 2, 7. Nostro loco מִנֶּגֶד in altero hemist. respondet מרחק. וּקְרֹבַי מֵרָחֹק עָמָדוּ *Et propinqui mei e longinquo consistunt*, quin etiam illi, qui consanguinitate (Ruth. 2, 20. 3, 12.) mecum conjuncti erant, minime suo nomini respondent, sed de longo consistunt, ac me abominantur.

13. Queritur, interim dolos concinnasse inimicos, ut morbi malum cumularent. וַיְנַקְּשׁוּ מְבַקְשֵׁי נַפְשִׁי *Et laqueos nectunt quaerentes animam meam* (vid. 35, 4.), venatoribus similes, ferae alicui suis laqueis insidiantibus; nam נָקַשׁ est venatorium, sono et sensu conveniens cum רָקַשׁ *irretivit*, ut constat e Deut. 12, 30. *vide*, *ne* תִּנָּקֵשׁ *irretiaris* per gentium vicinarum idololatriam.

Hinc Chaldaeus recte h. l. *retia expandunt* reddidit. Alexandrinus, qui ἐξεβιάζοντο, *vim faciebant*, vertit, spectavit *collidendi*, *percutiendi* notionem, quam verbum נָקַשׁ apud Chaldaeos obtinet. וְדֹרְשֵׁי וגו׳ *Et qui malum mihi inquirunt*, *loquuntur pravitates*, crudelia et maxime mihi perniciosa consilia cudunt, *fallacias toto die meditantur*. De הַוּוֹת vid. ad 5, 10.

14. וַאֲנִי — יְפַתֵּח־פִּי *At ego*, *velut surdus*, *nihil audio*, *ac ceu mutus* sum, qui *non aperit os suum*. Eorum susurrationes, et maledicta atque execrationes quum audirem, adeo patientiam tenui, ac si minime audirem, nec retuli contumelias, aut illorum inimicum animum coargui, sed, tanquam mutus, conticui. Ante לֹא־יְפַתֵּח subaud. אשר, ut 9, 16. 16, 4. 25, 12. 32, 2.

15. Eadem fere sententia repetitur, ad indicandam suae patientiae constantiam: תּוֹכָחוֹת — וְאֶהְיֶה *Similis sum viro nihil audienti*, *et non habenti in ore suo reprehensionem*, sum adeo tranquillus et silens, ut videantur mihi deesse verba, quibus paria refcram convitiantibus.

16. Rationem affert, cur, quamvis eorum verba audiret, non eis responderit: אֲדֹנָי אֱלֹהָי — כִּי לְךָ *Quia te*, *Jova*, *exspecto*, *tu respondebis*, *Domine*, *mi Deus*, quia in te spero, ut pro me audias illorum verba, et pro me respondeas; tuae sint hae partes, ut audias, et pro eo, quod adversarii merentur, reddas atque respondeas. עָנָה hic non *exaudiendi* significatione accipiendum est; non enim scriptum est תַּעֲנֵנִי *respondebis mihi*, sed simpliciter תַּעֲנֶה *respondes*.

17. כִּי־אָמַרְתִּי *Dixi enim*, in precibus ad te fusis: פֶּן־ יְשִׂמְחוּ וגו׳ *Ne*, quaeso, *laetentur de me*, concedas, *cum nutat pes meus*, *qui sese efferunt contra me*. בְּמוֹט רַגְלִי *In nutare pes meus;* loquutio petita ab hominis, pedibus offendentis, aut in lubrico solo vacillantis lapsu, transferturque ad hominis statum et conditionem universam, cum incommodi aliquid patitur, vid. 10, 6. 17, 5. 21, 8. 30, 7. De הַגְדִּיל vid. ad 35, 26. Jarchi: *Ideo nos* (Israelitae) *tacemus*, *quoniam nobiscum cogitamus*, *si illis* alienis populis *acriter responderimus*, *forsan illae videbunt casum nostrum*, *ac laetabuntur de nobis*, *dum nutant pedes nostri*, *et nobis insultabunt*, *dicentes: nonne vosmet jactaveratis de salute vestra?*

18. כִּי־אֲנִי לְצֶלַע נָכוֹן *Nam ego ad claudicationem sum paratus*, vel, proclivis, h. e. lapsui, vel ruinae, sum proximus, vid. ad 35, 15. Verb. כּוּן significat in Niphal *stabiliri*, *paratum esse*, vel *aptum* aut *proclivum ad aliquid*, ut Ex. 34, 2. *esto* נָכוֹן *paratus mane*, *ut adscendas*. Cf. Ps. 57, 8. 108, 2. Neh. 8, 11. — וּמַכְאוֹבִי נֶגְדִּי תָמִיד *Atque dolor meus continuo coram me*, numquam a me recedit. Jarchi: *Ideo nos* (Judaei) *metuimus*, *ne* populi alieni *laetentur de nobis*, *quoniam assueti sumus plagis*, *atque parati et promti semper* ferre *contritionem*.

19. כִּי־עֲוֹנִי וגו׳ *Quia iniquitatem meam fateor, sollicitus sum ob peccata mea.* Pertinent haec ad Dei clementiam commovendam, culpam enim fateri, poenaeque se submittere, magnopere judicis infleetere solet animum.

20. Refert adhue aliam de hostibus suis querulationem, et peranxiam auxilii implorationem, qua habitum animi doloribus exagitati, et inter consolationem, atque, ob erueiatus, aegritudinem, fluetuantis expressit: At, inquit, interim dum ego sileo et perfero omnia, tuam opem exspeetans, אֹיְבַי — שֶׁקֶר *Inimici mei vivunt* valentque, *et roborantur; qui immerito me odio prosequuntur*, *multiplicantur*, viribus eopiisque augentur. חַיִּים *viventes*, h. e. floridi; omnique opum, atque virium abundantia praevalentes. *Vita* enim non raro poni solet pro vita feliee et fortunata, vid. ad 22, 27. 34, 13. שֹׂנְאַי שֶׁקֶר *Qui me odiunt falso*, nullam odii erga me habent justam eausam, sed mendaeissime multas praetendere solent offensas, ex mera nocendi libidine. Similis loquutio 35, 19.

21. וּמְשַׁלְּמֵי — רָדְפִי טוֹב *Qui maleficium rependunt pro beneficio et adversantur mihi pro persequendo me bonum*, id est, pro eo, quod quaeunque re illos juvare possem, eam persequutus et consectatus sum praeeipuo studio; pro eo, quod demereri illos summopere quaerebam. Alii טוֹב *bonum*, intelligunt de reetitudine, virtute: *adversantur mihi eo, quod virtuti studeo.* Est revera extrema linea improbitatis, odisse hominem probum, quia probus est. Sed priorem illum sensum non modo suadet vox תַּחַת, verum etiam membrorum parallelismus. רָדַף *persequi*; pro: omni studio eonseetari, ut 34, 15. Jarchi verba רָדְפִי טוֹב תַּחַת exponit: *quoniam nos adhaeremus Deo ejusque praeceptis.*

22. Post deploratas suas aerumnas et adversariorum inhumanitatem ae saevitiam, sermonem totum preeibus terminat: אַל־תַּעַזְבֵנִי וגו׳ *Ne derelinquas me*, *Jova*, tanquam qui ad te nihil pertineam, *Deus meus*, quum tu sis Deus meus, quem colo, cui servio, *ne elongeris a me*, ne sis a me proeul. Cf. de hac formula ad 10, 1. coll. 34, 19.

23. חוּשָׁה לְעֶזְרָתִי אֲדֹנָי תְּשׁוּעָתִי *Propera ad auxilium meum*, *Domine, salus mea*, salutis mieae auetor, a quo solo salutem exspeetare possum. Vid. ad 22, 10. 27, 1.

Ps. 39.

Canit, ut gravissimis malis exagitatus, eontinuerit tamen se, ne indigna, praesertim audientibus improbis, effutiret querendo, Deo autem, quae patiebatur, vitaeque totius ealamitatem et brevitatem questus sit, et malorum, quae peeeatis tamen suis debita agnovit, liberationem orarit. Carmen est ejusdem fere, cum superiore, argumenti et tenoris. Veteres Hebraei, ut refert Jarchi,

hunc Ps. dictum statuerunt *de judiciis et decretis afflictionis, quae facta sunt super Israelitas.*

1. De יְדוּתוּן vid. Prolegg. pag. 16.

2. אָמַרְתִּי *Dixi*, se. in corde, s. animo meo, statui mecum. Sic enim verb. אָמַר saepius solet de eo usurpari, quod quis animo concepit, veluti 14, 1., ut itaque et h. l. sensus sit, se animo ad patientiam composito silentium sibi imperasse, sequitur enim: אֶשְׁמְרָה דְרָכַי מֵחֲטוֹא בִלְשׁוֹנִי *Custodiam vias meas, ne peccem lingua mea*, observabo me, nam *vias* Hebraei pro quolibet negotio, incepto, instituto, usurpare solent (vid. 18, 22. 25, 4. 37, 7.), et satis liquet, dicere vatem hic voluisse, se ipsum observasse, ne quid effutiret, ut gloriae Dei adversum, ita se indignum, hoc est, *peccaret lingua sua.* אֶשְׁמְרָה לְפִי מַחְסוֹם *Custodiam ori meo capistrum*, sedulo observabo ut sit ori meo capistrum, adeo linguam et os cohibebo, ut paene camo quodam, ut jumentis fieri solet, mihi os obstruxisse videar. Ante לְפִי subaud. Infinitivus, לִהְיוֹת *ut sit*, qui saepe deficit. Nomen מַחְסוֹם nusquam alias occurrit, verbum vero חָסַם *os* vel *nasum obturare*, bis reperitur, Deut. 25, 4. *ne obtures os bovi trituranti;* et Ez. 34, 11. *vallis illa* (ubi Gog sepultus) *obturabit* (foetore cadaverum) *nares praetereuntium.* Chaldaeis quoque non solum verbum חֲסַם significatione *claudendi, occludendi, obturandi*, atque, ad ora animantium relatum, *capistrandi*, est usitatum, verum etiam nomen מְחסוֹם pro *capistro.* Alexandrinus φυλακὴν, *custodiam*, posuit, et Syrus: *servabo os meum ab iniquitate.* Uterque sensum spectavit. בְּעוֹד רָשָׁע לְנֶגְדִּי *Dum adhuc impius in conspectu meo*, dum erat coram impius, quod vel de insigni aliquo improbo dixit, vel singulare pro plurali posuit. ב ante עוֹד ellipsin infiniti includere videtur, q. d. בִּהְיוֹת עוֹד *dum adhuc est.* Jarchi: *Propositum nobis erat* (dicunt Israelitae), *cohibere nosmet ipsos in omnibus angustiis, quibus premimur, ne curiosius perscrutaremur et durius loqueremur de modo judicii divini, quamvis improbi essent coram nobis, qui nos affligebant.*

3. Canit, quam pertinaciter tacuerit, vi morbi ad querendum potissimum urgente. נָאֱלַמְתִּי דוּמִיָּה הֶחֱשֵׁיתִי מִטּוֹב *Obmutui silentio, conticui de bono*, ut ne de bonis quidem rebus aliquid loquerer, ne forte laxato ore in bona et in mala prorumperem. Breviata est haec phrasis ex ea quae plene habetur Gen. 31, 24. *Cave tibi, ne loquaris cum Jacobo* מִטּוֹב עַד־רָע *a bono usque ad malum*, i. e. ne verbum cum eo facias. Alii *silui a bono* interpretantur, i. e. nihil erat boni, de quo loqui potuissem. Alii: longissime ab omni gaudio semotus, lugubre exercui silentium; gaudium a me exulavit penitus. Verba enim *silendi*, ut חָשָׁה, חָרַשׁ cum praepositione מִן construeta, recessionem vel absentiam aliquam haud raro inferunt, vid. ad 28, 1. Sed quoniam vates praemisit, se capistrasse os suum, dum improbus adesset, et ne peccaret

lingua, videtur magis quadrare sensus primus, ut intelligas eum canere voluisse, quantopere obfirmarit silentium, ut prorsus de nulla re, ne bona quidem, loqui sibi permiserit, ne scilicet ad indignas se querelas prolaberetur. Quod ipsum et Chaldaeus videtur intellexisse, dum vertit: *cessavi a verbis legis, propter metum eorum*, populorum, qui nos opprimunt, uti addit Jarchi. Interea autem, cum a querelis continebat, increscebat dolor: וְכְאֵבִי נֶעְכָּר *dolor meus perturbatus*, ex eo, quod tacui, non quievit dolor meus, sed magis commotus est et innovatus, et tanquam ex imis sedibus agitatus.

4. Magis, quae dixerat, amplificat: חַם־לִבִּי בְקִרְבִּי *Incaluit cor meum intra me.* Ita namque homini accidit, dum dolore affectus, a querelis sibi obtemperat, et spiritum continet, calorem intra se cum dolore incrementa accipere, unde sequitur: בַּהֲגִיגִי תִּבְעַר־אֵשׁ *in aestu meo exarsit ignis*, ardor aestusque intelligitur indignationis et impatientiae, quo ob miseram sortem, comparando eam cum malorum prosperitate, commotus, inflammatusque fuerit. הֲגִיג proprie *ignis ardorem*, hinc per metaphoram *fervorem* etiam *aestumve animi* significat. דִּבַּרְתִּי בִלְשׁוֹנִי *Loquutus sum lingua mea*, i. e. non potui me amplius continere, in verba prorupi, ita ut fit, dum doloris incendium incaluerit, spiritibus diu contentis.

5. Quaeso, quando ita in me saevis, אֲנִי — הוֹדִיעֵנִי *Indica mihi, quisnam sit finis meus*, quisve modus vitae meae, *sciam obsecro, quodnam mihi aevum competat?* Si longa sit vita, inquit, tolerabilis erit, etiamsi exigua ejus pars in malis ducatur, quando majore ex parte felix futura sit; sin autem brevis ea est, et insuper malis cumuletur, oro, ut dolore sublato, saltem brevi hoc intervallo quiete degere liceat, antequam morte praeventus et vitae simul et languoris finem accipiam. Verba מָה־חָדֵל אֲנִי proprie sonant: *quam deficiens ego sim*, quod Vulgatus non male reddidit, *quid desit mihi*, h. e. quid ex praescripto dierum meorum numero desit mihi, quid ex eo detrahendum sit; quod mihi vitae sit reliquum. Chaldaeus: sciam, *quando deficiam ex mundo.*

6. Si in multa secula vitam mihi prorogaturus esses, et, ut bonis rursus fruerer, concessurus, ferri possent cruciatus tam acerbi; spes scilicet vitae melioris dolorem levaret: jam vero טְפָחוֹת נָתַתָּה יָמָי *palmos dedisti*, fecisti (vid. 18, 33. coll. Gen. 48, 4.) *dies meos*, palmares eos fecisti; minutissima mensura vitam meam mensus es et finisti. טֶפַח mensurae naturalis nomen, quatuor digitorum (ut apparet ex 1 Reg. 7, 26. 2 Chr. 4, 5. coll. Jer. 52, 21.), h. l. ponitur pro concreto, *palmaris*, ut 33, 17. *equus est vanitas*, ubi vid. not. וְחֶלְדִּי כְאַיִן נֶגְדֶּךָ *Et aevum meum tanquam nihilum contra te*, sic est, quasi non sit, praesertim tibi collatum, qui manes in aeternum. De חֶלֶד vid. 17, 14. אַךְ כָּל־הֶבֶל כָּל־אָדָם נִצָּב *Certo universa vanitas est omnis homo con-*

sistens, nihil nisi inane et nihilum sunt, quicunque hic vivunt, quamlibet firmiter videantur consistere. Homo est כל־הבל *universa vanitas*, i. e. summe vanus, fragilis est. Abstractum enim infert Superlativum, vid. 33, 17. De הבל vid. etiam 31, 7. Verbum נצב adhibetur ad ea, quae cum *statu firmo sese attollunt et erigunt* (cf. Gen. 37, 7.).

7. אַךְ־בְּצֶלֶם יִתְהַלֵּךְ־אִישׁ *Certe in imagine ambulat homo*, h. e. velut inanis umbra, velut imago descripta lineolis, nec quicquam habens solidi, ita obambulant versanturque hic universi mortales. Cf. locum parall. 144, 4. בצלם propr. *in imagine*, i. e. eodem modo quo imago, unde Particula ב haud raro *comparative* accipienda, et *sicut* est vertenda, ut Thren. 4, 2. *aestimati sunt* בְּנֵי־בָז *ut aurum*, eodem, quo aurum, pretio; Jes. 48, 10. *purgabo te*, *sed non* בְּכֶסֶף *sicut argentum*. De verbo יִתְהַלֵּךְ cf. ad 26, 3. אִישׁ *vir*, h. l. quilibet, ut 1, 1. 12, 3. 31, 20. al. אַךְ־הֶבֶל יֶהֱמָיוּן *Certo inane strepunt*, inane est, quicquid satagunt, quicquid tumultuantur et laborant, ut haec est vita turbationis, molestiae et laboris refertissima. Est vero hic numeri alternatio, seu enallage, *strepunt*, ob praecedens collectivum אִישׁ *quilibet*, unde etiam mox redit singularis, יִצְבֹּר *cumulat*, se. opes; non enim infrequens Accusativi ellipsis, quando is vel ex indole verbi, vel ex sermonis contextu facile suppleri potest, ut Gen. 41, 14. *et misit* sc. nuncium; Jes. 39, 7. *vovete et solvite*, sc. vota. וְלֹא־יֵדַע מִי־אֹסְפָם *Nec novit*, *quis collecturus ea*, saepissime namque in eas opes, in quibus aliquis diu multumque sudavit, tanquam in paratam alieno labore segetem, extraneus messor irruit, et alienas fruges in sua comportat horrea. Affixum ־ם non habet expressum nomen aliquod antecedens, ad quod referatur, sed sensu debet elici ex verbo צָבַר, q. d. nescit mortalis, quis collecturus sit illos צְבִרִים *acervos*, tam magna cum cura congestos. Pron. relat. respicit quandoque nomen non diserte expressum, sed ex solo sermonis contextu cognoscendum, ut Thr. 3, 1. *indignatio ejus*, pro *Dei*; Hab. 1, 10. *capiet eam*, pro *urbem*; cf. Ps. 18, 15.

8. Post querimoniam subjicit preces, qua aerumnis liberari precatur. וְעַתָּה מַה קִּוִּיתִי אֲדֹנָי *Et nunc*, *quid exspectavi*, *Domine?* Jam quid mihi sperem, quum nimirum nihil, nisi inanitas, sit omnis hominum vita, et quicquid moliuntur? תּוֹחַלְתִּי לְךָ הִיא *Praestolatio mea ad te ipsa*, tu certe unus es, in quem spes mea recumbit. *Ipsa*, sc. est, vel existit. Pron. pro verbo substant, ut 9, 2. 16, 3. al.

9. מִכָּל־פְּשָׁעַי הַצִּילֵנִי *Ab omnibus* ergo *peccatis meis libera me*, ut et poenis illorum defungar. Agnoscebat siquidem, ut et Ps. 38., peccatis suis haec mala meruisse. חֶרְפַּת נָבָל אַל־תְּשִׂימֵנִי *Opprobrium nequam* (vid. ad 14, 1.) *ne ponas me*, ne exponas me ludibrio hominibus nequam et perditis, qui illico, ubi Jovae cultores severius ab illo castigantur, frustratos spe sua in

Deum, et nullum feeisse pie vivendi operae pretium arbitrantur, coque illos calamitate pressos etiam irrident, et ludibrio habent. שׂוּם h. l. eadem ratione, qua נָתַן Vs. 6.

10. Eandem nunc profitetur mansuetudinem, quam et Ps. 38, 14. 15. professus est. Audiebat pietatem suam a perditissimis hominibus rideri, et sibi quoque falsa multa impingi; at cogitans suis peccatis omnia deberi, ac Jovam esse, qui ipsum castigaret, obmutuit ad omnia, et ne verbulum, nisi apud ipsum Jovam, questus est: *Obmutui, nec aperui os meum, tu enim fecisti*, נָגַע *plagam* (Vs. 11.), tu percussisti, tuque solus sanabis, te igitur unum invoco, nec alii dolores meos queror.

11. הָסֵר מֵעָלַי נִגְעֶךָ *Remove* igitur *a me plagam tuam*, plagam, quam tu inflixisti, tu ipse item remove; jam enim plagis manus tuae confectus, plura ferre non possum, quod his verbis exprimit: מִתְּגָרַת יָדְךָ אֲנִי כָלִיתִי *Ab exagitatione manus tuae ego consumtus*, exanimatus, *sum.* Nomen תְּגָרָה, praeter h. l. non occurrens, a verbo גָּרָה *incitavit, concitavit in*, vel *adversus alium commovit* (qua notione Hebraeis pariter et Chaldaeis est usitatum, vid. Prov. 15, 18. 28, 25. 29, 22. Deut. 2, 8. 19. 24. Dan. 11, 25.), notat *exagitationem;* intellexit ergo vates, Jovam quasi continuis plagis se exagitasse, nulla quiete permissa.

12. Magis adhue atrocitatem castigationis divinae exaggerat: חַמּוּדוֹ — בְּתוֹכָחוֹת *Correptionibus ob iniquitatem castigas*, si castigaveris *virum*, *et dissolvis*, *sicut tinea*, *omne desiderabile ejus*, h. e. dum tu hominem, ob iniquitatem, videris tantum quasi objurgando castigare, gravis adeo est increpatio tua, ut homo ea plane conficiatur, et evanescat quicquid in eo fuerit desiderabile (חֲמוּדוֹ), aut speciosum, omne robur, omnisque vigor corporis, non secus, atque arroditur et consumitur vestis a tinea. Hoc simili saepius uti solent poetae Hebraeorum; ita Job. 13, 28. *ut vestem comedet illum tinea.* Jes. 50, 9. *omnes illi ut pannus veterascent, tinea consumet eos.* 51, 8. *quasi vestem consumet eos tinea.* Videtur itaque et nostro loco *vestimentum* subaudiendum, ut non raro aliquid, quod ex reliquis verbis satis intelligitur, omitti ab Hebraeis scriptoribus saepius jam vidimus. De עָשׁ *tinea*, vid. Bochart *Hieroz.* T. III. p. 513. ed. Lips.

13. שִׁמְעָה — הַאֲזִינָה *Audi precem*, *Jova*, *ausculta clamori meo*, gradibus quibusdam ad summum pervenit, nam primo *precem* posuit, secundo loco *clamorem*, tertio *lachrymas*, addidit enim אֶל־דִּמְעָתִי אַל־תֶּחֱרַשׁ *ad lachrymas meas ne sileas*, quasi fletum meum non audieris, neve nulla te mei cura, tanquam alienae rei et extraneae tangat. De חָרַשׁ vid. 28, 1. Cur autem, ne differat auxilium, oret, causam adfert hanc: כִּי גֵר אָנֹכִי עִמָּךְ תוֹשָׁב כְּכָל־אֲבוֹתָי *Nam peregrinus ego* sum *coram te* (cf. 18, 24.), *advena*, *ut omnes patres mei*, i. e. vita mea non tantum non certum, sed ne diuturnum quidem tempus habet, quales et ante me peregrina-

tores fuere majores mei universi, et est communis haec omnium hominum conditio. Locus parall. est 1 Chr. 29, 14. 15. גֵּר (a גּוּר *commorari*, *peregrinari*) proprie designat cum, qui alibi natus extra patrium solum hospitatur apud alios, cui אֶזְרָח *indigena*, opponitur Lev. 24, 16. 22. Jos. 8, 33., atque תּוֹשָׁב, quod (a יָשַׁב *habitavit*) de eo solet usurpari, qui aliunde adveniens alicubi commoratur tanquam incola receptus, vid. Gen. 23, 4. Ex. 12, 45. Lev. 22, 10. Quod hic legitur עִמָּךְ, idem prorsus est quod 1 Chr. 29, 15. לְפָנֶיךָ *coram te*, h. e. in territorio tuo, quomodo peregrini vivere solent apud principem aliquem, licentia commorandi impetrata.

14. Ultimo iterum orat, ut castigatione tandem a se Deus recedat, ne omnem vitam calamitosam habeat, aut certe morbo absumatur, eo quod longe vires ejus ille superaret. הָשַׁע מִמֶּנִּי *Respice a me*, vultum tuum iratum a me avertas, desiste a me, ne amplius validos manus tuae conflictus continuando (Vs. 11.) me penitus consumas (cf. Job. 7, 19.), וְאַבְלִיגָה *ut serenare liceat* scil. פָּנִים *frontem*, luctu et moerore perditam, ut me recreem, בְּטֶרֶם אֵלֵךְ וְאֵינֶנִּי *antequam abeam, et esse desinam.* בָּלַג propric est: *fulsit*, *splenduit*, *serenus fuit.* Iis in locis, ubi in Hiphil ponitur, פנים est subaudiendum, quod nomen et in aliis loquendi formulis non semper solet exprimi.

Ps. 40.

E maximis periculis Dei se ope creptum gloriatur, ejusque inexplicabilem in cultores suos bonitatem miratur, atque ob eam, dum sacrificia non moratur, sed ipsum hominem requirit, addicit sese illi, et celebraturum se canit justitiam ejus et bonitatem, quam possit, multis, idque summo et perpetuo studio. Inde vero, quod tot ac tanta divinae erga se bonitatis documenta expertus est, spem concepit fore, ut ex iis calamitatibus, quae ipsum jam obsident, liberet Deus, quem orat, ut libeat ei hostes suos dejicere, et bonos benignitate sua exhilarare (Vs. 12. sqq.).

Qui a Davide hoc carmen factum existimant, quaerunt, quodnam fuerit periculum illud, e quo liberatum se hoc carmine canit. Plerique interpretes, conjectura admodum incerta ducti, Absalonicis temporibus hunc Psalmum tribuunt. Quasi vero cum nullis aliis calamitatibus, cum nullis aliis adversariis, nisi quorum in libris V. T. historicis mentio est facta, Davidi conflictandum fuerit, ut ad illa sola regii vatis pericula, quae literis sunt consignata, omnes et singuli ejus Psalmi sint referendi. Nos tamen sua luce Psalmum clarescere arbitramur, si, ut duos, qui proxime praecesserunt, ita et hunc pro toto populo factum sumimus. Quae etiam Jarchii sententia est.

Quia auctor Epistolae ad Hebraeos (10, 5.) Psalmi nostri Versus 7—11. de Christo explicat, plurimi inter Christianos in-

terpretes, qui quidem vaticinia de Christo in V. T. existere statuunt, totum hoc carmen ad Jesum, Messiam, referunt. Sunt tamen, ut jam observavit RUDINGERUS, „quibus interpretatio Epistolae ad Hebraeos, ut ingeniosa et pia, violenta tamen et coacta videtur, et magis de Graeci interpretis Psalmorum, quam verbis vatis deduci, et plus omnino colligere, quam David docere voluerit.“ Alii, qui bene intelligerent, postremam carminis partem (Vs. 12—18.) Messiae minus convenire, praesertim verba Vs. 13., quae peccatorum confessionem continent, hanc viam ineundam censuerunt, ut in prima et ultima Psalmi parte Davidem de se loqui statuerent, in media autem Vs. 7—11. Messiam loquentem induci. Quam interpretationem sobriae hermeneutices leges vix admittant. Accurate et copiose hunc Ps. explicavit J. D. MICHAELIS: *Critisches Collegium über die drey wichtigsten Psalmen von Christo, den* 16. 40. *und* 110. Freof. et Goetting. 1759. 8. p. 253—451. Prae ceteris autem digna sunt, quae legantur, quae tum de totius nostri carminis, tum speciatim de Versus 8. explicatione monuit C. G. HENSLER in *Bemerkungen über Stellen der Psalmen und Genesis*, Hamb. 1791. p. 61. sqq.

2. קַוֹּה קִוִּיתִי יְהוָה *Exspectando exspectavi Dominum*, pertinaci fiducia Dei opem praestolatus sum. Infinitivus enim haud raro verbo suo finito praemittitur ad augendam quodammodo et intendendam significationem. וַיֵּט אֵלַי וַיִּשְׁמַע שַׁוְעָתִי *Et inclinavit* aurem (quod nomen subaud. ex Ps. 17, 6. 31, 3.) *ad me, audivitque vociferationem meam.* Quum in maximis malis haereret, se inducit velut ex profundo ad Deum vociferantem, et Deum, cum opem tulit, quasi ex alto se ad ipsum demisisse, et aurem ad vociferationem suam inclinasse.

3. Ad malorum, in quibus fuerit, magnitudinem exaggerandam facit, quod dicit: וַיַּעֲלֵנִי מִבּוֹר שָׁאוֹן *Adscendere me fecit*, eduxit me, *e puteo strepitus*, h. e. de puteo aestu agitationeque aquarum perstrepente. Sic enim שָׁאוֹן, quod in universum *strepitum*, *tumultum* denotat, de aquarum strepentium sonitu dicitur quoque 65, 8. Jes. 17, 12. 13. Alii, huic nomini h. l. nominis שׁוֹאָה *devastationis* (vid. Ps. 35, 8.) significationem tribuentes, בור שאון vertunt *foveam interitus.* Sic Alexandrinus: ἐκ λάκκου ταλαιπωρίας, *e lacu miseriae.* Sed minime necesse est, usitatam nostri שאון notionem h. l. linquere (quam ipsam ex veteribus Chaldaeus etiam et Hieronymus expresserunt), praesertim quum imaginem vividiorem nobis sistat. Statim similem imaginem addit: מִטִּיט הַיָּוֵן *e luto coeni*, h. e. de luto maxime profundo; significatio enim intenditur synonymorum conjunctione. Nomen יָוֵן praeter h. l. tantum exstat 69, 3., nec habent illud ceterae cum lingua hebraea cognatae dialecti. Quum tamen Alexandrinus utrobique ἴλυν, Vulgatus et Hieronymus jam *faecem*, jam *lutum*, jam *coenum*, et Chaldaeus nostro loco *coenum* vertant; horum inter-

pretum auctoritatem sequi eo minus dubitamus, quo aptior illa significatio utrique loco videtur. Comparat itaque sese noster homini, qui in profundam prolapsus paludem, magis magisque demergitur, nullum pedibus explorare valet fundum, cui inniti posset, solidum. Ex hoc tamen praesentissimo interitus periculo creptum Jovae ope se canit: אֲשֻׁרָי — וַיָּקֶם *Collocavit in petram pedes meos, et stabilivit*, expedivit, *gressus meos*. Elegans vero antithesis profundae aquae et paludis, in qua homo nequit vel consistere, vel inde se expedire, et petrae, in qua firmus quis stat, gressusque expediti.

4. וַיִּתֵּן בְּפִי שִׁיר חָדָשׁ *Et dedit in os meum canticum novum*, praebuit mihi Jova materiam, nova ipsum laude celebrandi; cf. Ps. 33, 3. *Cantico novo* per synecdochen indicantur *nova* Dei *beneficia*, canticorum depraedicatione digna. תְּהִלָּה לֵאלֹהֵינוּ *Laudem*, inquam, *Deo nostro*, scilicet indidit ori meo, pendent quippe haec a verbo quod praecessit, וַיִּתֵּן, et sese mutuo declarant. יִרְאוּ רַבִּים וְיִירָאוּ *Viderunt multi et timueruut*, nimirum Deum, agnito jam numine ejus, veraque religione affecti, unde sequitur: וְיִבְטְחוּ בַּיהוָה *et nitentur Jova*, quem scilicet viderunt benigne adeo suo cultori adfuisse. Notanda paronomasia in verbis יִרְאוּ et יִרְאוּ, qualis 32, 7. al.

5. Exclamatio sequitur, ex gestiente laetitia de lato divinitus auxilio ejusque fructu et apud alios, inde ad fidem Jovae perductos, profecta: מִבְטַחוֹ — אַשְׁרֵי *Felicia viri*, felix ille vir (vid. 1, 1.), *qui Jovam tutelam suam posuerit*, i. e. Deum sibi statuerit, sive proposuerit opitulatorem unicum, in quo confidat. *Ponere* h. l. idem quod *facere*, ut aliquid sit hoc vel illud, ut 52, 9. 91, 9. *Fiducia* autem, מִבְטַח, per metonymiam pro eo, in quod tuto confiditur, ut 71, 5. *tu es spes mea*. וְלֹא פָנָה אֶל־רְהָבִים *Nec respicit ad fastuosos*, id quod facere solet, qui desperans de Jovae auxilio ad alios se vertit patronos, atque ad tales quidem, qui jactant vires suas, homines opibus et potentia elatos et ferocientes, quibus jungit שָׂטֵי כָזָב *declinantes ad mendacium*, qui non praestant, quae promittere videntur, sed deludere potius solent illos, qui iis confidunt, ut qui fallacibus et fluxis innituntur divitiis, hisque innisi fastuose efferunt sese, aut falsa roboris opinione tument.

6. Exclamationis (Vs. 5.) quasi causam nunc reddit, quare tam felix sit, qui Deo nitatur. Est vero ipsa exclamatio quaedam animi ex divinae bonitatis consideratione exultantis. רַבּוֹת — נִפְלְאֹתֶיךָ *Plurima sunt, quae tu, Jova, mi Deus, patrasti facinorum tuorum mirandorum*. Post רַבּוֹת subaud. non modo verbum substantivum, ut saepius, ubi Adjectivum praemittitur, verum etiam Pron. relat. *quae*, hoc modo: *multa* sunt *mirabilia tua*, quae *tu Domine fecisti*. *Mirabilia* autem, נִפְלָאוֹת, sunt, quae Jova benigne et magnifice fecit, non vati solum, sed omnibus omnino ei credentibus, quibus facinoribus subjungit statim consilia, quae de

suis cultoribus servandis capit Jova: וּמַחְשְׁבֹתֶיךָ *Et cogitationes tuae*, h. c. decreta vel consilia tua, ut Ps. 92, 6. Jes. 55, 8. אֵלֵינוּ *Ad* s. *super nos*, h. e. quae nostri causa vel in nostrum commodum cepisti, et palam ipso opere postea fuisti contestatus. Sic enim אֶל pro עַל h. l. positum esse, conjicere licet ex Thr. 3, 61. *Audisti* כָּל־מַחְשְׁבֹתָם עָלַי *omnia eorum de me*, contra me, *consilia;* et ex Ps. 56, 6., ubi hoc ipsum nomen cum particula עַל construitur. אֵין עֵרֶךְ אֵלֶיךָ *Non est ordinare ad te*, h. c. non potest eorum ordo aliquis coque nec numerus statui, ut sese ad te habeant, id est, ut a te proficiscantur, id quod apertius dicit: אַגִּידָה וַאֲדַבֵּרָה עָצְמוּ מִסָּפֵר *annunciabo, loquar*, nimirum de illis, renunciare illa et eloqui tentavi, *sed plura sunt, quam ut queant numerari*, omnem numerum superant. Illa tamen verba: אֵין עֵרֶךְ אֵלֶיךָ alias adhuc interpretationes ferunt. Quum enim עֵרֶךְ etiam denotet *disponere, struere* sermonem aut preces, ut Ps. 5, 4. Job. 32, 14.; sunt, qui sensum faciant hunc: nemo potest illa, facta tua miranda atque consilia, satis exponere aut eloqui. Alii עֵרֶךְ *aestimandi, aequiparandi* significatu h. l. accipiunt, quo reperitur 89, 7. Jes. 40, 18. coll. Job. 28, 17. 19. Ita nostra verba proprie sonabunt: *non est aequiparare ad te*, h. e. nemo tibi potest conferri. In quem sensum Alexandrinus: *καὶ τοῖς διαλογισμοῖς σου οὐκ ἔστι τις ὁμοιωθήσεταί σοι*, quod Vulgatus expressit: *et cogitationibus tuis non est similis tibi;* ubi tamen *cogitationum* vox male avulsa est ab hemistichio Versus priore. Melius Syrus: *nec similis tibi.* Quonam vero acceperis modo, in eandem sententiam recidit, divinae super nos benignitatis facinora et consilia omnem superare existimationem, recensum et laudem, ac neminem posse bonitate Jovae conferri.

7. Volens declarare, quam cupiat Jovae, in se tam benefico, gratificari, sese illi addicturum canit, quod et lex ejus poscit, potius quam victimas, et omni studio bonitatem ejus aliis praedicaturum. Ait igitur: זֶבַח וּמִנְחָה לֹא חָפַצְתָּ *Victimis et libamentis non delectaris.* זֶבַח est *sacrificium sanguineum*, s. quod mactatur, a זָבַח *mactavit;* מִנְחָה vero, propr. *donum*, oblatio incruenta de simila, placentis, cum oleo, thure, sale, vid. Lev. 2, 1. sqq. et ibi not. Noluit vero noster his dicere, Deum haec sacrificia prorsus noluisse, sed quod non voluerit ut praecipua, verum ante omnia studium voluntatis suae. Cf. 1 Sam. 15, 22. Jer. 7, 21. sqq. Ps. 50, 8—14. Hos. 6, 6. Addit: אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי *aures forasti mihi;* h. c. aurium meatum mihi effodisti, aures mihi aperuisti, patefecisti mihi, illud, puta, quod modo dixerat de sacrificiis non pro praecipua cultus divini parte habendis. Cf. Jes. 50, 4. 5. Qui *effodit* quid, is et *aperit*, quare ipsa verbi כָּרָה natura a significatu *aperiendi* aliena non est. Simili sensu adhibetur verbum גָּלָה *revelavit aurem*, h. c. operimentum, auditionem impediens, retexit, audientem aliquem fecit, ut 1 Sam. 20, 2. *nil facit quin*

revelet aurem meam, i. e. aperiat mihi id ipsum, in aures quasi insusurrando; vid. Vs. 12. 13. Sic Cap. 22, 18. *Non est revelans aurem meam*, i. e. id mihi aperiens. Alexandrinus vertit: σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, *corpus praeparasti*, adaptasti, *mihi*. כָּרָה accepit *comparandi*, *praeparandi* significatione, qua Deut. 2, 6. 2 Reg. 6, 23. et Hos. 3, 2. reperitur; *aures* autem, per synecdochen, pro toto corpore positas existimavit. Alexandrinum sequutus est scriptor Epistolae ad Hebraeos, 10, 5. Repetens, quae dixerat, addit: עוֹלָה וְחַטָּאת לֹא שָׁאָלְתָּ *Holocaustum et victimam pro peccato non postulas;* haec per se non requiris aut probas, sed magis, ut se ipsum homo tibi addicat, tuamque bonitatem, quam possit, longe lateque cognitam faciat.

8. Particula אָז *tunc*, notat tempus liberationis poetae; tum enim, perceptа Dei bonitate, totus ardebat studio, gratum sese Deo exhibendi. Cogitabat ergo et statuebat apud se, se ipsum adfuturum et Jovae consecraturum. Id enim est, quod hisce verbis innuit: אָמַרְתִּי הִנֵּה־בָאתִי *Dixi: ecce venio!* ecce, adsum ipse; ut tuae voluntati vivam, plane ardeo; id quod בִּמְגִלַּת־סֵפֶר כָּתוּב עָלָי *in volumine libri* (sc. legis, i. e. Pentateuchi) *scriptum*, praescriptum est, *mihi*, hoc scilicet praecipue mihi studendum esse, ut me Deo addicerem et animum potius, quam pecudum hostias offerrem. *Volumen libri*, h. e. liber qui oblongis membranis convolvitur, nam quemadmodum Latinis *volumen* a *volvendo*, ita Hebraeis מְגִלָּה a גָּלַל *convolvit;* et adhuc Judaei non solum in libris, qui vulgata forma plicabilibus foliis constant, sed in Synagogis in oblongis membranis, quae ex more antiquo super cylindrum seu axem ligneum in orbem circumvolvuntur, legem scriptam habent. Dictionem כָּתוּב עָלַי reddendam esse, *praescriptum est mihi*, clarissime patet ex 2 Reg. 22, 13. *non obtemperarunt majores verbis hujus libri* (Legis), *ut facerent secundum omnia, quae* עָלֵינוּ *nobis sunt praescripta.* Eadem ratione particula עַל post verba *praecipiendi* et *mandandi*, צִוָּה et פָּקַד, usurpatur Gen. 2, 16. Esr. 1, 2.

9. Magis explicat addictionem et consecrationem, qua Deo se consecraverit. חָפַצְתִּי — לַעֲשׂוֹת *Facere quae tu probas collibuit, lex tua in medio viscerum meorum*, in intimis meis est quasi recondita, praecepta tua sollicite memoria conservo, eisque obsequi summopere studeo. *Viscera* h. l. per synecdochen generis pro *corde*, viscerum praecipuo, sive *anima*, ut Job. 38, 36. *quis posuit* בַּטֻּחוֹת חָכְמָה *in visceribus sapientiam?* Sic Jer. 31, 33. Ez. 11, 19. promittit Deus, se daturum spiritum et legem suam in *viscera Israelitarum* (בְּקִרְבָּם).

10. בְּשַׂרְתִּי — יְדַעְתָּ *Depraedico justitiam tuam in concione frequenti; en! os meum nequaquam continui; nosti tu ipse, Jova!* Verbum בָּשַׂר est *nunciare rem novam*, quaeque plurimum afficiat, sive laetam, sive tristem, unde ille qui caedem Israelis

et filiorum Eli nunciabat, nihilominus מְבַשֵּׂר vocatur 1 Sam. 4, 17. Sed dum hic cum justitia Dei hoc verbum conjunctum est, utique publicam salutis a Jova praestitae renunciationem, et quasi praeconis vocc evulgationem significat. Cf. Jes. 61, 1. 1 Chr. 16, 23. Ad nomen צֶדֶק subaud. pron. suffix. pers. 2. (צִדְקְךָ cf. Vs. 11. צִדְקָתְךָ), quod et alias haud raro omitti solet, veluti 119, 128. Jer. 31, 17. *redibunt filii* tui *in fines suos.* Jes. 58, 13. *ut non loquaris verbum* tuum, *sed potius meum.* Cf. Ps. 30, 13. *Justitiam* vero *Jovae* complecti quoque fidem suam et benignitatem erga suos cultores, qua eis salutem et opem praestat, saepe jam vidimus.

11. צִדְקָתְךָ לֹא־כִסִּיתִי בְתוֹךְ לִבִּי *Justitiam tuam non occultavi in medio cordis mei*, i. e. intra cor meum; sic namque nomen תָּוֶךְ *medium*, usurpari saepius constat non ad medietatem rei alicujus praecise indicandam, sed quando aliquid non est extra rem, adeoque *in medio* idem est ac *in*, *intra*, ut Jos. 3, 17. *in medio Jordanis*, i. e. intra alveum; 2 Reg. 4, 13. *in medio populi mei.* Quid autem intelligat, dum dicit, se non occultasse justitiam Dei intra se, statim declarat: אֱמוּנָתְךָ וגו׳ *fidem tuam servandique voluntatem celebravi, bonitatem et veritatem tuam depraedicare concioni frequenti minime cessavi.*

12. Inde ab hoc Versu petit, ut Deus non desinat, ipsum et deinceps complecti hac misericordia et bonitate, quam expertus est tam lueulentam superioribus temporibus. *Ne ergo, Jova, cohibeas a me miserationes tuas; benignitas et veritas tua perpetuo me custodiant.*

13. כִּי אָפְפוּ־עָלַי רָעוֹת עַד־אֵין מִסְפָּר *Nam circumstant me mala usque ad nullitatem numeri*, tot mala me eireumdederunt, ut numerari non possint. Cf. eandem loquutionem Gen. 41, 49. Jud. 6, 5. 7, 12. De verbo אָפַף vid. Ps. 18, 5. — הִשִּׂגוּנִי עֲוֹנֹתַי *Iniquitates meae comprehenderunt me*, h. e. poenae meorum peccatorum; eadem loquutio Deut. 28, 15. *omnes hae maledictiones venient super te* וְהִשִּׂגוּךָ *et apprehendent te.* וְלֹא יָכֹלְתִּי לִרְאוֹת *Ut non possem videre*, sc. terminum eorum, ut eorum numerus oculos falleret, et nequirem eunctas cognoscere. Alias phrasis haec, absolute sine Accusativo posita *(non potui videre)*, coecitatem denotat, v. g. 1 Sam. 3, 2. 4, 14. 1 Reg. 14, 4. Hoc vero loco subaudiendum est e contextu nomen מִסְפָּר, ut Vs. 2. *inclinavit* sc. aurem. עָצְמוּ מִשַּׂעֲרוֹת רֹאשִׁי *Plura sunt prae capillis capitis mei.* וְלִבִּי עֲזָבָנִי *Et cor meum*, omnis virtus et vitae vigor, *deseruit me;* similis sum mortuo, vel animi deliquium passo, cujus anima e corpore videtur migrasse, ipsumque reliquisse exanime. Sic 1 Sam. 17, 32. cor dicitur *concidere;* Ps. 143, 4. *desolari;* Jer. 4, 9. *perire.* Cf. Ps. 38, 11.

14. Tot malis obrutus auxilium sibi ferri petit, et quidem celere, quo urgentem vim adflictionis exprimit: רְצֵה — חוּשָׁה

Libeat tibi, Jova, liberare me; Jova propera, ut me adjuves. Hic et qui inde proxime sequuntur Versus, repetuntur Ps. 70.; imo hunc totum constituunt; de qua re suo loco videbimus.

15. Hostes repelli, et suis conatibus dejici, ac ita opprobrio et ignominia affici, eisque dignam malitiae eorum mercedem rependi orat: לְסִפּוֹתָהּ — יֵבֹשׁוּ *Pudefiant et afficiantur* (vid. 34, 6.) *opprobrio pariter, qui vitae meae insidiantur, ut extinguant eam.* De phrasi *vitam alicujus quaerere* vid. 35, 4. Verb. סָפָה, quod proprie *colligere* notare videtur, ut Chaldaicum סְפָא, significationem ab אָסַף mutuans, plane ut hoc ipsum, etiam ad *auferendi, absumendi* notionem exprimendam adhiberi solet (cf. ad 26, 9.), ut h. l. et Gen. 18, 23. 24. Jes. 7, 20. Reliqua hujus Versus verba aderant 35, 4., nisi quod ibi pro nostro חֲפֵצֵי רָעָתִי legitur: חֹשְׁבֵי רָעָתִי, et ejusd. Ps. Vs. 26. שְׂמֵחֵי רָעָתִי.

16. יָשֹׁמּוּ עַל־עֵקֶב בָּשְׁתָּם *Obstupescant propter confusionem sui.* Nomen עֵקֶב *finis, extremum*, aliquando particulae causalis gerit vices, vel positum nude, ut Num. 14, 24. עֵקֶב הָיְתָה *propterea quod spiritus alius in eo fuit;* et Deut. 7, 12. 8, 20.; vel sequente אֲשֶׁר, ut Gen. 22, 18. עֵקֶב אֲשֶׁר *propterea quod obtemperasti voci meae*, sic cap. 26, 5. 2 Sam. 12, 6.; vel sequente כִּי, ut 2 Sam. 12, 10. עֵקֶב כִּי *eo quod contemsisti*, Amos. 4, 12. Eodem modo et nostrum עַל־עֵקֶב accipiendum esse, docet res ipsa. Chaldaeus quoque tam h. l. quam 70, 4. illud *propter* reddidit. Aptiorem tamen sensum reddit ea legendi ratio, quae 70, 4. exstat: יָשׁוּבוּ עַל־עֵקֶב בָּשְׁתָּם *revertantur propter pudorem suum.* Potuit autem יָשׁוּבוּ in יָשֹׁמּוּ eo facilius converti, quo frequentius tam Arabes quam Hebraei literas ב et מ in pronunciando inter se permutare solent. הָאֹמְרִים לִי הֶאָח הֶאָח *Qui occlamant mihi: vah! vah!* Cf. 35, 21. 25.

17. Postremo Jovae studiosos, et omnem salutem ab eo exspectantes laetitia perfundi, et ita excitari in laudes Dei orat: יָשִׂישׂוּ וְיִשְׂמְחוּ בְךָ כָּל־מְבַקְשֶׁיךָ *Gaudeant et laetentur de te quicunque te quaerunt*, quales in altero hemist. vocat אֹהֲבֵי תְשׁוּעָתֶךָ *amantes salutem tuam*, i. e. tuam solius opem quaerentes, non aliorum. יֹאמְרוּ תָמִיד *Dicant continuo*, iis sit semper, unde dicant: יִגְדַּל יְהוָה *Extollatur Jova!* Eadem sententia adfuit 35, 17.

18. Ultimo confirmatam suam in Deum fiduciam canit: וַאֲנִי — יַחְשֹׁב־לִי *Adflictus fui et inops, sed Jova cogitavit mihi*, h. e. de me, consuluit mihi. Alii: *aestimavit me*, dignum habuit, cui auxilium ferret. Ita Rabbini virum honoratum vocant חשוב, proprie *reputatum*, cujus alii rationem habent. Jarchi ad hunc locum notat, עָנִי וְאֶבְיוֹן in Psalmis non nisi de *populo Israelitico* capienda esse. עֶזְרָתִי וּמְפַלְטִי אָתָּה *Auxilium meum et ereptor meus tu*, cf. 18, 3. 49. אֱלֹהַי אַל־תְּאַחַר *Deus mi haudquaquam moram feceris!* tu, qui in tempore juvare soles.

Ps. 41.

Miseriis oppressus fausta apprecatur iis, qui misericordiae affectu ducti miseros curant juvantque (Vs. 2 — 4.), queritur vero de aliis, qui insultant et obtrectant ei in sua calamitate (5 — 9.), et inprimis de quodam ex his, qui necessarius et alumnus suus fuerit (10.). Imprecatur autem malum illis inimicis suis, et se a malo suo, morbi et calamitatum ceterarum, liberari petit, spe indubitata et fiducia certa beniguitatis et gratiae Dei erga se (11 — 14.).

Quum non sit, cur inscriptioni, hunc Psalmum Davidi tribuenti, fidem denegemus; maxime consentaneum fuerit, illum ad seditionis Absalonicae tempus referre, cui omnia in hoc carmine optime conveniunt, atque ita is, de quo queritur Vs 10., erit Mephiboseth, filius Jonathanis, nepos Saulis qui alumnus Davidis convictor fuit mensae ejus (2 Sam. 9, 7.), et tamen postea in seditione Absalonica non deduxit Davidem fugientem trans Jordanem, sed insultavit ei, dicens: *hodie restituet mihi domus Israel regnum patris*, i. e. avi *mei* (2 Sam. 16, 3.), neque cuiquam Versus ille magis convenit. Verisimile autem omnino, illo tempore in animi dolore etiam corporis morbo attentatum Davidem fuisse. Nam quae Vs. 4. 6. 9. queritur ejusmodi sunt, ut minus, quam in aliis Psalmis, per metaphoram et allegoriam ad alia transferre illa recte possimus.

Quia quod Psaltes Vs. 10. queritur de perfidia unius ex suis adversariis, qui aliquando ejus convictor fuisset, Christus apud Joannem 13, 18. ad Judam Iscariotam, qui ipsum prodidit, applicat, plurimi e Christianis interpretes totum Psalmum prophetiam de Christo existimarunt. Sed audiamus Rudingerum sobrie et caute hac de re judicantem (in *Ratione Paraphraseos* Vs. 10.): „Quod David hoc loco sibi accidisse queritur, id Christus iis accommodat quae ipsi cum Juda proditore acciderunt, et rem quidem, vel rei eventorum similitudinem, non verba singula, quae verba universa Christo accommodari nequaquam possunt, et hac de causa Evangelista ipse unum colon Versus hujus ex sermonibus Christi omisit. Nam quod David dicit, se deceptum a necessario et convictore suo et eo, qui pars esset familiae ejus, de quo, et fide ejus, opinio et spes fuisset optima, hoc igitur iis, quae Christo a Juda facta sunt, nullo modo accommodari potest. Nam et praescivit Christus ut Deus, qualis esset Judas, et quid perpetraturus, et quid de eo sperare, sibique persuadere deberet, non potuit ignorare, quum nulla in re decipi ille potuerit. Itaque et Christus, ut diximus, illud comma in citatione Versus hujus omisit. Videndum enim, quid, cui, et quomodo, et qua de causa, quove respectu accommodetur, ne allegoriis detortis et alienis sententia vera et historica corrumpatur, et ad unam unius Versus in Psalmis de Christo citationem vel a Christo, vel ab Apostolis, vel ab Evangelistis factam,

ideo statim omnes Versus, et pene syllabae, eodem accommodentur, et ita corrumpantur omnia, sed ea tantum, quae Christus ipse sibi, ex sermonibus Davidis, et Apostoli ei, indicata de causa, accommodant, et saepe *γενικοτερῶς*."

2. אַשְׁרֵי — רָעָה *Felicia illius qui animum advertit ad miserum in die malo*, h. e. ut Chaldaeus recte: *qui advertit ad res afflictas pauperis*, miseri, *ut ejus misereatur*. Nomen דַּל, quod alias de macilento, atque de *exhausto opibus*, tenui sorte, paupere, dicitur Lev. 14, 21. Prov. 19, 17. 22, 9., hoc loco ad miserum et propter morbum transfertur. Sic Jonadab, cognatus Davidis, filium Davidis, Ammonem, eum ex amore Thamarae, sororis, aegrotaret, vocabat: *Quare tu sic* דַּל, h. e. *miser es*, adflictus, aegrotus, *cum sis filius regis?* 2 Sam. 13, 4. Per מַשְׂכִּיל אֶל־דָּל *eum qui intelligentiam adhibet ad miserum*, s. ratione miseri (vid. eandem verbi הַשְׂכִּיל cum אֶל constructionem Neh. 8, 13. cf. Prov. 16, 20.), significatur is, qui *animum advertit ad afflictum* et miserum ejusque rationem habet, ut et misericordiae affectus et juvandi studium designetur. בְּיוֹם רָעָה *Die mali*, infortunii, adversitatis; substantive enim nomen רָעָה esse accipiendum, docet generis differentia, quum יוֹם masculinum sit, רָעָה vero femininum. יְמַלְּטֵהוּ יְהוָה *Eripiet eum*, scil. qui animum advertit ad afflictum, *Jova*. Qui misericordiam usurpat, is etiam a Deo misericordiam experturus est. Cf. Matth. 5, 7.

3. יְהוָה יִשְׁמְרֵהוּ *Jova custodiet eum*, ne pereat וִיחַיֵּהוּ *et vivificabit eum*, valetudinem ei restituet, cf. ad 30, 4. וְאַשֵּׁר בָּאָרֶץ *Beatus* adhuc *reddetur in terra*, multos adhuc annos vita hac, cum omni prosperitate et felicitate fruiturus. וְאַל־תִּתְּנֵהוּ בְּנֶפֶשׁ אֹיְבָיו *Non trades* enim *illum*, o Deus, *animae inimicorum ejus*, non permittes eum libidini adversariorum. Vid. 27, 12. Nisi אַל hoc loco pro לֹא sumatur, vertendum erit: *ne tradas illum*, etc., eritque, per affectum, transitus a sermone simpliciter enunciante ad votum.

4. Quod corpore aut animo ei ita male erit, ut decumbat, יִסְעָדֶנּוּ עַל־עֶרֶשׂ דָּוֶי *suffulciet Deus eum super lecto doloris*, tranquillabit animum ejus, et restituet ei vires et valetudinem. כָּל־מִשְׁכָּבוֹ הָפַכְתָּ בְחָלְיוֹ *omnem decubitum ejus in infirmitate ejus*, i. e. quotiescunque aeger decumbit, eum sanum reddes. Est enim משכבו eum בחליו jungendum, et הָפַךְ *conversionem* s. mutationem status aegroti in sanum denotat.

5. אֲנִי אָמַרְתִּי *Ego dixi*, i. e. dico, haec est formula precum mearum. Praeteritum hic de tempore praesente est capiendum, quum, ut sequentia ostendunt, nondum malo illo suo, tam corporis quam animi, liberatus esset, quando hunc Ps. composuit. יְהוָה חָנֵּנִי רְפָאָה נַפְשִׁי *Jova, miserere mei, sana animam meam*, h. e. me ipsum. Animam jam et vitam in summum periculum adductam significat, eamque statim, nisi Deus opem ferat, extinguendam.

Quod vero, tanquam causam, adjecit: כִּי־חָטָאתִי לָךְ *quia in te peccavi*, videtur hunc sensum habere: quod te offendi, quod in te peccavi, id causa est hujus morbi. Tu percussisti solus, solus item sanare potes. Precor igitur, ut miserearis nunc mei, et valetudinem ac felicitatem restituas, qui peccato meo irritatus, eam ademisti.

6. Vs. 6 — 10. canit, ut se habeant ipso laborante inimici et amici simulati: אוֹיְבַי יֹאמְרוּ רַע לִי *Inimici mei malum de me loquuntur*, h. e. malum et perniciosum de me votum, cum inter se conveniunt, jactant. Praefixum לְ h. l. *ad me* quod attinet valet, i. q. *de*, ut 3, 3. 25, 2. 35, 19. Ipsos nunc inimicos inducit scisciantes alius ab alio: מָתַי יָמוּת וְאָבַד שְׁמוֹ *Quando morietur tandem, interibitque nomen*, omnis memoria, *ejus?*

7. וְאִם־בָּא לִרְאוֹת שָׁוְא יְדַבֵּר *Cum quispiam ex eis venit me invisurus vanum loquitur.* Invisebant nonnumquam ex illis aliqui aegrotum regem, et coram dolere sibi ejus morbum mentiebantur, id *vanum* illud s. *falsitas* erat, quod loquutos queritur. Ceterum haec certe ad morbum alludunt saltem, si non indicant. Interea vero לִבּוֹ יִקְבָּץ־אָוֶן לוֹ *Cor ejus pravitatem colligit sibi*, h. e. omnia explorat, et quibus suos exhilaret, ex iis, quae circa aegrotum gerebantur, colligit et ea יֵצֵא לַחוּץ יְדַבֵּר *egressus foras* statim *eloquitur* suis conjuratis.

8. יַחַד עָלַי יִתְלַחֲשׁוּ כָּל־שֹׂנְאָי *Simul contra me mussitant omnes, qui me odio habent*, consiliis clandestinis adversus me simul consusurrant universi inimici mei. עָלַי יַחְשְׁבוּ רָעָה לִי *Contra me cogitant malum mihi*, communiter meditantur mihi exitium. De phrasi חָשַׁב רָעָה vid. 35, 4.

9. Quae isti tum cogitarint et loquuti fuerint, nunc memorat. Dicebat namque: דְּבַר־בְּלִיַּעַל יָצוּק בּוֹ *Verbum Belial*, scelus aliquod grande (vid. 18, 5.), *infusum est ei*, h. e. ultio grandis cujuspiam sceleris penitus penetravit et occupavit istum, ut liberari ab ea nequeat, inde dicebant et quod sequitur: שֹׁכֵב לֹא־יוֹסִיף לָקוּם *Iste decumbens haud surget posthac*, conficietur hoc morbo; decumbere tam graviter coepit, ut numquam valetudinem pristinam recepturus sit. Quum Vs. 6. introducat hostes suos quaerentes: *quando morietur tandem?* minus potest dubitari, animi illum morbum, de quo similiter confitetur, et calamitatem quamcunque, in qua tum haesit Davides et in oculos incurrentem morbum ei attulisse, e quo in spem mortis ejus venirent inimici. Nihil igitur obstat, quo minus verba haec: *jacet, non surget*, de morbo intelligamus, e quo non sit resurrecturus.

10. Nunc de perfidia falsorum amicorum queritur. גַּם־אִישׁ שְׁלוֹמִי *Etiam vir pacis meae*, s. pacificus meus, sic *amicum* vocat, vid. 7, 5. coll. Jer. 20, 10. 38, 22. Obad. 7. Cum addit אֲשֶׁר־בָּטַחְתִּי בּוֹ *quo nitebar*, significat, se illi plurimum credi-

disse, ac confisum fuisse: verisimile enim est, insignem aliquem, maximeque conjunctum atque honoratum Davidi fuisse, quem hic notarit. Eo enim, quod subjunxit: אֹכֵל לַחְמִי *qui comedebat panem meum*, non videtur tantum significasse, illum suo beneficio alitum, sed magis adhibitum mensae regiae. Qui honor praecipuus fuit, ut ex eo colligere licet, quod, tanquam insigne beneficium, eum Davides filio Jonathanis, Mephiboseth obtulisse legitur 2 Sam. 9, 7., quem ipsum virum hic notari satis est verisimile, vid. Argument. Is autem et ipse הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב *extulit contra me calcaneum*, h. c. insidias et dolos mihi struxit, petita metaphora vel a luctantibus, qui supposito pede alterum evertunt ac supplantant, vel a bestiis calcitrantibus, quae calcem impingunt aliis.

11. Memorat, ut sanitatem restitui sibi precatus sit, ac voverit, perfidis illis se repensurum: וְאַתָּה יְהוָה וגו׳ *Tu ergo, Jova, miserere mei atque restitue me, ut rependam istis.* Judaei hic varie se torquent eo, quod videantur haec repugnare iis, quae de se cecinit Ps. 7, 5., ubi dire se devovit, si rependisset malum, iis etiam, quae ipsi malum rependerant pro bono, adversa; atque ideo alii dicunt, hanc repensionem, de qua hic canit, in eo tantum fuisse, quod re ipsa declaraverit, male illos fecisse, quod se putarint moriturum. Quidam dicunt hic promisisse se bona eis repensurum. Sed praestat simpliciter haec accipere, nec indignum arbitrari, regem seditiosis et perfidis hominibus, regni potius, quam sui hostibus, digna suis sceleribus rependere. Id quod et Salomoni filio de quibusdam, quibus ipse pepercerat, mandasse legitur 1 Reg. 2, 5. sqq.

12. Canit, quam ampliter Jova suum in ipsum favorem declaraverit, undeque certe iterum illum agnoverit, nempe, quod non permiserit, ut de ipso extincto perfidi illi laetarentur, quodque incolumitatem ipsi restituerit. *In hoc agnovi, te favere mihi, quod non exultat de me inimicus meus.*

13. וְאַנִי *Et me quod attinet*, Nominativus absolutus, vid. 35, 13. בְּתֻמִּי תָּמַכְתָּ בִּי *In integritate*, scil. corporis mei, in prospera mea valetudine, *suffulcies me*, porro me incolumem, spero, servabis; quoque ab omni malo tutior sim, וַתַּצִּיבֵנִי לְפָנֶיךָ לְעוֹלָם *collocabis me coram te in sempiternum*, id est, semper habebis in oculis, quo tueari et serves.

14. *Laudetur Jova, Deus Israelis, a seculo usque in seculum*, in omnem aeternitatem. Δοξολογία haec eadem quae 1 Chr. 16, 36., addita est a collectore horum carminum in fine libri primi, uti similis legitur in fine sequentium librorum, nempe Pss. 72, 89. 106. Vid. Prolegg. p. 9.

Ps. 42.

Vates, procul a sacris Jovae exul oberrans, ab hostibus oppressus eorumque conviciis exagitatus, querimoniam et preces ad

Deum fundit. Ardenti se desiderio, cultui Jovae publico festoque ejus interesse, teneri profitetur. Exeruciari animum queritur partim insultatione hostium, vocibusque impiorum, frustraneum pietatis in Jovam studium, cui fuerat deditus, ipsi objicientium, partim aerumnarum et multitudine et magnitudine oppressum. Mox tamen se ipsum a moerore sublevat spe certa, fore, ut tandem desiderii sui compos fiat. De carminis auctore et occasione vid. Vs. 1.

1. De לַמְנַצֵּחַ vid. Prolegg. p. 20. — לִבְנֵי קֹרַח. Cora, pronepote Levi, principe conjurationis contra Mosen, a terra absorpto (Num. 16.), servati fuerunt filii ejus tres, Asir, Elkana, et Abiasaph (Num. 26, 11.). Ex horum posteris fuerunt quidam cum aliis Levitis a Davide ad decantandum sacros hymnos constituti, et inter eos *Heman*, praecipuus Cantorum princeps, ut constat ex 1 Chr. 6, 22. coll. 31. sqq. 9, 19. 26, 1. 2 Chr. 20, 19., ubi הַקְּרָחִים dicuntur surrexisse ad laudandum Jovam. His *undecim* Psalmi inscripti leguntur (praeter nostrum 44 — 49. 84. 85. 87. 88.), sed incertum est, an ideo, quod ipsi eorum Psalmorum auctores sint, an quod solum per eos fuerint decantati; quatuor namque millia cantorum, qui certos habebant ordines, certasque vices David selegerat, 1 Chr. 23. In utramque partem disputatum vid in J. G. Carpzovii *Introduct. in Libros Canonicos Vet. Test.* P. II. p. 105. Mihi verisimile est, Psalmos, quibus nomen Coraitarum praenotatum est, a primoribus ex eorum ordine esse dictatos. Nam si ab aliis dictati essent, alicubi auctorum nomina legerentur adscripta, sicut Ps. 39. titulum habet *Jeduthuni*, *Oda Davidis*, ut per ordinem Jeduthum, decantatum et a Davide agnoscas editum. Praeterea historiarum scriptor (1 Reg. 4, 31.), volens praedicare sapientiam Salomonis, regis, qua cunctos mortales praecelluit, confert eum nominatim *Ethani*, Esrachitae, *Hemani*, *Calcal* et *Dardae*. Hinc satis aperte colligitur, *Hemanem*, Coraitam (1 Chr. 6, 18. 22.), cum tribus illis, quos historicus simul nominavit, eruditionis et sapientiae fuisse quam rarissimae, ut quibus ex omni hominum genere selectis, Salomonem, sapientia et eruditione tanto post se intervallo cunctos mortales relinquentem, comparaverat. Quumque Salomo spiritu carmina pangendi praeditus fuerit, nam ibidem (1 Reg. 4, 32.) legitur composuisse quinque millia, equidem non dubitarim, eodem et valuisse Hemanem aliosque Coraitas, quos Davides sacris praefecerat cantionibus. Quotquot autem inter Psalmos Coraitarum praescriptum habent nomen, majori et orationis et sententiarum sublimitate exsurgunt, atque affectus spirant concitatiores vehementioresque, quam quae a Davide proficiscuntur carmina, quippe quae remissiora et planiora sunt, animumque produnt variarum aerumnarum pondere quasi depressum. Dictiones et loquutiones sibi proprias, a Davidicis diversas, carmina Coraitica servare, animadvertit quoque C. G. Hensler in *den Bemerkungen üb. Stellen der Psalmen* p. 68. not. Quibus argumentis permotus

et EICHHORN in *der Einleit. in das A. T.* P. III. p. 408. ed. sec. Psalmos illos non a Davide compositos judicavit. Jam vero ad nostrum Ps. quod attinet, quum c Ps. 23, 6 — 8. 27, 4. et Ps. 63. aliisque haud dubie Davidicis carminibus satis pateat, quanto David sacri coetus desiderio studioque flagrarit, de quo eodem et hic Psalmus canit; quumque praeterea hujus carminis Vs. 7. Davidi, coram Absalem, filio, fugienti, apprime congruat; ego ad hanc perducor opinionem, poetam quendam Coraitam non tam sua ipsius, quam sub Davidis potius persona hic canere. Quae conjectura commendari videtur eo, quod Ps. 84., qui itidem est Coraiticus, et argumentum habet cum nostro prorsus commune, Versu 10. diserte *regem* precantem inducit. Utrumque autem Psalmum, et hunc, et 84., ad illa tempora pertinere, cum per Davidem omnes ceremoniae essent restitutae, festaque jam pridem coeperint digne celebrari, legenti satis patebit, et 84, 8. Zionis expressa facta est mentio. Ex quibus omnibus simul conficitur, infortunium illud, de quo questus, ex nostra sententia, inducitur hic Davides, quodque cum a sacris Jovae abstineret, fuisse fugam, quapropter filii conjurationem vitae et saluti consulere coactus erat, de qua 2 Sam. 17, 22. sqq. Et forsan eo tempore, quo illa accidit, unum agebatur ex praecipuis illis festis, quibus cuncti Israelitici mares ad locum, in quo fixum erat tabernaculum, conveniebant, Ex. 23, 14. seqq. Quum itaque nemo magis arderet, festa Jovae celebrare, non potuit regi pio non molestissimum esse, id sibi minime licere. Quod occasionem dedisse videtur Coraitis, ut plures Psalmos hac de re componerent, in quibus regis summopere adflicti questus et preces exprimerent, atque ea carmina vel illo ipso tempore, vel postmodum, in illarum calamitatum memoriam, inter sacra decantarent. Non sine aliqua veri specie est, quod conjicit PAULUS in *Clavi* arrisitque et DE WETTIO, haberi hic elegum sacerdotis, qui exul procul a templo versaretur inter alienigenas, qui ipsi ob fiduciam in Jova positam illuderent.

2. Canit, se plus quam effari possit, aestuare desiderio adeundi sacrum coetum, festumque cum piis agendi. Quo tamen indicet, quantum fuerit, confert illud cervae glocitanti prae siti, cum inhiat ad profluentem: כְּאַיָּל — אֱלֹהִים *Tanquam cerva glocitat, inhians profluenti, sic anima mea glocitat inhians tibi, Deus.* Non minus sitire se Deum dicit, quam soleat cerva, infestata canibus; tum enim cupidissime ad aquas fugiunt, propter aestum atque anhelitum. Nomen אַיָּל conjungitur h. l. cum verbo femin. תַּעֲרֹג, quia nomen est speciei, adeoque generis communis. De verbo עָרַג, quod praeter h. l. semel tantummodo occurrit, nempe Joel. 1, 20, ubi de bestiis agri, seu sylvestribus, vociferantibus ob rivos aquarum exsiccatos, dicitur, egimus ad BOCHARTI *Hieroz.* T. II. p. 241. not. 6.; de veterum versionibus disputavit Bochartus ibid. p. 239. De אֲפִיק *alveo*, tum, *torrente* ipso, vid. ad 18, 16.

3. צָמְאָה נַפְשִׁי לֵאלֹהִים לְאֵל חָי *Sitit anima mea Deum, Deum vivum*, quae appellatio opposita est fictitiis aliarum gentium deastris, qui nihil sunt, vita et exsistentia carent. Magno cum affectu subjicit: מָתַי וגו׳ *Quando demum veniam, et comparebo coram facie Dei*, h. e. in sacro ejus tabernaculo, cultorumque ejus inibi collecta concione, in quibus tum suam Deus *faciem*, h. e. praesentiam exhibiturum promiserat. Post וְאֵרָאֶה subaud. particula אֶת, ceu constat ex 1 Sam. 1, 22., ubi Hanna non ad festum ascendisse dicitur, usque dum adduceret filium, וְנִרְאָה *ut conspiceretur*, vel compareret, אֶת־פְּנֵי יְהוָה *coram facie Jovae*. Cf. Ex. 34, 24. Deut. 16, 16. 31, 11. *Faciem* vero *Dei* pro loco conventuum sacrorum solenni usurpari, constat ex Ex. 23, 15. *non conspicietur* facies mea *vacue*. Cf. Ps. 100, 2. et not. ad 24, 6.

4. הָיְתָה — וְלַיְלָה *Sunt mihi lachrymae meae pro pane dies noctesque.* Canit, se ex illo desiderio ita doluisse, ut nihil acque libuerit, quam lachrymari, et id dies noctesque ut lachrymas jam pro cibo habuerit, non minus scilicet cupide illas effundens, quam quis vescatur cibo, omni cibi desiderio, per nimiam animi aegritudinem, profligato. Aut *lachrymas panem sibi esse* dicit ea de causa, quia assidue in lachrymis erat, quemadmodum panis ad cibum assidue adhibetur; aut ideo, quia numquam sine lachrymis cibum sumebat. Huic loco geminus est 80, 6. Cf. 102, 10. Job. 3, 24. Ovid. *Metam.* 10, 288. *cura dolorque animi lachrymaeque alimenta fuere.* בֶּאֱמֹר אֵלַי וגו׳ *Dum mihi diceretur quotidie, ubinam est Deus tuus?* cujus auxilium tam confidenter jactabas, in cujus ceremoniis tam multus eras? Indicat, ut praeterea adflixerit ipsum insultatio improborum. בֶּאֱמֹר אֵלַי *In dicere ad me*, h. e. dum ad me dicitur. Infinitum activum quandoque naturam verbi passivi induit, sive impersonaliter ponitur, ut in illo Gen. 4, 13. *majus est peccatum meum* מִנְּשׂוֹא *prae remittere*, h. e. quam ut remittatur.

5. *Illorum memor sum et effundo animam meam in me, quod transirem cum multitudine, incederem cum eis usque ad aedem Dei cum voce laudis,* הָמוֹן חוֹגֵג *turba tripudiante*, festum agente (vid. ad 35, 5.), h. e. ejicio semel omnem coram Jova animi aestum, questibus et precibus totus deditus, cum mecum reputem, ut solebam magno cum cumulo domum Jovae petere, et quamplurimos illo pariter ducere, eosque ovantes et laudantes, nempe turbam, festum jam Deo agentem. Loquutio *effundere animam* alias est, deficere quoad omnes animae vires, destitui veluti anima, ut Job. 30, 16. *anima mea in me effusa est, comprehenderunt me dies angustiarum.* Quandoque tamen שָׁפַךְ נֶפֶשׁ *effundere animam*, est, laxatis dolori habenis, omnes semel affectus, omnem animi aestum, et quasi ipsum cor, querendo effundere (quemadmodum et nos dicere solemus: *das Herz ausschütten*). Sic 1 Sam. 1, 15. *mulier moesta ego, effundo animam meam coram Jova.* Thren. 2, 19.

clama, *effunde*, *quasi aquam*, *cor tuum in conspectu Domini.* Cf. Ps. 62, 9. 142, 3. coll. 102, 1. Particula עַל h. l. *in* vertenda est, ut Hos. 11, 8. *cor meum* עָלַי *in me.* Cf. Ps. 107, 5. 142, 4. Coh. 5, 1. 7, 9. Nomen סָךְ, quod h. l. tantum reperitur, haud dubie convenit cum Chaldaico סַךְ *numerus collectus*, *summa*, *collectio.* Recte autem illud hoc loco explicat Jarchi *turmas hominum*, et Aben-Esra *coetum feriantium.* Aliis ob similitudinem cum סֻכָּה et סֻכָּה *tugurium*, nostrum nomen denotat *tabernaculum*, ut veteribus plerisque. Sed minus commode, quum suffixum pluralc in sequenti אֲדַדֵּם non nisi ad hocce collectivum referri possit. Illud אֶדַּדֵּם vero est Futurum Hithpael pro אֶתְדַּדֵּם, a דָּדָה *lente processit*, Chaldaeis etiam usitato. Praeter h. l. exstat Jes. 38, 15. In utroque loco sermo est de solenni pompa Israelitarum ad locum sacrum. Affixum huic verbo h. l. additum resolvendum est in praepositionem separatam עִם pro עִמָּהֶם. Ex recordatione festorum, quae antea ingenti cum gaudio cum innumeris piorum turbis quam felicissime egerat, augebatur ei dolor, eum idem in praesentia non liceret.

6. Canit Vs. 6 — 9., ut sese sit consolatus, et rursus in questus animum laxarit, ut sit, dum animus a cupitis abstinetur, et adversis premitur. מַה־תִּשְׁתּוֹחֲחִי נַפְשִׁי *Quid deprimis temetipsum*, quid dejecta es, *anima mea?* Haec metaphora summam moestitiam significat, qua ita deprimi anima videtur, ut corpus imposito onere graviore, quam queat ferre. De verbo שָׁחַח vid. 35, 14. In Hithpael non nisi in hoc Psalmo (Vs. 7. 12.) et 43, 5. reperitur. וְתֶהֱמִי עָלָי *Et infremis in me?* id efficiunt contenti diu dolore spiritus, cf. 39, 4. Sed huic vulneri et dolori medicinam apponit: הוֹחִלִי לֵאלֹהִים *Spera in Deum*, spera, adfore Dei misericordiam, ut tantis malis exutus, et de exilio liberatus, illum tuum liberatorem adhuc, ut prius faciebas, laudes, illique grates, ut consuevisti, persolvas; quod his verbis significat: כִּי עוֹד אוֹדֶנּוּ *adhuc celebrabo eum.* Quod vero ad finem Versus nunc legitur, יְשׁוּעוֹת פָּנָיו *salutes vultus ejus* sc. celebrabo, vulgo ita explicant: ob opem, latam ab ipso, praesente vultu suo benevolo, adspectu favoris teste, cum celebrabo; tum enim, cum auxiliatur Jova, dicitur Hebraeis facicm suam benevolus exhibere, et esse praesens. Sed legendum esse et hic, ut Vs. 12. et 43, 5., ubi eadem plane formula repetitur, יְשׁוּעוֹת פָּנַי וֵאלֹהָי (ut אֱלֹהַי Vs. 7. initio ad hunc sit trahendum, eique ו illud, quod hic nomini פני additum, praeponendum), versionum veterum consensu probatur. אוֹדֶנּוּ יְשׁוּעוֹת פָּנַי וֵאלֹהָי *Celebrabo eum salutes*, vel, *auxilia vultus mei, et Deum meum.* יְשׁוּעוֹת *auxilia* hic pro מוֹשִׁיעַ *qui auxilia praestat* positum, פָּנַי vero *personam* designat, ut infra 80, 17. Ex. 33, 14. Ez. 6, 9.

7. Iterum dicit, ut eum excruciarit recordatio Dei. עָלַי — אֶזְכָּרְךָ *In me ipso anima mea dejecta est, propterea quod tui*

recordor, h. e. loci et coetus sacri, arcam enim foederis etiam Dei nomine vocari, vidimus ad 21, 7. עַל־כֵּן h. l. positum est pro עַל־אֲשֶׁר־כֵּן, ut Gen. 38, 26. Num. 10, 3. 14, 43. Propterea, inquit, tam dolco, quod memor sum tui, quod mecum reputo, ut magnifice te in tabernaculo, in concione sacra, praesentem exhibes, cum interim coger ego hic in *terra Jordanis*, h. e. trans Jordanem, inter accolas montis Hermon exulare, a sacra panegyri exclusus. אֶרֶץ יַרְדֵּן *Terra Jordanis* est regio, quae trans Jordanem sita est, cesseratque tribui Ruben, Gad, et dimidiae Manasse, opposita *terrae Canaan*, quod nomen illi tantummodo regioni, quae ad occasum Jordanis est sita, proprium erat. In regionem illam sese contulisse Davidem, cum a filio fugeret, constat ex 2 Sam. 17, 22. sqq. Accuratius autem adhuc noster locum definit, in quo detentus fuerit, dum addit: וְחֶרְמוֹנִים *et* ex montibus *Hermon*, recordor tui, Jova. חֶרְמוֹן nomen est orientalis Libani jugi, sive Antilibani, quod constituit terminum septentrionalem terrae Israeliticae trans Jordanem, vid. Deut. 3, 8. 4, 48. In Plurali חרמונים dixit, quia montana sunt, non unius mons; longe enim exporrecta montium juga saepe et pluraliter vocari solent, ut *Alpes*, *montes Apennini*. In montium illorum radicibus sita erant מַחֲנַיִם *Mahanaim*, ubi commoratus est Davides in exilio Absalonico, 2 Sam. 17, 24. Quis autem sit הַר מִצְעָר, incertum est. Plerique pro nomine proprio montis Hermoni adjacentis accipiunt, sive tractus montis Hermonis, ubi paulatim se jam demittit, ut respectu altissimorum montium in illo continuo tractu, illa pars dici potuerit *mons parvus*. Significat enim מִצְעָר, a verbo צָעַר *parvus*, *exiguus fuit*, rem parvam, exiguam; veluti Gen. 19, 20., ubi Zoar dicitur עִיר מִצְעָר *parvum oppidum;* et Job. 8, 7. *principium tuum erit* מִצְעָר *exiguum*. Hinc alii nostrum הר מצער tanquam nomen appellativum accipiunt, et reddunt, *a monte exiguo*. Quorum sententiam puto non omnino absurdam. Fieri enim potest, ut locus in quo Davides detinebatur, cum festum Hierosolymis ageretur, in monte situs fuerit, quem ideo vocarit *montem exiguum*, propter humilitatem et obscuritatem, praesertim cogitanti majestatem eximiam Hierosolymorum. Studio religionis sic ardebat vir pius, ut sorderent ei prae monte Sion, monte coetus sacri et tabernaculi, omnia.

8. Versu hoc et proximo componit praesentem calamitatem felicitati pristinae. Et primo quidem mala, quae illi continuo accumulantur, vivida imagine describit: תְּהוֹם־אֶל־תְּהוֹם קוֹרֵא *Fluctus fluctum advocat*, hoc est, calamitas calamitatem invitat adducitque; calamitatibus et aerumnis tam multis premor, ut finis nullus esse videatur, sed aliae nascantur ex aliis, et uni recedenti succedat altera (vid. ad 18, 17.). לְקוֹל צִנּוֹרֶיךָ וגו׳ *Perstrepentibus jugiter catarrhactis tuis, cuncti fluctus tui et undae tuae in me irruunt*. Inducit Deum, velut e canalibus et catarrhactis,

immensam super se demisisse vim aquarum, quae sic aestuarent, fluctibusque tempestuosae essent, ut nec navi evadere illas liceret. לְקוֹל צִנּוֹרֶיךָ propr. *ad vocem tuborum* vel *emissariorum tuorum.* צִנּוֹר est *tubus*, *canalis*, per quem aqua in declive fertur, puta ex monte, vel ex tecto, ut 2 Sam. 5, 8., praeterea haec vox non occurrit in V. T. Sed Chaldaeis illa significatione satis usitata est. Respexit vates haud dubie aquas pluviales, quae magno cum strepitu per declivia praecipitantur, multasque et hic et illic efficiunt eluviones. Hinc non male Alexandrinus *τῶν καταῤῥακτῶν σου*, et Vulgatus *catarrhactarum tuarum*, posuit. Catarrhactae enim in fluminibus vel aquaeductibus loca sunt, ubi aquae praecipites ruunt. Per קוֹל, *vocem*, h. l. ille aquarum per montium declivia sese praecipitantium fragor intelligendus est. Nomen מִשְׁבָּר *fractio*, in Plurali accipitur de *fluctibus* se mutuo confringentibus, vel quae franguntur a litore 2 Sam. 22, 5. Ps. 88, 8. 93, 4. עָלַי עָבְרוּ *Super me transierunt*, h. e. inundaverunt, et tanquam suo impetu correptum demerserunt, est enim verbum עָבַר proprie aquarum, impetu defluentium, et obvium quidque rapientium. Vid. 124, 4. Jon. 2, 4.

9. Felicitatem autem pristinam, dum colleeto ad se universo populo festa Deo celebraret, ejusque laudes caneret, hisce verbis indicat: יוֹמָם יְצַוֶּה יְהוָה חַסְדּוֹ *Interdiu mandabat Jova benignitatem suam*, ablegabat ad me tanquam famulam, illam mihi praestabat, curabat illam mihi obvenire (cf. 133, 3.). וּבַלַּיְלָה שִׁירָה עִמִּי *Et noctu canticum ejus mecum* erat, noctu etiam ab illo causa mihi suppeditabatur celebrandi ipsum canticis meis. Sensus est: Olim Jova mihi continuo (id enim significatur formula: *diu noctuque*) ope sua adfuit, nunc quotidie mihi nova quaedam calamitas, hinc תְּפִלָּה לְאֵל חַיָּי *precatio ad Deum vitae meae*, oratio mea Deum, auctorem vitae meae, sollicitat nunc, ut velit pariter esse ejus servator. Pro חַיָּי *vitae meae*, codices nonnulli manu exarati, nec non Syrus, exhibent חַי, ut et supra Vs. 3. לָאֵל חַי legitur. Sed huic Versui multo aptior est lectio vulgata. Quum enim Deum precibus suis sollicitaturum dicat, sane perquam apposite *Deum vitae suae* illum appellat, hoc est, cui soli suam debeat vitam et prosperitatem, tam ut datori, quam ut servatori. Eadem ratione Davides 24, 5. Deum vocat *Deum salutis suae;* cf. ibi not. Interpretes tantum non omnes hunc Versum in *Futuro* reddunt, ut sensus enasceretur hic: spero, Jovam deinceps continuo ope sua mihi affuturum esse. Illam tamen, quam nos dedimus, interpretationem, quamque primus Aben-Esra proposuit, flagitare videtur totus orationis tenor, praesertim hujus Versus conclusio. Neque obstat huic interpretandi rationi, quod יְצַוֶּה, propria *Futuri* forma, est posita, quum satis constet, quam parum accurate Hebraei praesertim poetae, et ipsi etiam historici, in usurpandis temporum formis versari soleant. Exempla plura habes 44, 3. 10 — 15. Vid. et Ex. 33, 7.

10. Sequuntur nunc preces, quarum sub finem Vs. 9. mentionem fecerat: אוֹמְרָה לָאֵל סַלְעִי *Dicam Deo petrae meae.* Loco appositionis interdum constructio per regimen usurpatur, ut Jer. 14, 17. בְּתוּלַת בַּת עַמִּי *virgo filiae populi mei*, i. c. virgo, quae est filia populi mei. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 677. אוֹמְרָה h. l. non est Participium, sed prima Futuri Cal, cum ה paragogico, ut אֶסְפָּה *congregabo*, Mich. 6, 6. De סַלַּע vid. 18, 3. לָמָּה שְׁכַחְתָּנִי וגו׳ *Quare oblivisceris mei* (id enim videbatur tantopere afflicto)? *quare ater*, pullatus, vel funestus *ingredior*, *opprimente usque hoste?* Quare semper est, unde lugendum mihi? quare perpetuo hostis obterit, ut cogar continuo indulgere lamentis? Ex habitu enim luctus, luctum et dolorem, per synecdochen significat, vid. 35, 14. 38, 7.

11. Iterum repetit illud, quod impii et opprobrium objecerunt (Vs. 4.), dum infortunio adhuc premeretur, queriturque omnem cruciatum excedere dolorem, quem ei inferret illa hostium insultatio. *Cum confractione in ossibus meis convitiantur me inimici mei*, h. c. excruciant me acerbissimis opprobriis, quae tantum mihi inferunt dolorem, ac si ossa mea frangerentur, *cum dicunt ad me quotidie: ubi est Deus tuus?* Nomen רֶצַח vulgo vertunt *occisionem*, et sane verbum רָצַח Hebraeis de *homicidio* ac *trucidatione* usurpatur. Sed propria *confringendi* notione (quam consonum verbum Arab. servavit) hebr. verbum occurrit 62, 4. et nomen רֶצַח praeter nostrum Ez. 21, 22. (al. 27.), ubi de *fractione murorum*, adhibitis arietibus, dicitur. Recte itaque nostro loco Alexandrinus: ἐν τῷ καταθλᾶσθαι τὰ ὀστέα μου, Vulgatus: *dum confringuntur ossa mea.* Ac Syrus: *in confractione ossium meorum.* Pro בְּרֶצַח reperitur in quibusdam codicibus כְּרֶצַח *sicut confractio.*

12. Jam iterum recipit se, et animam suam consolatur, iisdem verbis, quibus Vs. 6. usus est.

Ps. 43.

Ita hic Psalmus et argumento et ipsa dictione cum superiore convenit, ut pars illius potius, quam novus Ps. putandus sit, praesertim quum et intercalationem eandem repetat ad calcem, quam superior in medio et ad extremum habet. Quid? quod in codd. 37, a Kennicotto citatis, novemque a de Rossio inspectis, hic Ps. cum 42. ita conjunctus sit, ut unum continuum carmen efficiant.

1. שָׁפְטֵנִי אֱלֹהִים *Judica me, Deus*, hoc est, secundum me, eoque me vindica, וְרִיבָה רִיבִי *et litiga litem meam*, vid. ad 36, 1. Id inde orat et exoraturum sperat, מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *propter gentem non benignam*, quod adversarii gens essent inhumana, saeva, bonitatis expers. Talis utique tum erat illa populi Israelitici pars, quae patiebatur adduci se ad conjurandum contra regem de ipsis tam optime meritum. Partic. מִן ante גּוֹי vert. *propter*, indicatque

causam accelerandi judicii, supinam nempe et propudiosam hostium plurimorum iniquitatem. מֵאִישׁ וגו׳ *A viro fraudis et pravitatis eripe me*, h. e. a viro fraudulento et pravo, quo vel Ahitophelem, vel ipsum Absalomum, aut certe conjuratos omnes intelligit, ut אִישׁ collective sit accipiendum.

2. אֱלֹהֵי מָעֻזִּי *Deus propugnaculi mei*, quandoquidem tu adhuc semper fuisti propugnator et defensor meus (de מָעוֹז vid. 27, 1.), לָמָּה זְנַחְתָּנִי *quare respuisti*, s. abjecisti *me?* h. e. quare me hostium libidini penitus permisisti, non aliter ac si me prae taedio abjecisses. זָנַח proprie *odorem rancidum contraxit, foetuit* significat, hinc aliquid cum fastidio *adjicere, adversari*, denotat, conjungitur namque cum מָאַס *fastidivit, fastidio reprobavit*, 89, 39., saepiusque de Deo populum suum abjiciente, i. e. non defendente contra hostium irruptiones et devastationes, usurpatur, ut 74, 1. 77, 8. 60, 3. 12. Cf. Thr. 2, 7. לָמָּה־קֹדֵר וגו׳ *Quare pullatus incedo, obterente hoste?* Vid. 42, 10.

3. שְׁלַח־אוֹרְךָ וַאֲמִתֶּךָ *Mitte lucem tuam et veritatem tuam.* Non per *lucem* tantum (vid. 27, 1. 36, 10.), sed etiam per *fidem* Dei (vid. 31, 6.) significat *opem*, quia ex fide, qua Deus fovet suos, opem cultori suo laturum sperat. הֵמָּה יַנְחוּנִי *Illae deducant me*, secure et feliciter, negotium meum expediant. Latet namque in verbo נָחָה *deduxit*, peculiaris cura et circumspectio, qua aliquis ducit alium, veluti instar pastoris, magna cum cura teneras ducentis oves, vid. 23, 3. Cf. Gen. 24, 28. Ex. 13, 21. Neh. 9, 12. 19. Innuit itaque noster, se consilii esse prorsus inopem, nec viam invenire, quomodo ab exilio ad locum toties optatum possit reverti, nisi divina ope adjuvarctur. יְבִיאוּנִי וגו׳ *Perducant me ad montem sanctum tuum, et ad habitacula tua*, ad sanctam panegyrin in monte Sion, Jovae sacro, celebrandam, atque tabernaculum sacrum, quod *habitationis Jovanae*, מִשְׁכַּן יְהוָה, nomine indigitari, res ipsa docet, et liquet ex Ex. 25, 9. 26, 1. sqq. 2 Sam. 7, 6. Ps. 78, 60.

4. וְאָבוֹאָה אֶל־מִזְבַּח אֱלֹהִים *Ut adire liceat aram Dei*, cum hostiis eucharisticis, qualia offerre solebant liberati e magnis periculis, אֶל־אֵל שִׂמְחַת גִּילִי *ad Deum gaudii mei, exultationis meae*, h. e. gaudii sui, unde lactaretur et gestiret, auctorem celebraturus, qui, lata ope, faciem suam exhilarasset, seque Deum suum declarasset. De גִּיל vid. 22, 9. וְאוֹדְךָ וגו׳ *Atque ut celebrem cum cithara te, Deus, mi Deus.* De כִּנּוֹר vid. 32, 2.

5. Vid. 42, 6.

Ps. 44.

In calamitatibus populi maximis, cum succumberet in multis praeliis, et premeretur graviter ab hostibus, has preces fecit auctor Psalmi hujus, Coraides, quibus praemittit gloriosam commemorationem summorum beneficiorum, quae Deus in populum Judaicum

contulerit, tam eo tempore, quo primum in terram Cananaeam eum introduxit, quam succedentibus omnibus temporibus, ab initiis rerum suarum usque ad illa tempora. Sed in praesentia experiri se nequaquam similem benignitatem gratiae ejus, et hac occasione queritur miserabiliter de malis, in quibus haereant: atque ita implorat opem Dei ardenter et fidenter, ut talem, nunc etiam, se Deus praebere velit populo adversus hostes suos et gentes exteras, qualem superioribus temporibus semper se ei praebuerit, quum in verae pietatis vero et constanti cultu atque studio, et eadem pietate et religione, quam patres ipsorum, coluerint, propterque idem studium veritatis haec mala omnia eis accidant.

Non autem esse hunc Ps. Davidis, et titulus ostendit, et compositio etiam ipsa a Davidica formula aliena est; nec fuisse talem, tanquam miserum et tristem statum populi Davidis tempore, constat. Itaque aliqui ad Assyriaca et Babylonica tempora, alii ad reversionem ab exilio, alii ad Antiochica et Maccabaica referunt, quorum sententiae et nos olim adstipulati sumus. Sed quum ob rationes in *Prolegomm.* p. 7. sq. allatas Psalmi Maccabaici statui non possint; videtur cum HASSLERO (in Commentat. p. 8. laud.) hic Ps. ad illud tempus referendus, quo Nebucadnezar iterata Judaeorum defectione lacessitus Hierosolymorum urbem per biennium obsidione clauderet, 2 Reg. 25. 2 Chr. 36. Huic tempori convenit Vs. 10., quo Judaici exercitus fuga, Jojakimo et Jojachino regibus paullo antea devictis (2 Reg. 24.) innuitur, hostium praedatio Vs. 11. spoliis e terra Judaica ipsoque templo haud semel ablatis (2 Reg. 24, 13. 2 Chr. 36, 7. 10.); civium denique exilium (Vss. 12. 13.), ingenti eorum numero jam antea in captivitatem deducto, 2 Reg. 24, 14.

2. אֱלֹהִים בְּאָזְנֵינוּ שָׁמַעְנוּ *Deus, auribus nostris audivimus*, pleonastica loquutio, qualis illa: *oculis videre*, Deut. 34, 4. Ez. 44, 5. Ps. 91, 9.; *voce clamare*, Ps. 3, 5.; *lingua loqui*, 39, 4. בִּימֵיהֶם — אֲבוֹתֵינוּ *Majores nostri narrarunt nobis facinora, quae illorum temporibus patrasti.* Post פָּעַל subaudiendum אֲשֶׁר. בִּימֵי קֶדֶם *In diebus antiquitatis*, tempore prisco.

3. Quaenam sint illa facinora, exponit. אַתָּה יָדְךָ גוֹיִם הוֹרַשְׁתָּ *Manu tua gentes* (sc. Cananaeas, quarum catalogum recenset liber Josuae) sedibus suis *ejecisti*. Ante יָדְךָ subaud. praefixum ב, quod facit Ablativum instrumenti, ut 17, 13. חַרְבְּךָ *gladio tuo*. וַתִּטָּעֵם. *Et plantasti eos*, sc. majores nostros; affixum referendum est ad remotius אֲבוֹתֵינוּ Vs. 2., cujusmodi exempla sunt 18, 15. 37, 22. Utitur autem *plantandi*, נָטַע, verbo, ut firmas illorum sedes indicaret, significat enim per metaphoram, ita aliquid provehere atque promovere, ut feliciter permaneat ac proficiat, non mox veluti suo humore destitutum exarescat. Sic Moses in Cantico Ex. 15, 17. *introduces eos*, inquit, *et plantabis in monte hereditatis tuae.* Cf. 2 Sam. 7, 10. Eandem porro sententiam diversis

verbis repetens, ait: תֵּרַע לְאֻמִּים *Afflixisti populos*, Cananaeos illos, וַתִּשַּׁלְּחֵם *et ejecisti eos*, e sedibus avitis. Sed quia שָׁלַח in Piel etiam *late emittere*, aut *extendere* ramos, propaginesve significat (ut Ez. 17, 7. *vitis extendit propagines suas*, et Vs. 6. *fecit palmites et emittit propagines suas*, vid. quoque Ez. 31, 5. Ps. 80, 12.); hinc alii et nostro loco וַתִּשַּׁלְּחֵם *et emisisti*, extendisti, *eos*, sc. Israelitas, h. e. propagasti eos in longum et latum, eosque in terra Cananaea omnibus opibus et potentia fecisti florentes. Quae ipsa Syri interpretis videtur mens fuisse, qui reddidit: *malefecisti regnis, et stabilivisti illos.* Apparet tamen dispar ratio constructionis, si locos adductos conferamus cum nostro loco, in illis enim *emittere* dicitur res ipsa plantata suos ramos vel propagines, hic vero diceretur de Deo, vires extendendi crescendique largiente, quod vix admittat linguae usus: praeterea alias apponitur Accusativus, quid emittat arbor aut vitis, nempe ramos, vel propagines, qui tamen h. l. desideratur. Retinenda igitur *ejiciendi* significatio, quomodo hoc ipsum verbum שָׁלַח de uxore repudiata, foris pulsa, usurpatur, Deut. 34, 1. 3. 4. Jes. 50, 1., nec non de Israelitis, propter impietatem expulsis Ps. 81, 13. Cf. 1 Reg. 9, 7. Jer. 3, 8. 15, 1. Ita et nostro loco Alex. ἐξέβαλες αὐτούς, Vulgatus: *expulisti eos*, et Chaldaeus: *consumsisti eos.*

4. כִּי לֹא בְחַרְבָּם יָרְשׁוּ־אֶרֶץ *Nec enim gladio suo terram possiderunt*, non suis armis terram Cananaeam occuparunt. In verbo *possidendi* inclusum latet verbum adhuc aliud, quod cogitatione anticipatur, nempe *expugnandi*, vel *occupandi;* terra namque, gladio prius occupata, postea demum *possideri* potest. Cujusmodi verborum praegnantium exempla vidimus 18, 46, 22, 22. וּזְרוֹעָם — פָּנֶיךָ *Et brachium eorum*, virtus seu fortitudo bellica, *non praestitit eis salutem, sed dextera tua et brachium tuum* (vid. 37, 17.) *et lumen vultus tui* (vid. 43, 3.), favor tuus, illos adjuvit in terra Cananaea occupanda. כִּי רְצִיתָם *Nam favebas illis*, non ob aliud, quam quia libuit tibi benefacere illis.

5. Inducit nunc vates populum confitentem Deo. אַתָּה־הוּא מַלְכִּי אֱלֹהִים *Tu ipse rex meus es, Deus*, quo argumento flectere studet Deum ad opem sibi ferendam. Non alius, inquit, majorum nostrorum tempore Deus fuit, quam tu ipse, quem nos hoc tempore licet malis omnibus vexati colimus, et regem habemus; si ergo tu ipse es rex noster, et Deus noster, qui olim pro patribus nostris res tam admirabiles gessisti, aequum est, ut hoc quoque tempore populum tuum adjuves et laboranti succurras. צַוֵּה יְשׁוּעוֹת יַעֲקֹב *Praecipe*, vel *manda*, *salutes Jacobi*, jussu tuo effice, ut salus adveniat Jacobi posteris; salutem et opem tuam tanquam ministros mandes, et tanquam legatos mittas populo tuo. Respicitur ad *regis* potentiam, solo mandato aliquid efficientis.

6. בְּךָ צָרֵינוּ נְנַגֵּחַ *Per te adversarios nostros feriebamus*, tua ope muniti copias hostium quamvis multas et fortes fundere

soliti sumus atque fugare. בְּשִׁמְךָ נָבוּס קָמֵינוּ *Per nomen tuum conculcavimus insurgentes contra nos*, non aliis armis, nisi tua ope, conterere consuevimus eos, qui in nos insurgerent, et armis ultro lacesserent. קָמֵינוּ pro עָלֵינוּ קָמִים Ps. 92, 12.

7. כִּי לֹא בְקַשְׁתִּי אֶבְטָח *Non enim in arcu meo fiduciam pono*, per *arcum*, ut postea per *gladium*, synecdochice indicantur arma quaevis bellica. וְחַרְבִּי לֹא תוֹשִׁיעֵנִי *et gladius me minime servabit.*

8. *Sed tu ab infestis nobis nos servasti, et pudefecisti, qui nos odio prosequebantur*, qui, quum ea, quae animo praesumserant, in diversum atque in contrarium tuo nutu cecidissent, confusi sunt et pudore completi, adeo ut in publicum prodire et lucem intueri refugerent.

9. *Deum laudabamus quotidie, et nomen tuum sempiterna laude celebrabamus;* quotidie fuit, unde Deum laudarint, quam etiam laudem non dubitarunt fore perpetuam.

10. Inde ab hoc Versu quaeritur populus omnia secum in diversum immutata. *Nunc autem repudiasti et ignominia affecisti nos, non exis cum exercitibus nostris.* Non, ut antea solebas, tanquam dux et imperator, exercitum nostrum duxisti, sed duce spoliatum reliquisti, quae res nobis cladis acceptae causa fuit. De זָנַח vid. 43, 2.

11. תְּשִׁיבֵנוּ אָחוֹר מִנִּי־צָר *Reverti nos fecisti*, fecisti terga dare, *propter hostem*, nobis validiorem redditum, strenueque fugientes nos insequentes. מִן h. l. habet Jod paragogicum, ut Jes. 46, 3. — וּמְשַׂנְאֵינוּ שָׁסוּ לָמוֹ *Et qui odio nos prosequuntur, praedati sunt sibi*, abstulerunt sibi praedam, facultates nostras.

12. תִּתְּנֵנוּ כְּצֹאן מַאֲכָל *Posuisti nos ut gregem comestionis*, h. e. ut gregem, quem quis ab iis, quas statuit alere ad progeniem et lanificium seligit, ordine singulas mactat. Tum qui victoris hostis gladium evaserunt, ii dispersi venditi inter gentes serviunt miserrime: וּבַגּוֹיִם זֵרִיתָנוּ *et inter gentes dispersisti nos*, tanquam paleas ex area in omnem ventum dissipantur, quod est propria verbi זָרָה significatio, vid. Ruth. 3, 2. Jer. 4, 11. Jes. 41, 16. Quod ad rem cf. 2 Reg. 24, 14.

13. תִּמְכֹּר־עַמְּךָ בְלֹא־הוֹן *Vendidisti tuum populum absque opibus*, tanquam vilissima mancipia, vel sine pretio, quasi gratis, vel tam vili, ut paene nihil videretur, vendidisti, omni dominio ac potestate in hunc populum te abdicasti, quemadmodum et alias Deus, populum suum non curans nec defendens, dicitur eundem vendidisse, Deut. 32, 30. Jud. 2, 14. 3, 8. 4, 2. Jes. 50, 1. וְלֹא־רַבִּיתָ בִּמְחִירֵיהֶם, quae verba Chaldaeus recte haud dubie ita explicavit: *neque multiplicasti possessionem pretiis ipsorum*, non ejusmodi venditio fuit, ut in commutatione lucrum magnum accederet tibi venditori, i. e. gratis illos vendidisti: quem sensum et

Theodotion expressit: *καὶ οὐκ ἦν πλεόνασμα ἐν τῷ ἀλλάγματι ἡμῶν, et non fuit redundantia*, vel *utilitas in commutatione nostra.* Hasslerus subaudito ex priori hemist. עַמְּךָ, quod cum רִבִּיתָ jungit, sic vertit: *non magnum reddidisti* populum tuum *in pretiis eorum*, i. e. dum eum venderes, vili eos admodum pretio quasi abjecisti.

14. תְּשִׂימֵנוּ חֶרְפָּה לִשְׁכֵנֵינוּ *Posuisti nos* (i. e. *facis ut simus*, vid. 39, 9.) *opprobrium vicinis nostris*, comparasti nos, ut probris nos afficiant vicini, h. e. gentes in conterminio Palaestinae habitantes, quales ab occasu Philisthaei, a meridie Edomaei, ab ortu Ammonitae ac Moabitae, ubi populum Judaicum hostibus caedi spoliarique vident, opprobria in eum jactant. לַעַג וָקֶלֶס לִסְבִיבוֹתֵינוּ *Irrisionem et ludibrium* ponis nos illis *qui circa nos sunt*, propr. *circuitibus nostris*, h. e. iis gentibus, qui nobis vicinae sunt. Cf. Ez. 5, 14. 15. קֶלֶס *ludibrium*, h. e. ludibrii materiam, vel summe delusos et contemtos. Bis adhuc haec vox occurrit, Ps. 79, 4., ubi eadem verba, quae hic, et Jer. 20, 8. ad designandam ingentem prophetae delusionem ob mandati divini praeconium sibi ab impiis illatam.

15. תְּשִׂימֵנוּ מָשָׁל בַּגּוֹיִם *Fecisti nos proverbium inter gentes*, ad eam conditionem nos redegisti, ut jactetur de nobis extremae calamitatis proverbium, ut nostram sortem pro summe misera et calamitosa homines usurpare solerent. Cf. Jer. 24, 9. Deut. 28, 37. מְנוֹד־רֹאשׁ בַּלְאֻמִּים *Agitationem capitis inter gentes* nos fecisti, ut quisque conspectis nobis commoveat caput, qui est irridentium gestus, vid. 22, 8.

16. כָּל־הַיּוֹם — כְּלִמָּתִי *Quotidie ignominia mea coram me*, adeo non possum oblivisci miseriae meae, ut ea semper obversetur menti meae et oculis meis, *et pudor faciei meae operuit me*, adeo deturbatus sum a dignitate mea pristina, adeo crebris obtundor undique contumeliis, ut prae pudore non ferre amplius possim aliorum conspectum.

17. מִקּוֹל מְחָרֵף וּמְגַדֵּף *Propter probra jacientes et conviciantes* operuit faciem meam pudor (Vs. 16.). Verbum גָּדַף in Piel tantummodo occurrens, propr. *proscidit convitiis, maledictis insectatus est*, significat, docente Arabum et Aramaeorum dialecto. In V. T. semper quidem usurpatur de his, qui *divinum numen verbis violant*, 2 Reg. 19, 6. 22. Jes. 41, 6. 23. Ez. 20, 27. Num. 20, 30., sed nomen גִּדּוּף dicitur etiam de *ignominia* et *convitiis* homini illatis, ut Jes. 43, 28. 51, 7. Zeph. 2, 8. מִפְּנֵי אוֹיֵב וּמִתְנַקֵּם *Propter hostes et ulciscendi avidos* pudore oppleor. מִפְּנֵי *propter*, ut 38, 4.

18. Sincerum nunc idemque perseverans Dei studium, quamlibet intolerabili calamitate et miseria pressi, profitentur. *Totum hoc accidit nobis, attamen nequaquam tui obliviscimur, nec perfide nos in foedere tuo habemus.* לֹא־שְׁכַחְנוּךָ propr. *non men-*

daciter egimus contra foedus tuum, h. e. non aliter atque decet eos, qui Deo nomen dederunt, ex praescripto illius vivimus.

19. *Non deflectit retro cor nostrum*, amorem nequaquam in alia transtulimus, eoque *nec declinant a semitis tuis gressus*, omnibus cum dictis tum factis sic institutis, ut divinis praescriptis congruerent.

20. כִּי דִכִּיתָנוּ בִּמְקוֹם תַּנִּים *Quando contrivisti nos*, acerbissime nos afflixisti, instar eorum, quibus omnia conquassata et comminuta sunt ossa (de דָּכָה vid. 10, 10. coll. 38, 9. 51, 10. 19.), *in loco luporum*, objiciendo nos lupis, inter quos versemur. Significari autem *luporum* nomine tyrannos, qui eos opprimunt et crudeliter tractant, manifestum. Alii *locum luporum* intelligunt horrentes terras, et squalore ac sterilitate deformes ac desertas, ut belluarum ac ferarum potius quam hominum habitatio viderentur. Cf. Jer. 9, 10. תַּן, cujus plural. est תַּנִּים, denotat *lupum*, qui cum cane illo fero, cui *Schacal* nomen, proxima cognatione est conjunctus; vid. not. ad Jes. 13, 22. ed. tert. וַתְּכַס עָלֵינוּ בְצַלְמָוֶת *Et umbra mortis nos operuisti*, omnem nobis spem emergendi ex his miseriis ademisti penitus. De צלמות vid. ad 23, 4.

21. אִם־שָׁכַחְנוּ שֵׁם אֱלֹהֵינוּ *Si obliti fuissemus nominis Dei nostri*, h. e. si abnegassemus religionem veram et cultum Dei nostri, vel neglexissemus eum per contemtum. וַנִּפְרֹשׂ כַּפֵּינוּ לְאֵל זָר *Atque si expandissemus manus nostras* (vid. 28, 2.) *ad Deum alienum*, si opem alienorum deorum implorassemus.

22. הֲלֹא אֱלֹהִים יַחֲקָר־זֹאת *Annon explorasset hoc Deus?* Si illud admisissemus, nequaquam impune tulissemus, noluimus igitur a Deo vero, quamlibet saeviente, divelli, כִּי הוּא וגו׳ *quandoquidem ipse novit recondita cordis.*

23. Tantum vero abest, ut quicquam defectionis talis admitteremus, ut contra potius, ideo, quod te et tuam veritatem profitemur, ab hostibus nostris accidant nobis haec omnia: *Sed propter te* (i. e. propterea, quod tibi addicti sumus. Alii vertunt: *coram te*, i. e. te vidente et admittente) *occidimur quotidie, reputati sumus instar gregis mactationi destinati.* Cf. Vs. 12. Haec pios ex populo dicere patet, qui Jovae auxilio freti dum hostibus fortiter restiterunt magno numero in procliis occidebantur.

24. Dum adeo permittit suos Deus impiis, *dormire* et *avertisse faciem* suam videtur, ut *evigilare* et *respicere*, dum impiis prostratis suos servat; id ut faciat, Versu hoc et proximo orant: *Evigila, quare obdormis, Domine, excita te, ne repudies nos perpetuo.*

25. *Quare faciem tuam occultas, nullam habes afflictionis et oppressionis nostrae rationem?*

26. כִּי־שָׁחָה לֶעָפָר נַפְשֵׁנוּ *Depressa est anima nostra ad pulverem*, i. e. ad extremam miseriam redacti, et morti proximi

sumus, similes militibus victis inque terram prostratis, quorum collis corporibusque insistere solet victor, ut Jos. 10, 24. Deut. 33, 29. דָּבְקָה לָאָרֶץ בִּטְנֵנוּ *Terrae adfixus est venter noster*, similitudo iterum mutuata ab homine in terram prostrato, cujus venter terrae jam haeret.

27. *Surge in auxilium nobis, et redime nos propter bonitatem tuam.* Ante עֶזְרָתָה subaud. particula לְ, quae alias in hac formula frequens, veluti 23, 20. 38, 23. 40, 4. 70, 2. 71, 12., aut particula בְּ, ex 35, 12. Possit tamen et h. l. in *Vocativo* verti: ut antonomastice Deus appelletur *Auxilium*, hoc modo: *Surge, o Auxilium nostrum!* Sic namque in casu recto Deus appellatur עזרתה 63, 8. *quia fuisti* עֶזְרָתָה לִי, et 94, 17. *nisi Dominus* עֶזְרָתָה לִי *auxilium mihi.* De verbo פְּדֵה vid. 25, 22.

Ps. 45.

Carmen magni alicujus regis virtutes et felicitatem magnifico laudis praeconio extollens. Dedicatione praemissa (Vs. 2.), poeta statim ad virtutes regis laudandas transit, atque pulchritudine et eloquentia ipsius commemorata (3.), paullo longius in praedicanda virtute ejus ac animi fortitudine, justitiae atque veritatis studio incensa haeret (4 – 8.); tum, praemiis harum virtutum descriptis, felicitate nimirum regni istius et conjugii nunc celebrandi solemnitate exposita (9. 10.), ad sponsam ejusque venustatem celebrandam se convertit. Hortatur eam, ut penatum sit jam immemor, laeta ac hilaris, ut rex ipsius amore capiatur, quem si consequatur fore, sperat, ut gentes externae ipsius benevolentiam sint ambiturae, eique munera splendidissima oblaturae (11 — 13.). Pulchritudine, quae regis amorem ipsi conciliarat, descripta, ipsa ad regem adducitur cum sociis, ut ab eo in palatium recipiatur, sicque pro ipsius uxore rite declaretur (14 — 16.). Denique poeta prolem futuram honore et dignitate condecorandam regi gratulatur (17.), et ad se rediens laudes regis numquam interituras, hymni sui fructum sperat gratissimum (18.).

Hunc Ps. neque Davidi, neque Salomoni accommodari posse, vere monuit, praeter alios interpretes, J. H. Michaelis in *Annotatt. uberiorib. in Hagiogr.* T. I. p. 283. „Quippe neuter eorum," inquit, „fuit *Deus* (Vs. 7. 8.), neutrius solium fuit *perenne* ac perpetuum (Vs. 7.), neutrius denique conjux usquam legitur a *filia Tyri* muneribus exornata (Vs. 13.), et David praeter Michaelem, Sauli, et Maacham, Gesuritarum regis filiam (2 Sam. 3, 3.), nullas habuit conjuges regio satas sanguine, nullamque inter has, quae tanto prae ceteris splendore eminuisset, quantum de una illa, eaque insigniter distincta Regina Psaltes praedicat Vs. 10. 14. sqq. Salomoni haud convenit Psalmus, quippe qui nulla bella gessit, ut tam magnificam meruisset laudem, qualis Vs. 4. 5. 6., neque filios suos loco patrum constituit principes in universa terra (Vs. 17.), et

clausula Psalmi (Vs. 18.) majorem laudis pollicitationem continet, quam vel Salomoni, vel ulli terrenorum regum tribui potest ac debet.“ Si vero neque Davidi, neque Salomoni Psalmus convenit, multo minus alii cuidam regi Hebraeorum accommodari cum aliqua veri specie poterit. Verum optime omnia in hoc Ps. inter se congruent, si antiquiorum Hebraeorum sequuti sententiam, quam Chaldaeus interpres (vid. not. ad Vs. 3.) et Epistolae ad Hebraeos scriptor (1, 8. 9. coll. Ps. 45, 7. 8.) nobis tradiderunt, magni illius regis, Messiae, virtutes et laudes, simulque felicitatem olim futuram gentis prae ceteris omnibus ipsi dilectae, sibique, tanquam sponsa conjunctae carmine hoc celebrari statuamus. Per totam enim posteriorem carminis partem regnat illa prophetis Hebraeorum tantopere adamata allegoria, qua Dei erga populum suum affectus amoris conjugalis imagine sistitur, et per varias partes et minutiora adjuncta saepe deducitur (Vid. Jes. 54, 5. 62, 5. Jer. 3, 1. sqq. Ez. cap. 16. et 23. coll. Matth. 9, 15. Jo. 3, 29. 2 Cor. 11, 2. Eph. 5, 2. sqq. Apoc. 19, 7. 21, 2. 22, 17. et cf. Lowth *de sacra Hebraeor. poesi*, p. 347. sqq. edit. Lips.). Iis quae H. E. G. Paulus et De Wette sententiae, agere Psalmum de Messia, opposuerunt, respondit Hengstenberg *Christologie des A. T.* Vol. I. P. I. p. 124. sqq.

1. Plures hic tituli coacervati sunt. De לַמְנַצֵּחַ, שֹׁשַׁנִּים et מַשְׂכִּיל vid. Prolegomm. שִׁיר יְדִידוֹת haud male Aquila reddidisse videtur ᾆσμα προσφιλίας, *carmen suavitatis*, sicut apud Theocritum *Idyll.* 8. est προσφιλὲς μέλος, *suave carmen.* Nomen יְדִידוֹת praeter h. l. semel tantummodo reperitur, Ps. 84, 2. יְדִיד enim *dilectum* significat Deut. 33, 12. Jes. 5, 1. Ps. 60, 7. 108, 7. Hoc loco tamen Pluralis feminini generis significatione neutrali videtur accipiendus esse (ut גְּדֹלוֹת *magna*, cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 661.), ut vertendum sit: *carmen dilectorum*, sive *rerum delectarum*, h. e. carmen jucundum, suave, delicatum; id quod optime convenit Versui 2.

2. Praefatur poeta, se aliquid boni et jucundi cantaturum: רָחַשׁ לִבִּי דָּבָר טוֹב *Ebullit cor meum verbum bonum*, h. e. carmen gratum et jucundum, quod voluptatem afferat; vel, grata et jucunda gestit dicere cor meum. Verbi רָחַשׁ, hoc tantummodo loco in V. T. occurrentis, significatio repetenda est ex Syriaco רחש *scatuit* (quae haud dubie primaria est hujus verbi notio, unde reliquae, *movit se*, *repsit*, *verminavit*, descenderunt). Proprie dicitur de fonte, seu aqua vivente, ebulliente, hinc autem transfertur ad sermonem, emanantem ex ore, ut aqua e vena, seu fonte suo (cf. 119, 171. 145, 7.); atque adeo *eloquendi*, *proloquendi* significatum obtinet. Videtur autem poeta hoc verbum significanter usurpasse, et hoc indicare voluisse, se tanta laetitia gestisse, ut e pectore cum impetu quodam hocce carmen emissum sit, felici et veloci quadam verborum copia, aliis post alia statim continenti fluxu erumpentibus, non segnibus et otiosis, sed vivacibus, et impetu quodam

agitatis. Verba, quae sequuntur, אֹמֵר אֲנִי מַעֲשַׂי לְמֶלֶךְ, vulgo sic vertunt: *dico ego opera mea regi*, quasi Accusativus esset מַעֲשַׂי, pendens ab אמר, quod *dicare* alii, alii *recitare* explicant. Secundum hos igitur sensus foret hic: *dicturus sum opera mea regi*, vel, *de rege;* secundum illos: *dicabo*, seu *consecrabo, opera mea regi.* Sed illi, qui vocalium et interpunctionis signis textum hebraeum instruxerunt, atque ea in re traditionem, a majoribus acceptam, nobis minime contemnendam, haud dubie sunt sequuti, dum h. l. voculae אֲנִי non solum accentum distinctivum *Tiphcha* apposuerunt, sed etiam *Camez*, loco *Pathach*, quod indicium pausae est, innuerunt, verba illa sic esse vertenda: *dico ego: opera mea* sunt *regi*, h. e. ego huc impendam labores meos, ut enarrem laudes et virtutes regis, unde Symmachus מַעֲשַׂי non male *τὰ ποιήματά μου* reddidit. Praefixum לְ itaque h. l. ordinaria Dativi est nota, qua designatur ille, in cujus honorem vates recitare velit hanc odam, nec necesse est, illud *de* (rege) vertere, ut 3, 3. 25, 2. 35, 19., ubi vid. not. Studium canendi regis his verbis testatur: לְשׁוֹנִי עֵט סוֹפֵר מָהִיר *Lingua mea stilus scribae expediti*, quae Chaldaeus bene ita vertit: *loquela linguae meae festinat sicut calamus scribae exercitati*, promti, expediti. Si animus dicenda celeriter quidem atque expedite suppeditet, sed lingua tardior sit ad ea, quae animus suggerit, eloquenda, carmen iners erit et segne; at ubi cor abunde dicenda suggerit, et lingua, quae ex animo scatent, excipiens, celeriter et expedite protulerit, tum egregium carmen erit, et efficax, ac leni facilique vena fluens. Nomen עֵט, a verbo עוּט *fodit*, proprie *stilum* videtur designasse, sive instrumentum acuminatum, ad exarandum in plumbo, saxo, cera, palmarum foliis, aliave materia, scripturam, certe עֵט־בַּרְזֶל *stilus ferreus*, quo verba incidantur rupi, diserte memoratur Job. 19, 24. et Jer. 17, 1.; postea tamen et de *calamo scriptorio* usurpatum fuerit, quomodo Chaldaeus reddidit hoc loco et Job. 19, 24. atque Jer. 8, 8., sed Jer. 17, 1. nomen hebraeum retinuit. Neque praeter quatuor haec loca vox illa in V. T. occurrit. Ceterum ante עֵט h. l. subaud. כְּ, ut Ps. 22, 7. 13. Coh. 7, 26. Dictionem סוֹפֵר מָהִיר Alex. recte *γραμματέως ὀξυγράφου*, et Vulgatus *scribae velociter scribentis* reddidit, quum מָהִיר proprie significet *festinum*, a verbo מָהַר *festinavit.*

3. Laudare jam regem incipit, et primum illum commendat a dignitate formae et gratia eloquentiae. יָפְיְפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם *Tu venustate cunctos mortales antecellis.* Nobilioribus enim animis praeditos prisci homines et formae praestantia pollere crediderunt. Ita Joseph insigni fuisse forma scribitur, et Homerus Achillem suum atque Hectora pulchritudine praestabili insignivit. Hinc et Virgilius suum Aeneam *os humerosque Deo similem*, h. e. majore, quam humana, pulchritudine praestantem, fecit. Et quantopere corporis proceritas et venustas in rege aestimata fuerit, apparet ex

1 Sam. 9, 2. 10, 23. Quum itaque regem suum poeta noster vellet quam amplissimis a Deo affectum ornatumque beneficiis praedicare, formae dignitatem illi tribuit. Chaldaeus: שִׁפּוּרָךְ מַלְכָּא מְשִׁיחָא עֲדִיךְ מִבְּנֵי נָשָׁא *pulchritudo tua, o rex Messia, praestantior est filiorum hominum.* Verbum יְפִיפִיתָ referendum est ad singularem conjugationum speciem, quae duas priores radicales geminat, ad formam פִּקְפֵּקְד cujus Passivum פֻּקְפַּקְד, cujus ipsius formae est הִשְׁגְשַׁגְי *admodum cresces*, Jes. 17, 11. a radice, Chaldaeis usitata, שְׁגָא vel שְׁגַה *crescere, multiplicari.* Quum autem nostrum יְפִיפִיתָ Passivum sit, apparet, vertendum esse: *venustissimus redditus es*, intendi enim significationem duarum radicalium geminatione, vidimus ad Ps. 35, 6. coll. 38, 11. Eo autem, quod sequitur, הוּצַק חֵן בְּשִׂפְתוֹתֶיךָ *diffusa est gratia in labiis tuis*, a gratia sermonis, h. e. eloquentia rex commendatur. Nomen חֵן Hebraeis est i. q. Graec. *χάρις*, et Lat. *gratia*, et de eloquentia etiam usurpatur Coh. 10, 12. Hoc eloquentiae miraculum in eo poeta indicavit, quod canit gratiam in labiis ejus non simpliciter esse, sed *diffusam.* Non dissimile hoc illi est, quod de Pericle jactatur, *suadelam sessitasse in labiis ejus*, ut Cicero ait de *Clar. Orat.* 59, 15. Chaldaeus: *datus est spiritus prophetiae in labiis tuis.* עַל־כֵּן בֵּרַכְךָ אֱלֹהִים לְעוֹלָם *Propterea quod bene precatus tibi Deus in sempiternum*, propterea quod te Deus sempiternis ornavit beneficiis. עַל־כֵּן h. l. *propterea quod* vertendum (pro אֲשֶׁר עַל־כֵּן), ut Jer. 48, 36. *mihi propter Cirheresenses animus tibiarum ritu sonat*, עַל־כֵּן *propterea quod residuum* opum, quas sibi comparaverant, *perit.* Ideo enim, quod Deus regem peculiari sua beneficentia dignatus est, et forma et facundia adeo praestitit. De verbo בֵּרַךְ vid. 21, 4.

4. Pergit ad praedicandam regis fortitudinem. Mutat autem ex ardenti quodam studio quasi faciem orationis, et ad modum adhortationis sermonem conformat. *Cinge, o heros, femur tuum gladio tuo*, qui est *decus tuum et splendor.* Celso animo communia pericula depellere, ac utilitates maximas ingentemque dignitatem multis adducere, tanti habetur, ut nihil fere laudetur ore pleniore. Haec poeta regi huic tribuit, cum גִּבּוֹר, *heroa*, vocat, et *gladio* ornat, eumque *decus* et *splendorem* ejus vocat, eo quod apud priscas gentes nihil habebatur virtute bellica admirabilius, et laude magis dignum. De הָדָר vid. 29, 2. Chaldaeus: *Accinge gladium femori tuo ad occidendum reges una cum dominatoribus splendore tuo et gloria.*

5. Ergo quum pulchritudine ac specie regia sis, gladioque decentissime sis ornatus, hic omnis decor et ornatus te regia majestate dignum esse coarguit; quamobrem וַהֲדָרְךָ צְלַח רְכַב *Et decore tuo felix vehitor*, h. e. decore tuo fretus progredere, et regiis equis conscensis ad regnum accede, regnum auspicare cum magnificentia. *Decore tuo*, eodem nempe, quem accinxisti, tibique

prodituro circumposuisti, Vs. 4. Subaud. praefixum ב, ut alias saepissime, adeoque per anadiplosin, *decor*, quo Vs. 4. finiebatur, nunc resumitur, ut eodem accinctus prospere etiam pergat sua gerere. Figurae illius exempla Ps. 93, 1. 94, 23. 121, 1. 2. Pro וְהַדְרֶךָ Alexandrinus pronunciavit וְהַדְרֵךְ *et calca*, *arcum* nempe, קֶשֶׁת (vid. Ps. 7, 13. 11, 2. et ibi not.), vertit enim *καὶ ἔντεινον*, *et intende*, ut Vulgatus habet, quo ipso Graeco verbo et Ps. 7, 13. 11, 2. usus est. Sed haec legendi ratio improbanda vel ideo est, quod verbo דָּרַךְ, quando significationem *tendendi*, *intendendi*, habet, semper adjunctum est nomen קֶשֶׁת, sine eo nuspiam occurrit, vid. Ps. 17, 13. Thr. 2, 4. Verba צְלַח רְכַב ad verbum sonant: *felix esto*, *vehitor*, i. e. feliciter vehitor; etenim duo verba ejusdem temporis, numeri et personae ita conjungi solent, ut posterius rem ipsam exponat, prius autem ejus modum, vel circumstantiam aliquam, describat, atque sic Adverbii vicem expleat, ut infra 112, 9. פִּזַּר נָתַן *sparsit*, *dedit*, i. e. sparsim, sive copiose, dedit. Hos. 9, 9. שָׂמְחוּ וְרָאוּ *laetati sunt et viderunt*, i. e. laeto animo viderunt. Vid. Gesenii *Lehrg.* p. 823. Nostra verba Chaldaeus bene vertit: *prospere vehitor in equo regio.* Alexandrinus *βασίλευε*, *regna*, posuit, quia, quum equos regios conscendere creatis regibus moris esset, *equita* pro eo intellexit, ac si esset *regna*, sensumque transferre, ut clarior esset sermo, maluit. עַל־דְּבַר־ אֱמֶת *Propter veritatem*, i. e. ut bene Chaldaeus: *propter negotium veritatis*, q. d. ut pulsis dolis atque mendaciis, fides ac veritas, quae suppressae jacuerunt (cf. Jes. 59, 14. Hos. 4, 1.), sub regno auspiciisque tuis emergant. Alii haec verba cum iis quae proxime sequuntur, וַעֲנָוָה־צֶדֶק, jungunt hoc modo: *propter veritatem, et mansuetudinem justitiamque*, h. e. quia virtutibus illis ornatus es, quae majestatem regiam potissimum decent, ideo regno dignissimus es. Et hanc quidem sententiam qui verbis illic contineri volunt, ii וַעֲנָוָה־צֶדֶק *ἀσυνδέτως* pro וַעֲנָוָה וָצֶדֶק positum putant, ut infra Vs. 9. וַאֲהֲלוֹת קְצִיעוֹת. Ita et h. l. Chaldaeus vertit, nec non Alexandrinus: *καὶ πραΰτητος καὶ δικαιοσύνης*, atque Vulgatus: (propter) *mansuetudinem et justitiam.* In qua explicatione tamen hoc desiderandum, quod Makkeph ita loco minus commodo sit positum, collato infra Vs. 9., ubi voces priores aptius, quam hic posteriores, per Makkeph conjunguntur. Alii enallagen status absoluti pro constructo h. l. esse putant, pro עַנְוַת צֶדֶק, (propter) *mansuetudinem justitiae*, quod mansuetudinem justitia, et justitiam mansuetudine temperatam, explicant. Eundem in modum Syrus: *vehere super verbo veritatis et humilitate*, mansuetudine, *justitiae.* Sed quo minus עַנְוָה *mansuetudinem* hic notare statuamus, nos prohibet insueta nominis forma, quum *mansuetudo* alias semper עַנְוָה dicatur. Malim igitur cum aliis עַנְוָה pro Particula formae נֶגְדָּה *coram* (Ps. 116, 14. 18.) habere, quae *propter* significet, perinde ac יַעַן et לְמַעַן, cum quibus commune habet etymon, videlicet עָנָה *respondit.* Ita igitur simplicissime et iis quae praecedunt

convenienter וענוה־צדק vertendum erit: *et propter justitiam*, i. e. ad puniendos et coercendos malos et defendendos ac vindicandos bonos. וְתוֹרְךָ נוֹרָאוֹת יְמִינֶךָ *Et docebit te terribilia dextera tua*, quodsi tibi progrediendum fuerit adversus hostes, horrendas inter illos strages facies, neque alio bellandi magistro, aut propugnatore opus habebis, nisi *dextera*, h. e. fortitudine tua, quae saepius nomine illo significatur, ut 44, 4. 98, 1. Alex. verbum הוֹרָה accepit significatione *viam monstrandi*, hincque *deducendi*, nomen נוֹרָאוֹת autem adverbii vice positum sumsit, unde haec prodiit interpretatio: *καὶ ὁδηγήσει σε θαυμαστῶς ἡ δεξιά σου· et deducet te mirabiliter dextera tua*, ut Vulgatus vertit. Verum cum *viam monstrare* הוֹרָה denotat, semper nomen דֶּרֶךְ sibi junctum habet, vid. 25, 8. 12. 32, 8. Prov. 4, 11. 2 Chr. 6, 27. 1 Reg. 8, 36. Rectius Symmachus: *ὑποδείξει σοι φοβερὰ ἡ δεξιά σου, ostendet tibi terribilia dextera tua.* Chaldaeus sensum hoc modo explicat: *docebit te Dominus terribilia patrare manu tua dextera.* Omnium pessime Syrus: *lex tua est in timore dexterae tuae.* Accepit תּוֹרָתְךָ pro תּוֹרֶךָ, et נוֹרָאוֹת pro בְּיִרְאַת.

6. Victoriae laudem magis exprimit, dum addit: חִצֶּיךָ שְׁנוּנִים *Sagittae tuae acutae*, nihil non penetrantes, subita est personae mutatio (vid. ad 2, 6.). Chaldaeus: *Sagittae tuae extractae sunt ad occidendum turmas.* עַמִּים תַּחְתֶּיךָ יִפְּלוּ *Populi sub te cadent*, armis tuis victi et profligati ad pedes tuos prosternentur. Cf. Ps. 18, 36. Ad verba בְּלֵב אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ *in cor hostium regis*, plures subaudiunt: sagittae suae cadent, repetitum ex iis, quae praecesserunt. Ita Chaldaeus: *filii arcus tui*, h. e. sagittae tuae, *immittentur in cor hostium regis.* Alii referunt ad descriptionem τῶν עַמִּים, ubi scilicet sint siti, nempe *in corde*, i. e. in medio *hostium regis*, ut hic sit loci sensus: etiamsi populi tibi se dedentes undique cinguntur tuis hostibus, quorum metuere possent inimicitiam, ut olim Gibeonitae, cum Josua medios inter hostes paciscentes (Jos. 10, 4.), plus tamen apud hosce valet tui amor et reverentia, quam hostium truculentia. Ita hic locus sensu conveniet cum 110, 2., ubi de Messia dicitur: *dominare in medio hostium tuorum.* Conferri potest et Mich. 5, 7. Obstat tamen quod לֵב de medio multitudinis hostium non solet dici. Sed videntur verba עמים תחתיך יפלו per parenthesin interjecta, tria postrema vero cum חציך שנונים jungenda esse, hoc modo: *sagittae tuae acutae (populi sub te cadent) in corde hostium regis* infixae. Ceterum אוֹיְבֵי הַמֶּלֶךְ positum pro אוֹיְבֶיךָ; crebro enim, ex prisca linguae simplicitate, quae nomen ipsum iterare non dubitabat, loco pronominis nomen ponitur.

7. Firmum et stabile hujus regis imperium nunc praedicat: כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים עוֹלָם וָעֶד *Solium tuum, o Deus*, est solium *seculi et aeternitatis*, in sempiternum stabit. *Solium* pro regno et imperio, quod super regali potissimum throno solet exerceri, per

metonymiam signi, quomodo etiam *sceptrum* et *diadema* usurpatur 89, 40. Ornat autem vates regem אֱלֹהִים, *Dei*, appellatione, qua et alias *magistratus* et *civitatum principes* designantur, sive ob similitudinem, quod illi perinde aliorum domini et gubernatores esse videntur, ut ipsemet summus Deus omnibus praeest, sive quod Deus illis suam potentiam, officium et dignitatem communicasse credebatur. Vid. Ps. 82, 6. coll. Ex. 21, 6. 22, 7. 8. 27., quorum locorum postremo, qui in posteriori Versus membro נָשִׂיא *princeps*, idem in priori אֱלֹהִים vocatur. Et apud plerosque antiquitatis, Asiae praesertim, populos, reges divino honore affecti fuerunt, imo Dii appellati sunt, quod Deorum quasi vicarios illos esse crederent. Aegyptios suis regibus divinos honores exhibere narrat Diodorus Siculus I. cap. 90. Cf. Drusii *Observatt. SS.* L. XII. cap. 11. et Spanhem. *ad Callimachi Hymn. in Jovem* Vs. 79. Noster vero vates regem, quem canit, appellat *Deum*, non ut magistratum, nullum enim suorum regum hoc titulo Hebraei ornabant, sed quod eum vere regem humano majorem haberet, quod et *aeternitatis* mentio declarat, unde et Chaldaeus pro אֱלֹהִים hic יְהוָה posuit (vid. supra), et Apostolus in Epistola ad Hebraeos multis argumentis supremam eminentiam et divinitatem Messiae, Dei filii, probaturus inter alia etiam hunc locum adducit 1, 9. Messiae veteres Hebraeos divinam originem et naturam tribuisse, ostendit et illius descriptio, quae habetur Jes. 9, 5. 6., ad quem loc. cf. not. nostr. Negat quidem Gesenius in *Commentar.* ad illum Jesajae loc. (p. 365.) antiquiores Hebraeos hanc de divina Messiae natura opinionem tenuisse, illamque a serioribus demum Judaeis, haud ita longe ante Jesum natum, conceptam fuisse contendit. Et hunc quidem Psalmi locum in nota sic interpretatur: *solium tuum Dei*, s. *divinum*, i. e. in quo te Deus constituit, *perpetuum erit (dein Gottesthron steht immer und ewig)*, eadem constructione, qua Lev. 26, 42. בְּרִיתִי יַעֲקֹב *foedus meum Jacobi*, i. e. cum Jacobo initum *(mein Jacobsbund)*, dicitur. Haud absimili modo Aben-Esra verba כִּסְאֲךָ אֱלֹהִים explicat: *solium tuum* est *solium Dei*, coll. 1 Chron. 29, 23. *seditque Salomo* עַל־כִּסֵּא יְהוָה לְמֶלֶךְ *in throno Jovae ut rex*, et simili syntaxi, quae est 2 Chron. 15, 8., הַנְּבוּאָה נְבוּאַת עֹדֵד pro וְהַנְּבוּאָה עֹדֵד *prophetia*, *prophetia* videlicet *Odedi*. Facilius vero orationem procederc, si אֱלֹהִים pro Vocativo capiamus, quam ex Aben-Esrae et Gesenii interpretatione, nemo inficias ibit. Nec est cur dubitemus, jam antiquiores Hebraeos regem illum magnum, quem sperabant auream aetatem orbi reducturum, humana natura majorem sibi cogitasse, quum similes opiniones et apud alios antiquissimos Asiae populos deprehendamus (cf. J. G. Rhode *die heil. Sage des Zendvolks* p. 461. sqq.), atque istiusmodi spes de divino aliquo generis humani sospitatore aliquando futuro antiquissimorum hominum de diis inter homines versantibus opinioni multo magis conveniret, quam sobriae seriorum aetatum de talibus cogitandi rationi. — Regis justitiam nunc

laudat: שֵׁבֶט מִישׁוֹר שֵׁבֶט מַלְכוּתֶךָ *Sceptrum rectitudinis*, s. rectum, est *sceptrum regni tui*, imperium et potestatem justissime administras, et summa cum aequitate moderaris. Notanda est synchysis, metathesis subjecti et praedicati, sic namque ordinanda est propositio: *sceptrum regni tui est sceptrum rectum.* Nomen מִישׁוֹר *rectitudo*, de regiminis aequitate dicitur etiam Ps. 67, 5. 96, 10. Jes. 11, 3. 4.

8. Aequitatis illius causam nunc ponit: אָהַבְתָּ צֶדֶק וַתִּשְׂנָא רֶשַׁע *Diligis justitiam et odis improbitatem*, hinc enim omnis recta et aequa regni administratio provenit: עַל־כֵּן וגו׳ *Propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae sociis tuis.* חֲבֵרִים *socii* sunt reges alii coaevi. Dictionis: *oleo gaudii inungere*, sensus simplex est: magna laetitia et felicitate, majestate, victoriis, regni amplitudine te affecit (vid. ad 23, 5.). Jes. 61, 3. שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *unguentum voluptatis*, opponitur *luctui* (אֵבֶל). Nomen אֱלֹהִים alii in Casu primo sumunt: *unxit te Deus, Deus tuus*, quomodo אֱלֹהֶיךָ foret appositio talis, qualis supra 43, 4. (אלהים) et infra 50, 7.

9. Ad regium splendorem pertinebant etiam vestimenta, bonis odoribus suffita. Ea vates nunc describit: מֹר־וַאֲהָלוֹת קְצִיעוֹת כָּל־בִּגְדוֹתֶיךָ *Myrrha et xylaloe et casia omnia vestimenta tua*, tam suavem odorem spirant, ac si ipsa essent fragrantissima aromata. מֹר esse *myrrham*, ostendit Celsius in *Hierobot.* T. I. p. 520—535., qui ipse et p. 135—171. de אֲהָלוֹת egit, idque nomen *xylaloën* significare, verisimillimum fecit. Cf. not. nostr. ad Num. 24, 6. De קְצִיעוֹת *oasia odorata*, vid. *Hierobot.* T. II. p. 360. sqq. In verbis מִן־הֵיכְלֵי שֵׁן מִנִּי שִׂמְּחוּךָ exponendis interpretibus negotium facessit vox מִנִּי, quae longe plerisque est particula מִן *ex*, cum *Jod paragogico*, ut supra 44, 19. et multis aliis locis. Quum autem h. l. sequatur verbum, שמחוך, illam particulam nullum sensum habere patet, nisi aliquid subaudias; et quia pron. relat. non raro omittitur, illud et hic intelligendum putant, ac si loquutio plena esset haec: מִנִּיהֶם אֲשֶׁר *ex quibus*, sc. palatiis. Ita Alexandrinus, qui ἐξ ὧν posuit. Parum commode tamen dicitur: *ex palatiis eburneis, ex quibus te exhilarant.* Alii volunt: *ex illis*, inquam, *palatiis*, quae *te laetificant*, quod durum est. Sed multo facilius procedet oratio, si מִנִּי pro nomine habeamus. Jam quum מִנִּי sit regionis nomen proprium, uti patet ex Jer. 51, 27., ubi junctim memorantur אֲרָרַט מִנִּי וְאַשְׁכְּנַז, et *Armeniae* partem illo nomine significari ostenderit Bochartus in *Phaleg.* p. 19. 20., unde et Chaldaeus *ex terra Armenia* reddidit; sunt interpretes, qui hunc locum ita exponant: *e palatiis eburneis Armeniae exhilarant te*, i. e. exhilararis, scilicet muneribus; Armeniae principes muneribus oblectare te student, tuumque favorem sibi conciliare. *Principes* enim esse, qui regi, qui hic canitur, munera offerrent. innui dicunt eo, quod ex *palatiis eburneis* voluptatem illi afferri

dicitur. Alii מִנִּי h. l. esse volunt nomen *Minaeae*, regionis Arabiae felicis, thuris et myrrhae feracis (Strab. *Geogr.* 16, 4, 2. Plin. *Hist. Nat.* 17, 14. 16.). Atque de Minaeis h. l. cogitare suadere possit et illud, quod Diodor. Sic. *Biblioth.* 3, 47. Arabiae felicis incolas sumtuosas domus habere scribit, ebore et pretiosis lapidibus exornatas. Unde sic reddi posset: *e palatiis eburneis laetificant te Minaei*, i. e. Minaei palatiis suis eburneis relictis ad te muneribus accedunt teque exhilarant. Nescio tamen, annon sensus elegantior prodeat, si (quod etiam probant De Wette et Gesenius *Lehrgeb.* p. 526.) מִנֵּי pro rariore pluralis forma habeamus (ut 2 Sam. 23, 8. שָׁלְשִׁי, 2 Reg. 9, 4. 19. כָּרְי, 2 Sam. 22, 44. Ps. 144, 2. עַמְמִי), pro מְנִּים, quod (ut Syr. מנין) Ps. 150, 4. *chordas*, *fides canoras* significat. Ita haec erit loci sententia: *e palatiis eburneis fides*, fidicines *te exhilarant*. הֵיכְלֵי שֵׁן *domus eburneae*, sunt palatia, quorum conclavia ebore vestita erant. Cf. *Odyss.* 4, 72. 73. Horat. *Carm.* 2, 18. 2. Virg. *Aen.* 10, 135. sq. Atque Achab palatium eburneum aedificasse legitur 1 Reg. 22, 39. Et Amos 3, 15. memorantur בָּתֵּי הַשֵּׁן *domus eburneae*. שֵׁן, quod primo *dentem* in genere significat, deinde κατ' ἐξοχήν dicitur de eximio illo dente, ex quo fit ebur, 1 Reg. 10, 18. 2 Chr. 9, 17. Ez. 27, 6. Cant. 7, 5. Recte igitur Chaldaeus verba מִן הֵיכְלֵי שֵׁן explicavit: *ex palatiis, quae vestita sunt dente elephantino.*

10. Splendoris regum Asiae pars non ultima conspiciebatur olim, et adhuc conspicitur, in numeroso gynaeceo, in quod quanto nobiliori prosapia exortae virgines deducuntur, tanto illustrior rex habetur. Hinc noster regem nunc celebrat a praestantia et splendore uxorum, quarum plerasque ex genere regio fuisse, significat his verbis: בְּנוֹת מְלָכִים בִּיקָרוֹתֶיךָ *Filiae regum inter pretiosas tuas*, inter puellas nobiles, vel, tibi caras. Iis vero hic regna et populos significari, inter quos mox Vs. 13. בַּת־צֹר *filia Tyrus* nominatur, pro more loquendi Hebraeorum, e quo coetus integros *filias* appellare solent (cf. not. ad Jes. 1, 8.), tota carminis ratio arguit. Hinc Chaldaeus: *regiones regnorum venient ut suscipiant faciem tuam et honorent te.* Disertius vero Kimchi sensum declarat: *Filiae regum sunt gentes quae omnes ad obsequium regis Messiae redigentur.* Vid. infra 72, 8 — 11. Nomen יְקָרוֹת h. l. feminas significare, quas in pretio habet rex et magni aestimat, ei caras, res ipsa docet. Sic Jer. 31, 20. *filius pretiosus* est inprimis carus. Ceterum בִּיקָרוֹתֶיךָ pro בְּיִקָּרוֹתֶיךָ scriptum est, Aramaeorum more, apud quos similiter Jod initiale Chirek suum rejicit in locum Schevatis sub praecedente servili; quemadmodum Eccl. 2, 13. כְּיִתְרוֹן *sicut excellentia*, pro כְּיִתְרוֹן positum est. Dagesch vero, literae ק impositum, pro *euphonico* est habendum. — Vates, postquam nobilissimarum ex pellicum regis turba breviter mentionem fecisset, jam transit ad *reginam*, circa quam diutius moratur. נִצָּבָה שֵׁגָל לִימִינְךָ בְּכֶתֶם אוֹפִיר *Adstat regina*

dexterae tuae ornata *auro Ophiritico.* Nomen שֵׁגָל non nisi semel adhuc reperitur, Neh. 2, 7. de regina, Arthasastae regi ad latus sedente, et in Chaldaicis Danielis 5, 2. 3. 23., ubi de uxoribus Belsazaris, distinctis a concubinis, dicitur. Seriori igitur Hebraismo proprium nomen videtur. Adstat autem regina regi *ad dexteram*, utpote honestiore loco. Cf. 1 Reg. 2, 19. Porro regina ornata dicitur *auro Ophiritico*, h. e. mundo aureo, supra vestes posito, quasi tota auro, et aureis ornamentis induta esset, aureis monilibus, annulis, armillis, torquibus, et id genus aliis. Atque ut eximium hujus ornatus splendorem magis exaggeret, aurum, ex quo ille confectus est, *Ophiriticum* designat, regionem namque auri optimi ditissimam אוֹפִיר fuisse, patet ex Job. 28, 16. 22, 24. Jes. 13, 12. et locis pluribus aliis. De situ illius regionis vid. not. ad Gen. 10, 29. Ceterum per *reginam* Kimchi recte indicari ait *synagogam Israelis, quae aliquando sit dominatura.*

11. Jam ad reginam ipsam conversus vates, eam docet, quo pacto amorem sponsi s. mariti sibi conservare ac augere magis magisque possit. שִׁמְעִי־בַת *Audi filia*, compellatio blandientis, quali docentes erga discentes, ad conciliandam sibi attentionem, uti solent. Haud obscure vero haec compellatio innuit, reginam, quae proprie dicitur, hic non intelligi; neque enim hoc sibi sumsisse vatem credibile est, ut erga principis sui conjugem tam familiari sermone uteretur. Recte Chaldaeus: *audi, congregatio Israelis, legem oris ejus.* וּרְאִי *Et vide*, cogita, considera, quanto honore dignata sis a sponso tuo. Chaldaeus: *intuere admiranda operum ejus.* וְהַטִּי אָזְנֵךְ *Et inclina aurem tuam*, ut quod dicam attente audias ac diligenter notes. Chaldaeus addit: *ad verba legis.* — Jam incipit ipsa instructio, ad quam audiendam sponsa est excitata, unde ו ante שִׁכְחִי sit explicantis (ut saepe alias, e. c. Hos. 1, 2. Amos. 1, 2. Job. 19, 25.), et verba וְשִׁכְחִי עַמֵּךְ וּבֵית אָבִיךְ ita sint vertenda: *nempe obliviscere populi tui et domus patris tui.* Chaldaeus: *obliviscere opera mala impiorum populi tui, et domum idolorum, quae coluisti in domo patris tui.* Abrahami, Hebraeorum progenitoris, domum coluisse idola, dicitur Jos. 24, 1. Quare et Jarchi recte explicavit: *obliviscere cultus idolorum, quae coluerunt patres tui in* terris *trans fluvium*, Euphratem.

12. וְיִתְאַו הַמֶּלֶךְ יָפְיֵךְ *Tum*, s. *sic enim adpetet rex pulchritudinem tuam*, tum diliget rex te et expetet prae omnibus. כִּי־הוּא אֲדֹנַיִךְ *Ipse enim est dominus tuus*, maritus tuus; ita Sara Gen. 18, 12. dicit: אֲדֹנִי זָקֵן, *dominus meus est senex.* Tribuitur autem hoc nomen hic et alias saepe in plurali uni tantummodo personae, honoris causa, ut cum Gen. 24, 9. Abrahami servus manum suam sub femore אֲדֹנָיו *domini sui* posuisse dicitur. Vid. etiam Gen. 42, 30. et cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 663. וְהִשְׁתַּחֲוִי־לוֹ *Tu vero eum adora*, dignus est regius tuus maritus, quem cum gestu reverentiae colas, cui affectu pio obedias.

13. Regis gloria ita in reginam redundabit, ut opulentissimae gentes oblatis muneribus ejus gratiam sibi conciliare studeant. וּבַת־צֹר בְּמִנְחָה פָּנֶיךָ יְחַלּוּ *Et filia Tyri cum munere faciem tuam deprecabuntur. Filiam Tyri* collective filios, seu filiorum coctum significare, uti solent Hebraei integros coetus, urbes, res publicas *filiarum* nomine appellare (cf. ad Vs. 10.), arguit illud, quod praedicatum, פָּנֶיךָ יְחַלּוּ, in Plurali est additum; unde Chaldaeus: *et incolae urbis Tyri.* Ceterum postrema Versus verba docent, *filiam Tyri* hic per synecdochen pro nationibus quibusvis opulentis esse positam, quod Tyrus ditissimum olim terrarum orbis emporium esset. Quod et Versus 10. initium arguit; nam quod illic de *filiabus regum* in genere dixerat, id h. l. per *filiam Tyri* nominatim exprimit. Innuitur ergo, et ipsas nationes ditissimas populo Hebraeo accessuras, et quidquid habeant opum ei simul illaturas, ut sacrum Jovae evadat, cf. Jes. 23, 18. coll. 2. 3. 9. 60, 6. sqq. Ez. 27, 2. sqq. Ps. 87, 4. — בְּמִנְחָה Allato secum *munere*, ut soliti sunt et solent hodienum Orientales, si quem illustri dignitate conspicuum adire cupiunt, muneribus accessum sibi faciliorem reddere, propitiosque sibi conciliare animos; cf. not. ad Gen. 33, 8. et vid. 1 Reg. 10, 24. 25. 2 Reg. 8, 8. פָּנֶיךָ יְחַלּוּ *Faciem tuam demulcebunt*, s. *emollient.* Haec phrasis, et 2 Chr. 33, 12. 1 Sam. 13, 12. Prov. 19, 6. obvia, denotat, precibus eo usque instare, ut alter negare quod petitur durumque se exhibere haud amplius sustineat. Neque solum Tyrii, verum et עֲשִׁירֵי עָם *divites populi*, i. e. ditissimi quique hominum sc. gratiam tuam et favorem muneribus sibi conciliare studebunt. עשירי עם Superlativum exprimit, cf. ad Ps. 22, 13. coll. et Jes. 19, 11.

14. Depingit reginam, in interiore regia semper assidentem regi proximam, aureis vestibus ornatam, et intus in ejus cubiculo, quod aliis non licebat, nisi certis temporibus, adire, perpetuo versantem. כָּל־כְּבוּדָה בַת־מֶלֶךְ פְּנִימָה *Tota magnifica* (propr. *totus splendor* est, quemadmodum 39, 6. *tota vanitas*, i. e. prorsus vanus est *omnis homo*) *filia regis intrinsecus*, in interiore regia regio sanguine nata regina, gratia, honore, et comtu omni, eminet. Quae Vs. 10. *conjux*, eadem hic *filia regis* dicitur, quasi ad summam regii ortus dignitatem evecta. Adverbium פְּנִימָה *intus*, omnibus, quibus occurrit, locis de interioribus aedium partibus usurpatum reperitur (vid. 1 Reg. 6, 18. 19. 27. 36. 1 Chr. 28, 11. Lev. 10, 18.), hic vero de *interiore regia* dici, res ipsa docet. מִמִּשְׁבְּצוֹת זָהָב לְבוּשָׁהּ *Ex ocellatis auri vestimentum ejus*, habet vestem auro intertextam. De nomine מִשְׁבְּצוֹת *ocellata*, *tesselata*, Ex. 28, 11. 13. 14. 25., vid. Braun *de Vestitu Sacerdot. Hebr.* L. I. c. 17. §. 261. sq. et N. G. Schroederus *de vestitu mulier. Hebraear.* p. 22.

15. Pompam reginae, splendidissimc ornatae, ccterarumque gynaecei virginum ad regem ingredientium describit. לְרִקְמוֹת תּוּבַל

לַמֶּלֶךְ *Vestibus acu pictis adducitur regi.* רִקְמוֹת sunt *vestes phrygionicae*, sive *acu pictae.* Praefixum ל ante nomen illud h. l. modum statumve indicat, nominique adverbialem tribuit significationem, ut crebro, veluti לָבֶטַח *secure*, לָבַד *seorsim* (Ps. 4, 9.), לָצֶדֶק *juste*, לְמִשְׁפָּט *aeque.* J. D. Michaelis in *Supplemm. ad Lexx.* p. 2265. רִקְמוֹת h. l. sunt *aulaea acu picta*, *post quae thalamus conjugalis.* Respiciunt haec ad ritum, illarum regionum populis etiamnum solennem, sponsam, post finitas nuptias, adhibita musica et pompa, sponso adducendi, vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 272. et P. V. p. 99. בְּתוּלוֹת וגו׳ *Virgines post eam, sociae ejus, adducuntur tibi.* Quod additur ut appareat, *virgines* illas reginam comitantes, non meras fore reginae pedissequas, sed compares, ejusdem dignitatis participes, sponsoque non minus, quam regina, nuptiis jungendas.

16. *Adducuntur cum gaudiis et exultatione, introducuntur in palatium regis.* Plenius declarare voluit, quod sub ejus, qui proxime praecesserat, commatis finem dixerat (מוּבָאוֹת לָךְ); non coacte, non animo subtristi, sed laetae et tripudiantes splendidissimum tanti regis palatium ingrediuntur.

17. Acclamationem subjungit, fausta precantem. תַּחַת אֲבֹתֶיךָ יִהְיוּ בָנֶיךָ *Patrum tuorum loco sint filii tui!* Filii tibi nascantur tales, qui patres virtute, dignitate et gloria referant, regnumque perpetua generationum serie perducant. תְּשִׁיתֵמוֹ לְשָׂרִים בְּכָל־הָאָרֶץ *Constituas illos principes in omni terra!* regni tui regionibus diversis illos praeficias, qui provincias, qui populos moderentur et regant.

18. אַזְכִּירָה שִׁמְךָ בְּכָל־דֹּר וָדֹר *Celebrabo nomen tuum perpetuo.* De דֹּר vid. 10, 6. 22, 31. coll. 61, 7. — עַל־כֵּן וגו׳ *Propterea laudabunt te populi in sempiternum.* Quia ego tuas laudes canam, ideo populi, meis laudibus excitati, celebrabunt te perpetuo.

Ps. 46.

In maximis periculis et molitionibus bellicis ab exteris gentibus, incolumis servabitur Hierosolymorum urbs, et terra Israelitica pacata manebit, propterea quod Deus illi urbi praesidio est, idcoque etiam si omnia terribili motu concutiantur, nihil erit sub tanto praeside timendum. Operam tamen ludere nobis videntur, qui quaerunt, ad quaenam hic Psalmus respiciat pericula, inter quae incolumis servata fuerit urbs Hierosolymitana aut terra Israelitica, quum generalis sit contestatio piorum, quae sit, et in quo posita spes et fiducia ipsorum, Deo nimirum, quo solo nitantur, et quem solum protectorem habeant adversus omnia pericula. Praesertim vero vatis animo obversatos crediderim ingentes illos tumultus, quos aetate quadam futura a gentibus quibusdam barbaris et ferocibus concitatum iri, seriorum certe Hebraeorum opinio fuit, uti

docent Ezechielis Capita 38. et 39., atque ad ea, quae illic describuntur, magna bella hunc Psalmum et Aben-Esra et Kimchi referunt. In mediis igitur illis gravissimis adversitatibus rem Hebraeam sartam tectam, Deo protectore, servatum iri hic Psalmus promittit.

1. עֲלָמוֹת musicum fuisse instrumentum, quod nabliis conjungi soleret, verisimile fit ex 1 Chr. 15, 20., quale vero, hodie nemo dixerit. GUSSETIUS in *Commentar. L. H.* sub rad. עלם lit. H. nomine עֲלָמוֹת *vocem claram et acutam, quasi virginum*, indicari colligit inde, quod 1 Chr. 15, 21. illi opponitur שְׁמִינִית *octava*, eoque *cantoris* מְנַצֵּחַ *continuo canentis* in symphonia. At talis, inquit, musicae pars est gravis soni, ergo, opposita illa עֲלָמוֹת est acuta. Ad quam sententiam et pronus est GESENIUS in *Lexico hebr. teuton.* p. 631. edit. tert.

2. אֱלֹהִים לָנוּ מַחֲסֶה *Deus nobis perfugium*, non ad arma et homines confugimus. וְעֹז *Roburque*, h. e. causa roboris (vid. ad 18, 2. 22, 10. 20. 27, 1.). Posses et per ἐν διὰ δυοῖν reddere hunc in modum: *perfugium validum.* Convenientius tamen videtur, discriminatim haec accipere, ut *refugium* ad defensionem, *robur* vero ad impetendum pertineat. עֶזְרָה בְצָרוֹת נִמְצָא מְאֹד *Auxilium in angustiis repertum est valde*, h. e. validissimum adjutorem illum experti sumus, maximis viribus nos defendit. Particulam מְאֹד Adjectivi instar hic usurpari, res ipsa docet. Hinc Hieronymus vertit: *auxilium in tribulationibus inventus es validum.* Alexandrinus post בצרות subaudiendum אשר existimavit, נמצא vero per enallagen et generis et numeri pro נִמְצָאוֹת (Gen. 19, 15.) subaudito לָנוּ accepit, unde talis prodiit interpretatio: ἐν θλίψεσι ταῖς εὑρούσαις ἡμᾶς σφόδρα, quae verba Vulgatus ita reddidit: *in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.* Lutherus: *eine Hülfe in den grossen Nöthen, die uns troffen haben.* Nostrum נִמְצָא verti etiam posset: *inventu facillimus;* ad verbum: *invenibilis valde*, quomodo et Participia Passivi alia plura sunt accipienda instar Adjectivorum in *bilis*, ut Prov. 20, 20. *thesaurus* נֶחְמָד *desideratus*, h. e. desiderabilis; sic מְהֻלָּל *laudabilis* Ps. 18, 4., נִפְלָאָה *mirabile* 40, 6., nec non נִבְזֶה *contemtibilis*, נִבְאָס *abominabilis.*

3. עַל־כֵּן לֹא־נִירָא *Propterea non timebimus*, nil est, quod pertimescere debeamus, בְּהָמִיר אֶרֶץ *in mutando terram*, etiamsi perturbatione maxima confundatur orbis, adeo, ut pro terra aquae subeant, et ubi aquae fuerant et maria, eo terra transferatur, et sedes suas clementa permutent. Quale illud Horat. Od. 3, 3. *si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae.* Verb. מור, in Hiphil tantummodo usitatum, significat, alicujus rei statum *immutare*, unum cum altero *permutare*, ut cum populus Deum suum cum alienis Diis permutat, Jer. 2, 11. Ps. 106, 20.; sic Hos. 4, 7. *gloriam ipsorum cum ignominia* אָמִיר *permutabo.* Cf.

Lev. 27, 10. 33. Mich. 2, 4. Ps. 15, 4. Ez. 48, 14. Hoc loco, ubi nullius fit mentio agentis, verbum infinitum impersonaliter est interpretandum: *in mutari*, seu, *quando mutatur terra*. Vid. ad 42, 4. Eodem modo explicandum est, quod subjungit noster: וּבְמוֹט הָרִים בְּלֵב יַמִּים *Et in movendo se*, i. e. si moveantur *montes in corde maris*, etiamsi moverentur, horrendis terrae motibus, montes medio in mari siti, inque ejus imo fundati. *In corde*, pro simplici *in*, ut Deut. 4, 11. 2 Sam. 18, 24., et de ipso quoque mari, ut h. l., Ex. 15, 8. Ez. 27, 4. 25. 27. Jon. 2, 4. Prov. 23, 34. Nomen pluralc יַמִּים, *maria*, de *mari magno*, seu *oceano*, est intelligendum, ut et alia plura nomina pluralia usurpari solent de *una* rc, quae, in suo genere, magna est et excellens.

4. יֶהֱמוּ יֶחְמְרוּ מֵימָיו *Fremant exaestuentque aquae ejus*, sc. maris, יַמִּים (Vs. 3.), ad quod nomen, quamvis sit plurale, tamen est referendum affixum singularis in מֵימָיו, quemadmodum saepius nomina pluralia, significationem numeri singularis habentia, ut pluralia construi solent, veluti הַתַּנִּים הַגָּדוֹל *ille draco magnus* Ez. 29, 3., nec non Jes. 19, 4. *tradam Aegyptum in manum* אֲדֹנִים קָשֶׁה *domini duri*. Plura vid. in Gesenii *Lehrgeb.* p. 704. Verbum חָמַר convenit cum Arab. حمر (per *Cha*) *fermentavit*, unde h. l. de oceano usurpatum *aestuandi* notione sumendum esse apparet. Illud quod Ps. 75, 9. occurrit, חָמַר, ad Arab. حمر (per *Hha*) *rubuit*, pertinere, suo loco videbimus. יִרְעֲשׁוּ־הָרִים בְּגַאֲוָתוֹ *Etiamsi contremiscant montes prae elatione ejus*, sc. maris, quod cum fluctus attollit, quodammodo superbire videtur. Ceterum haec omnia figurate dicta esse, de civitatum perturbationibus, quae et Ps. 60, 4. ingentibus terrae motibus conferuntur, apparet e Vs. 7., ubi haec sine translatione dicuntur.

5. Ingentibus illis rerumpublicarum subversionibus, quas concitati maris aestibus comparaverat, jam opponit Hierosolymorum tranquillam laetamque, Deo praeside, securitatem, quam rivis confert leniter fluentibus, hortosque et agros pari amoenitate ac utilitate irrigantibus. נָהָר פְּלָגָיו יְשַׂמְּחוּ עִיר־אֱלֹהִים *Flumen et rivi ejus, recreant civitatem Dei*. Ante פְּלָגָיו subaud. copula *Vav*, ut Jes. 63, 11. Hab. 3, 11. Nah. 2, 11. Vel, quod eodem recidit, Nominativus נָהָר absolute positus, vim habet membri integri: *fluvium* quod attinet, *rivuli ejus* etc. Simili imagine utitur Jesajas 66, 12., dum Jovam de Hierosolymis ita loquentem inducit: *En! ego extensurus sum in eam quasi pacis flumen. Civitas Dei* Hierosolymorum urbs appellatur ob Deum in ea habitantem, responsa cultoribus reddentem, et sacrificia accipientem, vid. et Ps. 48, 9. 87, 3. 101, 8. Jes. 45, 13. 60, 14. Eandem urbem appellat קְדֹשׁ מִשְׁכְּנֵי עֶלְיוֹן *sacrarium habitaculorum Excelsi*, ex omnibus enim locis terrae Israeliticae, quae omnia Dei habitacula erant, selecta Hierosolymorum urbs fuit, ut in ea primarius colendi Dei locus esset.

6. אֱלֹהִים בְּקִרְבָּהּ בַּל־תִּמּוֹט *Deus in medio ejus ne moveatur*, non longe est ab ea, ut ejus auxilio destituta sit, sed in ea, ibi statuto sibi tabernaculo, habitat, ut ejus pericula opportune depellat. יַעְזְרֶהָ אֱלֹהִים לִפְנוֹת בֹּקֶר *Adjuvat eam Deus appetente mane* (propr. *in respiciendo* s. *respiciente mane*, h. e. summo mane), i. e. mature, cito, statim, non tardat illi subvenire, ut Jes. 33, 2. *Jova, miserere nostri, sperantium te, quorum tu brachium esto* לַבְּקָרִים *mature, et adverso tempore salus.* Exod. 14, 27. *rediit mare* לִפְנוֹת בֹּקֶר *respiciente mane*, i. e. exorientibus et veluti prospicientibus in mundum jam radiis solis; nec non Jud. 19, 26. *venit mulier* לִפְנוֹת הַבֹּקֶר *sub adventum aurorae.* Ut contra לִפְנוֹת־עֶרֶב *dum adverteret se vespera*, vespera adventante, Gen. 24, 63. Deut. 23, 12.

7. Nunc quaenam aestuatio maris sit (Vs. 3. 4.), aperit: הָמוּ גוֹיִם *Fremunt gentes*, tumultuantur, tanto impetu et strepitu, ut concitati maris. Vide eandem populorum convenientium, sub aquarum figura, descriptionem Jes. 8, 7. 17, 12. 13. Jer. 44, 2. 47, 2. Ez. 32, 2. 13. — מָטוּ מַמְלָכוֹת *Moventur regna*, commoventur et nutant regna e sua firmitate concussa. Utitur verbo מוּט *moveri*, quod Vs. 3. de montibus adhibucrat, adeoque per *montes* regna se intellexisse ostendit, quod et alias deprehenditur, veluti Jer. 51, 25., ubi mons exustus vocatur regnum Babylonicum; cf. Jes. 2, 12. Ps. 76, 5. — נָתַן בְּקוֹלוֹ תָּמוּג אָרֶץ *Edit voce sua* sc. fremitum Deus, quamprimum modo intonuit, *statim liquefacta est terra*, tanquam calore irae divinae et fulminum jactu dissoluta atque consumta, quod apparet de terrore ac pavore hostium intelligendum esse, nam qui forti animo sunt, ii duri et solidi videntur, at ubi illa animi soliditas ac fortitudo pavore concutitur, tum dissolvi et tabefieri videntur; ita hoc ipsum verbum מוּג de hostibus terrore perculsis usurpatur Jes. 64, 7. Phrasis נָתַן בְּקוֹלוֹ elliptica est, et subaud. vel רַעַם *tonitru* s. *fremitum*, coll. 1 Sam. 7, 10. Ps. 18, 14. 29, 3., vel קוֹל עֹז *vocem roboris*, i. e. fortissimam, ex Ps. 68, 34., tanquam classicum. Alii vertunt: *dedit voce sua, ut liquefieret terra.* Per *tonitru* vero increpationem Dei, vel irae suae signa intelligi, constat ex Jes. 29, 6., ubi strages exercitus Assyriaci hac tonitru pictura sistitur: *punietur a Jova tonitru, et commotione ac voce magna.* Sic 1 Sam. 2, 10. *a Domino conterrentur hostes ejus, de coelis tonabit super eos.* Cf. Ps. 18, 18.

8. Nos vero medios inter bellicos tumultus incolumes servabimur, etenim יְהוָה צְבָאוֹת עִמָּנוּ *Jova, exercituum Deus, nobiscum*, favet nobis, nos adjuvat. Post יְהוָה subaud. אֱלֹהֵי, vid. ad 24, 10. מִשְׂגָּב לָנוּ אֱלֹהֵי יַעֲקֹב *Arx nobis sublimis Deus Jacobi*, perfugium, quo non tuti modo, sed et superiores hostibus evadimus. Nomen משגב a שָׂגַב *superior fuit, eminuit*, notat arcem montanam, vel aliud aliquod praesidium, in loco editiore situm, vide Jes. 33, 16. *munitiones rupium asylum ejus.*

9. יְהוָה — לְכוּ *Agite* (vid. ad 34, 12.), *facinora Jovae contemplamini!* Ita homines admirabundi nunc sibi invicem acclamabunt. אֲשֶׁר־שָׂם שַׁמּוֹת בָּאָרֶץ *Qui posuit solitudines in terra*, qui efficit urbium, incolarum, agrorum omniumque in regione aliqua excultorum vastitatem, ut cuncta jaceant diruta atque deserta, quomodo nomen שַׁמָּה usurpatur Jes. 5, 9. 13, 9. 24, 12. Jer. 5, 30. Deut. 28, 37.

10. הָאָרֶץ — מַשְׁבִּית *Abolet bella ad fines usque hujus terrae*, eam enim peculiariter significari intelligitur ex ה demonstrativo. Deus, inquit, e terra nostra bellicos tumultus amovit. קֶשֶׁת יְשַׁבֵּר *Arcum confringit* sc. hostilem, arma adversariorum reddit inepta atque infausta, ut congredi amplius nobiscum non audeant; quod ipsum magis exprimit: וְקֵצַץ וגו׳ *Et amputat*, detruncat, *lanceam*, *igne comburit currus* bellicos (vid. ad 20, 8.). בָּאֵשׁ pleonastice additum, qualem loquendi modum observavimus Ps. 44, 2.

11. Deum ipsum inducit quoslibet hortari: הַרְפּוּ *Remittite*, sc. conatus vestros contra populum meum, desistite oppugnare, quos ego propugno; וְדָעוּ כִּי אָנֹכִי אֱלֹהִים *et agnoscite*, *quod ego Deus*, ex ingentibus illis prodigiis agnoscite tandem, me esse virtute excelsa et invicta, אָרוּם בַּגּוֹיִם אָרוּם בָּאָרֶץ *excelsus sum in gentibus* quibusvis, *excelsus in* omni *terra*.

12. Concludit Psalmum acclamatione laeta, et exultante de divino praesidio, repetitis Versus 8. verbis.

Ps. 47.

Jovam ut regem, non Israelitarum modo, sed omnium universi terrarum orbis populorum, celebrat, et ut talem faustis acclamationibus hortatur excipere. — Carmen hoc per se satis clarum est, ut non sit necesse, de tempore, quo factum sit, aut ejus occasione disquirere.

2. כָּל־הָעַמִּים תִּקְעוּ־כָף *Omnes gentes*, *plaudite manibus!* manifesta gaudii summi date signa. Sic in hoc carmine loquitur, sic laetis vocibus adclamat, tanquam si regi jam creato fausta et felicia optet. Sic 2 Reg. 11, 12. *plaudebant manibus*, *et vociferati sunt: vivat rex!* הָרִיעוּ לֵאלֹהִים בְּקוֹל רִנָּה *Jubilate Deo voce jubili*, voce exultabunda et jubilante. Praeconium hoc laetitiae vero eo pertinet, ut laetentur gentes exterae omnes, quod populo Hebraeo adsociandae eundem, quo ille gloriatur, regem, Jovam, recipiant; cf. Vs. 9. 10.

3. כִּי יְהוָה עֶלְיוֹן נוֹרָא *Quoniam Jova excelsus*, potentiae majestate et principatus excellentia omnia superat, *terribilis*, maxime venerandus, omni veneratione ac submissionis cultu dignissimus. מֶלֶךְ וגו׳ *Rex magnus super universam terram.*

4. *Ducit*, agit, *populos subter nos*, ut nobis subsint, nostro imperio parcant, *et nationes subter pedes nostros*, sub pedibus

nostris prosternit. Regnum suum Jova amplificat ita, ut gentes exterae non, nisi nobis se adjungant, in communitatem regni divini hujus pervenire possint, ejusque felicitatis participes fieri. De דָּבַר vid. 18, 48.

5. יִבְחַר־לָנוּ אֶת־נַחֲלָתֵנוּ *Elegit nobis hereditatem nostram*, ipsemet Deus instar patris prospexit nobis de solo hereditario, e cunctis terris quasi selegit et separavit nobis regionem commodam, qua nos tanquam fundo hereditario donavit, atque ita distinxit a reliquis populis. אֶת גְּאוֹן יַעֲקֹב אֲשֶׁר אָהֵב *Decorem Jacobi, quem diligit*, ornamentum populi Israelitici, de quo gloriari ei licet, nempe templum illud magnificentissimum in ea terra exstructum, quod et Ez. 24, 21. Deus vocat: מִקְדָּשִׁי גְּאוֹן עֻזְּכֶם *fanum meum, superbiam roboris vestri.* Alii *gloriae Jacobitarum* nomine h. l. terram eorum existimant indigetari, propter praestantiam et fertilitatem suam, quomodo exponi posset Amos. 6, 8. *abominor* אֶת־גְּאוֹן יַעֲקֹב *excellentiam Jacobi, et palatia ejus odi.* Rationem vero, cur Deus Jacobitis tradiderit hereditatem adeo pretiosam et excellentem, indicat verbis אֲשֶׁר אָהֵב, *quem* sc. Jacobum, *diligit.* Alii pron. relat. referunt ad terram Jacobitarum, a Deo dilectam, quia locis omnibus locum illum praetulit, quem inhabitatione sua ornaret, qua ratione Ps. 87, 2. dicitur Deus *diligere portas Sionis*, et 1 Reg. 11, 32. *elegisse civitatem suam.*

6. *Ascendit Deus cum jubilo, et dominus cum sonitu buccinarum.* Sistitur Deus ut heros magnanimus, qui ad debellandos hostes inter lactas suorum vociferationes in proelium egreditur, vel ut victor triumphum de hostibus agens e bello redit.

7. *Canite Deo nostro, canite! Canite regi nostro, canite!* Gentes omnes prius ad plausum cohortatus est (Vs. 2.); nunc ut hymnis tanti regis laudes celebrent illas invitat. Ante אֱלֹהִים subaud. praefixum לְ ex hemistichio altero, ut Gen. 41, 12. *interpretatus est* לָנוּ *nobis somnia nostra*, אִישׁ (pro לְאִישׁ) *unicuique secundum somnium suum;* nec non Deut. 33, 4. *Moses praecepit* לָנוּ *nobis legem*, קְהִלַּת יַעֲקֹב *congregationi Jacobi hereditatem.*

8. Quid canendum, quid praedicandum sit, tanquam formulam exponit: canite, inquit, *quod rex omnis terrae Deus*, non uni modo genti, sed omnibus totius orbis terrarum gentibus imperat. זַמְּרוּ מַשְׂכִּיל *Canite carmen*, sive collective, *carmina* (vid. Prolegg. p. 20.). Alexandrinus vertit *συνετῶς*, et Vulgatus *sapienter*, h. e. intelligenter, relatum ad artem componendi carmina, quae magno in pretio tum habebatur. Nullum aliud tamen exemplum exstat participii activi, quod adverbii valorem sortiretur.

9. מָלַךְ אֱלֹהִים עַל־גּוֹיִם *Regnat Deus super gentes!* Voces sunt fausta acclamantium regi creato, ut 2 Sam. 15, 10. *statim ut audieritis clangorem buccinae, dicite: regnat Absalom in Hebron.* H. l. autem haec formula de Deo usurpatur, non quod

rex constitutus sit, sed quod agnitus, admirabiliumque rerum gestarum perspicuitate declaratus. Deinde, quod regis est proprium, ut insidens throno judicia exerceat, idem de Deo canit: *Deus sedet in throno suo sancto*, quo *coelum* significari, patet ex Ps. 103, 19. *Deus in coelis paravit solium suum: et regno ejus cuncta subjiciuntur.* Non uni provinciae partique terrarum imperat, ut falsi dii alii aliis terris praeesse putantur, sed sedet in coelo, quod quum sit omnibus terris excelsius, sequitur, ut is, qui in coelo, tanquam in throno, sedet, omnibus dominetur, omnium sit judex, omnia pro suo arbitrio moderetur.

10. Quia Regem appellaverat Deum, regem vero creare non licebat, nisi principibus populi accitis, et ad comitia advocatis, illisque summo consensu rem approbantibus, vid. 2 Sam. 5, 1. 3., cf. Deut. 33, 5.; ad hanc consuetudinem respiciens, ait, vere Regem esse Deum omnium populorum, non solum quia natura Deus est, verum etiam consensione principum regni sui, hoc est, universi terrarum orbis: *Principes populorum adjungunt se populo Dei Abrahami*, subjectos sibi populos secum ducentes populo Israelitico sese aggregant, et Jovam communem regem agnoscunt. Ante nomen עַם subaud. praepositio אֶל, aut לְ, ut Jer. 26, 10. Ps. 5, 8. (ex 2 Sam. 11, 11.) Hos. 2, 10. Alexandrinus pro עַם legit עִם, quem Vulgatus sequutus, reddidit: *congregati sunt cum Deo Abraham.* Peculiariter hic Deus cognominatur ab *Abrahamo*, quia is relicto avito falsorum Deorum errore illum verum Deum adoravit et coluit, et posteris colendum tradidit. Causam addit, cur populorum principes Israelitico populo sese aggregent: כִּי לֵאלֹהִים מָגִנֵּי־אָרֶץ *Nam Dei sunt clypei terrae*, Deus regum et principum supremus est dominus, cui omnes obsequium debent praestare. Praefixum לְ dominium h. l. indicat, ut Deut. 1, 17. לֵאלֹהִים *Dei est judicium*, nec non Gen. 40, 8. 2 Paral. 20, 15. Quos vero hemistichio priori נְדִיבֵי עַמִּים *principes populorum*, vocaverat, eosdem nunc מָגִנֵּי־אָרֶץ *scuta terrae*, appellat, sicut Deus subinde hoc nomine appellatur (vid. Ps. 7, 11. 18, 3. 28, 7. 33, 20. Deut. 33, 29.), propterea quod defendit suos et mala avertit, uti scutis avertuntur jacula, et servantur, quos illa tegunt. Hos. 4, 18. autem, ut hic, populi Israelitici principes dicuntur *clypei ejus*, eorum enim est, populum tueri, et nocitura avertere. מְאֹד נַעֲלָה *Exaltatus est plurimum* se. עֲלֵיהֶם *super eos* Jova, cujus genti sese adsociant. Vid. 97, 9.

Ps. 48.

Celebrat hic Psalmus liberationis singularis beneficium, quae divinitus Hierosolymis contigerit, cum ab hostibus imminentibus peteretur, commendat etiam speciem et munitionem urbis, atque spem facit fore, ut et in posterum ejus protector, Jova, eam conservet. Pertinere autem hocce carmen ad bellum illud, quod

Josaphato reges complures juncti inferrent, in quo tamen rex pius et urbs essent conservati, interpretes plerique statuunt, et favent huic sententiae Versus 5. 6. 7. Historia legitur 2 Chr. 20.

2. *Magnus est Jova et laudatus plurimum, in civitate Dei nostri, monte sancto ejus.* De *urbe Dei* vid. 46, 5. *Mons* Deo *sacer* est Sion, Vs. 3. Quamvis templum in monte *Moria* exstructum esset, *Sion* tamen celebrari solet sedes et habitatio Dei, quod Moria conjunctus Sioni, licet valle quadam ab ejusdem altissimo divideretur jugo, pars Sionis haberetur.

3. יְפֵה נוֹף *Pulcher elatione*, qua sese effert, i. e. amoenissime sese effert (mons Sion). Sic Ps. 24, 4. *purus manibus*, Gen. 39, 6. *pulcher forma*, 1 Sam. 16, 12. *pulcher oculis*, Jer. 11, 16. olea *pulchra fructibus*, Ez. 31, 3. cedrus *pulchra ramis*. Hierosolymitana urbs tunc, quum maxime fuit extensa, quatuor montibus incumbebat, Sioni, Acrae, Moriae et Bezethae, qui tamen rectius totidem unius montis cacumina dicuntur, ex quibus maxime Sion eminebat. מְשׂוֹשׂ כָּל־הָאָרֶץ הַר־צִיּוֹן *Gaudium totius terrae mons Sion*, decus deliciaeque universae terrae Israeliticae, propterea quod sedes regia esset, nec non locus divini cultus. Huic loco plane similis est Thr. 2, 15. *haeccine est urbs* (Hierosolyma), *de qua dixerunt: absolute pulchra, gaudium universae terrae?* יַרְכְּתֵי צָפוֹן קִרְיַת מֶלֶךְ רָב *Latera Septentrionis* scil. Sionis, *civitas magni regis*, boreali montis hujus latere Hierosolymorum urbs est sita, quae regem supremum ipsum agnoscit Jovam (Ps. 47, 7.), ut qui eandem tanto dignatus est honore prae cunctis civitatibus aliis, ut nusquam voluerit suscipere sacrificia, vel festa annua agitari, quam hic loci. Sionis latus boreale sustinebat *urbem superiorem*, *τὴν ἄνω πόλιν*, quae ipsa praecipua et potior illius pars fuit. Cf. librum nostr. *Bibl. Alterthumskunde* (s. *Bibl. Geographie*) Vol. II. P. II. p. 207.

4. אֱלֹהִים בַּאַרְמְנוֹתֶיהָ נוֹדַע לְמִשְׂגָּב *Deus in palatiis ejus* (קִרְיַת *civitatis*, Vs. 3.) *agnitus pro asylo*, auxilio Dei, splendidissime huic urbi lato, ejus civibus manifestum factum est, Jovam esse suorum perfugium et vindicem. De nomine מִשְׂגָּב vid. ad Ps. 46, 8.

5. Quam splendide et magnifice hoc auxilii Deus tulerit, nunc canit: *Nam ecce reges convenerant*, urbem expugnaturi, *transierunt una*, urbe intacta, expugnare eam non valentes. Quod accidit regnante Josaphato, contra quem Moabitarum, Idumaeorum et Syrorum reges foedere juncti innumeras copias duxerunt, quae tamen cunctae ab Israelitis caesae fusaeque sunt. Vid. 2 Chr. 20, 1. 2. 23. 24. 25.

6. חָמָה רָאוּ *Quando illi viderunt*, experti sunt, sc. Deum esse praesidium incolarum illius urbis (Vs. 4.). Ante חָמָה subaudiendam esse particulam כַּאֲשֶׁר, *quum*, *quando* (Ex. 17, 11. Jud. 11, 5. Jes. 51, 13.), docet *ἀπόδοσις*, אָז תָּמַהּ, *tunc obstupuerunt*,

attoniti ad inopinatam vim numinis. כֵּן h. l. *tunc*, *tum* vertendum, ut Ps. 63, 5. Esth. 2, 12. נִבְהֲלוּ נֶחְפָּזוּ *Conturbati*, perterriti, *sunt*, *in praecipitem fugam acti sunt*, ad fugiendum impulsi, supra quam vires sufficerent. Verbum חָפַז (de quo vid. 31, 23.) in Niphal praeter h. l. bis reperitur, videlicet 104, 7. de aquis (נֶחְפָּזוּן), et 1 Sam. 33, 27., ubi narratur, quemadmodum Davides conaretur fugere, jam ab exercitu Saulis circumdatus, dicitur fuisse נֶחְפָּז לָלֶכֶת, i. e. metu agitatus et quasi praecipitatus, ut fugeret, nimirum metu et consternatione celeriorem fugam imperante, quam pro facultate corporis. Observanda nostro loco gradatio in verbis חָמַם, נִבְהַל et חָפַז.

7. רְעָדָה — כַּיּוֹלֵדָה *Tremor apprehendit illos istic, dolor, qualis corripit parturientem.* Ejusmodi dolor enim, ubi mulierem corripuerit, ibi detinet, sic et illis intelligit hic vates facultatem fugiendi fuisse ademptam, quamlibet metu ad fugiendum impellerentur. Quod optime quadrat in victoriam illam, quam Josaphat de regibus foederatis retulit. Eo siquidem metu perculsum illorum exercitum, et terrore exagitatum fuisse historicus (2 Chr. 20, 23.) memorat, ut se ipsos trucidarint, et Josaphat cum populo tantummodo spolia legerint, quae tam multa quoque fuere, ut tres dies insumserint ea colligendo et dividendo. Ceterum חִיל כַּיּוֹלֵדָה dictum est pro כְּחִיל הַיּוֹלֵדָה, ut fere Jesajas habet 31, 3. צִירִים אֲחָזוּנִי כְּצִירֵי יוֹלֵדָה *cruciatus me corripiunt, quales sunt cruciatus parturientium.*

8. *Vento subsolano, qui confringit naves Tartessicas*, terrore incredibili perculsi fuerunt atque dejecti, ac si Euro, qui confringere solet naves maximas, fuissent agitati et prostrati. Ad hujus Vs. initium repetendum est ex Vs. 7. nomen כְּחִיל, ante תְּשַׁבֵּר vero אֲשֶׁר subaudiendum. Aliis תְּשַׁבֵּר est pers. 2. Fut., quam ad Deum referunt: *vento orientali frangis naves Tartessicas.* Imperfectam, vel, si mavis, implicitam similitudinem existimant, cujus nonnisi unum membrum verbis expressum, alterum supplendum sit, ut plena oratio haec existat: *maximos reges profligasti, prouti vento naves Tartessicas confringis.* Sed vix credibile est, Deum hic compellari, quum Versu demum 10. nomen אֱלֹהִים vocandi casu positum, antecedens autem oratio universa ad Deum directa non sit. *Euro* summam in V. T. vehementiam tribui notum est, et naves ventum illum confringere, innuitur quoque Ez. 27, 26. Eadem fere, qua noster, similitudine usus est et Jeremias 18, 17. Ceterum de vento קָדִים dignus est qui legatur BOCHARTUS *Hieroz.* T. II. p. 662. edit. Lips. De תַּרְשִׁישׁ vid. Schol. ad Gen. 10, 4. *Naves* autem *Tartessi* dici naves magnas, longis navigationibus et tempestatibus sufferendis reliquis aptiores, observavimus ad Jes. 2, 16., ubi itidem hujusmodi navium facta est mentio.

9. כַּאֲשֶׁר — אֲכַלְתִּינוּ *Quemadmodum audivimus, ita vidimus*, re ipsa experti sumus, *in civitate Jovae*, Dei *exercituum*, *in*

civitate Dei nostri. Bifariam accipi potest hic Versus, vel, quod vates in persona omnium Israelitarum sic dicat: Nos quidem a patribus accepimus, Deum saepe opem tulisse populo suo, sed jam sumus experti eandem Dei misericordiam in nobis juvandis. Vel: quemadmodum Deus pollicitus est se opem laturum populo suo, ita re ipsa praestitit. In periculo illo, quod Hierosolymitanae urbi a regibus confoederatis minaretur, prophetas in templo auxilium a Jova pollicitos esse, diserte traditur 2 Chr. 20, 14. sqq. Illud: *in civitate Dei*, ad duo referendum, in ea enim et audierant Deum auxiliaturum, et auxilium perceperant, dum Deus quod in ea regnum, quique cultus erat, adeo insigniter defendit. De יהוה צבאות vid. 24, 10. Auxilio illo laetam in spem erectus addit: יְכוֹנְנֶהָ עַד־עוֹלָם *Stabiliet eam* urbem *in sempiternum*, contra quoslibet insultus, aut hostiles impetus, subversionem huic urbi minitantes, defendet ipsam, ut numquam labatur. Nam verbum כון *firmus, stabilis fuit*, in Piel significat *stabilem* reddidit, et opponitur concussioni et labefactationi, ut constat ex Ps. 7, 10. 40, 3. Cf. et 38, 19.

10. *Meditamur, Jova, bonitatem tuam in templo tuo*, tanta tua beneficia publice in conventibus solennibus recolimus et hymnis praedicamus. Cf. quae 2 Chr. 20, 27. sqq. narrantur de solenni pompa, qua post victoriam praeclarissimam partam Josaphat, rex, et populus Hierosolyma fuere ingressi, deque ingenti studio praedicandi Dei, cum cantu omnique organorum genere, quo totus populus flagrabat.

11. כְּשִׁמְךָ — אֶרֶץ *Sicut nomen tuum, o Deus, ita laus tua usque ad terminos terrae*, quocunque nomen tuum pervenerit, simul conjunctum erit cum laude. Fama namque falsorum deorum per omnes mundi plagas volitabat sine re, sine vera laude, ubi autem celebratur Deus populi Israelitici, simul accedit effectus operum. Particula עַל posita pro אֶל *ad*, ut 2 Sam. 15, 4. 2 Reg. 25, 20. Neh. 6, 3. Laudis hujus summa est: צֶדֶק מָלְאָה יְמִינֶךָ *Justitia plena est dextera tua*, quicquid omnino geris, justum est; justitiam exercuisti tam erga hostes nostros iniquos, a quibus poenas exegisti, quam erga nos, tuos subditos, quibus victoriam concessisti.

12. *Laetatur mons Sion, exultant filiae Judae propter judicia tua*, tam benigna ipsis et salutaria. Sic namque judicat regitque omnia hic Rex, ut suis nihil non salutem promoveat et felicitatem augeat. הַר־צִיּוֹן *Sionius mons*, h. l. synecdochice pro urbe Hierosolymitana, illi adjacente, positus est; בְּנוֹת יְהוּדָה *filiae Judae* autem sunt pagi, oppida et urbes in regno Juda reliquae. Metropolis enim in V. T. solet *matris*, vicinae vero urbes et pagi *filiarum* nomine insigniri, ut constat ex Num. 21, 25. Jos. 17, 16.

13. Invitat vates urbium Judaeae incolas (de quibus Vs. 12.) ad considerandam circumquaque urbem illam primariam regni et

cultus Jovani sedem, moenia et palatia ejus, externam scilicet et internam magnificentiam, quod ea tanta sit, ut numquam sit ejus memoria intermoritura. סֹבּוּ צִיּוֹן וְהַקִּיפוּהָ *Circuite Sionem, et circuite eam*, ut facere solent, qui augustae civitatis splendorem contemplari ejusque ornamenta lustrare cupiunt. Eodem, quo hic, *circumeundi urbem*, significatu verba סָבַב et הַקִּיף junguntur quoque Jos. 6, 3. 11. סִפְרוּ מִגְדָּלֶיהָ *Numerate turres ejus*, quales urbibus solebant adjungi firmioris praesidii causa, ubi etiam expugnata jam urbe locus tamen adhuc erat eo recurrendi aut fugiendi, ut constat ex Jud. 8, 9. 9, 16. sq., confer etiam Neh. 3, 1. 25. 26. 27. Jer. 31, 38. 2 Chr. 14, 6. 26, 9. 10. 15.

14. שִׁיתוּ לִבְּכֶם לְחֵילָהּ *Ponite cor vestrum ad antemurale ejus* urbis, considerate civitatis hujus propugnacula. *Ponere cor ad rem aliquam* Hebraeis pro *diligenter illam considerare* solenne, vid. Jer. 31, 21. Prov. 22, 17. Nomen חֵיל ut pars munimenti urbium, a חוֹמָה, *muro*, distincta, occurrit 2 Sam. 20, 15. Jes. 26, 1. Nah. 3, 8. Thr. 2, 8. Kimchius ad Jes. 26. ex Talmudicis refert, interroganti, quid sit חוֹמָה וָחֵל? responsum: *murus et filius muri*, id est, murus parvus exterior, majorem interiorem ambiens, antemurale, propugnaculum. פַּסְּגוּ אַרְמְנוֹתֶיהָ *Dividite palatia ejus*, neque deambulatione vestra, i. e. obambulate inter palatia ejus, ut alia vobis sint ad dextram, alii ad sinistram, secando omnes palatiorum vias, quo omnia possitis commode intueri. פַּסֵּג est ex τῶν ἅπαξ λεγομένων. H. l. in Piel (פִּסֵּג) usurpatur. Chaldaeis significat *dividere*, *dissecare*. Quemadmodum vero verba סָבַב et הַקִּיף *cingere* urbem, pro *circumire eam* usurpari vidimus Vs. 13., ita *dividere palatia* pro *ambulare inter ea* dici potuit. Gesenius (in *Lex.*) suspicatur, propriam verbi hebraei פסג fuisse: *discernere, ad aliquid attendere.* לְמַעַן תְּסַפְּרוּ לְדוֹר אַחֲרוֹן *Ut enarretis generationi posterae*, i. e. accurate considerate urbis tam praeclarae praesidia et ornamenta, ut possitis aliquando de re referre ad posteritatem, a qua hoc nomine perpetuo celebrabitur, ut haec etiam agnoscere discat Deum nostrum, qui civitatem eam, quam sedem sibi elegit, contra hostium insultus mirum in modum defendit, et illaesam prorsus servavit. Tale quidquam enim subaudire jubet Versus 15.

15. כִּי זֶה אֱלֹהִים אֱלֹהֵינוּ עוֹלָם וָעֶד *Nam hic Deus* erit *Deus in seculum et aeternitatem*, Deus ille et in posterum semper propugnatorem et defensorem nobis sese praestabit. Alii particulam כִּי explicative accipiunt, ut hic Versus, cum Vs. 14. hoc modo sit conjungendus: praedicetis generationibus insequuturis, quod hicce Deus sit Deus noster. הוּא יְנַהֲגֵנוּ עַל־מוּת *Ipse ducet nos ad mori usque*, dum hac vita fungemur saluti nostrae providebit, boni pastoris instar, qua similitudine usus auctor Psalmi 80. hoc ipsum verbum (Vs. 2.) usurpavit. Cf. supra 23, 1. 2. Dictionem עַל־מוּת recte explicavit Kimchi *ad mortem nostram usque*, quomodo par-

ticula עַל capitur quoque Ps. 19, 7. et locis pluribus aliis. Pro עַל־מוּת autem in multis codicibus, et manu exaratis, et typis descriptis unica dictione עַלְמוּת legitur, cujus nominis significationem ex cognato עֶלוּמִים *adolescentia*, petere solent, atque particulam כ similitudinem indicantem subaudire. Ita Chaldaeus: *Ipse ducet nos* sicut *in diebus pueritiae nostrae*, tum scilicet, quando elegit nos, et in suam suscepit protectionem, cf. Jer. 3, 4. Hos. 2, 15. Alii *vigorem juvenilem* respici putant, hoc sensu: ducet nos in perpetuo aetatis vigore, sine omni virium decremento, quomodo Jes. 40, 30. 31. dicitur: *sperantes in Domino novabunt robur, adscendent ala, sicut aquila, current, et non lassabuntur.* Sed nomina aetatum alias esse solent *pluralia*, ut נְעוּרִים *pueritia*, q. d. anni puerorum, זְקוּנִים *senectus*, anni senum. Alexandrinus vocem hebraeam adverbialiter accepit, vertit enim: εἰς τοὺς αἰῶνας, quod sequutus Vulgatus: *ipse reget nos in secula*, quasi scriptum esset לָעוֹלָמִים. Ita Aben-Esra, qui עַלְמוּת per adverbium עולמית *aeternum*, explicat. Quae explicatio hemistichio priori haud incongrua est.

Ps. 49.

Stultitiam eorum, qui divitiis confidunt, deridet, quibus neque se, neque carissimos suos a morte redimere queant; quas cum maximo labore quaesierint, aliis relicturi sint, secumque asportare non possint, cumque nominis quandam aeternitatem somniarint, nihil pristini splendoris in sepulchrum sint relaturi, sed morti depascenti pastum de se praebituri. Simillimus est hic Psalmus trigesimo septimo, argumentumque fere idem utrique est; ambo enim stultitiam eorum denotant, qui summo studio divitiis atque opibus comparandis incumbunt, et ambo humanarum rerum vanitatem ante oculos ponunt. De auctore tamen, tempore aut occasione praestantissimi carminis nemo certi quidquam definiverit.

2. Versus quinque priores exordium continent, in quo attentionem et benevolentiam captat vates: *Audite hoc omnes populi, auscultate his omnes incolae orbis!* Omnes homines ad audiendum invitat, omnibus enim hanc suam admonitionem utilem fore judicat, quod rari admodum sint, quos divitiarum aut speratarum cupiditas non alliciat, aut habitarum fiducia non insolentes efficiat. De חֵלֶד vid. 17, 14.

3. אִישׁ — גַּם *Tam filii hominis, quam filii viri*, i. e. quique plebeji, quique dignitate aliqua pollentes, vid. not. ad Ps. 4, 3. Particula copulativa גַּם, ubi geminatur, vertenda est *tam*, *quam*, ut Gen. 50, 9. *tam* currus, *quam* equi. יַחַד עָשִׁיר וְאֶבְיוֹן *Dives pariter et inops*, uterque enim quod discat, habebit, ille, ne divitiis nitatur, hic, ne earum defectum aegre ferat.

4. *Os meum loquetur sapientias, et meditationes cordis mei* sunt *prudentiae*, talia proferam, quae recte sapere, prudenterque omnia judicare ac instituere doceant.

5. אַטֶּה לְמָשָׁל אָזְנִי *Inclinabo aurem meam ad parabolam*, h. e. ad sententias graviores, quae fere et reconditi et collationis aliquid habent, atque ideo enarrationem apud imperitiores requirunt. Etenim a מָשַׁל *similis fuit*, nomen מָשָׁל propr. *figuratam dictionem* denotat. Quod autem se aurem suam inclinaturum ad sententias a se proferendas canit, ad commendationem dicendorum dictum est, quae nempe ejusmodi sint, ut illis ipse quoque vates auscultare diligenter operae pretium ducat. Eo vero, quod addit: אֶפְתַּח בְּכִנּוֹר חִידָתִי *exponam cum cithara aenigma meum*, indicatur ratio, qua fuerit haec Oda decantata, nimirum ad sonum citharae. אֶפְתַּח propr. *aperiam*, i. e. palam eloquendo ac praecinendo communicabo hoc meum carmen etiam aliis. חִידָה proprie *sermonem involutum* et *nodosum* designat, quali vetustissimi sapientes suas plerumque solebant obvelare sententias, ne eaedem, nimium patescentes, protritae tandem fierent, atque vilescerent; hinc omnibus aliis etiam accommodatur sententiis prudenter et concinne prolatis, ubi non tam respectus habetur ad obscuritatem, quam ad gravitatem, ut Prov. 1, 6. Ps. 78, 2. et h. l.

6. Aggreditur jam ipsa sapientiae praecepta proponere. *Quare timeam in adverso tempore, cum me pravitas insidiantium mihi circumquaque obsidet?* בִּימֵי רָע *In diebus mali*, i. e. tempore infortunii, tempore calamitoso et infausto, ut 10, 6. 34, 20. Ante עָוֹן *iniquitas*, adverbium temporis, כְּי vel בַּאֲשֶׁר *quando*, est subaudiendum. Nomen עֲקֵב alias designat *calcaneum*, vid. Ps. 41, 10. 56, 7. Gen. 3, 15. 25, 26. Job. 18, 9., unde Aben-Esra verba nostra interpretatur: *quid timeam in die mali? quid circumdet pravitas calcaneos meos?* h. e. cur implicem vitam meam iniquitate, opes et divitias sectatus? Sed quia solent Hebraei poetae eandem fere sententiam mutatis verbis in eodem Versu repetere; עָקַב h. l. pro Participio, sive nomine participiali verbi עָקַב *supplantavit*, Gen. 27, 36. Hos. 12, 3. Jer. 9, 3., ad formam nominum שָׁלֵם *rependens* Gen. 15, 16.; גָּדֵל *crescens* 1 Sam. 2, 26.; זָקֵן *senex* (unde זְקֵנַי *seniores mei* Thr. 1, 19.), malim accipere, ut *supplantantes*, i. e. *insidiatores* designentur: tum siquidem tempus adversum, יְמֵי רָע, est, tum mali sunt, qui adfligunt. Neque quae proxime sequuntur, הַבֹּטְחִים et יִתְהַלֹּלוּ aliud quidquam respicere possunt nomen, quam עֲקֵבַי *insidiantes*.

7. הַבֹּטְחִים — יִתְהַלֹּלוּ *Qui confidunt viribus suis, et divitiarum multitudine gloriantur.* Praefixum הַ h. l. est relativum, *qui*, ut 34, 13. הֶחָפֵץ *qui vult*. Nomen חַיִל *virtus*, generale est, complectens bona quaelibet, sive *vires* (vid. ad 33, 16. 17. coll. Obad. 13. Mich. 4, 13. Zeph. 1, 13.), speciatim enim subjunguntur *divitiae*. Cf. Vs. 11. חֵילָם.

8. *Fratrem non redimendo redimet vir*, et tamen nemo, quamlibet divitiis polleat, vel fratrem suum possit a morte redimere. לֹא־פָדֹה יִפְדֶּה *Non redimendo redimet*, i. e. nequaquam,

vel prorsus non redimet; Infinitivus enim verbo suo finito haud raro praemittitur fortioris asseverationis causa, ut 1 Sam. 34, 21. *regnando regnabis*, h. e. certissime regnabis. Cf. 50, 21. Vid. Gesenii *Lehrg.* p. 778. Unde fieri debeat redemtio, non additur; colligi tamen potest, ex iis quae sequuntur, Vs. 10. 11., quibus *sepulchri* et *mortis* diserte fit mentio. אִישׁ *vir*, indefinite pro *aliquis*, *quisquam*, ut 39, 12. Sunt etiam, qui אַךְ h. l. pro interjectione: *ah! eheu!* capiendum censeant, atque vertant: *Ah! non redimetur omnino* a morte *quisquam*, ut sensus sit: nemo hominum, ne ditissimus quidem et potentissimus, *se ipsum* redimere potest a morte. Sed a more Hebraeorum alienum videtur, ejusmodi sententiis generalioribus interjectionem אַךְ *eheu!* praemittere. Neque quidquam ab usu loquendi Hebraeorum alieni in verbis illis apparet, nisi quod per inversionem poetis haud infrequentem אישׁ לא־פדה יפדה אח dictum est pro אח לא־פדה יפדה איש. Neque caret haec inversio emphasi. לֹא־יִתֵּן לֵאלֹהִים כָּפְרוֹ *Non dabit Deo λύτρον ejus*, fratris; nemo, quantumvis opibus polleat, Deo, in cujus potestate et hominum vita, pretium redemtionis a morte persolvere potest. Nomen כֹּפֶר h. l. est *pretium pro redimenda vita*, ut Ex. 21, 30. 30, 12.

9. וְיִקַר פְּדוּיוֹן נַפְשָׁם *Et pretiosum est redemtionis pretium animae eorum*, nimii siquidem pretii est, redimi a morte animas illorum; nemo est tam dives, ut possit Deo numerare sufficiens pretium, ne mori cogatur. וְיִקַר *Et pretiosum factum est*, ita quidem, ut ejus valor nullo acquari possit pretio. *Pretiosus* pro eo, quod vix reperiri aut acquiri potest, ut 1 Sam. 3, 1. *verbum Dei erat* יָקָר *pretiosum in diebus illis*, i. e. vix haberi poterat, quod prophetae deessent. פְּדוּיוֹן semel adhuc reperitur Ex. 21, 30., ubi de pretio redemtionis, quod dominus bovis cornupetae pro redimenda sua vita tenetur solvere, usurpatur. נַפְשָׁם *Animae ipsorum*, fratrum videlicet; nomini singulari, אָח *frater*, subjungitur affixum plurale, quod illud ipsum singulare positum est *collective*, pro quovis cognato; vel dilectissimo amico. Sic Jon. 1, 2. *adscendit* רָעָתָם *malitia eorum*, urbis Ninive, de qua est sermo, i. e. incolarum ejus. Vel affixum illud plurale refertur tam ad redimentem, quam ad redimendum, quasi dicatur: neuter vel se, vel alium potest liberare. וְחָדַל לְעוֹלָם *Et cessabit* s. desinet *in perpetuum*, frater alterum a morte redemturus (Vs. 8.), desistet ab hoc suo conatu animam redimendi.

10. וְיִחִי־עוֹד לָנֶצַח *Ut vivat porro in perpetuum.* Ita cohaeret hic Versus vel cum 8. hoc sensu: *Carum nimis* est efficere, ut quis vitam protrahat in perpetuum (tum Vs. 9. parenthesi erit includendus); vel cum Vs. 9. hoc modo: *cessabit*, nec fiet in aeternum, *ut vivat.* Praefixum ו h. l. *ut* est vertendum, ut Ps. 85, 7. 86, 17. Alii *Vav* praefixum verbo וְיִחִי *conditionaliter* s. concessive, et particulam כִּי sub Versus sequ. initio *adversative*

accipiunt, sensumque faciunt hunc: *etiamsi vivat* ejusmodi dives per annos quam plurimos, etiamsi sepulchrum tanto tempore non viderit; *attamen* tandem videbit (Vs. 11.), et experietur certissime, et in aliis, et in se ipso, singulis esse moriendum. Sententia satis jejuna. לֹא יִרְאֶה הַשָּׁחַת Et *ne videat foveam*, sepulchrum. Vid. ad 16, 10.

11. כִּי יִרְאֶה חֲכָמִים יָמוּתוּ *Nam videt* et *sapientes mori;* immortalitatem nullo pretio redimi posse, ipse ille suis divitiis stulte glorians intelligat necesse est, quum omnes sine discrimine mori videat. Ante חכמים ימותו subaud. particula כִּי, *quod* etiam *sapientes moriantur*, qui tamen communi hominum judicio morte videri poterant indigni, vel qui contra mortem aliquod remedium videbantur excogitare posse. יַחַד כְּסִיל וּבַעַר יֹאבֵדוּ Quod *una*, pariter, *stultus et brutus pereant.* כְּסִיל *stultum* significat, qui ultra rationem suam a recto deflectit, non tam ratione, quam recta ratione destitutus, בַּעַר autem eum denotat, qui omnino ratione destitutus, stolidus et bardus est, qui similis est *bruto* (בְּעִיר), cf. 73, 22. 92, 7. Eadem, quae hic, sententia Coh. 2, 16. וְעָזְבוּ לַאֲחֵרִים חֵילָם *Et relinquant*, relinquere cogantur, *aliis opes suas*, in quibus tantopere confidebant et gloriabantur, Vs. 7.

12. Insaniam adversariorum magis traducit, praesertim ab eo, quod sibi tantopere placent ex rebus nihili. Quod enim praegrandes sibi, magnasque aedes exstruunt, nominis quandam aeternitatem somniant. קִרְבָּם בָּתֵּימוֹ לְעוֹלָם *Intimum eorum domus eorum in seculum*, in animis suis cogitant domus suas permansuras in sempiternum. קרבם *internum*, h. c. animus *eorum*, cogitationes, vota eorum, ut 5, 10. קרבם *medium*, meditationes *eorum*, *sunt pravitates*. Eodem modo קֶרֶב *medium*, pro *animo* reperitur 64, 7. Jer. 31, 33. Ante בָּתֵּימוֹ subaud. iterum כִּי *quod*, ut Vs. 11., aut קרבם positum est pro בקרבם, quemadmodum מָקוֹם pro במקום Eccl. 11, 3., בֵּית pro בְּבֵית Amos. 2, 8. Prov. 15, 6. (coll. Ps. 112, 3.), qua quidem omissione praefixi ב nil frequentius in Codice hebraeo. Aliqui Hebraeorum קִרְבָּם pro קִבְרָם *sepulchra eorum*, inversis duobus elementis, non infrequenti Hebraeae linguae metathesi positum autumant, et ideo hunc sensum huic Versui assignant: sepulchra eorum sunt domus ipsorum in sempiternum, nec est eis quicquam reliquum, quam quod a domibus magnifice exstructis aliquamdiu in hominum memoria haerent, dum jactantur scilicet tam splendidarum aedium exstructores. Ita jam Alexandrinus: *καὶ οἱ τάφοι αὐτῶν οἰκίαι αὐτῶν*, quod sequutus Vulgatus, Arabicus et Aethiopicus interpres. Chaldaeus: *in domo sepulturae suae habitabunt in perpetuum.* Syrus: *sepulchra eorum* sunt *domus eorum perpetuo.* Neque tamen, quia ita transtulerunt, ideo etiam קברם in suis codicibus scriptum reperisse illos putes. Interpretationis, non lectionis, diversitas est. Nec ullus hucusque repertus est codex, qui קברם exhibeat. Imo קִרְבָּם in suo codice Hierony-

mum quoque legisse apparet ex eo, quod hebraca h. l. de verbo ad verbum ita reddidit: *interiora sua domus suas in seculo.* מִשְׁכְּנֹתָם לְדוֹר וָדוֹר *Habitationes suas per secula* (vid. 10, 6. 33, 11.) cogitant permansuras. קָרְאוּ בִשְׁמוֹתָם עֲלֵי אֲדָמוֹת *Ut praedicentur nomina sua per terras.* Verbum קָרָא *vocavit*, cum nomine שֵׁם intercedente praefixo בְּ constructum, trifariam reddi potest, vel 1) *vocare aliquem suo nomine*, ut Jes. 43, 1. 45, 3. 4. *vocavi te nomine tuo*; vel 2) *nomen alicujus invocare*, ut Jes. 65, 1. Zach. 13, 9. Jer. 10, 25.; vel 3) *celebrare alicujus nomen*, illud palam apud alios praedicare, ut 1 Chr. 16, 8. *laudate Dominum*, קָרְאוּ בִשְׁמוֹ *praedicate nomen suum, nota facite opera sua*; sic Ps. 105, 1. Jes. 12, 4. Nostro loco vix alia nisi postrema ratio adhiberi poterit, ut sensus sit: aedificia magnifice ab ipsis exstructa numquam interitura somniant, *ut vocent*, depraedicent, celebrent (alii), h. e. impersonaliter *ut vocentur* (quemadmodum Gen. 16, 14. dicitur קָרָא *vocat vocans*, i. e. *vocatur* puteus ille; cf. Ps. 31, 5. 42, 4. 45, 9.), celebrentur *nomina ipsorum super terris*, ut fiant celebres, ut ubivis terrarum volitent per ora hominum.

13. וְאָדָם בִּיקָר בַּל־יָלִין *Sed homo in honore non pernoctabit*, in ista opum celebritatisque affluentia et splendore nequaquam permanebit, quo sensu לוּן et 25, 13. aderat. Nomen יְקָר (de quo vid. 37, 20.) h. l. *splendor* ex opulentia aut dignitate, ut Esth. 1, 4. de magnificentia et splendore Ahasveri, nec non Mardochaei 6, 3. usurpatur. נִמְשַׁל כַּבְּהֵמוֹת נִדְמוּ *Assimilatur pecudibus*, quae *exciduntur*, ineluctabile fatum fastuosos istos non minus quam pecudes absumet, ut nihil inter eos et bruta animantia discriminis intersit. Ante נדמו *exciduntur*, caeduntur, extinguuntur (Hos. 4, 6. 10, 15.) subaud. אשר, ut Ps. 38, 14. 44, 2. Quia infra Vs. 21., ubi pleraque nostri Versus verba repetuntur, pro יָלִין legitur יָבִין, hinc interpretes plures et hic יָבִין reponendum censuerunt, praesertim quod ipsum Alexandrinus quoque et Syrus h. l. exprimerent. Quos interpretes ego non aliter, ac nos, suis in codicibus legisse, sed eandem, quam nostrates, conjecturam in vertendo sequutos esse puto, parum tamen mihi probabilem. Nam in hoc ipso, quod infra Versu 21. iisdem fere verbis, sed unius literae permutatione in alium sensum tractis, uteretur, poeta singulare quoddam artificium captasse videtur. Quod nemo mirabitur, qui meminerit, quantopere in hujusmodi lusibus sibi placeant non Hebraeorum tantummodo, verum ceterorum etiam Orientalium poetae.

14. זֶה דַּרְכָּם כֶּסֶל לָמוֹ *Haec via eorum spes est eis*, in vanis istis conatibus, ex magnificis operibus nominis immortalitatem sibi parere, stulti isti spem suam collocant. דֶּרֶךְ *via*, pro sentiendi agendique ratione, ut Ps. 1, 1. Qualis illa fuerit, Vs. 12. dixerat. כֶּסֶל a verbo כָּסַל *torpuit, segnis, ignavus fuit*, proprie *segnitiem, tarditatem* notare patet, hinc, ad animum et ingenium

translatum, *stoliditatem*, *stultitiam*, quo significatu Coh. 7, 25. usurpatur. Porro a *tardatione*, *cunctatione*, ad *exspectationem* et *spem* transfertur, ut Job. 31, 24. *si posui aurum* כִּסְלִי *spem*, fiduciam, *meam;* Prov. 3, 26. Ps. 78, 7. Alexandrinus et Syrus כִּסְלָ pro כֶּשֶׁל acceperunt, quod a כָּשַׁל *impegit*, *offendit*, σκάνδαλον, *offendiculum* interpretati sunt; sensu quidem minime contemnendo: via, quam stulti illi divites inierunt, offendiculo illis fuit, plerique in ea lapsi sunt et ceciderunt, et propter divitias in multa et inextricabilia mala devenerunt. Sed *offendiculum* hebraice est מִכְשׁוֹל, vid. Lev. 19, 14. Jes. 8, 15. Ps. 119, 165. — וְאַחֲרֵיהֶם בְּפִיהֶם יִרְצוּ *Et qui post eos os eorum approbant*, qui ipsos sequuntur, horum praecepta cupide sectantur. אחריהם plures interpretes *posteros eorum* reddunt, ac si esset Pluralis אַחֲרִים addito suffixo; is vero ubique neutrali significatione, pro *partibus* posterioribus usurpatur, vid. 2 Reg. 9, 18. Jes. 30, 21. 2 Sam. 5, 23. Quare potius pro particula אַחֲרֵי *post*, cui suffixum additum est, accipiendum erit, quemadmodum אַחֲרֶיךָ *post te* Gen. 17, 7. Deut. 4, 40.; אַחֲרָיו *post eum* Gen. 17, 19. Ex. 28, 43. Est autem ואחריהם concise pro וַאֲשֶׁר אַחֲרֵיהֶם *et qui post eos* se. incedunt. Verba בפיהם ירצו non sunt vertenda: *ore suo probant*, sed: *os eorum approbant*, particula ב enim in constructione verbi רָצָה nomini praeposita *objectum*, ut loquuntur, approbationis designat, vid. 1 Chr. 28, 4. *inter fratres meos* בְּי רָצָה *me probavit;* 29, 3. Mich. 6, 7. Hagg. 1, 8. Ps. 147, 10. 149, 4. — *Os*, פֶּה, metonymice pro *sermone*, *dicto*, ut Deut. 17, 6. 34, 5. Job. 15, 5.

15. כַּצֹּאן לִשְׁאוֹל שַׁתּוּ *Ovium instar in orcum reponuntur*, sicuti ovium grex, qui, postquam interdiu pascuis se explevit, noctu ingruente in obscuram caulam cogitur, ita divites illi improbi, postquam hujus vitae opibus se saginarunt, in obscurum illud inferorum regnum detrudentur. שַׁתּוּ *ponunt*, h. e. ponentur, iterum tertia verbi persona pluralis absque nominativo posita, impersonaliter vel passive usurpatur (vid. Vs. 12.). Verbum שָׁתַת, quod significatione convenit cum cognato שׂוּת *ponere* (vid. 73, 9.), planissime ut hic, de *collocatione et conclusione in regno inferorum* usurpatur 88, 7. Particula לְ ante שְׁאוֹל notat hic *locum ad quem*, sive *in quod* quid ponitur. Jam vero in tristi haece caula מָוֶת יִרְעֵם *mors pascet illos*, mors, rex orci, in cujus potestatem et imperium devenerunt, ipsis praeest immitis rector dominatorque. Verbum רָעָה non tantum de gregibus, prata absumentibus dicitur, verum de pastoribus quoque, greges super prata educentibus, eosdemque pro lubitu regentibus, veluti Gen. 30, 36. Ex. 3, 1., unde et *regendi* notionem induit, vid. not. ad Ps. 2, 9. — וַיִּרְדּוּ בָם יְשָׁרִים לַבֹּקֶר *Calcabunt eos recti mane*, i. e. mox, subito (vid. 46, 6.) pii superstites divitum illorum fastuosorum tumulis insistent, atque a quibus vivis sibi metuere cogebantur (Vs. 6.), hos jam in sepulchris sub terra reconditos et conclusos

pedibus suis calcabunt. Verbum רָדָה h. l. prima et propria *calcandi* notione usurpatur, a qua demum secundaria *dominandi* significatio, quae frequentior est in codice hebraeo, descendit. Retenta *dominandi* notione, vulgo haec verba sic vertere solent: *dominabuntur iis justi mane*, quod (sine ratione idonea) explicant: ad exortum diei judicii extremi. וְצוּרָם לְבַלּוֹת שְׁאוֹל *Et formam eorum absumet orcus*, quicquid antehac in hujusmodi opulentis erat speciosum et admirandum, id omne evanescet penitus. צוּר *petra*, per metaphoram designat omne id, cui quis tanquam petrae confidit, quomodo haud raro Deus piorum dicitur *petra* (vid. Ps. 18, 32. 89, 27.); quare et h. l. Alex. vertit: ἡ βοήθεια αὐτῶν παλαιωθήσεται, *auxilium ipsorum veterascet.* Sensu tamen non satis commodo. Divitias enim, quibus illi confidunt (Vs. 7.), ab eis relinquendas esse aliis, poeta ipse dixerat supra Vs. 11. Quare צוּר h. l. idem quod צוּרָה (Ez. 43, 11.), hoc est, *formam*, notabit, a *formandi* significatu, qui verbo צוּר communis est cum יָצַר. Quod ex veteribus Aquila vidit, qui χαρακτὴρ αὐτῶν reddidit, nec non Syrus: *et figura eorum.* Idem haud dubie respexit Chaldaeus, dum *corpora eorum* interpretatus est. Eandem *formae* significationem haud dubie habet כְּתִיב, sive quod in textu h. l. scriptum est, צִירָם, quod Jes. 45, 16. de *imaginibus deastrorum* usurpatur, ab eodem illo verbo צוּר. Verbum בָּלָה (de quo vid. 32, 3.) in Piel est *absumsit*, *consumsit*, quemadmodum de moerore carnem consumente dicitur Thren. 3, 4., cf. 1 Chr. 17, 9. Job. 21, 13. Ponitur vero h. l. Infinitivus לְבַלּוֹת pro *Futuro*, ut saepius; veluti Ps. 25, 14. לְהוֹדִיעָם et Hos. 9, 13. לְהוֹצִיא, ad quae loca vid. not. Verba commatis nostri ultima, מִזְּבֻל לוֹ *a domicilio* quod *ipsi*, compendiose dicta sunt pro eo, quod a nobis plene dicendum est: *ita ut non sit domicilium ulli* eorum amplius in terra; ita ut illis, qui splendidissima olim aedificia sibi exstruxerunt (Vs. 12.), ne commorandi quidem locus inter vivos amplius sit relictus. Particula מִן nomini זְבֻל praefixa h. l. vim *negandi* habet, ut 1 Sam. 15, 23. *rejecit te* מִמֶּלֶךְ *ut ne sis rex porro.* 1 Reg. 15, 13. *removit eam* מִגְּבִירָה *ne esset porro augusta.* Jer. 48, 2. *exscindamus eam* מִגּוֹי *ut non amplius sit gens.* Cf. Jes. 33, 1. Hos. 9, 12. Affixum vero singularis numeri לוֹ *ei*, distributive est accipiendum, pro *unicuique* ipsorum, ut 1 Sam. 5, 10. Jes. 5, 23. Jer. 31, 14. Alii praefixum מִן *propter*, *ob*, notare putant, et reddunt: *ob habitaculum hoc cujuslibet eorum*, ut innuatur hisce verbis causa consumtionis, quia scilicet in orco non tanquam in diversorio, sed tanquam in habitatione commorandum ipsis erit in omnem aeternitatem. Alii alia ratione h. l. explicarunt. Alexandrinus vertit: ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν ἐξώσθησαν, quod ipsum Syrus verbotenus reddidit: *et a gloria sua dejicientur.* Nomine זְבֻל magnifica opulentorum in tartarum detrusorum aedificia innui existimarunt.

16. Ego, vates inquit, fiduciam in Deo collocavi, qui me e periculis summis atque ab exitio ipso eripiet. שְׁאוֹל — אַךְ *Verumtamen Deus redimet animam meam a manu*, potestate *orci*, Deus prolatabit mihi vitam, opulentis illis impiisque meis adversariis extinctis, qui cunctis suis opibus nullam tamen vitae prorogationem redimere potuerunt, ut Vs. 8. dixerat, ad quem hic noster manifeste respicit. Eadem figura Hos. 13, 14. *(ab orci potestate eos*, Israelitas, inquit Jova, *redimam*, *a morte eos vindicabo)* et Ps. 89, 49. Rationem fiduciae addit: כִּי יִקָּחֵנִי *nam suscepit me*, h. e. in suam curam et patrocinium recepit, me fovet atque tuetur, quo sensu idem verbum לָקַח Deut. 4, 20. usurpatur, cum Moses Israelitas alloquutus dicit: *vos suscepit Jova.* Cf. Ps. 73, 24.

17. Hoc tam praeclaro praesidio nixus hortatur sese aliosque secum sentientes: *Nihil metuas*, *cum ditatus vir quispiam fuerit*, *cum creverit gloria domus suae*, i. e. res vel supellex gloriosa et conspicua, possessori existimationem concilians, aut ob quam aliquis, a plebe inprimis, extollitur et honoratur, quomodo convivium Ahasveri dicitur comprobasse אֶת־עֹשֶׁר כְּבוֹד *divitias gloriae regni ipsius*, i. e. praegrandes et gloriosas divitias, Esth. 1, 4. Sic Jacobi opulentia, ex Labanis facultatibus adquisita dicitur כָּבוֹד Gen. 31, 1., quod post Vs. 16. cum עֹשֶׁר permutatur. Coh. 6, 2. Nah. 2, 9.

18. *Non enim cum moritur sumet* secum *hoc universum*, nil quicquam ex cunctis hisce facultatibus atque copiis secum tollet; *non descendet post eum splendor ejus*, non comitabuntur illos divitiae suae. Cf. Propert. *Eleg.* 3, 3. 35.

19. כִּי־נַפְשׁוֹ בְּחַיָּיו יְבָרֵךְ *Nam quamvis animam suam*, semetipsum, *in vita sua*, dum in vivis esset, *benedixerit*, felicem praedicaverit, sive, sibi blanditus fuerit, quo sensu Deut. 29, 18. הִתְבָּרֵךְ בִּלְבָבוֹ dicitur. נֶפֶשׁ pronominis reciproci vicem gerit (ut 3, 2. 7, 3. 11, 1. 25, 13.). וְיוֹדֶךָ כִּי־תֵיטִיב לָךְ *Et* quamvis *laudaverint te* alii, *quando*, s. *quod* tibi *benefeceris.* Subito vates orationem convertit ad ipsum divitem, de quo, tanquam absente, modo in tertia persona fuerat loquutus, quomodo Jes. 7, 14. dicitur simili fere modo: *ecce virgo pariet filium*, *et* (tu, o virgo) *vocabis* etc. Cf. Neh. 4, 4. 2 Sam. 7, 23. Connectere proin videtur noster tum divitis ipsius de se, tum aliorum, parasitorum puta, et insipientium de tali divite judicia, quasi diceret: etiamsi tu ipse beatum te praedices, aliique tibi applaudentes similem de te efferant laudem, veniendum tamen erit ad sepulchrum. *Quando benefeceris tibi*, gulam curando, genio indulgendo, palatiis, conviviis, vestimentis te efferendo. Exprimitur hac loquutione divitiarum usus, oppositus tenaci avarorum sorditiei, qui neque aliis, neque sibi ipsis, de suis *benefaciunt* opibus (Coh. 4, 8. *subtraho animae meae bonum*, sive, carere eam facio gaudio). Lucem noster locus capiet ex Cohel. 11, 9., ubi ad adolescentem dicitur:

benefaciat tibi cor tuum, id est, hilariter utere bonis tibi concessis.

20. תָּבוֹא עַד־דּוֹר אֲבוֹתָיו *Venies* tamen *ad generationem* s. *habitationem patrum*, quae phrasis eundem sensum habet, quem illa: *colligi ad patres*, aut *ad populum suum* (Num. 20, 24. 2 Chr. 34, 28.); hoc est, *mori*, nam qui moritur, quasi ad totam stirpem suosque majores proficiscitur, ad eos coadunatur, cum eis commoratur, cf. Gen. 15, 15. In pronomine affixo nominis אֲבוֹתָיו notanda enallage tertiae personae pro secunda: *venies ad coetum patrum ejus*, pro, *tuorum* (vid. ad Ps. 2, 6.). עַד־נֶצַח לֹא יִרְאוּ־אוֹר *Qui in perpetuum usque non vident lucem*, qui numquam revertentur ad hoc solis lumen, sed perpetuis immersi jacent sepulchri et infernorum tenebris.

21. Totius carminis summam brevi sententia, tanquam epiphonemate, complectitur, et ita quidem, ut iisdem fere, quibus Vs. 13. usus fuerat, iterum utatur verbis, singulari tamen artificio unius literulae alternatione (יָבִין pro יָלִין) in diversum plane sensum deflexis: *Homo in honore constitutus et qui non intelligit*, vel, *si non intelligat*, *similis est jumentis*, *quae exciduntur*, homo, cui contigerit fortuna splendida, nec simul recto judicio praeditus fuerit, nihil differt a pecoribus.

Ps. 50.

Argumentum hujus Psalmi est ex genere didactico, grave inprimis et fructuosum: Deo nimirum non placere sacrificia, et externos ritus religionis, sed sinceram potius pietatem, laudesque ex grato animo profluentes, neque vero has ipsas pietatis significationes sine justitia ceterisque virtutibus. Ita, praeter magnificum exordium, quo dicendis attentionem et auctoritatem conciliat, duas habet partes: primo (Vs. 7—15.) arguitur cultor pius quidem, sed ignarus et superstitioni obnoxius, deinde (Vs. 16—22.) improbus pietatis simulator. Brevi epilogo (Vs. 23.) complectitur totius carminis summam et objurgationum quas continet, finem.

Adventantis Dei in quinque prioribus carminis Versibus descriptio causam attulit aliquibus, ut hunc Psalmum totum prophetiam facerent de venturo Messia (ita Jarchi: *de liberatione futuri* temporis *vaticinatur*, et Kimchio hic Ps. *de die judicii in adventu redemtoris* loquitur, coll. Joel. 4, 2. 14), qui de populis Hebraeo inimicis vindictam sit sumturus. Sed Versus illi exordium tantum, uti diximus, faciunt, quo legentes et audientes ad attentionem dicendis praebendam excitat.

Primus hic est Psalmus ex iis, quibus *Asaphi* praescriptum est nomen, de quibus vide Prolegg. p. 5.

1. Exordium magnificum, quo Deum loquentem inducturus poeta eum sistit universum genus humanum solenni edicto convo-

cantem. *Deus fortis*, *Deus Jova*, *verba facit*, *advocat quique terram inhabitant*, *ab ortu solis usque ad occasum ejus*. De nomine אֵל vid. 29, 1. Sunt qui h. l. אֵל in statu regiminis positum accipiant, atque cum proximo אֱלֹהִים conjungentes, *Deus Deorum* reddant. Sed quum cuilibet trium horum Dei nominum, *El*, *Elohim*, *Jova*, apponatur triplex accentus distinctivus, *Psik*, *Paser*, et *Rbhia*, per appositionem potius, quam per regimen, haec dicta censenda erunt, ut Gen. 33, 2. אֵל אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל; Num. 16, 22. אֵל אֱלֹהֵי הָרוּחוֹת, *Deus fortis*, *Deus spirituum*; Jos. 22, 22. אֵל אֱלֹהִים יְהוָה, quod bis ibi repetitur. Simplex קָרָא *vocavit*, h. l. vim habet verbi compositi (quibus hebraici carent) *convocavit*. Sic נָפַל *cadere*, pro *excidere*, vel deficere, Jer. 37, 13.; שָׁמַע *audire*, pro *exaudire*, Ps. 18, 7.; רָאָה *videre*, pro *providere*, Ex. 18, 21. Verbum בּוֹא *venire*, nomenque inde deductum, מָבוֹא, si de *sole* usurpantur, denotant ejus *occasum*, ubi ad praefixum quasi *venit* terminum, vel ubi *intrare* videtur mare, ex quo mane rursus יָצָא *exit*, vel *procedit*. Vid. Gen. 28, 11. Amos. 8, 9. Ps. 104, 19. 113, 3.

2. Quoniam judicium, quod hic poeta repraesentat, populum Israeliticum spectat, ideo facit id in Sione exerceri. מִצִּיּוֹן מִכְלַל־יֹפִי אֱלֹהִים הוֹפִיעַ *A Sione*, *perfectione pulchritudinis*, *Deus splenduit*, e cacumine montis Sionis, omnium pulcherrimi atque amoenissimi loci, Deus splendore majestatis effulget. *E Sione* מִכְלַל־יֹפִי *consummatione* s. perfectione *pulchritudinis*, hoc est, montium omnium formosissimo atque maxime decoro, vid. ad 48, 3. Nomen מִכְלָל (formae מִגְדָּל, *turris*) praeter h. l. nusquam alias in V. T. exstat, procul dubio vero communem habet significationem cum מִכְלוֹל *perfectio* (Ez. 23, 12. 38, 4. לְבֻשֵׁי מִכְלוֹל *plene vestiti* s. *armati*). Abstractum autem, *perfectio*, una cum altero Substantivo facit loquutionem superlativam: *perfectissima pulchritudo*. Vid. ad 33, 17. coll. 35, 6. Ita Thr. 2, 15. Hierosolymitana urbs vocatur כְּלִילַת יֹפִי *perfecti decoris*, *gaudium universae terrae*. Cf. et Ezech. 27, 3. 28, 12. Syrus interpres nomini מכלל significationem Syriaci כלילא *corona*, tribuit, vertit enim: *ex Sione corona gloriosa Deus apparuit*. Quod et J. D. Michaelis placuit in *Supplemm.* p. 1282. Mutatis tamen punctis מִכְלַל יֹפִי mallet efferre, ita ut מ sit praefixum, ipsumque nomen כְּלַל יֹפִי Sionis cognomen et encomium. Sed apud Hebraeos verbum כָּלַל (Ezech. 27, 4. 11. *perfecerunt pulchritudinem tuam*, fecerunt te pulcherrimam) cum derivatis *perficiendi*, *consummandi* notione valuit, unde כָּלִיל *perfectus*, *consummatus*, *totus*, Deut. 13, 17. Ezech. 16, 14., quod substantive de sacrificio, quod *totum igne absumebatur*, *holocausto*, usurpatum fuisse notum est. Alexandrinus: ἐκ Σιὼν ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος αὐτοῦ, ὁ Θεὸς ἐμφανῶς ἥξει, *ex Sion species decoris ejus*, *Deus manifeste veniet*, ut Vulgatus reddit, unde Lutherus quoque ad Deum haec referens

vertit: *der schöne Glanz Gottes.* Verum obstat accentus *Rbhia* distinctivus, qui, dum haec verba ab iis, quae proxime sequuntur, separat, simul docet, esse illa praecedenti מִצִּיּוֹן jungenda.

3. יָבֹא אֱלֹהֵינוּ וְאַל־יֶחֱרַשׁ *Veniet Deus noster, nec silebit,* adventum ejus tonitruum horridus fragor comitatur. אַל hic pro לֹא positum, ut infra 121, 3. Cant. 7, 3. Depingitur Dei advenientis majestas imaginibus a descensu in montem Sinai petitis, Ex. 19, 16. sqq., unde subjicit: אֵשׁ־לְפָנָיו תֹּאכֵל *Praecedet eum ignis edax*, nempe fulgurum. Sic et alias *fulgura* appellantur *ignis*, Ps. 105, 24. Ex. 9, 24. Ante תֹּאכֵל subaud. אשר, *qui edit*, cuncta absumit deglutitque. Cf. Ps. 18, 9. וּסְבִיבָיו נִשְׂעָרָה מְאֹד *Et circa eum procellosum est valde*, vehemens turbo cum circumfremit. Verbum שָׂעַר, quod in *Cal* significatione *horrescendi*, *exhorrescendi* semper usurpatum reperitur (v. g. horrere numen aliquod Deut. 32, 17., ob facinus aliquod Jer. 2, 12., cf. Ez. 27, 35. 32, 10.); in Piel atque Hithpael a nomine שַׂעֲרָה *turbo*, valet *turbine abripere*, vel *auferri* (vid. Job. 27, 21. וישערהו *et turbine abripiet eum*, et Dan. 11, 40. וְיִשְׂתָּעַר *tempestuose feretur*). Quare h. l. Niphal (qua forma hoc verbum alias non occurrit) commodissime reddetur: *procellosum est*, posito genere foeminino pro neutro, quum nullum antecedat nomen commodum feminini generis. Eundem sensum expressit Alexandrinus: *καὶ κύκλῳ αὐτοῦ καταιγὶς σφόδρα, et in circuitu ejus tempestas valida*, ut Vulgatus reddidit. Chaldaeus: *circumcirca aestuat tempestas vehementer.*

4. יִקְרָא אֶל־הַשָּׁמַיִם מֵעָל *Clamat ad coelum supra*, vocat coelum superne, ut instar testis perpetui et numquam intermoriturі audiat, quomodo Deut. 4, 26. 31, 28. Moses legem praelecturus ait: *coelum et terram in eos testor.* Cf. Jes. 1, 2. — וְאֶל־הָאָרֶץ לָדִין עַמּוֹ *Et terram* inclamat *ad judicandum populum suum*, ut in eorum conspectu in judicium cum populo suo ingrediatur. Pertinent haec non ad coelum et terram, ac si ea vocarentur ad judicandum, sed ad convocantem Deum, qui propterea hos accessit spectatores, ut solennius hic actus judicialis exerceatur.

5. Inducitur ipse Deus, apparitores vel ministros suos excitans, ut ad judicium hoc compellant personas examinandas. *Colligite mihi pios meos*, homines istos, qui cultui meo sese consecrarunt; *percussores foederis mei per sacrificia*, i. e. qui mecum foedera pepigerunt, quae ab eis pro sanctis et inviolatis observari oportuit, quandoquidem sacrificiis et sanguinis effusione sancita confirmataque fuerunt. כֹּרְתֵי בְרִיתִי pro כֹּרְתֵי בְרִית עִמִּי *pangentes foedus mecum*; etenim pronomina affixa nonnumquam tanquam a subjecto suo separata, et cum particulis מִן, אֶל, עִם, aliisve constructa, sunt explicanda, ut Ps. 5, 5. לֹא יָגוּר עִמְּךָ רָע pro לֹא יָגוּר עִמְּךָ רָע *non commorabitur tecum improbus.* כָּרַת בְּרִית *Foedus scindere*, i. e. *foedus sancire*, quod per hostiam dissectam transire jurantes et paciscentes solebant, vid. Jer. 34, 18. 19. Gen. 15, 9—18. et cf.

ibi not. עָלֵי־זָבַח *Ad*, sive, *per sacrificium*, qui foederis mecum sanciti legibus sese obstrinxerunt adhibito solenni sacrificio. Respicere haec videntur ad ea, quae Ex. 24. narrantur. Quum ex Sina monte Moses ad populum cum legibus a Jova acceptis rediisset, easque multitudini exposuisset; una voce omnes illis se parituros promittebant. Tum Moses leges illas literis consignavit, et postridie mane sub monte aram cum duodecim cippis exstruxit, victimasque mactari curavit, quarum sanguinis dimidiam altari adspersit, alteram dimidiam versus turbam sparsit, his additis verbis: *hic est sanguis, quo effuso foedus sancitur, quod Jova vobiscum pepigit super his legibus.* Alii tamen verba עָלֵי־זָבַח sic vertunt: *super sacrificio*, hoc sensu: qui pepigerunt mecum foedus in causa sacrificiorum, sive, in rebus ad sacrificia pertinentibus, quorum rationem vero quum non recte intelligant, errorem eorum jam redarguam. Alii: *cum quibus institui pactum de sacrificiis*, quod ad Levitas trahunt, quibuscum Jova inierit quasi pactum de sacrificiis peragendis, qui tamen, cum praecipui debuissent esse tutores veri usus sacrificiorum, primi fuerint, qui ea violarent.

6. וַיַּגִּידוּ שָׁמַיִם צִדְקוֹ *Annunciabunt autem coeli justitiam ejus.* Hoc videtur per parenthesin dictum; quasi postquam vates Deum ipsum, tanquam judicem, Israelitas citantem induxerit, nunc hoc obiter et per parenthesin dicat, coelos ipsos testes et praecones fore justitiae et acquitatis, quam Deus in ferenda sententia adhibebit. Quae autem *coeli adnunciant*, omnibus nota fiunt, quum illi ab omnibus conspiciantur. כִּי־אֱלֹהִים שֹׁפֵט הוּא *Nam Deus ipse est judex*; optima ratio aequitatis judicii, Deus enim iniquus esse non potest.

7. Verba Dei, judicium instituentis. שְׁמַע — בָּךְ *Audi, populi mi, nam loquar, Israel, nam testificabor in te.* Ante יִשְׂרָאֵל ex hemistichio praecedente repetendum esse verbum שְׁמַע docet tum contextus, tum accentus *Tiphcha* initialis, distinctionem faciens. וְאָעִידָה בָּךְ *Testificabor in te*, i. e. testando et protestando ita te serio monebo, ut tutemet cogare confiteri, quod te satis serio monuerim, ne posthac te scire dissimules, et negligentiae tuae atque socordiae ignorantiam praetexas. Sic namque verbum עוד, quod in tertia tantummodo conjugatione usurpatur, gravem solet designare admonitionem, adhibitis testibus, ne posthac negari queat, quod Graeci dicunt διαμαρτυρεῖσθαι, Latini *protestari*, i. e. quasi publice et solenniter testari. Cf. Ps. 81, 9. 2 Chr. 24, 19. אֱלֹהִים אֱלֹהֶיךָ אָנֹכִי *Deus, Deus tuus ego* sum, jure igitur optimo attentionem deposco.

8. לֹא עַל־זִבְחֶיךָ אוֹכִיחֶךָ *Non redarguam te propter sacrificia tua*, ac si eadem mihi non offerres, quippe quae cumulate a te adducuntur. Similem locum habes Jes. 1, 2. 11. — וְעוֹלוֹתֶיךָ Neque ob *holocausta tua* redarguam te; repetendum namque esse

ex priori hemistichio tum verbum, tum particulam negandi, docet accentus *Rbhia*, nomini huic adjectus, commaticamque faciens pausam. Similem ellipsin particulae ex praecedentibus repetendae habes Ps. 9, 19. Cf. 1 Sam. 2, 3. Ps. 44, 19., item infra Vs. 9. Nomen עוֹלָה designat tale sacrificium, quod excepta pelle super altari cremabatur totum, atque sic in fumo totum quasi *adscendebat* (עָלָה); lege Levit. Cap. 1. et 7. לְנֶגְדִּי Quae sunt *coram me*, mihi offeruntur; subaud. אשר, ex more Psalmis usitatissimo. תָּמִיד *Jugiter*, i. e. die quovis, tam vespere, quam mane; hoc ipso vocabulo appellabatur holocaustum juge diurnum, Ex. 29, 38. 43. Num. 28, 3. 7. Bene hunc Vs. exposuit Kimchi in hunc modum: „Tu, Israel, me ut Deum tuum recepisti, ad faciendum praecepta mea, nec tamen ita fecisti; atque ideo te redarguam, non propter sacrificia. In Decalogo enim nihil Deus meminit de sacrificiis, ac si diceret: ne existimes, sacrificia magni a me fieri, aut me ob illorum omissionem te redarguere, quin potius vos arguam de fide, i. e. religione vestra, et de factis vestris."

9. לֹא אֶקַּח מִבֵּיתְךָ פָר *Non accipio de domo tua juvencum*, videlicet tanquam ex indigentia aut fame. *Accipere* itaque h. l. idem est, atque impetrare aliquid ab altero tanquam non suum, tanquam indigentiae levandae necessarium. Quod autem dicit *e domo tua*, eo spectat, quod Vs. 10. de pleno suo in omnia animalia dominio subjungit, ut angustae unius hominis casulae opponantur tot amplae per omnem terram sylvae et montes. De nomine פָּר vid. ad Ps. 22, 13. — מִמִּכְלְאֹתֶיךָ עַתּוּדִים *De aulis tuis hircos* accipere non opus habeo. מִכְלָאָה, a כָּלָא *cohibuit*, *conclusit*, proprie designat locum, quo includuntur greges ovium, de his enim Habac. 3, 17. cum oppositione ad boves usurpatur; occurrit praeter haec dua loca tantummodo Ps. 78, 70. עַתּוּדִים *hirci* a principibus solebant offerri, ut constat ex Num. 7, 17. sqq.

10. כִּי־לִי כָל־חַיְתוֹ־יָעַר *Mihi enim omnis bestia sylvae*, meae sunt omnes bestiae sylvestres. Quid opus mihi erit, quicquam a te mutuari, quum bestiae etiam in sylvis ac montibus passim errantes, quae tuae potestati haud subjacent, meae sint? Nomen חַיָּה, si substantive sumitur (a חָיָה *vixit*), designat *vivens*, ζῶον, *animal* in universum; quando autem additur nomen שָׂדֶה *ager*, aut יַעַר *sylva*, tunc de *feris* solummodo dicitur, ut Gen. 2, 19. 20. 3, 1. Ex. 23, 29. Deut. 7, 22. Nonnumquam etiam nomini huic in regimine (חַיַּת) additur *Vau paragogicum*, וֹ, ut hic, et Gen. 1, 24. Ps. 79, 2. 104, 11. 20. Jes. 56, 9. (חַיְתוֹ בַּיַּעַר). Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 549. בְּהֵמוֹת *Jumenta*, scilicet לִי, *mea* etiam sunt. Nomine בְּהֵמָה proprie in universum designantur tam *quadrupedes* quae in aquis, quam quae in terra degunt, plerumque tamen Hebraeis usurpatur de *animalibus terrestribus*, tum cicuribus, tum feris, vid. Gen. 1, 26. Deut. 28, 26. Quando autem opponitur feris sylvestribus, tum speciatim domestica solet designare jumenta,

labori vel escae hominum inservientia (vid. Gen. 1, 25.). בְּהָרְרֵי אֶלֶף *In montibus millium*, i. e. in quibus montibus agminatim degunt pascuntque greges. Sicut Cant. 4, 8. *montes pardorum* tales sunt montes, ubi pardi habitant, ita et h. l. *montes millium* tales dicuntur montes, ubi millia degunt jumenta. Hinc Lutherus: *auf den Bergen, da sie bey tausend gehen.* Aliis אֶלֶף singularis est τοῦ אֲלָפִים *boves* (Ps. 8, 8.), collective h. l. accipiendus, ut *montes boum* sint montes pleni boum. Ita Alexandrinus, quem Vulgatus Syrusque sequuntur.

11. יָדַעְתִּי כָּל־עוֹף הָרִים *Novi omnes volucres montium*, i. e. quae in alto et supra montes volant, quomodo a Latinis poetis *aëreae* vocantur, et ab Hebraeis alias עוֹף הַשָּׁמַיִם *volatilia coeli.* Aves igitur, inquit Deus, quamvis innumerabiles sint, mihi tamen singulae sunt notae et exploratae, ideoque facile uti illis possum, quoties voluero. Tam, imo magis, in promtu habeo universas, quae in montibus degunt, volucres, quam tu, quae in tuis sunt armentis. וְזִיז שָׂדַי עִמָּדִי *Et fera agri*, agrestis bestia quaevis, *mecum*, penes me est, mihi semper praesens est; sive, parata coram me adstat, ut comprehendere eam possim pro lubitu. זִיז *fera*, a זוּז *moveri*, quemadmodum Graecis ἀπὸ τοῦ κινεῖσθαι fit κνώδαλον (pro κινώδαλον) *bestia.* Quia vero nomini זִיז Jes. 66, 11. *splendoris* notio tributa (quam recte, hujus loci non est inquirere), et nostro loco Alexandrinus vertit καὶ ὡραιότης τοῦ ἀγροῦ, *et pulchritudo agri*, ut Vulgatus reddidit; quod placuit AGELLIO, qui „*pulchritudinem*," inquit, „*agri* proventum pulcherrimum agri (nam ex agris quoque primitiae juxta legem offerebantur) intellexisse puto, ut, cum de carnibus dixerit, ne quid ad cibum deesse videretur, triticea quoque et adorea subjunxerit. Qui sensus, quamvis per se minime sit incommodus, tamen prorsus ineptus est loco Ps. 80, 14., ubi זִיז שָׂדַי depasci dicuntur vineam.

12. *Si esurirem, non dicerem tibi, nam mihi est orbis et quicquid eum implet.* Si quemadmodum homo mortalis esurirem, scilicet necesse esset, ut a te panem peterem, ego, universi terrarum orbis dominus? De nomine תֵּבֵל vid. ad 24, 1.

13. *Num comedam carnem taurorum, num bibam sanguinem hircorum?* Num putas, idcirco voluisse mihi offerri sacrificia, quod cibo et potu indigerem? Num necesse habebo unquam vesci taurorum carnibus, aut sanguinem hircorum bibere? Aben-Esra: *Haec omnia hunc in finem commemoro, quod sacrificia, de quibus offerendis praecepi, non mihi, sed vobis prosint.*

14. זְבַח לֵאלֹהִים תּוֹדָה *Sacrificia Deo*, i. e. mihi, *laudem.* Enallage est personae, quum Deo tribuatur oratio. תּוֹדָה (a יָדָה *protendit, ostendit, confessus est aliquid palam*), generatim designat *confessionem* rei alicujus, sive malae, veluti delicti, Jos. 7, 19. Esr. 10, 11., sive bonae, ut beneficiorum a Deo acceptorum, vel auxilii ab ipso in periculo praestiti. Hic autem interpretum

plures תּוֹדָה putant pro זֶבַח הַתּוֹדָה *sacrificio eucharistico*, Lev. 7, 12., positum, quasi respiciat vates praecepta illic consignata. Quae sententia tamen carminis scopo planc adversari videtur, qui hoc potius a Deo, qui loquens introducitur, dici suadet: praesta mihi laudem, gratiarum actionem, invocationem fidelem, hoc erit mihi sacrificium, hoc habebo sacrificii loco, quod est cordis sacrificium, et propheta (Hos. 14, 3.) *vitulos labiorum* vocat. Cf. Ps. 69, 31. 32. Nec aliter intelligenda quae subjiciuntur: וְשַׁלֵּם לָעֶלְיוֹן נְדָרֶיךָ *et persolve vota tua Altissimo.* Et hic plures intelligunt *sacrificia ex voto* suscepta (Levit. 7, 16.). Sed nos haud dubitamus esse haec *σαφηνισμὸν* eorum quae praecesserunt, ut sint *vota* laudes et gratiarum actiones ex animo vere pio profectae.

15. Quod non tam sacrificia, sed potius preces fiducia plenas et pias gratiarum actiones poscat Deus, disertius exprimit hoc Versu: *Invoca me*, tanquam Deum tuum et servatorem, *die angustiae*, tum enim *eripiam te*, *et honorabis me*, i. e. ut causam habeas me celebrandi et gratias mihi agendi; cf. infra Vs. 23. *Honorare* (כַּבֵּד) Deum valet, eum laudibus pro acceptis beneficiis celebrare, ut infra 89, 6. Jes. 43, 20.

16. Peracta objurgatione eorum, qui sacrificia quidem offerrent, sed non intelligerent rem, et putarent, se Deo beneficium exhibere sacrificando, et opere operato peccata eluere, in quo genere aliquid tamen adhuc pictatis est, et plus erroris, quam culpae; jam ad aliud hominum genus convertitur, impiorum prorsus, qui quum ne curent quidem Deum, et vitam degant facinorosam et perversam, tamen leges divinas semper pleno ore jactant. וְלָרָשָׁע — חֻקָּי *Improbo autem dicit Deus: quid ad te, ut enarres statuta mea?* quare tu cerimonias meas memoras? quid tibi cum cerimoniis meis, ut de his faciundis gloriaris? מַה־לְּךָ *Quid tibi*, scil. est? quid ad te attinet? לְסַפֵּר *Ad enarrandum*, i. e. ut enarres, videlicet simulata praeceptorum divinorum laudatione, publica vel privata illarum commendatione; unde plerique interpretes haec verba praecipue in Legis studiosos peritosque directa putant. וְתִשָּׂא בְרִיתִי עֲלֵי־פִיךָ *Et* ut *assumas super os tuum foedus meum?* quomodo audes, foedus meum ore jactare? Repetenda est interrogatio מַה־לְּךָ. *Assumere* autem *super os suum aliquid*, est, de eodem crebro loqui, id crebro memorare, ut itaque synonyma sint סַפֵּר et נָשָׂא עַל פֶּה. Ita 2 Sam. 13, 32. עַל־פִּי *super ore Absaloni erat positum*, i. e. crebro ita minabatur. Jer. 12, 2. *prope fuisti ori eorum, sed longe a renibus eorum*, assidue de te loquuntur, sed corde suo te non curant. *Foedus*, בְּרִית, h. l. pro *praeceptis divinis*, vid. ad Ps. 25, 10.

17. וְאַתָּה שָׂנֵאתָ מוּסָר *Et tu odisti correctionem;* emphatice adhibuit pron. וְאַתָּה, q. d. *et tu ipse tamen*, qui continuo legem meam ore jactare soles, protervo tamen eandem contemnis. Nomen מוּסָר dicitur de *castigatione*, tum violenta, quae fit ver-

beribus, Prov. 13, 24. 22, 15. 23, 13., tum de ea, quae fit verbis, ut Prov. 5, 12., hinc etiam cum עֵצָה *consilio*, jungitur Prov. 19, 20., et in genere pro *institutione*, *disciplina* usurpatur Deut. 11, 2. Prov. 6, 23. Jer. 7, 28., qui significatus et huic loco aptus est. וַתַּשְׁלֵךְ דְּבָרַי אַחֲרֶיךָ *Et abjicis verbum meum post te*, tanquam odio aut nausea praecepta mea a te removes, ea non solum contemnis et negligis, verum et prorsus e memoria tua, tanquam rem ingratam, evellere studes.

18. Observandus est ordo eorum, quae improbo tribuit. Primum erat, institutionem respuere, et praecepta divina contemnere (Vs. 17.). Ista jam consequitur, ut cum quibusvis scelcratis societatem ineat, nullum flagitium exsecretur. Et hoc quidem Vs. duo nominatim scelera perstringit, alterum iniquae cupiditatis habendi, alterum perversae libidinis. אִם־רָאִיתָ גַּנָּב וַתִּרֶץ עִמּוֹ *Si vidisti furem, consentis ei*, ut recte Hieronymus vertit; neque enim וַתִּרֶץ descendit a רוּץ *currere*, ad quod interpretes nonnulli, Alexandrino interprete praeeunte, eam dictionem retulerunt, unde Futurum cum Vav conversivo est וַיָּרָץ, וַתָּרָץ, Gen. 24, 20. 28. 29, 12. Jud. 13, 10. Coh. 12, 10.; sed est Futuri forma apocopata a רָצָה *gratum et acceptum habuit*, *approbavit*, quod verbum intercedente particula עִם construitur etiam Job. 34, 9. בְּרָצוֹתוֹ עִם אֱלֹהִים *quando beneplacitum habet cum Deo*, quando habet eandem εὐδοκίαν, quam Deus, et ipsius praeceptis delectatur. Quare et h. l. talis innuitur consensus, vel voluntatis propensio, ubi quis cum alio suum jungit affectum, vel in paribus cum eo studiis sibi placet. וְעִם מְנָאֲפִים חֶלְקֶךָ *Et cum adulteris portio tua*, societatem inis. *Portionem*, aut *partem alicujus esse cum aliquo* Hebraeis est, eadem sorte ac conditione frui, sive bona, sive mala, aut alioqui eis esse conjunctionem et societatem, ut Jos. 22, 25. 27. *non est vobis* חֵלֶק *commercium cum Jova;* et 2 Sam. 20, 1. Seba ait: *nihil nobis commercii est cum Davide.* Cf. Ps. 16, 5.

19. Istis flagitiis addit studium nocendi fraudandique. פִּיךָ שִׁלַּחְתָּ בְרָעָה *Os tuum misisti in malum*, linguae laxas frena, ad quaevis protrudenda improba et malevola, quibus detrahatur aliis. שִׁלַּח *emisit*, h. l. effrenatae violentiae notionem exprimere videtur. Neque solum aliis hominibus noxis loqueris, verum etiam וּלְשׁוֹנְךָ תִּצְמֹד מִרְמָה *lingua tua dolos nectit*, lingua tua versatilis concinnat et nectit dolos, ut unum alteri apte jungendo, et tanquam fila invicem contorquendo falleres et ex occulto noceres; nam simplex dolus cum facile solvatur, altero addito atque simul intorto credibilior fit, ac proinde facilius decipit.

20. תֵּשֵׁב בְּאָחִיךָ תְדַבֵּר *Sedes in fratrem tuum loqueris*, i. e. sedens loqueris, sive sedes et loqueris in fratrem tuum; in consessibus tuis obtrectas amicum tuum et necessarium. Subaudiri potest sub initio hujus Versus כִּי *quando*, vel אִם *si* (ut Ps. 39, 12. 91, 17.). תֵּשֵׁב *Sedes* cum aliis in conciliabulis: respicit ad gar-

rulorum et obtrectatorum morem, qui sedendo otia, imo et bonas horas in maledicentia consumunt. Verb. דִּבֶּר, cum ב constructum, notat *contra* aliquem loqui, ut Num. 21, 5. *loquutus fuit populus* בֵּאלֹהִים וּבְמֹשֶׁה; cf. Num. 12, 1. Sed ut atrocitas facinoris fiat detestabilior, addit: בְּבֶן־אִמְּךָ תִּתֵּן דְּפִי *In filium, matris tuae dedisti infamiam*, ne sanguini quidem tuo parcis maledicendo, ne fratri quidem uterino (hic enim est בֶּן־אִמְּךָ, vid. Gen. 43, 29. Deut. 13, 6. Jud. 8, 19. Ps. 69, 9.), quem alioqui propensiore benevolentia et amore deberes complecti; solent enim uterini fratres magis inter se amare. Hinc est, quod Deut. 13, 6. dicatur: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuae*, h. e. frater tuus uterinus, qui nimirum plus potest apud te. Nomen דִּבָּה, hoc tantummodo loco occurrens, Hebraei interpretantur דִּבָּה רָעָה, *rumorem malum*, satis quidem apposite ad seriem orationis, sed nullo linguarum cognatarum usu. Arabibus tamen quum דפא sit *obruit* saucium *et interfecit*, haec notio primaria possit translata esse ad obtrectationes et calumnias.

21. כָּמוֹךָ — אֶהְיֶה *Haec dum fecisti et tacui, existimasti, me esse tui similem*, haec mala perpetrata quum tacitus tulissem, et mea ultio non illico peccantem consequuta esset, ex mea patientia pejor factus, eo usque progressus es amentiae, ut me tui similem esse putares, ut non secus ac tu, quae clam te alii faciunt ignoras, sic ego quoque tua peccata non videam. הֱיוֹת־אֶהְיֶה *Essendo ero*, h. e. utique ero, s. me utique esse, vid. not. ad 49, 8. Forma Infinitivi constructi, הֱיוֹת hic ponitur pro absoluto הָיוֹ sive הֱיֹה, quae alias adhiberi solet, ubi Infinitivus cum verbo finito jungi solet, vid. Gen. 18, 18. 1 Reg. 13, 32. Inducit itaque Deum ultionem minitantem seque tempore suo supplicium de ipso sumturum: אוֹכִיחֲךָ וְאֶעֶרְכָה לְעֵינֶיךָ *Arguam te et ordinabo*, disponam, *ante oculos tuos* scelera tua, simulque argumenta et rationes proferam, quibus te jure condemnem, ut sic intelligas, tua flagitia me neutiquam latere. Verbum עָרַךְ *ordinavit, disposuit*, paene forense est, cum adversarius rationes et argumenta tanquam aciem producit, quibus rei causa obruatur; ita Job. 33, 5. *si potes, mihi responde*, עֲרֹךְ לְפָנַי *dispone adversus me* argumenta tua. Cf. Job. 13, 8. 23, 4. 32, 14.

22. Objurgationem demum ad formam admonitionis convertit: בִּינוּ־נָא זֹאת *Intelligite quaeso hoc*, agnoscite, Deum omnis pravitatis poenas exacturum, שִׁכְחֵי אֱלוֹהַּ *obliti Dei*, i. e. mei, iterum pro affixo *(mei)* repetitur nomen antecedens, *Deus*, ut Vs. 14.; hinc mox verba iterum Dei ipsius: פֶּן־אֶטְרֹף וְאֵין מַצִּיל *Ne discerpam et nemo eripiens*, me corripiente, nemo erit, qui eripiat. Metaphora est a leone desumta, cui neque vis pastorum, neque alicujus belluae timor praedam jam captam eripere potest. Vid. ad 7, 3. coll. Deut. 32, 39. Job. 10, 7.

23. Brevi quodam epilogo summam totius carminis et objurgationum suarum finem perstringit, et quid ab Israelitis suis ex-

petat Deus, quidque gratum illi sit, aperit. זֹבֵחַ תּוֹדָה יְכַבְּדָנְנִי *Sacrificans laudem honorabit me*, quod supra Vs. 14. dixerat, ubi cf. not. יְכַבְּדָנְנִי est 3. pers. fut. in Piel, a verbo כָּבַד, *Nun* epenthetico aucta ante adfixum נִי. וְשָׂם דֶּרֶךְ *Et ponens viam*, breviter dictum, pro eo, quod plene est: וְשָׂם אֶת־דַּרְכּוֹ עַל לִבּוֹ *et ponens viam suam super cor suum*, ut Jes. 41, 20. *ut videant, et sciant,* וְיָשִׂימוּ *et ponant* super cor, *et intelligant;* sed plena loquutio exstat Jes. 57, 1. *justus perit,* וְאֵין אִישׁ שָׂם עַל־לֵב *et nullus, qui ponat super cor. Ponens vero super cor viam suam* eum designat, qui considerat diligenter, quam ingrediatur viam, vir probus, qui vitam suam prudenter instituit, ac prospicit, ne peccet. Cf. et Hagg. 1, 5. Observandum, eos, qui Accentibus textum hebraeum distinxerunt, eo, quod nomini דֶּרֶךְ accentum regium *Athnach*, majorem distinctionem efficientem, subscripserunt, indicare voluisse, verba nostra ratione distinctionis vel sic esse explicanda: *sacrificans laudem honorabit me et ponens viam*, sc. me honorabit; vel שָׂם דֶּרֶךְ absolute esse positum, hoc modo explicandum: *ponentem viam* quod attinet אַרְאֶנּוּ בְּיֶשַׁע אֱלֹהִים *ostendam ei salutem Dei*, i. e. meam, et quidem egregiam, *salus Dei* enim est non humano consilio aut ope, sed divina virtute parta, magna et plane eximia; quod enim non humana fit industria, aut aliqua causa, quae ab homine possit excogitari, id procul dubio magnum est, et admiratione dignum. *Ostendere* vero id ipsum est, quod *praebere*, *exhibere*, ut Ps. 4, 6. 60, 5. 71, 20. Sensus itaque Versus hic erit: talis homo, qui rectam me colendi rationem sequitur, et recte vivendi rationi operam dat; si in ea pericula inciderit, ex quibus nulla ratione eximere se possit, tum inexspectatam insperatamque opem ei afferam, cf. Vs. 15. Reliquum est, ut lectionis varietatem circa voculam וְשָׂם animadvertamus. In codicibus quidem plerisque et manu scriptis et typis exaratis legitur וְשָׂם (per *Sin*), sed in aliis haud paucis (quos Rossius ad h. l. enumeravit) exstat שָׁם *ibi*, idque ipsum expressit Graecus Alexandrinus: *καὶ ἐκεῖ ὁδὸς ἣ δείξω αὐτῷ τὸ σωτήριον Θεοῦ, et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei*, ut Vulgatus reddidit, nec non Syrus: *illic ostendam ei viam salutis Dei nostri.* Hinc Lutherus: *und das ist der Weg, dass ich ihm zeige das Heil Gottes.* Sensus, hac assumta lectione, erit: si hanc viam tenuerit, hoc iter institerit, eo perveniet, ut salutem egregiam ei afferam. Chaldacus tamen, qui vertit: *qui amovet viam malam*, nec non Hieronymus: *et qui ordinat viam*, atque Symmachus: *καὶ τῷ εὐτάκτως ὁδεύοντι*, legerunt haud dubie וְשָׁם (per *Sin*). Quae lectio firmatur Masora (qualis in Bibliis Rabbinicis a Buxtorfio editis exstat) tam *parva* ad h. l., ubi notatur *octies* וְשָׂם occurrere, quam *magna* ad Gen. 30, 41., ubi octo illa loca, quibus וְשָׂם occurrit, singula recensentur, inter quae et noster apparet. E contra Masora magna ad Gen. 41, 12. וְשָׂם (cum *Schin*) dicit occurrere *quinquies*, enarratque locos ibidem, in quibus noster non est.

Ps. 51.

Admissi sceleris dolore compunctus, crimen fatetur, et supplex a Deo petit, ut peccati memoriam et poenam prorsus expungat, et in pristinam gratiam ipsum restituat; id si fuerit consequutus, se ejus clementiam carmine laudaturum promittit, interim se animi peccatorum sensu afflicti et serio delicta lugentis sacrificium, omni victima illi gratius, offerre. Psalmum compositum esse a Davide, postquam Nathan, propheta, ob commissum cum Bathseba adulterium et Uriam interfectum iram Dei et poenas decretas facinori ejus ei denunciasset, dicit Versus secundus. Cui temporis notationi tamen quum adversari videantur duo ultimi carminis Versus, qui preces continent pro restauranda Hierosolyma, quae urbem et templum tum in ruinis jacuisse arguunt; H. E. G. Paulus et de Wette inscriptioni nullam fidem habendam esse autumant, et carmen dum populus in exilio ageret factum censent, ut peccatorum illius deprecatio et sincerae poenitentiae contestatio esset. Nos tamen quid prohibeat, quo minus hanc sententiam nostram faciamus, dieturi sumus ad Vs. 18. et 20.

2. *Quum adiisset eum Nathan, propheta, postquam congressus fuerat cum Bathseba,* quum nimirum Davidem Nathan de stupro Bathsebae, et caede mariti ejus, Uriae, graviter objurgasset, malaque multa ipsi ejusque familiae, Dei jussu, denunciasset. Historia legitur 2 Sam. 11. et 12. Videtur autem hoc in carmine referri, quomodo fuerit David in illo ipso luctu et jejunio affectus, de quo 2 Sam. 12, 16. sqq., et quibus Deum precibus tum pulsarit. Particula ב ante Infinitivum בּוֹא, nominis naturam et constructionem hic ut alias saepissime sustinentem, latine *postquam* est interpretanda, ut Gen. 33, 18. בְּבֹאוֹ *postquam venisset ex Paddan-Aram*, Jos. 5, 4. Esth. 2, 7.; Nathanem enim tum demum, postquam Bathseba filium peperisset, regem de peccato suo objurgasse, patet ex 1 Sam. 11, 27. 12, 14. sq. Loquutionem autem *venire ad feminam*, ut h. l. בָּא אֶל־בַּת־שֶׁבַע, euphonismum esse, pro *cum ea concumbere*, notum, vid. Gen. 16, 4. 30, 4.

3. Ardenti affectu bonitatem Dei et amplam ejus misericordiam invocat. חָנֵּנִי אֱלֹהִים כְּחַסְדֶּךָ *Miserere mei, Deus, secundum bonitatem tuam;* non pro ratione mei delicti, sed pro tua erga me bonitate mecum age; veniam peto, culpaeque relaxationem exopto. כְּרֹב רַחֲמֶיךָ מְחֵה פְשָׁעָי *Pro ingenti misericordia tua* (proprie *secundum multitudinem miserationum tuarum*) *dele mea delicta.* Nomen רַחֲמִים, in plurali tantummodo occurrens, a רֶחֶם *uterus*, proprie eam misericordiam, charitatem et benevolentiam exprimit, qua solet mater adfici filio uteri sui. De nomine פֶּשַׁע vid. ad Ps. 25, 7. *Deleri* autem sua delicta orat, tanquam si in tabulis ac libris descripta sint, instar grandium debitorum, pro quibus poenae sibi luendae sint. Vid. ad 9, 6. coll. Num. 5, 23. Ex. 32, 32. 33. Alii haec verba in hunc modum accipiunt: dele sceleris admissi

maculam, seu turpitudinem, qua tibi abominandus redditus sum; quod et Vs. 4. petit; atque dicitur verbum מָחָה 2 Reg. 21, 13. de purgatione ollae aut patinae *abstergendo.*

4. הַרְבֵּ כַבְּסֵנִי מֵעֲוֹנִי *Multiplica, lava me*, multum, saepius, magis magisque lava me *ab iniquitate mea.* Vid. de hoc linguae usu not. ad 45, 5. Lectio marginalis (קרי), הַרְבֵּ forma est apocopata Imperativi Hiphil, quemadmodum הָרֶף *remitte*, pro הַרְפֵּ et hoc pro הַרְפֵּ, ex הַרְפֵּה. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 431. In textu forma plena, הַרְבֵּה, exstat. וּמֵחַטָּאתִי טַהֲרֵנִי *Et a peccato meo emunda me.* Peccata saepius comparantur maculis sordibusque, quibus animus inquinatus sit mundandus, vid. Jes. 1, 16. Jer. 4, 14. 33, 8. Ez. 24, 13. 37, 23.

5. כִּי־פְשָׁעַי אֲנִי אֵדָע *Nam scelera mea agnosco*, qui vero ea agnoscit, eum peccasse poenitet. Eo enim tempore, quo tantum crimen admisit, impetu quodam et aestu pravae cupiditatis raptus animus, quantum mali perpetrarit, non cognoscebat, et velut fascino voluptatis consopitus erat; ubi vero Nathanis, prophetae, objurgatione admonitus et excitatus est, tum demum peccati sui magnitudinem advertit atque cognovit. וְחַטָּאתִי נֶגְדִּי תָמִיד *Et peccatum meum coram me est semper*, foeda peccati imago mihi ante oculos assidue obversatur, meque sollicitat angitque vehementer. Sic 38, 18. *plaga mea* נגדי תמיד; 44, 16. *ignominia mea toto die* נגדי. Cf. 16, 8. 50, 8.

6. לְךָ לְבַדְּךָ חָטָאתִי *Tibi, soli tibi peccavi.* Nonnihil efficaciae habet, quod repetitur pronomen: *tibi, soli tibi.* Quid ergo? Nonne et in fidissimum militem, Uriam, ac totum exercitum, quem hujus necandi causa in periculum adduci jusserat, nonne in Bathsebam peccaverat? Quomodo ergo soli Deo peccasse dicere poterat? Multae sunt hujus loci expositiones, quas omnes commemorare longum foret. Haud incommoda horum verborum interpretatio affertur haec: *Tibi soli peccavi*, quia, cum regia dignitate et potestate ceteris praestem omnibus, et nulli factorum meorum rationes reddere debeam, tuo solius judicio subjectus sum, teque solum judicem habeo; itaque si quid peccavi, tibi soli peccavi, tuus reus sum, a te solo aut damnandus aut absolvendus. Alia adjici potest expositio: quamvis homines quoque in hoc facto offenderim, tamen, dum perpendo, quantum hoc meo scelere te offenderim, inde ita torquor atque animo discrucior, ut hoc unum sentiam, et aliorum offensionem paene pro nihilo reputem. Cui sententiae bene congruit, quod proxime subdit: וְהָרַע בְּעֵינֶיךָ עָשִׂיתִי *Et malum in oculis tuis feci*, quod tibi displicebat, perpetravi. *In oculis alicujus aliquid esse bonum aut malum*, rectum aut pravum, pro, judicio alicujus aliquid tale videri ac judicari, satis frequens, vid. e. c. Gen. 29, 20. Num. 13, 34. Et de hoc ipso facinore a Davide admisso 2 Sam. 11, 27. dicitur: *pravum videbatur Davidis factum in oculis Domini;* et 12, 9. *quare contemsisti verbum Domini*,

ut faceres, quod malum est in oculis ejus? i. e. quod ipsi displicet. לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ *Ideo justus es in loquendo te*, h. e. quando per Nathanem me arguis peccati, poenasque denuncias promeritas. Particula לְמַעַן non causaliter, sed consequutive h. l. est capienda, ut Hos. 8, 4. Exod. 11, 9. Ps. 30, 13., ubi not. vid. תִּצְדַּק *justus appares*, ut Job. 40, 3. Addit noster: תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ Ideoque *purus es in judicando te*, aequus appares in sententia de me promulgata. Verbum זָכָה, proprie *purus*, *limpidus*, hinc, *innocens fuit* (ut Job. 15, 14. 25, 4.), hoc loco verbo תִּצְדַּק aequipollere, parallelismus docet. Integri itaque Versus sensus huc redit: agnosco et profiteor, me graviter in te peccasse; itaque quicquid adversus me statuit et pronunciat sententia tua, in eo non fit mihi injuria; justum est judicium tuum, neque reprehendi aut culpari potest. Alexandrinus Versus hujus verba postrema sic reddidit: *καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε*, *et* (ut) *vincas cum judicaris*, ut Vulgatus ea transtulit. Infinitivum בשפטך passive accepit, ut et recentiores quidam fecerunt, et verbo זָכָה tribuit significatum Syriaci זכא *vicit*, ut et alias haud raro. Sensus tamen ex hac interpretatione non multum diversus ab eo, quem nos superius indicavimus, prodibit: fatcor me tibi peccasse, teque offendisse non inficior, adeo ut si contendere in judicio simul velimus, non dubium sit, quin tuae rationes justiores esse probentur, et tu ex eo judicio victor et superior evadas.

7. הֵן־בְּעָוֹן חוֹלָלְתִּי *En! ego cum iniquitate genitus sum*, haeret in natura tota mea, jam inde ab ortu meo, est innata mihi pravitas. Quibus verbis judicem ad misericordiam flectere studet, ignoscendique peccati sui, si ex aequitate et clementia judicare velit, nonnihil adesse causae asserit, quod infecta per originis vitium natura non mirum est, si peccata alia proferat ac germinet. חוֹלָלְתִּי Praeteritum est Pyal a חול *parturire*, Jes. 23, 4. 66, 8.; in Piel est *facere parturire*, ut Job. 39, 4. Ps. 29, 9., unde in Pyal significat *partu edi*, ut Job. 15, 7. *num hominum primus natus es? et ante colles* חוֹלָלְתָּ *genitus?* Cf. Prov. 8, 24. 25. Praefixum ב ante עָוֹן non respicit parturientem matrem, sed sobolem partu editam, quae *cum* peccato, sive peccato jam infecta in lucem editur; servit itaque illa particula formando adjectivo, ut Ps. 29, 4., ubi vid. not. וּבְחֵטְא יְחַמְּתְנִי אִמִּי *Et cum peccato*, peccato inquinatum (ut antea בעוון), *fovit me mater mea.* יחמתני est 3. fem. Praet. Piel cum affixo, cum Segol ab initio loco Chirek propter sequens Chatephsegol (pro יְחַמַּתְנִי, sic אֲחֹרִי Jud. 5, 28.), vid. Gesenii *Lehrg.* p. 170. Descendit hoc a יָחַם (significationem communem habente cum חָמַם) *incaluit*, veluti ex subjectis prunis, Ez. 24, 11., unde de corporis humani calore dicitur (1 Reg. 1, 1. Coh. 4, 11.), item de corde, quando calescit, sanguine ex ira ebulliente, Deut. 19, 6. Hinc transfertur ad calorem illum, in conceptione se exerentem, sic enim de ovibus concipientibus usur-

patur Gen. 30, 37. 38. 41. 31, 10. Dicit itaque vates, se tunc etiam, quum a matre conciperetur, uteroque gestaretur, peccato fuisse infectum; hinc autem aequum esse, ut non summo jure, sed clementer secum Deus judex agat iniquitatemque suam, non tam admissi sceleris, quam infirmitatis innatae habita ratione, relaxet.

8. הֵן־אֱמֶת חָפַצְתָּ בַּטֻּחוֹת *En! veritatem desideras in praecordiis*, i. e. rectitudinem in intimo corde fundatam et reconditam exigis, ut simus intus in corde nostro veraces, sinceri et incorrupti, veraque et justa sentientes et agentes. אֱמֶת *veritas* h. l. de vero et sincero virtutis et pietatis studio dicitur, ut crebro, veluti Prov. 12, 22. 1 Sam. 12, 24. 1 Reg. 2, 4. 3, 6. 2 Reg. 20, 3. Nomen טֻּחוֹת, praeter h. l. semel tantummodo, Job. 38, 36., occurrens, Hebraeorum magistri *renes* explicant, Chaldaei interpretis auctoritate, qui utroque loco כּוֹלְיָן posuit: atque sumtum dicunt nomen ab adipe, quo illiti sunt renes atque obducti, Hebraeis enim טוּחַ *illinere* et *obducere* est; renes autem constat partes esse pinguissimas. Alii *occulta*, *latentia* interpretantur, etiam a significatione *oblinendi*, *calce obducendi* et *tegendi*, qua verbum טוּחַ pollet. Ita nostro loco Alexandrinus, ἄδηλα, eumque in sua versione sequutus Hieronymus, *abscondita*, inque Jobo Syrus, *in abscondito*. Hinc non male Aben-Esra nostrum טֻּחוֹת esse dicit *locos absconditos*, *qui sunt sedes cordis*, i. e. *praecordia*, qui significatus tam huic nostro loco, quam Jobiano est aptus: quippe *renes* Hebraeis non tam intelligentiae, quam affectuum potius sunt sedes. Nonnumquam quidem junguntur *cor* et *renes*, ut Ps. 7, 10. 26, 2.; tum vero *renes* solent appetitum, cupiditates designare, *cor* vero intellectum, judicium, consilia. וּבְסָתֻם חָכְמָה תוֹדִיעֵנִי *Et in occulto sapientiam mihi fac notam*, i. e. ideoque doce me sapientiam, quae in penetrali cordis resideat. Partic. ו commode exprimitur h. l. *ideoque*, ut Ps. 2, 10. 45, 12. 91, 14. Quia enim dixerat, Deum poscere, ut sincerus pietatis et virtutis sensus intima sua obtineat, ut ne ulla prava cogitatiuncula locum apud se habeat, impossibile vero est, ut iniquitate depravatus simul atque fingebatur (Vs. 7.), animi rectitudinem intimis cogitationibus et affectibus suis ita possideret, ut ne quicquam pravi adhaeret, precatur Deum, ut veram sapientiam, quae sedem in aperto penetrali cordis habeat, ipsum docere velit. Participium סָתֻם *occlusum*, *opertum*, h. l. intimum cor denotat, et nomini טֻּחוֹת optime respondet, unde Chaldaeus recte vertit: *in occulto cordis*. Futurum vero, תּוֹדִיעֵנִי, in precandi forma, sive pro Imperativo aut Optativo est accipiendum, ut mox, Versu 9., quae ibi occurrunt futura per Imperativum esse explicanda, docent Vss. 11—14. et res ipsa. Alexandrinus nomina טחות et טחם de *occulta* et *arcana sapientia* intellexit, vertit enim ita: τὰ ἄδηλα καὶ κρύφια τῆς σοφίας σου ἐδήλωσάς μοι, Vulgatus: *incerta occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.*

9. תְּחַטְּאֵנִי בְאֵזוֹב וְאֶטְהָר *Expia me hyssopo, ut mundus fiam.* Aspersione hyssopi, sanguini victimarum, aut aquae lustrationis intincti, purgabantur ex legis praecepto leprosi et qui mortuum contigissent, vid. Levit. 14, 6. 7. 49 — 52. et Num. 19, 6. 18. David igitur ad hos ritus respiciens, quod agnosceret se peccato, quasi lepra, et contactu cadaveris, inquinatum, et eadem ratione, qua ejusmodi polluti, se purgari petit. De nomine אֵזוֹב *hyssopum* denotante, vid. not. ad Ex. 12, 22. et cf. Bochartı *Hieroz.* T. I. p. 670. sqq. edit. Lips. תְּכַבְּסֵנִי וּמִשֶּׁלֶג אַלְבִּין *Lava me, ut prae nive albescam*, ut nive candidior fiam, qua ipsa imagine usus est Jesajas 1, 18. ad innocentiam recuperatam designandam.

10. תַּשְׁמִיעֵנִי שָׂשׂוֹן וְשִׂמְחָה *Audire-me fac gaudium et laetitiam*, fac, ut mihi bonus ille et laetus nuncius afferatur, ut audiam a te peccatum mihi esse condonatum, tunc enim gaudio et laetitia perfundar, תָּגֵלְנָה עֲצָמוֹת *exultent ossa*, moeroris et tristitiae nube ex animo discussa, dones mihi quaeso tranquillitatem laetitiamque conscientiae interiorem, adeo ut et per omnia corporis membra gaudium pervadat. *Ossa* dicuntur *exultare*, quando non vultus tantum exterior prae se fert laetitiam, sed ubi ex animo laetamur toti, ut omnes quasi fibrae ac ossa suavitatem illam animi laetabundi simul persentiscant. דִּכִּיתָ Quae (subaud. enim אשר) *contrivisti*, quae severis tuis minis adeo exterrueras, ut tanquam a leone laniante misere confracta (cf. Jes. 38, 13.) torquerentur, acutissimosque percipcrent dolores: per denunciatam mihi tuam indignationem tantis me affecisti doloribus, quantos experitur is, cui comminuta sunt ossa; cf. Job. 2, 5. 30, 17. 33, 19. Ps. 35, 10. 38, 4.

11. הַסְתֵּר פָּנֶיךָ מֵחַטָּאָי *Absconde faciem tuam a peccatis meis*, figurate dictum, pro: *obliviscere*, vel potius, ostende te oblitum peccatorum meorum; noli amplius mihi irasci, noli ultra in me animadvertere; cf. 90, 8. 109, 14. — וְכָל־עֲוֹנֹתַי מְחֵה *Et omnes iniquitates meas dele*, repetitio petitionis superioris Vs. 3., ubi not. vid.

12. לֵב טָהוֹר בְּרָא־לִי אֱלֹהִים *Cor mundum crea mihi, Deus*, animum a pravis cupiditatibus purgatum mihi redde, metaphora ab auri probatoribus ducta, qui dum excoquunt aurum, et ab eo scoriam segregant, quasi denuo creant, et substantia manente aliud ex eo faciunt, ac purius reddunt. וְרוּחַ נָכוֹן חַדֵּשׁ בְּקִרְבִּי *Et spiritum firmum innova intra me*, firmum et constantem in virtutis et pietatis studio animum, non remissum atque titubantem; *innova* autem, h. e. alium mihi spiritum, et a priore, quem habui, quum in peccatum lapsus sum, diversum tribue, ut tuis praeceptis constanter obtemperem, et peccata detester. Similem sententiam et figuram habes Ez. 11, 10. 36, 26. 27.

13. אַל־תַּשְׁלִיכֵנִי מִלְּפָנֶיךָ *Ne projicias me a vultu tuo*, tanquam hominem odiosum et abominandum. *Projicere aliquid*

ab oculis aut *facie* est, cum quadam indignatione illud a se amovere, non curare, irasci insuper ei, odisse ac detestari illud; cf. Jon. 2, 4. 5. Hinc *projici a facie Dei* tanquam omnium malorum extremum in veterum Hebraeorum scriptis poni solet, ac de iis dici, quos cum Deus variis rationibus corrigere atque emendare curasset, illique nihil proficerent, desperata ad ultimum eorum correctione repulit. Cf. 2 Reg. 24, 20. Noster autem spectare videtur dignitatem regiam, sibi posterisque suis promissam, qua, ne uti Saulus, propter peccatum suum privetur, enixe rogat. Ejusdem Sauli exemplum ejus haud dubie obversabatur animo dum hanc precem subjecit: וְרוּחַ קָדְשְׁךָ אַל־תִּקַּח מִמֶּנִּי *Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me*, propr. *spiritum sanctitatis tuae*, nomen autem posterius adjective reddendum est (ut 2, 6. 11, 4. al.). Nostrum locum illud illustrat, quod 1 Sam. 16, 13. legimus, postquam David esset rex unctus a Samuele, *incessisse eum spiritum Jovae*, et paullo post (Vs. 14.), *recessisse spiritum Jovae a Saulo*. Jam quum *spiritu divino*, hominibus impertito, vetustissima Hebraeorum lingua *indolem egregiam*, *dotes eximias*, aut *virtutes excellentes* designare soleat, ut cognoscitur ex Jud. 3, 10. 6, 34. 14, 6. 19. aliisque locis, ubi *regibus* tribuitur *spiritus* ille *divinus*, patet, eo nomine omnes illas animi ingeniique dotes comprehendi, quae ad regiam potestatem recte riteque exercendam necessariae essent, veluti prudentiam in regendis moderandisque populis, fortitudinem ad facta quaeque egregia aggredienda et perficienda. Dum igitur h. l. vates rogat Deum, ne auferat a se illa animi munera et ornamenta, quae ad regiam potestatem tuendam necessaria fuerant, nihil aliud orat, quam ut regiam dignitatem obtineat amplius.

14. הָשִׁיבָה לִּי שְׂשׂוֹן יִשְׁעֶךָ *Redire fac*, restitue, *mihi gaudium salutis tuae*, i. e. redde mihi laetitiam de salute ex auxilio tuo; fac, ut de auxilio mihi praestito, et de salute a te mihi concessa, iterum laeter. וְרוּחַ נְדִיבָה תִסְמְכֵנִי *Et spiritus spontaneus sustentet me*, peccati venia a te impetrata, fac, ut animum recipiam alacrem, solutum, liberumque, cum enim significari *spiritu spontaneo*, res ipsa et membrorum suadet parallelismus, quum שְׂשׂוֹן praecesserit. Quare recte Lutherus vertit: *der freudige Geist*. Quia נָדִיב et *principem* notat (quasi *liberum*, *sui juris*, cui est, pleraque, ut vult, facere, nec ullius voluntati obstrictum); Alexandrinus רוח נדיבה *πνεῦμα ἡγεμονικὸν*, *principalem animum* exposuit, i. e. principe dignum, munerique regio obeundo aptum.

15. Hanc gratiam si mihi praestiteris, אֲלַמְּדָה פֹשְׁעִים דְּרָכֶיךָ *Docebo sceleratos vias tuas*. Quod intelligere possumus de Dei praeceptis institutisque. Aut *vias Dei*, ejus cultum et religionem praedicaturum se eis, qui ab illo descivissent, pollicetur, cui sententiae verba quae proxime sequuntur, consentiunt: וְחַטָּאִים אֵלֶיךָ יָשׁוּבוּ *et peccatores ad te convertentur; converti* autem *ad Deum* saepissime sic accipitur, ut sit ad ejus religionem cultumque redire,

quum qui ab ejus potestate ac ditione tanquam perfidus ac desertor descivit, rursus ad illum pro vero Deo Dominoque habendum agnoscendumque revertitur. Eo sensu haec loquutio aderat 22, 28.

16. הַצִּילֵנִי מִדָּמִים *Libera me a sanguinibus*, i. e. a reatu ac poena sanguinis Uriae innocentis aliorumque cum eo caesorum (2 Sam. 11, 17.) iniquissime effusi. דָּמִים enim pro *reatu caedis* saepe dici solet, quem sequi debeat sanguis delinquentis iterum fundendus; v. g. Ex. 22, l. 3. percussori effossoris nocturni *non sunt sanguines*, i. e. vacat culpa ac poena homicidii, contra si sole exorto id fecerit, *sunt ei sanguines* (Vs. 2.). Cf. Deut. 22, 8. 19, 10. אֱלֹהֵי תְשׁוּעָתִי *Deus, Deus salutis meae*, qui mihi salutem praestas, vid. ad 24, 5. coll. 42, 9. 43, 2. תְּרַנֵּן לְשׁוֹנִי צִדְקָתֶךָ *Ovabit lingua mea de justitia tua*, cum mihi poenitenti peperceris, tuamque adeo in servandis promissis fidem ac justitiam ostenderis. De verbo רָנַן vid. ad 33, 1., de צְדָקָה *justitia*, clementia *Dei*, ad 22, 32. 24, 5.

17. אֲדֹנָי שְׂפָתַי תִּפְתָּח *Domine, labia mea aperies*, h. e. *aperi*, fut. pro imper., aut optat., ut Vs. 9. 10. 14. Sensus est: etiamsi maxime cupio tuas laudes celebrare, tamen memoria peccati mei tantam mihi verecundiam ac pudorem ingerit, ut aperire os quodammodo et hiscere non audeam; nam conscientia peccati os obstruit. Itaque nisi me criminis reatu absolveris, ut animum solutum atque a moerore liberatum recipere possim, tui laudandi munus aggredi non audeo. Aliis quoque locis conqueritur David, se fuisse mutum, quamdiu oppressus erat manu Dei, ut Ps. 39, 10. Ubi autem sentit, Deum sibi favere, et peccata sua esse abolita, tunc habet os apertum. וּפִי יַגִּיד תְּהִלָּתֶךָ *et os meum annunciabit laudem tuam.*

18. *Nam hostiis non delectaris, alioqui eas offerrem, holocaustum tibi non est gratum.* Laudatio et gratiarum actio (Vs. 11.) gratior res tibi est, quam sacrificiorum cultus vulgaris. Quodsi enim sacrificiis talibus delectareris horumque ceremonia expiari posset peccatum meum, et in promtu haec mihi essent. Consentit plane cum doctrina Psalmi 50. Qui hunc Psalmum populi Hebraei in exilio versantis deprecationem existimant (vid. Argument.), ii hoc Versu vatem volunt hoc dicere, non esse Deo grata ea sacrificia, quae tum extra terram sanctam, et non in templo offerri possint. Verum adeo nihil est in verbis, quod tale quidquam vatem in mente habuisse suadere possit, ut potius Vs. 19. tali sententiae adversetur.

19. *Hostiae Deo gratae spiritus confractus; cor confractum et dejectum non aspernaberis, Deus.* Animum solummodo spectas aut postulas serio poenitentem, et ob peccata afflictum et dolentem; non despicies igitur cor tale meum, nihil enim habeo, quod rependam tibi.

20. *Benigne fac ex benevolentia tua Sioni, aedifica muros Hierosolymorum.* Sed stabant adhuc muri Hierosolymitanae urbis, necdum arx Sion diruta erat; quid est igitur, quod optat, muri urbis aedificentur? Sunt, qui dicant, Davidem, templi aedificandi desiderio incensum petere, ut Salomoni id exstrucre liceat. Sed, mea sententia, durum videtur, templum significari muris Hierosolymitanae urbis. Alii monent, fuisse quidem Davidis temporibus jam exstructam urbem, sed nondum ad suam perfectionem pervenisse, nec muris lapideis cinctam, quod a Salomone demum fiebat, vid. 1 Reg. 3, 1. Hinc h. l. sic interpretantur: ne propter peccata mea desine Sioni favere, et Hierosolymorum muros, ut coepisti, exstruere atque amplificare, ut urbis ambitus ipsum quoque montem Sionium capiat, ut in medio urbis liceat videre montem, super quo tanquam in arce Jovae templum exstruatur. Veritum enim esse Davidem, ne templi exstruendi et divinae habitationis felix illud promissum, quo promisso spes posteritatis, et regni sui successio nitebatur, suo admisso scelere in Uriam irritum fieret. Observavit autem jam Aben-Esra, esse doctum quendam Hispanum, qui suspicaretur duos hosce Versus (20. 21.) additos fuisse a pio aliquo viro in exilio Babylonico, qui, jam destructâ civitate, desiderio ejus instaurandae teneretur, idque a Deo his extremis verbis hujus Psalmi petendum putaret. Atque nostra aetate in eandem suspicionem incidit Venema, his nixus rationibus. Primo quidem, quia David in hoc Psalmo pro se et domo sua tantum orans, vix commode pro Sione intercesserit, cujus status satis felix erat et firmus. Deinde, quia verba ipsa clare loquuntur de Sionis et Hierosolymitanae urbis destructione, qua Davidicis temporibus minime convenit. Tum, quia verba haud obscure innuunt, cessare prorsus cultum sacrificiorum; vovetur enim Versu 21. illius exercitium in futurum, quando Deus instauraturus esse Sionem, et cum ea instauratione connectitur. Denique, David modo dixerat, Deum nolle sacrificia in hoc statu suo ad reconciliationem cum eo efficiendam. Quomodo igitur nunc idem ille vates dicere potuisset, Deo grata fore sacrificia post Sionem restitutum? nonne potius dixisset: benefac mihi, tunc grata erunt sacrificia mea? Quae quum ita sint, haud dubitamus, Venemae aliisque accedere, qui duos hosce Versus additos statuunt ab eo, qui vetus Davidicum carmen populo in exilio versanti accommodavit.

21. וְכָלִיל — אז *Tunc delectaberis sacrificiis justis, holocausto et integro.* Qui Davidis esse censent hunc Vs. cum Vs. 20., eum cum superioribus conjungunt hoc sensu: Tu nunc repudiares sacrificia ab homine adulterii et homicidii reo; ubi autem ex solito erga istam urbem favore te mihi prorsus placatum esse intellexero, enimvero tunc sacrificia tibi offeram, ac, spero, ea habebis grata et accepta. זִבְחֵי־צֶדֶק *Sacrificia justitiae* sunt sacrificia legitima cum vera animi pietate oblata, opposita sacrificiis sine pia mente

oblatis, quae nihil habent praeter inanem pompam. Quod dicit vates עוֹלָה וְכָלִיל, idem geminat, nam *holocaustum*, עוֹלָה, ipsum erat כָּלִיל *integrum*, h. e. totum cremabatur, cf. not. ad Ps. 50, 9. אָז יַעֲלוּ וגו׳ *Tunc imponent* (sacerdotes, quam vocem addit Chaldaeus) *altari tuo boves*. De nomine פַּר vid. not. ad Ps. 22, 13.

Ps. 52.

Invehitur in hominem sceleratum, qui dolose fictis carminibus innocentes homines detulit perdiditque, illique exitium denunciat; simul autem comparationem instituit inter studia et mores, res et spes, piorum atque impiorum, hos potentia, et violentia et opibus, praesidiisque humanis, illos solo Deo niti ac fidere.

Inscriptio hebraea, Vs. 2. praescripta, nefarium hominem, qui hoc Psalmo perstringitur, perhibet esse Doëgum, qui efferebat se, et quasi triumphabat, quod prodidisset atque interfici curasset sacerdotes illos octo quinquaginta, qui receepissent Davidem in fuga, de quo plura ad Vs. 2. Nec inscriptioni hebraeae, quae antiquitatis auctoritatem habet, fides deneganda videtur. Per totum enim Psalmum improbus describitur talis, qui *deferendo* alios pessum dedit, quod egregie competit Doëgo, qui nisi Achimelechum detulisset ad Saulum, is nec trucidare pontificem jussisset. Atque hoc ipsum, quod accusatio a Doëgo facta, unica esset caussa horrendae illius caedis, permovit haud dubie hebraeae inscriptionis auctorem, talem illam facere, qualem eam legimus, neque igitur est, cur illam vituperemus.

2. *Quum venisset Doeg, Idumaeus, ad Saulum, eique nunciasset, venisse Davidem ad domum Achimelech.* Historia copiose describitur 1 Sam. 21. et 22. David, Sauli vim fugiens, in urbem Noben, ad Achimelechum, pontificem, se receepit, qui eum armis et commeatu instruxit, ignarus inimicitiarum, quae inter illum et regem intercedebant. Inde Gatham, ad regem Philisthaeorum, confugit; et quum nec ibi satis se tutum videret, mox in speluncam, nomine Adullam, mox in sylva, cui nomen erat Hareth, delituit. Quum ita huc illuc cursaret, Saul ex aliquo rumore didicit, eum in istis regionibus visum fuisse. Verum, quia rumor iste paullo confusior erat, et incerto auctore, nec eorum quisquam quos circa se habebat, quidquam illi de Davide liquido referebat, cujus ullus usus esset ad consilia capienda, venerunt in suspicionem apud eum, quasi arcana conjuratione cum eo, et cum Jonathane, Sauli ipsius filio, facta, fugitivum illum ad regnum evehere decrevissent. Ut eam suspicionem a se amoliretur, et gratiam aliquam apud regem iniret Doëgus, pastorum regiorum princeps, qui erat Nobi, cum David illuc transierat, regi renunciavit, quid tum ab Achimelecho factum esset, multa haud dubie, aulicorum more, insuper affingens. Ex quo horribiles tragoediae consequutae sunt. Statim enim Saulus, vehementer Achimelecho incensus, eum cum tota cognatione

accersi jussit, cujus excusationi, quantumvis idoneae et justae, fidem quum habere nollet, plus enim apud eum metus periculi valebat; mandavit emissariis, ut pontificem una cum tota familia trucidarent. Verum his religio fuit, viros Deo sacros ferro violare. Doëgus solus, qui regis animum instigarat, id facinus aggredi ausus, quinque et octoginta sacerdotes crudeliter mactavit, moxque Noben, sacerdotum urbem profectus, omnes ad unum cives atque incolas, nullo aetatis vel sexus discrimine, obtruncavit, imo nec pecoribus pepercit. Quo accepto nuntio in summo dolore fuit David, tum quod ipsi hoc modo invidia et odium summum creatum esset, et nemo ei sine periculo capitali benefacere posset amplius, multo minus eum recipere hospitio; tum ex eo praesertim, quod ipsemet tanti mali causa exstitisset; ipse enim arcana a rege mandata habere se simulans, Achimelecho, ut sibi sacros panes, et Goliathi gladium daret, facile persuasit, alioquin non facturo, quod illum videret solum, nec in comitatu, qui regis generum deceret. Tunc igitur David hos Versus in Doëgum, tanti sceleris auctorem, effudit, haud dubie simul atque per Abiatharum, Achimelechi filium, qui solus generis sui superstes patris et aliorum sacerdotum caedem evaserat, de crudelitate Sauli cognovisset. Quod autem הָאֲדֹמִי in hac inscriptione Doëgus appellatur, id alii *Adomaeum* interpretantur, h. e. ex Adama, urbe tribus Naphtali (Jos. 19, 36.) oriundum, alii *Edomitam*, sive *Idumaeum.*

3. מַה־תִּתְהַלֵּל בָּרָעָה הַגִּבּוֹר *Quid gloriaris de noxa, tu, violente!* Abruptum exordium, quo per apostrophen in Doëgum, alioquin absentem, subito invehitur. Tene, inquit, de tuo isto tam immani scelere oportet gloriari, quod solus ex ministris regiis in sacerdotes manus inferre ausus es? גִּבּוֹר (de quo vid. 24, 8. 33, 16.) h. l. in malam partem is, *qui vim injustam* exercet. Alii εἰρωνικῶς Doëgum *fortem*, *heroa* dictum existimant, q. d. o praedicande heros, qui immaniter trucidas homines innoxios, et qui sese non defendunt. חֶסֶד אֵל כָּל־הַיּוֹם *Bonitas Dei omni*, vel, *tota die*, subaudi: exstat. Sensus est: cur de scelere admisso tantopere superbis, ex eoque novi facinoris concipis audaciam? Etiamsi prodidisti et interfecisti propter me sacerdotes et innocentes familias; numquam tamen me evertes et causam meam, quum Deus mihi regnum promiserit, et bonitate sua me protegat et defendat.

4. חוֹת תַּחְשֹׁב לְשׁוֹנֶךָ *Noxas meditatur lingua tua*, noxia et perniciosa consilia profert lingua tua. Tribuit *linguae* quod *animi* est, quia lingua est mentis interpres, et ejus opera cogitationes aperiuntur. Similis loquutio 78, 72. Sensus: tu commentus es adversum me et Achimelechum criminationes, quibus nos perderes; id quod magis adhuc exprimit: כְּתַעַר מְלֻטָּשׁ עֹשֵׂה רְמִיָּה *Sicut novacula acuta faciens dolum*, sicut novacula exacuta, si vel leviter quis eam contingat, vulnerat gravissime, ita quem tu

dolis tuis potes assequi, eum prorsus dare soles interneccioni. Alii de novaculae dolosa sauciatione cogitant, hoc sensu: sicut novacula vel paullulum aberrans gravissime laedit, atque adeo etiam jugulum attingens interficit, ita ille suis calumniis innocentes homines perdidit. Nec incommode aliqui haec verba: *faciens dolum*, accipiunt vocandi casu, hoc modo: ita sauciat et occidit lingua tua, ut cultor rasorius secat, o artifex doli!

5. *Diligis malum prae bono, mendacium magis, quam loqui justum*, mala potius loqui tibi libet, et nocentia, quam bona et utilia, et falsa potius, quam vera; perdere potius vult, et mentiri, lingua tua, quam conservare et verum dicere. Maluit enim Doëgus confingere adversus Achimelechum mendacia, ut quod ipsum non latuisset, Davidem esse perfugam, regique odiosum, quam ipsum defendere et excusare, id quod erat justum et aequum.

6. *Diligis omnia verba absorptionis, lingua fraudis!* cordi tibi est, proferre perniciosissima quaeque, et quibus quam facillime sternas innocentes, et devores totos, o lingua fraudulenta!

7. גַּם־אֵל יִתֶּצְךָ לָנֶצַח *Et Deus destruet te prorsus*, instar aedificii penitus diruti ac eversi; ita enim verbum נָתַץ solet sumi de destructione domus Lev. 14, 45. Ez. 26, 12., per arietes et secures Jer. 33, 4., murorum 2 Reg. 25, 10., urbium Jud. 9, 45., statuarum 2 Reg. 10, 7. — יַחְתְּךָ וְיִסָּחֲךָ מֵאֹהֶל *Auferet ac evellet te e tentorio*, e sede habitationis tuae, ex opulento tuo domicilio; dejiciet te ex statu tuo pristino, atque prorsus exterminabit. יִסָּחֲךָ refer. ad verbum נָסַח *amovit, evulsit.* Sunt qui אֹהֶל accipiant de *tentorio sacro*, ut excludendus significetur Doëgus e coetu cultorum Jovae, ejusque populo, qui ex eodem illo cruenta manu evulserat sacerdotes. Alii *tentorii* mentionem referunt ad dignitatem regii pastoris antesignani, qua Doëgus ornatus fuit. וְשָׁרְשְׁךָ מֵאֶרֶץ חַיִּים *Et eradicabit te e terra viventium*, quibus verbis significari videtur, Deum non modo Doëgum e vivis sublaturum, sed sicuti ille omnem Achimelechi familiam delevit, sic totam etiam ipsius familiam Deum deleturum. Id videtur innuere verbum *eradicabit te*, quasi idem sit, ac, non relinquet radicem, h. e. liberos, ne repullulare aut crescere iterum familia possit. Cf. Mal. 4, 1.

8. *Videbunt justi*, quas poenas de Doëgo sumet Deus, *et venerabuntur* Deum, ultorem, majorem in modum, *deque illo irridebunt.* Observanda paronomasia in verbis יִרְאוּ et יִירָאוּ.

9. עֹשְׂרוֹ — הִנֵּה *En virum, qui non ponit* (vid. ad 40, 5.) *robur suum Deum, sed nititur multitudine divitiarum suarum*; videte omnes, quid illi ex hac superbia evenerit, illum in exemplum vanae spei et impiae praesumtionis accipite; non Deo confisus est, non in illo sibi auxilium et fortitudinem constitutam putavit, sed adversos casus et pericula imminentia vitare se posse credidit opum suarum ac divitiarum auxilio. Doëgum fuisse hominem

opibus valentem, potest inde colligi, quod 1 Sam. 21, 8. (al. 7.) vocatur *primarius pastorum Saulis*, pastoribus regiis praefectus. Credibile quoque est, eum delationis suae ad regem et caedis ejus jussu commissae, praemia tulisse. יְעֹז בְּהַוָּתוֹ *Roborat se*, sive, *robur suum collocat in pravitatibus suis*, sceleribus potentiam affectavit, non virtute ac fide aliis hominibus valentior est factus, sed dolis, insidiis, callidis sermonibus, malis artibus alios circumduxit, vicit, oppressit: hisce duobus praesidiis se firmum fore putavit, divitiis ac fraudibus.

10. וַאֲנִי — אֱלֹהִים *At ego sicut olea virens in domo Dei* ero, sceleratus Doëgus defluet, sicut defluit folium ex mortua arbore, ego vero, quem nunc ille tantopere perditum cupit, tandem salvus evadam, eroque instar virentis olivae, cujus numquam decidunt folia. Quod autem dicit *in domo Dei*, opponi videtur suo exitio, q. d. etiamsi tu, Doëge, antehac in domo Dei, dum pontificem accederem, dolose me observaveris, atque apud regem detuleris (1 Sam. 21, 8.), etiamsi quoque nunc mihi, a sacris depulso atque exsuli, acerbe insultes, certo tamen spero, me iterum reditum esse, ego enim non in divitiis ac fraudibus fiduciam colloco, sed בָּטַחְתִּי וגו׳ *nitor Dei bonitate perpetuo.*

11. אוֹדְךָ לְעוֹלָם כִּי עָשִׂיתָ *Celebrabo te in sempiternum, nam praeclare egisti*, s. *agis* (vid. ad 22, 32.), i. e. agere soles, quare spero, fore, ut perficias ea, quae abs te petii. וַאֲקַוֶּה שִׁמְךָ *et exspectabo nomen tuum*, opem a te mihi praestandam; *nomen Dei* pro Deo ipso, ut Ps. 20, 2. — כִּי־טוֹב *Quia nomen* est scil. nomen tuum, i. e. jucundum, beneficum, idque faciam נֶגֶד חֲסִידֶיךָ *coram piis tuis*, ut non ipse solus tibi laudes persolvam, verum etiam cultores tuos tibique deditos homines ad tuum numen celebrandum commemoratione tuorum in me beneficiorum excitem.

Ps. 53.

Psalmum hunc, cum quarto decimo, paucis verbis immutatis, eundem, simul cum illo enarravimus.

Ps. 54.

Canit, ut in periculum maximum proditione Siphaeorum adductus, Dei opem implorarit adversus illorum Saulique insidias. Tum auxilium et vindictam de hostibus suis sibi a Deo pollicetur, a quo numquam sit desertus, jamque sentiat se adjuvari. Denique vovet gratiarum actionem. De occasione, per quam, et tempore, quo hic Psalmus editus sit, vid. ad Vs. 2.

2. *Quum venissent Siphaei Sauloque dixissent: Nonne David absconditus apud nos?* Haec eadem verba leguntur 1 Sam. 23, 19. 26, 1. Quod argumento est, hunc Ps. ad historiam, quae alterutro horum locorum describitur, debere referri. Et prior

quidem sic fere habet. David non diu post Doëgi, Idumaei, perfidiam, admonitus oraculo, ni mature suis rebus consuleret, fore, ut a Ceilanis, in quorum urbe morabatur, ipse cum suis Saulo dederetur, urbe illa relicta in desertum Siph se cum sexcentis circiter viris contulit. Sed neque ibi diu tutus fuit. Nam Siphaei, captantes regis gratiam, mittunt statim ad illum oratores, qui significent, Davidem in suo agro commorari, polliceanturque omnem operam, ut ipse in manus regis tradatur. Saulus vero collaudatos homines, quod suam vicem doluissent, hortatus est, explorarent diligenter, quo in loco versaretur David, promittens, se brevi cum ingenti exercitu adfuturum. Nec mora. Statim Saulus insequutus est Davidem, qui tum erat in Maonico deserto, et cognito regis adventu rupem quandam insederat, e qua vix potuisset evadere, constrictus quasi irretitusque ab hoste, nisi huic nuntius allatus fuisset, Philithaeos irrupisse in regnum, quae res Saulum coegit, misso Davide, decedere, et hoc solum, Deo ita curante, Davidem tum conservasset. Secundum autem proditus fuit a Siphaeis, cum in vicina solitudine Hachilae latuit, quo similiter adversus eum exercitum eduxit Saulus, sed minore, quam antea, successu. David enim castra Sauli noctu ingressus, gravi sopore divinitus immisso et Saulo et toti exercitui, tum scyphum et hastam Saulo stertenti abstulit et potuisset eum interficere, si voluisset. Itaque et cum bona gratia sua sponte ab eo exoratum abduxit Saulus, et reconciliatus, ut videri voluit, a Davide discessit. Quae historia perscripta est 1 Sam. 26. Utra igitur in titulo hujus Psalmi indicetur, quaeri potest, neque tamen ad liquidum rem quisquam perduxerit, quum in carmine omnia sint generaliora, neque quidquam quod ad speciale aliquod factum referri certo possit. Difficile dictu, Syrum quid moverit, cur aliam plane, quam hebraea inscriptio indicat, Psalmi occasionem fecerit. Hanc enim Syriaca versio hujus Psalmi epigraphen gerit: *Cum misisset David Joabum et exercitum suum ad pugnandum contra Absalonem. Nobis vero est tropaeum et oratio ejus qui a Deo defenditur.* זִפִּים *Siphaei*, oppidi *Siph* (a conditore, uti videtur, sic appellati, 1 Chr. 2, 42) incolae in desertis Judae, prope Maon et Carmel, Jos. 15, 55. Verba Siphaeorum ad Saulum memorantur haec: *Nonne David latet apud nos?* quae interrogatio ex proprietate linguae affirmationem habet, et ut simplex indicium capienda est. Valet in hujusmodi phrasibus הֲלֹא idem quod הִנֵּה *ecce!* Cf. Gesenii *Gesch. d. hebr. Spr.* p. 39.

3. אֱלֹהִים בִּשְׁמְךָ הוֹשִׁיעֵנִי *Deus salvum me reddas nomine tuo*, i. e. ope tua; *nomen Dei* pro Deo ipso ejusque numine, ut 44, 6. 52, 11. al. וּבִגְבוּרָתְךָ תְּדִינֵנִי *Et fortitudine tua*, in qua sola spem habeo, cum adversum me tot iique potentes hostes conspirarint, *judica me*, i. e. jus meum tuere et ulciscere me. Sic verbum דִּין *judicare*, saepius est, caussam oppressi alicujus agere,

innocentiam producere, ejusque adversarium meritis afficere poenis, ut Gen. 30, 6. *judicavit*, vel, *ultus est me Deus*. Jer. 22, 16. Ps. 68, 6.

4. *Deus audi precem meam*, *ausculta sermoni oris mei.* Diversis verbis eandem sententiam repetit.

5. כִּי זָרִים קָמוּ־עָלַי *Nam alieni adversus me insurrexerunt.* *Alienos*, זָרִים, aliqui interpretantur extraneos, qui non erant Israelitae, quales credibile est multos in Sauli exercitu fuisse. Alii *hostes* denotari, et rationem significationis non aliam esse existimant, quam, cur Latinis vox *hostis*, quod olim tantum *peregrinum* significabat, nunc publicum inimicum notat, nempe, quia exteri plerumque sunt inimici. Ab his non multum absunt, qui a Davide ipsos Siphaeos, quamvis propinqui essent et contribules, ex eo quod hostiliter insectarentur, et ejus necem ac sanguinem peterent, non propinquos, sed alienos appellatos existimant. Ita Jobus de suis propinquis, a quibus desertus erat, dixit 19, 13. *fratres meos a me removit*, *meique familiares* זָרוּ *alieni facti sunt a me.* Chaldaeus reddidit זְדִנִין *superbos*, *insolentes*, ac si in Hebraeo esset זֵדִים, quod ipsum nostro loco plures codices a Kennicotto atque de Rossio inspecti exhibent, et legitur etiam loco parallelo Ps. 86, 14., ubi Versus noster integer totidem fere verbis repetitur. Praeterea זֵדִים melius congruere videtur hemistichio alteri: וְעָרִיצִים בִּקְשׁוּ נַפְשִׁי *et praevalidi*, violenti, *insectantur vitam meam* (vid. ad 35, 4.). לֹא־שָׂמוּ אֱלֹהִים לְנֶגְדָּם *Non posuerunt Deum ante conspectum suum*, Deum nec cogitant, nec timent; quod homines, etiam si facile, quae student, perficere possint, a scelere solet avertere, ipse Dei respectus et timor omnia videntis, atque unicuique pro factorum ratione praemia rependentis, illis minime adest.

6. Quum hucusque maximo in periculo constitutus orasset, subito aliquid consolationis ac spei ipsi objicitur, quod in mentem veniret, quoties sibi antea Deus in aerumnis periculisque adfuerit; itaque in haec verba erumpit: הִנֵּה אֱלֹהִים עֹזֵר לִי *En, Deus adjuvat me*, ita ut illi, quantumvis ad meam perniciem incumbant, meque suis delationibus opprimere studeant, obesse non possint. אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי *Dominus in sustentantibus animam meam*, i. e. sustentans vitam meam, saepe enim particula ב, adjectivo plurali praemissa, periphrasin facit praedicati. Sic Jud. 11, 35. *tu* (filia) *es* בְּעֹכְרָי *inter conturbantes me*, i. e. conturbas me. Vid. Ps. 118, 7. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 838. Non absona quorundam conjectura est, Davidi precanti, quum in maximo versaretur periculo, et prope esset, ut caperetur, nunciatum fuisse, Philisthaeos in ditionem Sauli irrupisse, quo nuntio ille excitus, re infecta regressus, Davidi spatium evadendi reliquit (1 Sam. 23, 27.), unde laetus in talia verba eruperit, qualia hoc Versu legimus.

7. יָשִׁיב הָרַע לְשֹׁרְרָי *Redire faciet*, rependet (sive, secundum *Chetibh*, יָשׁוּב *redibit*), *malum*, exitium, quod mihi moliuntur, *insidiatoribus meis*, qui insidiose dispiciunt observantque, ubi lateam, a verbo שׁוּר *contemplari*, *observare*. בַּאֲמִתְּךָ הַצְמִיתֵם *Per veritatem tuam*, s. ex fide tua, *exscinde eos* (vid. ad 18, 41.), ut constans promissionibus tuis agnoscaris; ut verum sit, quod tu pollicitus es, me regnaturum, dele illos, alioquin actum est de me tuisque promissis; prope enim est, ut peream, nisi illi perierint. Per apostrophen subito ad Deum convertitur oratio, de quo hucusque in tertia persona fuit loquutus; quo ipso affectuum prodit vehementiam.

8. בִּנְדָבָה אֶזְבְּחָה־לָּךְ *Spontaneo sacrificio tibi sacrificabo*, postquam tu illos subverteris atque succideris. Inter sacrificia genus quoddam erat voluntariorum, quae non ex aliqua necessitate, sed hilari promptoque animo sponte offerebantur, Deo gratias agendi causa (Lev. 7, 16. 22, 21. 23.). Hujusmodi, inquit, sacrificiis tuo tam magno in me collato beneficio reddam vicem, אוֹדֶה שִׁמְךָ יְהוָה *Celebrabo nomen* atque gloriam tuam, *Jova*, כִּי־טוֹב *nam bonum*, jucundum, *est*, vid. Ps. 52, 11.

9. *Quod ex omni angustia liberavit me*, *quod intuetur inimicos meos oculus meus*, cum oblectatione (vid. ad 22, 18. 27, 4.), dum dignis poenis afficientur, postquam eosdem hucusque non absque metu ac tremore maximo conspicere potui. *Liberavit me;* ex praeteritis beneficiis Dei de futuro fiduciam concipit, q. d. quod hucusque fecisti, non desines facere etiam deinceps.

Ps. 55.

A perditissimis et fallacissimis hominibus, quos inter primos amicos habuerat, se in summam angustiam adductum queritur; optat sibi addi alas, ut in remotissimas terras possit aufugere, et in aliquod desertum se recipere, ubi tutus sit ab hostibus. Dein rogat Deum, ut turbet hostium consilia, simul illorum mores et factionem describens. In quendam praesertim, cum quo fuisset ipsi antea arctissima necessitudo, invehitur (Vs. 13—15.), queriturque se ab eo injuriam pati, quo ductore usus sit, quicum consilia suaviter contulerit, unaque aedem Dei frequentarit, illi, totique factioni subitam mortem imprecatur, affirmatque numquam cessaturum Deum preeari, donec fuerit liberatus, hostes vero eversi, quemadmodum certo sperat, et futurum praedicit. Rursus falsum ac fucatum illum amicum perstringit, et perfidiae accusat. Denique pro epilogo se suosque hortatur, suas omnes curas in Deum exonerent, certoque praedicit hostes perituros, neque medium vitae tempus expleturos.

Chaldaca paraphrasis Psalmum hunc interpretatur de conjuratione Absalomi, quod Kimchio quoque aliisque Hebraeorum magistris placuit, qui existimant Davidem hoc carmen edidisse, quum,

audita Absalomi filii scelerata adversus ipsum conspiratione Hierosolymis excessisset, et ascendenti per clivum Oliveti montis, omnibus circa eum illacrymantibus renunciatum fuisset, Achitophelem quoque inter conjuratos apud Absalomum esse; quo vix aliud tristius illi in hac calamitate accidit. Quam historiam vide 2 Sam. 15., cui et nos hunc Ps. apte accommodari posse existimamus. Obvertit quidem H. E. G. Paulus, cui de Wette adstipulatus est, tempori supra indicato adversari Versum nonum, quo poeta se una cum hostibus in eadem urbe versantem describit. Sed nihil obstat, quo minus Psalmum interpretemur de eo tempore, quod praecessit proxime tempus id, quo gliscente seditione Absalonica de fuga jam ab urbe, et regia deserenda, cogitabat David.

2. הַאֲזִינָה אֱלֹהִים תְּפִלָּתִי *Audi, Deus, precationem meam*, promte, benevole et cum effectu, i. e. exaudi; ne denega mihi aequum et rectum roganti, ut Ps. 54, 4. — וְאַל־תִּתְעַלַּם מֵהִתְחַנָּתִי *Et ne occultes te a deprecatione mea*, h. e. ne averseris preces meas, ne me supplicantem refugias. In verbo עָלַם *occultus fuit*, et in Hithpael, *occultavit se ipsum*, latet anthropopathia, deducta ab amico vel patrono, qui praevidens ab homine egeno et ad incitas redacto se implorandum, non patitur se reperiri, sed sua quaerit subterfugia. Vid. et not. ad 10, 1.

3. הַקְשִׁיבָה לִּי וַעֲנֵנִי *Attende et responde mihi*, opem ferendo. De verbo הִקְשִׁיב vid. ad 5, 3. אָרִיד בְּשִׂיחִי וְאָהִימָה *Circumvagor in sollicitudine mea et perstrepo.* Verbum רוּד in Hiphil *plangendi* significatum obtinere volunt Hebraeorum magistri. Sed quum illud potius *ultro citroque vagari* denotet, ut consonum Arabicum verbum, vid. Jer. 2, 31. Hos. 12, 1. et Hiphil Gen. 27, 40., et h. l. de eo intelligendum erit, qui prae animi anxietate nescit quo se vertat, summa sollicitudine huc illuc agitatur. Nomen שִׂיחַ de *tristi meditatione* dicitur 1 Sam. 1, 18., ubi cum מַכְאַת *aegritudine animi*, jungitur; nec non de tristitia in verba erumpente, *querela*, Prov. 23, 29. Job. 7, 13. 9, 27. 11, 1. 23, 2. Verbum אָהִימָה Alexandrinus ἐταράχθην, *conturbatus sum*, Chaldaeus *tumultuor*, *perstrepo*, reddidit. In Niphal significat *conturbari*, *perstrepere*, fragore quodam confuso et perturbato, quomodo solum perstrepebat, Israelitis, ob areae adventum vociferantibus, 1 Sam. 4, 5., item quomodo urbs Bethlehem personabat ex rumore advenientis Naëmi, Ruth 1, 19., item Hierosolyma, uncto Salomone in regem, 1 Reg. 1, 4. 5. In Hiphil praeter hunc locum semel adhuc habetur Mich. 2, 12. תְּהִימֶנָּה *perstrepent* urbes *prae hominum multitudine.* Apte vero vates hisce verbis declarat inconditas voces et ululatus, vi summi doloris ipsi expressos, in quos erumpere pro priscorum hominum simplicitate nec heroïbus dedecori erat. Vide exempli causa Iliad. 1, 348. 18, 22. sqq.

4. מִקּוֹל אוֹיֵב *Ob vocem inimici* me plangentem audi; dependent enim haec a Vs. 3. hoc modo: *plango et perstrepo propter*

vocem, et quae sequuntur. Intelligit vero voces hostium comminantes, consultantes, insultantes, imo jamjam triumphantes. מִפְּנֵי עֶקֶת רָשָׁע *A facie* propter *pressuram improbi*, propter injurias, quibus me afficiunt improbi mei adversarii, ut instar procumbentis, gravi onere depressi, misere mihi sit pereundum. Sic enim nomen מוּעָקָה de onere humeros aggravante dicitur Ps. 66, 11.; praeterea non exstat. כִּי יָמִיטוּ עָלַי אָוֶן *Nam declinare faciunt super me iniquitatem*, i. e. dolosa adversus me cudunt consilia, iniquissimis me undique obruunt calumniis ac injuriis plenos quasi miseriarum indignissimarum gurgites in me derivant. וּבְאַף יִשְׂטְמוּנִי *Et in ira odio me persequuntur*, ira accensi maligno in me animo sunt, et cum mihi nocere, meque laedere cupiunt, occasionem opportunitatemque nocendi observant. שָׂטַם ut sono, ita significatu convenit cum שָׂטַן *odio habuit*, *aversatus fuit*, reperiturque de Esavo, Jacobum aversante, Gen. 27, 41. Cf. Gen. 50, 15. 49, 23. Job. 16, 9. 30, 21. Alexandrinus ἐνεκότουν μοι, *indignabantur mihi*, reddidit; Vulgatus vero: *et in ira molesti erant mihi*, quasi in Graeco legisset ἐνεκόπουν.

5. לִבִּי יָחִיל בְּקִרְבִּי *Cor meum contremiscit in medio mei.* Verbum חוּל proprie de doloribus parturientium dicitur, vid. Jes. 26, 17. 66, 5. 7., hinc ad quosvis alios refertur dolores, pavorem sibi junctum habentes, veluti Sauli, a sagittariis sibi metuentis, clade jam praesente, 1 Sam. 31, 3. 1 Chr. 10, 3, terrae, Dei adventum extimescentis, Ps. 97, 4., populorum, Joel. 2, 6. — וְאֵימוֹת מָוֶת נָפְלוּ עָלָי *Et formidines mortis ceciderunt super me*, praesentissimae mortis terroribus perculsor, mors instar spectri ante oculos jam mihi obversatur. Quod quidam eo referunt, quod sciret vates, Achitophelem sibi necem minitari; cf. 2 Sam. 17, 2. Verbo נָפַל *cecidit*, utitur, ut significet, de improviso et derepente formidinem in se irruere, nam repentina mala timorem augent, et sic ab animo lucem consilii auferunt, ut tenebrae ab oculis videndi facultatem, ita ut rigore quodam stupidum hominem reddant. Itaque Moses quum dixisset in Cantico Ex. 15, 16. *irruat super eos formido et pavor*, deinde effectum formidinis hujus repentini addidit hisce verbis: *fiant immobiles quasi lapis.* Metu enim obstupefactus, inquit Psaltes, ac perculsus, quid agam, quo me vertam, non habeo.

6. *Timor tremorque mihi supervenit, et operuit me terror*, horror me totum occupat et perfundit. Verbum פָּלַץ, quod nec apud Arabes nec apud Syros reperitur, Job. 9, 6. de columnis valde commotis atque tremulis usurpatur, unde nomen פַּלְצוּת, quod praeter h. l. ter adhuc occurrit, Job. 21, 6. Jes. 21, 4. et Ez. 7, 18., *trepidationem*, cum quis prae metu omnibus artubus contremiscit, videtur significare.

7. וָאֹמַר — כַּיּוֹנָה *Dixi* apud me, cogitavi, *quis dabit mihi*, i. e. utinam haberem (sic Optativus exprimitur, cf. Ex. 16, 3.

Num. 11, 29. Deut. 5, 29. 28, 67.) *pennas instar columbae*, ut possim avolare in locum, quo non queant me assequi hostes. *Pennas columbae* optat, quoniam ejus avis volatus pernicissimus esse traditur. Ita Plinius *Hist. Nat.* 10, 36. columbas dicit *soluto volatu* esse accipitre *in multum velociores*. אָעוּפָה וְאֶשְׁכֹּנָה *Avolabo et habitabo*, h. e. avolarem, ubi securus habitare possem. Opponitur constans in certo loco commoratio tot periculosis variisque Davidis vagationibus, urgentibus hostium insidiis. Hoc modo verbum שָׁכַן *habitavit*, nude positum, significatione *subsistendi* vel *commorandi in uno loco*, occurrit etiam Nah. 3, 18. *magnates tui* יִשְׁכְּנוּ *subsistent*.

8. הִנֵּה אַרְחִיק נֹדֶד *En elongabo fugere*, i. e. longissime fugerem. Prius verbum ארחיק adverbiascit, ut Ps. 10, 18. יוֹסִיף לַעֲרֹץ *addat conterere;* Ps. 33, 3. et 49, 9., ubi not. vid. אָלִין בַּמִּדְבָּר *Pernoctarem in deserto*, abderem me in aliquod desertum. Id quod et fecit paulo post in Absalonico periculo, fugiens ab urbe trans Jordanem in deserta loca ibi. Alii exaggerari putant his verbis miseriae prementis acerbitatem, quod non tam aegre laturus esset formidabilem *noctis* (nam לוּן est *pernoctare*) in deserto solidario horrorem, quam lucem diurnam inter tot adversarios, et quidem in urbe et locis cultis.

9. *Accelerabo evasionem mihi propter ventum currentem, propter turbinem*, arriperem fugam celeriter, qua effugerem ventorum et tempestatum procellas istas, quibus significari patet seditiosos concursus, hostiumque furorem et impetum, qui est instar venti procellosi omnia disjicientis atque evertentis. סֹעֲה est Particip. verbi סָעָה, ejusdem significationis cum Arab. شعر *incedere*, *proficisci*, *currere*. Venti, praesertim procellosi, saepe *currere* dicuntur ab Arabibus. Praefixum מִן ante רוּחַ et סַעַר posset etiam comparative accipi: *maturarem evasionem mihi prae quam ventus currens, quam turbo*, ut hoc dicat: celerius fugerem, quam talis ventus. Notum illud: *veniet tanquam turbo*, pro eo quod est celerrime. Cui affine: *transeant ut nubes*, i. e. velocissime. Hinc proverbium: *turbine* celerius.

10. בַּלַּע אֲדֹנָי פַּלַּג לְשׁוֹנָם *Absorbe, Domine, divide linguam eorum.* Deum precatur, ut Achitophelis ejus similium Absalomi consiliariorum consilia turbet atque evertat, faciatque, ne in dicendis sententiis consentiant, sicque illorum conjuratio sit irrita. Nam et in historia (2 Sam. 15, 31.) et in Psalmis aliquot Absalonicis ἀμηχανίαν et consiliorum perturbationem imprecatur Achitophcli et seditiosis, et quod hic Versus imprecatur, id omnino factum fuit, vid. 2 Sam. 17. — בַּלַּע *Absorbe*, i. e. medio tolle, everte, subaud. לְשׁוֹנָם *linguam ipsorum*, i. e. consilia linguis communicata. Verbis פלג לשונם *divide linguam eorum*, putant aliqui alludi ad id, quod Deus subito turbavit insanam exstructionem turris Babylonicae. Sic igitur petetur hoc, ut Deus turbet eos

intestinis odiis et dissensionibus; sicut cum scinditur incertum studia in contraria vulgus. כִּי — בָּעִיר *Video enim violentiam et rixam in urbe*, video, quod injuriae, certamina et turbae hanc urbem occuparint totam, et talis omnino erat Hierosolyma Absalonico illo tempore, ideo et fugere inde necesse habuit. Sunt tamen, qui civitate illa Hebronem putent significari, eo namque ierat Absalom, specie quidem ut vota redderet, re ipsa, ut conjuratos illuc cogeret, et convivii scilicet praetextu ad dapes evocare principes populi liceret.

11. יוֹמָם — חוֹמֹתֶיהָ *Dies noctesque circumeunt illam* violentia et contentio (id quod ex Vs. 10. est repetendum) *super muris ejus*, quasi milites armati in muris excubant. Comparantur injuriae et turbae quae urbem illam occupant, custodibus civitatis, ac stationariis militibus per muros circumeuntibus, quasi diceret, o felicem scilicet urbem, cui tales custodes ad muros positi sunt, et ejusmodi muris septa, ne virtuti et paci pateat aditus: quae adeo indefessis ab pervigilibus custodibus tenetur, ut die ac nocte pervigilent, neque tantillum quieti concedant. וְאָוֶן וְעָמָל בְּקִרְבָּהּ *Et iniquitas ac molestia in medio ejus*, quibus se et alios conficiunt. Sic igitur tam extima quam intima hujus urbis plena sunt omni genere fraudis et injuriarum.

12. *Pravitates in medio illius, nec recedit a platea ejus oppressio et fraus.* De nomine הַוָּה vid. ad 10, 7. Quod autem pecta dicit, oppressionem et fraudem non recedere *a plateis* illius civitatis, eo aliqui hoc innui existimant, non in angulis illa scelera fieri, sed, pudore sublato, palam in publico, et in ipsis latissimis amplissimisque locis admitti, cum nulla verecundia haec moretur, nulla lex coerceat.

13. Hujus rei, inquit, mei eventus documento sunt, qui summam eorum, quos amicos putavi, perfidiam experior. כִּי לֹא־אוֹיֵב יְחָרְפַנִּי וְאֶשָּׂא *Non enim hostis* manifestus (ut ex Vs. 14. patet) *probris me afficit*, tantis me nunc afficit convitiis calumniisque, *nam hoc sufferrem*, sive, *alioquin sustinuissem;* quodsi qui me contumeliis persequitur, apertas inimicitias antea mecum exercuisset, ferri ea injuria utcunque poterat. לֹא־מְשַׂנְאִי וגו׳ Qui *non osor meus* apertus erat, *sese extulit contra me, alioquin abscondissem me ab eo*, si qui nunc insolenter adversus me insurgit, et vim mihi ostendit, hic igitur si ostendisset mihi, quod odisset me, et apertam injuriam adversus me exercuisset, nimirum cavissem mihi ab ipso, neque me furenti objecissem, aut occasionem mei laedendi praebuissem. De formula: *efferre se* (הַגְדִּיל) *contra aliquem*, vid. ad Ps. 35, 26.

14. Peculiariter quempiam compellat, quem habuit inter primarios amicos et secretorum suorum conscium, cujus perfidiam fuerat expertus: *At tu aequalis meus, mihi conjunctus et familiaris.* אֱנוֹשׁ כְּעֶרְכִּי ad verbum: *homo secundum taxationem mei,*

i. e. instar mei, ὁμότιμος vel ἰσότιμός μοι, quem ejusdem mecum conditionis, mei loci atque ordinis hominem pro aequali meo habebam. Ita Chaldaeus: *sed tu, Achitophel, vir similis mihi.* Alexandrinus autem: σὺ δὲ ἄνθρωπε ἰσόψυχε, i. e. quem ego tanti quanti me ipsum faciebam, quemadmodum et Deut. 13, 7. pro verbis hebraeis: רֵעֲךָ אֲשֶׁר כְּנַפְשֶׁךָ Graecus interpres haec posuit: φίλος ἴσος τῇ ψυχῇ σου, *amicus aequalis animae tuae.* Voc. אַלּוּפִי vulgo vertunt: *dux meus*, i. e. quem ego aliis praefeceram moderatorem, unus ex principibus et ducibus meis; vel: *ductor meus*, de cujus consilio scilicet agebam omnia. Sed nostro loco (ut Prov. 16, 28. 17, 9. Mich. 7, 5.) potius vertendum est: *amicus meus.* אַלּוּף enim proprie est *familiaris*, *socius*, *consuetudine junctus*, ab Arab. אלף *copulare*, *jungere.* וּמְיֻדָּעִי *Et notus meus*, cui omnia cordis arcana patefeci, sicut amico fieri solet. Sic Participium hoc de amicis Achabi usurpatur 2 Reg. 10, 11., item de familiaribus in aerumna alienatis Ps. 31, 12. 88, 9. 19. Job. 19, 14., praeter quae loca non occurrit.

15. אֲשֶׁר יַחְדָּו נַמְתִּיק סוֹד *Qui una dulce reddebamus consilium*, i. e. qui sermonibus invicem conserendis dulcia colloquia inter nos habebamus, et magna cum animi voluptate, ut inter amicos fit, de rebus secretis simul solebamus communicare consilia; suavissimum una habebamus commercium. De nomine סוֹד vid. 25, 14. Achitophelis consilio inprimis usum Davidem, patet ex 2 Sam. 16, 23. Alexandrinus haec verba ita vertit: ὃς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλυκαίνας μοι τὰ ἐδέσματα, quod Vulgatus sic reddidit: *qui simul mecum dulces capiebas cibos*, idemque Syrus sequutus: *qui simul manducavimus cibum.* Interpretes illi סוֹד accepisse videntur pro כַּעַד, vel סָעוֹד, סְעוּדָה (hoc enim significat *cibum*, *edulium*, *ferculum*), gutturali ע vel elisa, vel in ו mutata. Nisi forsan Graecus interpres, et qui eum sequuti sunt, סוֹד acceperint significatu generaliori pro *conventu* quovis, atque sic etiam pro *convivio*, *symposio.* Ita conveniret locus noster cum Ps. 41, 10., ubi similiter de familiaris alicujus perfidia questus, ad eam exaggerandam addit, quod ejus amici desertor ac proditor exstiterit, cujus non modo contribulis et propinquus fuerit, verum etiam frequentissime ejusdem mensae particeps. בְּבֵית אֱלֹהִים נְהַלֵּךְ בְּרָגֶשׁ *In domum Dei ibamus in turma*, quando in maxima populi frequentia locum Deo sacrum frequentabamus, tu comes mihi incedebas proximus. A verbo רָגַשׁ *tumultuari*, *strepere* (vid. ad 2, 1.), nomen רֶגֶשׁ proprie videtur notare *strepitum* multitudinis, turbam strepentem, unde in universum pro *multitudine*, *concione* videtur usurpatum esse, fere ut רִגְשָׁה, cui Ps. 64, 3. respondet סוֹד, tanquam nomen aequipollens. Aben-Esra h. l. explicat: *in societate una*, h. e. ut puto, eodem comitatu. Chaldaeus: *cum festinatione.* Unde Judaei hodie hoc loco utuntur, quo probent, festinanter ad Synagogas currendum esse.

16. יַשֵּׁי מָוֶת עֲלֵימוֹ *Decipiat* s. *defraudet eos mors*, i. e. mors eos obruat subita; mors hostes illos meos inopinantes opprimat, et frustretur consiliis. Eleganter Symmachus: *αἰφνιδίως θάνατος ἐπέλθοι αὐτοῖς*. Verbum נָשָׁא, quod in Hiphil *decepit* notare constat, aliis locis vel cum אֵת (ut Jer. 49, 16. 2 Chr. 32, 15.), vel cum לְ (ut Jer. 4, 10. 29, 8.), vel cum בְּ (Ps. 89, 22.) construi solet; hoc vero loco cum עַל jungitur, ideo, uti videtur, ut significetur *vis* mortis inopinantibus illis supervenientis, quasi diceret: *super illos* adeo elatos esse adhuc sese altius efferens vis mortis fallacissima. In textu legitur יְשִׁימוֹת *desolationes*. Videntur autem verba יְשִׁימוֹת עֲלֵימוֹ *desolationes super eos* scil. veniant, exsecrandi formula fuisse. In Affixo poetico מוֹ (pro הֶם) deprehenditur subita numeri mutatio, poetis Hebraeorum perquam familiaris; praeter perfidum illum, de quo Vs. 15. questus erat, etiam alios, sibi adversarios, petere videtur. יֵרְדוּ שְׁאוֹל חַיִּים *Descendant in infernum viventes*. *Descendere in infernum* est mori; *viventes*, h. e. non sentientes se mori, sed bene sani et incolumes. Viventes igitur mori dicuntur, qui nullo praecedente morbo subito extinguuntur. Locus est Prov. 1, 12., qui hoc doceat: *deglutiamus eos sicut sepulchrum*, חַיִּים וּתְמִימִים *viventes et integros* (h. e. robustos et bona valetudine utentes), *quasi descendentes in foveam*. Respicere quidam putant vatem ad poenam Corae, Dathani et Abirami, atque ipsorum factioni inflictam (Num. 16, 33.). כִּי־רָעוֹת בִּמְגוּרָם בְּקִרְבָּם *Nam mala in loco commorationis eorum, in medio eorum*, quoniam domus eorum, et ipsi undique circumfluunt nequitiis et malefiiciis. רָעוֹת *mala*, h. l. pro malis artibus et perversis consiliis, quibus alii pessumdentur, accipienda esse, res ipsa docet. Nomen מָגוּר *commorandi locus* (Gen. 17, 8. 28, 4. 37, 1. Ps. 119, 54. Job. 18, 19.), Aben-Esra accipit pro *civitate*, cujus mentio facta Vs. 10. בְּקִרְבָּם *In medio eorum*, i. e. in media ipsorum habitatione; sic non raro duorum substantivorum unum adjectivi induit vices, ut Gen. 1, 26. *in imagine nostra secundum similitudinem nostram*, h. e. ad imaginem nostram prorsus similem; Gen. 4, 4. *de primogenitis, de pingui eorum*, h. e. de primogenitis pinguissimis. Alii haec nomina *ἀσυνδέτως* posita existimant, ut subaudienda sit particula copulativa וְ, ut sensus sit: mala sunt in domiciliis, imo in medio, vel, in corde ipsorum, intra ipsos.

17. 18. Dum itaque nihil nisi perniciem ab istis exspectare posset, iique tum rerum potirentur, consequens fuit, ut Dei contra eos opem imploraret, id quod canit se fecisse duobus hisce Versibus: *Ego Deum invocabo, et Jova servabit me: vespere, et mane, et meridie*, h. e. omni tempore, continuo, *plangam atque perstrepam, et exaudiet clamorem meum*. De verbo שִׂיחַ vid. not. ad Vs. 3.

19. פָּדָה בְשָׁלוֹם נַפְשִׁי *Redemit*, s. *redimet* (vid. ad 25, 22.), *in pace animam meam*, h. e. liberabit me, pace mihi meoque regno

restituta. *In pace*, i. e. ut in pace mihi esse liceat; liberavit me a bello, ut pace fruar. Referri potest haec phrasis ad classem earum, quas *praegnantes* vocare solent, cum verbum unum inclusum gestat aliud, vid. not. ad 18, 46. coll. 42, 2. 44, 4. 32, 8. Optime autem facere videntur illi, qui פָּדָה per temporum *ἐναλλαγὴν* interpretantur ut futurum, non ut praeteritum; sic enim omnia manent simplicia, et non erit opus violentis ullis explicationibus aliis. Vocc. מִקְּרָב־לִי alii, Aben-Esram sequuti, sic vertunt: *ne appropinquent mihi*, ac me attingant hostes. In hunc modum Chaldaeus: *ut ne malus appropinquet mihi.* Alii, ut Jarchi et Kimchi, ita interpretantur: *a bello quod mihi*, a praeliantibus contra me; saepe alias enim nomen קְרָב pro *aggressione hostili*, *praelio*, *conflictu*, positum reperitur, vid. Job. 38, 23. Ps. 78, 9. Coh. 9, 18. 2 Sam. 17, 11., imo in hoc ipso nostro Psalmo ita recurrit Vs. 22. Adeoque inter hocce nomen et sequens לִי subaud. אֲשֶׁר, *a bello*, *quod misi.* Apte sic opposita erunt שָׁלוֹם *pax*, in quam asserendum se sperat, et קְרָב *conflictus*, quod sibi esset cum adversariis. Verba: כִּי־בְרַבִּים הָיוּ עִמָּדִי Alexandrinus reddidit hoc modo: ὅτι ἐν πολλοῖς ἦσαν σὺν ἐμοί, *quoniam inter multos erant mecum*, ut Vulgatus vertit. Quod aliqui sic interpretantur: quoniam hostes cum multis, in multorum medio et comitatu, erant contra me (*mecum* pro *contra*), qui multos sibi adjungebant, ut me facilius et crudelius adorirentur, mihi vero pauci sunt comites, solus Deus me ab illorum potentia liberare potest. Sic et Kimchi: *illi cum multis pugnant mecum*, qua *pugnandi* significatione verbum הָיָה et 2 Sam. 11, 23. Num. 31, 3. accipiendum est. Huc referendus quoque Symmachus, qui ita vertit: *πολλοστοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με*, quod sequutus Hieronymus: *multi enim fuerunt adversum me.* Alii: *quamvis plurimi sint, qui undique oppugnant me.* Hac ratione particula עִמָּדִי praesentiam denotabit hostium, eorum videlicet, qui penes aliquem sunt, eumque cingunt, non assistendi, sed obsistendi animo; ferme sicut Latini quoque dicunt, pugnare *cum* aliquo. Ita Gen. 31, 7. לְהָרַע עִמָּדִי *ad malefaciendum mecum*, contra me. Sic similis particula עִם exponenda est Ps. 85, 5. 94, 16. Praefixum ב vero ante רַבִּים *cum* reddendum erit, hoc sensu: quia adversarii *cum* multis copiis sunt contra me. Aben-Esra, usitatiori particulae עִמָּד significatione retenta, ita vertit: *quoniam multi sunt mecum*, quod de praesidio *angelorum* intelligit, coll. 2 Reg. 6, 16. *plures enim, qui nobiscum sunt, quam qui cum illis:* unde sensum nostri loci facit hunc: etiamsi multi sunt illi, plures tamen et validiores sunt mecum.

20. קֶדֶם — יִשְׁמַע *Exaudiet Deus* vocem meam, *et humiliabit eos*, *quippe qui sedet antiquo*, h. e. ille, inquam, qui ab aeterno judex sedet, et potest extollere et rursus deprimere quos vult. Verbo *sedendi* Deum ut judicem videtur pingere, cf. ad 29, 10. Praefixum ו ante יֹשֵׁב vel redundat, ut 2 Sam. 13, 20. *et consedit*

Thamar וְשׁוֹמֵמָה *desolata in domo Absalomi;* 15, 34. *servus patris tui* וַאֲנִי *ego jamdiu fui, et nunc* וַאֲנִי *ego servus tuus;* vel vicem explet pronominis relativi, quomodo exponi solet Jud. 2, 21. וַיָּמֹת *qui mortuus est;* Ps. 68, 10. וְנִלְאָה *quae defessa est;* Coh. 6, 12. *diebus vitae* וַיַּעֲשֵׂם *quos transigit.* אֲשֶׁר אֵין וגו׳ *Quibus non sunt mutationes* (Chaldaeus: *non mutant vias suas malas*), *nec timent Deum*, h. e. Deus poenis justis suis afficiet illos (יְעַנֵּם), quippe qui neque mutant vitam et mores suos, neque meliores redduntur, et Deum neque colunt neque timent.

21. שָׁלַח יָדָיו בְּשִׁלְמָיו *Mittit manus suas in pacificos suos*, nimirum unusquisque impiorum illorum hominum; hanc namque distributionem postulat subita numeri pluralis in singularem mutatio. Exempla vidimus Ps. 7, 2. 3. 37, 31. 41, 6. Sunt, qui hisce verbis perstringi putent auctorem et caput conspirationis, Achitophelem. *Mittere* autem *manum in aliquem*, est, violenter eum prehendere, vim aut plagas ei inferre, ut Latinorum *manus alicui inferre;* vid. 1 Sam. 26, 9. Gen. 37, 22. — בְּשִׁלְמָיו *In pacificos suos*, id est, in eos, qui pacem et amicitiam cum ipso colunt, in amicos suos; cf. Ps. 7, 5. 41, 10. Nomen שָׁלוֹם alias *pacem* notare constat; in Plurali praeter h. l. semel tantummodo reperitur, Ps. 69, 23., adeoque concrete ponitur pro *iis, qui pace fruuntur.* Similis metonymia est Ez. 44, 6. *dices ad rebellionem*, i. e. populum rebellem, ita et Hos. 8, 9. *amores* pro *amatoribus.* Cf. Ps. 68, 19. חִלֵּל בְּרִיתוֹ *Irritum fecit*, vel, *profanavit foedus suum*, animo profano rumpit foedus amicitiae.

22. חָלְקוּ מֵחֲמָאת פִּיו *Mollia sunt butyracea oris ejus*, h. e. figura poetae haud incongrua *verba oris ejus;* os ejus butyro leniora verba loquitur. Pulchre depingit insidiosas pacis et amicitiae simulationes. Alii vertunt: *lenia erant butyrina oris ejus. Butyrina*, h. e. verba ejus blanda, et instar butyri mollia. Galli dicunt *paroles emmiélés.* Nomen femininum מחמאת a חֶמְאָה deductum accipitur neutraliter, *butyrum oris*, h. e. id, quod butyro simile ex ore ejus procedit. De verbo חָלַק vid. ad 36, 3. Pro מֵחֲמָאת duo codd. legunt מֵחֶמְאַת *prae butyrinis*, i. e. molliora sunt verba ejus quam butyrum. Ita Symmachus: *λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν.* Sed Alexandrinus: *διεμερίσθησαν ἀπὸ ὀργῆς τοῦ προσώπου αὐτοῦ*, et Vulgatus: *divisi sunt ab ira vultus ejus.* Nec multo aliter Syrus: *turbati sunt ab ira faciei ejus.* Verbum חָלַק significatione *dividendi*, qua alias saepe occurrit, acceperunt, מחמאת vero confuderunt cum מֵחֲמַת *ab ira.* וּקְרָב לִבּוֹ *Et bellum est cor ejus*, mens ejus quasi est bellum ipsum, nil nisi mera fovet dissidia ac nocendi libidinem. רַכּוּ דְבָרָיו מִשֶּׁמֶן *Mollia sunt verba ejus prae oleo.* Olei collatione adulatio et omnes blanditiae sermonis declarantur, quia oleum fluit sine omni strepitu, et gustus quoque ejus caret omni acredine et asperitate. Ita Prov. 5, 3. *lenius est oleo palatum alienae*, h. e.

mollissime atque suavissime loquitur. Simili modo Latinis *mollis oratio* et *mollia verba* dicuntur; et Graecis *μαλακὰ ἔπη*, et *μαλακοὶ λόγοι*. וְהֵמָּה פְתִחוֹת *Et ipsi evaginati* sunt gladii. הֵמָּה *ipsi*, scil. sermones; cohaeret namque hoc voc. cum דבריו *verbis ejus*. Nomen פְּתִחוֹת, quod h. l. tantum occurrit, a verbo פָּתַח (de quo vid. ad 37, 14.), *strictos*, scil. enses notare, res ipsa docet. Chaldaeus: *spiculae*, seu *lanceae occisionis sunt verba illa*. Verbis amorem et lenitatem simulant, cum in corde pessima meditentur et moliantur.

23. הַשְׁלֵךְ עַל־יְהוָה יְהָבְךָ *Projice super Jovam onus tuum*. Sic vulgo vertunt, quum dictionem יְהָב h. l. Hebraeorum magistri plerique per מַשָּׂא *onus*, explicent. Alexandrinus *μέριμναν*, Chaldaeus *spem tuam*, Syrus *sollicitudinem tuam*, Alexandrino consone interpretatur. Kimchi in *Libro Radicum* dicit, posse esse Praeteritum, sive verbum יָהַב *dedit*, usitatissimum Syris Arabibusque, nostrumque locum sic esse interpretandum: projice, quod dedit tibi ad hunc diem, et quae tibi amplius necessaria sunt, super eum, et ipse enutriet te. Magis vero placet alia, a Kimchio proposita, interpretatio: *omnia donabilia tua*, i. e. donanda, quae tibi dari desideras. וְהוּא יְכַלְכְּלֶךָ *Et ipse sustentabit te*, necessaria quaeque large tibi suppeditabit. לֹא־יִתֵּן לְעוֹלָם מוֹט לַצַּדִּיק *Non dabit*, non permittet (נָתַן *permittere*, ut 16, 10.), *in aeternum vacillare probo*, non perpetuo sinet sortem fortunasque ejus debilitatas vacillare, ac ipsum infirma et perpetuo periclitante conditione esse. Cf. de hac figura not. ad 38, 17. Quoad constructionem similem ferme locum habes Num. 20, 21. *renuit* נָתַן אֶת־יִשְׂרָאֵל עָבֹר *permittere Israeli* τὸ *transire*.

24. שַׁחַת — וְאַתָּה *Tu vero, Deus, deturbabis eos* (quorum facta fuit mentio Vs. 20. sqq.) *in puteum pernicei*, i. e. infernum, idem quod supra Vs. 16. שְׁאוֹל. Alias nomen בְּאֵר plerumque accipitur de *puteo* aquarum, ut Gen. 16, 14. 21, 19., hoc vero loco per adjunctum שַׁחַת *perditio*, restringitur ad ejusmodi abyssum, e qua nullus datur reditus, sed certa imminet pernicies. אַנְשֵׁי־דָמִים — *Viri sanguinum et fraudis* (cf. Ps. 5, 7.) *non dimidiabunt dies suos*, vix ad mediam vitae alias a Deo praefinitae partem pertingent. Cf. Prov. 10, 7: *anni impiorum decurtabuntur*.

Ps. 56.

Implorat auxilium Dei adversus hostes, de quorum vi et injuria graviter conqueritur. Sed erigit se spe et fiducia promissionis divinae, et favoris, quem hactenus expertus sit. Postremo, tanquam perfunctus periculis esset, Deo gratias agit, quod illi est familiare. De tempore et occasione carminis vid. not. ad Vs. 1.

1. Verba עַל־יוֹנַת אִלֵּם vulgo ita vertere solent: *super* vel *de columba obmutescentiae*, i. e. columba muta, quo schemate

Davidem existimant describere semet ipsum, ut qui ob simplicem ingenuitatem, pacificamque innocentiam, Sauli vel ulli alteri numquam noxiam *columbae* esset similis; *mutae* autem columbae sese assimilare ob *patientiam*, quod columba, etiamsi jugulandam se videat ab accipitre, nullas tamen edat vociferationes, verum instar ovis, quadrupedum patientissimae, obmutescat. Etenim nomen אִלֶּם, quod non nisi Ps. 58, 2. recurrit, referunt ad verbum אָלַם, quod in Piel significat *ligavit*, *colligavit*, veluti *manipulos* in agro, Gen. 37, 7., in Niphal vero *obmutuit*, *tacuit* (Ps. 31, 19. 39, 10. Jes. 53, 7. Ez. 3, 26.), cum videlicet lingua nervis eam moventibus obturatis ligatur quasi atque impeditur, ut loqui aliquis nesciat. Unde Marc. 7, 35. *καὶ ἐλύθη ὁ δέσμος τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς.* Vocem רְחֹקִים referunt ut Genitivum ad יוֹנַת, ita ut *columba remotorum*, sc. locorum, sit columba procul elongata a suo nido. Ita nomen רָחוֹק *longinquus*, *remotus*, in Plurali neutraliter, vel substantive videtur poni Ps. 65, 6. *mare remotorum*, s. distantiarum, i. e. longe distans. Alias רְחֹקִים opponuntur קְרֹבִים *propinquis*, qui in vicinia habitant, Esth. 9, 20. Jer. 25, 26. Dan. 9, 7. Columbae vero a nido elongatae, sive inter remotos vagabundae, conferri opinantur Davidem, quod tum esset procul a patria, inter Philisthaeos, ut statim additur. Eodem sensu Aquila: *ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν.* Nec non Alexandrinus et Chaldaeus, qui tamen versione simul indicare voluerunt, hocce carmen populo Hebraeo in exilio degenti accommodandum esse; ita enim ille: *ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τοῦ ἀπὸ τῶν ἁγίων μεμακρυμμένου*, *pro populo, qui a Sanctis longe factus est*, ut Vulgatus reddidit. Clarius Chaldaeus: *ad laudandum pro coetu Israelis, qui similis est columbae silentii, eo tempore, quo elongati sunt a civitatibus suis.* Syrus verba haec praetermisit plane. Buxtorfius in *Lex. Hebr. Chald.* nomen יוֹנָה, a verbo יָנָה *oppressit*, interpretatur *oppressionem*, qua significatione illud ipsum et Jer. 25, 38. 46, 16. 50, 16. Zeph. 3, 1. nonnulli accipiendum existimant, אִלֶּם vero a *colligandi* notione, qua verbum אָלַם polleret, antea vidimus, reddit *manipulum*, i. e. congregationem, catervam; ut igitur verba nostra ita essent vertenda: *de oppressione manipuli*, qua scilicet pium opprimit caterva malignorum. Mihi optime placet Aben-Esrae sententia, verba יוֹנַת אִלֶּם רְחֹקִים initium esse carminis, ad cujus modulos David hunc Ps. composuerit, quemadmodum in Psalmi 22. inscriptione verba אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר. Verba ipsa tamen nostra Aben-Esra reliquit *ἀνερμήνευτα*, nec hodie quisquam illorum sensum certo definiverit. Conferri possunt, quae monuimus ad Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 548. edit. Lips. De מִכְתָּם vid. Prolegg. p. 17. בְּאָחֹז אוֹתוֹ פְּלִשְׁתִּים בְּגַת *In comprehendere eum*, i. e. cum eum comprehenderent *Philisthaei in Gath*, i. e. dum cum, Sauli saeviticm fugientem, comprehensum Philisthaei ad regem suum, Achis, deduxissent, vid. 1 Sam. 21, 10. sqq. 27, 1. 2. et cf. Argument. ad Ps. 34. Non solum autem de

apertis et violentis hostibus hoc carmine conqueritur vates, verum etiam de ejusmodi adversariis, qui *calumniando* perdere ipsum conarentur (Vs. 6.). Quod quum in Philisthaeos minime quadret, Psalmus non contra illos tantummodo, verum etiam contra hos erit directus, qui obtrectationibus suis apud Saulum Davidem ad fugam illam adegerunt, qua in hostium manus incidit, ut itaque haec verba באחז אותו וגו׳ ita essent intelligenda, compositum esse Psalmum *illo tempore*, quo Philisthaei Gathae eum comprehenderent.

2. שְׁאָפַנִי *Anhelat me*, i. e. inhiat mihi, quemadmodum fera praedae inhiat, perdere me captat. Verbum שָׁאַף de onagro, prae aestu et siti ventum attrahente, usurpatur Jer. 2, 24. 14, 6.; porro de homine aperto ore anhelante Ps. 119, 131., hinc de eo, qui ad locum aliquem adspirat, cum anhelitu eo festinat, veluti Job. 7, 2. de servo, ad umbram anhelante, cf. Coh. 1, 5. De hostibus imminentibus, qui *inhiant* populo Israelitico, ut fiat possessio alienis gentibus, dicitur Ez. 36, 3. Et de *persequutore* usurpatur infra 57, 4. אֱנוֹשׁ collective ponitur, quippe non unus, sed plures omnino hostes Davidem petierunt, ut patet ex Vs. 3. sqq. De voce לֹחֲמִים vid. ad Ps. 35, 1.

3. De voce שׁוֹרֵר vid. ad 5, 9. כִּי־רַבִּים לֹחֲמִים לִי מָרוֹם *Nam multi pugnant mecum* cum *elatione*. Nom. מָרוֹם *altitudo*, h. l. per ellipsin praefixi ב pro Adverbio accipiendum, illorum, qui vatem oppugnarent, affectum exprimente, q. d. oppugnant me בְּמָרוֹם *cum elatione*, h. e. elato animo, insolenter. Ita Mich. 2, 3. *ne ambuletis* רוֹמָה (pro בְּרוֹמָה) *cum elatione*, *est enim tempus infortunii*.

4. יוֹם אִירָא pro בְּיוֹם אֲשֶׁר אִירָא *die*, *quo timebo*, quocunque tempore timor invaserit me, in te fiduciam ponam. Bene Symmachus: ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φοβηθῶ, σοὶ πέποιθα. In versionis Alexandrinae codicibus magna h. l. perturbatio. Arabs et Syrus inferunt particulam negativam: *in die non timebo*.

5. בֵּאלֹהִים אֲהַלֵּל דְּבָרוֹ *De Deo glorior*, de *verbo*, i. e. promisso *suo*, s. propter verbum suum, promissa sua. Ante דברו vel particula בְּ videtur esse repetenda, vel לְ subaudienda, ut saepius, veluti Lev. 21, 4. De הָלַל cum ב constructo vid. ad Ps. 34, 3. Promissio autem intelligitur illa, Davidi de tradendo regno facta. Alii vertunt: *cum Deo*, Deo auxiliante, laudabo verbum ejus, i. e. certo confido, fore adhuc tempus, quo Deo juvante celebrare queam promissum ejus, quod fuerit verax, omnique ex parte adimpletum. Ita בֵּאלֹהִים *cum Deo*, i. e. Dei ope, occurrit Ps. 60, 14. 108, 14. מַה־יַּעֲשֶׂה בָשָׂר לִי *Quid faciet mihi caro*, quid homines imbelles contra me efficient? Infra Vs. 12., ubi eadem fere verba repetuntur, pro בשר ponitur אדם. *Caro* praeter propriam significationem cum in genere omnia animalia significat, ut Ps. 136, 25. 145, 10., tum hominem simpliciter totum, ut Jes. 40, 4.

Joel 3, 1., hinc ob imbecillitatem hominis, omne fragile et debile, ut infra 78, 39. Jes. 31, 3.

6. De verborum דְּבָרַי יְעַצְּבוּ sensu dissident interpretes. In forma Piel verbum עָצַב praeter h. l. bis tantummodo occurrit, Jes. 63, 10. *exacerbarunt* (מָרוּ), וְיִעְצְבוּ *et dolore affecerunt* (ab עֶצֶב *dolor*) *spiritum ejus sanctum;* et Job. 10, 8., ubi cum verbo עָשָׂה ita jungitur (*manus tuae* עִצְּבוּנִי וַיַּעֲשׂוּנִי), ut contextus prope cogat, *formandi* notionem assumere. Unde nonnulli nostra verba sic reddunt: *verba mea formant*, aliam quasi figuram et significationem eisdem tribuunt, ea detorquent calumniando in fraudem meam. Alii, *dolore afficiendi* significatu adscito: *res meas*, quidquid loquor aut ago, in dolorem mihi vertunt. Vel, collato Arab. עצב: *probrosis dictis excipiunt*, contumeliose proscindunt, virulenter insectantur *verba mea.* עָלַי כָּל־מַחְשְׁבֹתָם לָרָע *Contra me omnia eorum cogitata in malum*, omnes eorum cogitationes malum meum intendunt.

7. יָגוּרוּ Chaldaeus vertit *congregantur*, quod sequutus Hieronymus Symmachusque, qui hoc verbum cum proximo יִצְפְּנוּ eleganter exprimit: *συνήγοντο λάθρα.* Sensus: collatis invicem sententiis deliberant, quomodo me perdere possint. Verbum גּוּר, quod praeter alia etiam *commorari* Hebraeis (vid. Ps. 5, 5. 15, 1.) significat, Arabibus quoque notat in Conjug. 3. *vicinus fuit. Congregandi* notio nostro loco sensum commodum efficit, quum צָפַן proxime sequatur. *Commorandi* significatione accepit h. l. Alexandrinus, qui vertit: *παροικήσουσι*, Vulgatus: *inhabitabunt*, nec non Syrus: *habitabunt.* Eodem modo recentiorum quidam, qui sensum hunc esse dicunt: inimici mei in insidiis mihi struendis pertinaciter sunt constantes. יִצְפְּנוּ *Delitescunt*, s. abscondunt semetipsos, insidiandi causa, ut patet ex iis quae sequuntur. Quod attinet illud quod in textu scriptum exstat (Kethibh), notandum, in medio vocis poni *Jod*, ac si esset Hiphil, יַצְפִּינוּ, quae forma occurrit quoque Ex. 2, 3. Job. 14, 13. הֵמָּה עֲקֵבַי יְשֻׁמֹּרוּ *Ipsi calcaneos meos observant*, instar venatorum ad quaevis mea attendunt vestigia, ne forte elabar, sed ut pedes mei tendiculis retibusque eorum constringantur. Eadem similitudo a venatoribus desumta habetur Jer. 5, 26. 16, 16. Thr. 3, 5. 4, 19. — כַּאֲשֶׁר קִוּוּ נַפְשִׁי *Quandoquidem exspectant animam meam*, tantopere mihi insidiantur, quia vitam ipsam *(animam)* mihi eripere student. קִוָּה hic ut 119, 95. *insidiandi* notionem junctam sibi habet.

8. עַל־אָוֶן פַּלֵּט־לָמוֹ *Propter vanitatem evasio illis*, confidunt mendaciis dolisque, quod ea ipsis sint praestitura effugium; spem evadendi collocant in versutia. פַּלֵּט est Infinitivus Piel nominascens, ut Ps. 32, 7. Alii pron. לָמוֹ referunt ad עֲקֵבַי Vs. 7., vertuntque: *ereptio* eveniat *illis*, calcaneis meis. Sunt, qui cum interrogatione vertant: *propter iniquitatem evasio ipsis?* h. e. eritne haec iniquitas impunita illis? In alia omnia abeunt veteres.

Alexandrinus: ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς σώσεις αὐτούς, Vulgatus: *pro nihilo salvos facies illos.* Chaldaeus: *propter mendacium, quod est in manibus ipsorum, ejicias eos.* Sensus non incommodus, modo *ejiciendi* significatio verbi פָּלַט probari possit. בְּאַף עַמִּים הוֹרֵד אֱלֹהִים *In ira gentes deturbat Deus*, at Deus est, qui saepe totos populos ob iniquitatem dejicit, nec istis igitur parcet. Videtur enim hoc tanquam generalem sententiam subjecisse, unde significaret, idem judicii et suis hostibus exspectandum, eoque omnino frustrandos perversa spe sua, propterea quod Deus, justus judex, totos etiam populos e suo fastigio felicitatis et insolentiae dejiciat. Cf. Jes. 63, 6.

9. נֹדִי סָפַרְתָּה אָתָּה *Fugere meum*, s. *vagari meum*, migrationes meas et exilia, *numeras tu*, fugas et exilia mea, quae persequente me Saule subire coactus sum, tu nosti et curas. Potest ספרתה etiam in Futuro, sive Imperativo, verti, ut הָרְחַבְתָּ, Ps. 4, 2., ubi vid. not. Quare Alexandrinus haec verba τὴν ζωήν μου ἐξήγγειλά σοι, Syrusque *confessionem meam tibi indicavi*, reddiderit, dicere non habeo. Symmachus: τὰ ἔνδον μου ἐξηρίθμησας, et Hieronymus: *interiora mea enumerasti.* Tribuerunt forsan voci לְ notionem proxime sequentis נאד. Melius Chaldaeus: *dies fugae meae numerasti.* Verbum נוד Hebraeis est *vagari* incertis sedibus, quo significatu usurpatur de Caino Gen. 4, 12. 14., de avicula Prov. 26, 2. Ps. 11, 1., hincque נוֹד Gen. 4, 16. *divagatio, exilium.* שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ *Pone lachrymas meas in utre tuo*, ne pereant, i. e. memor esto lachrymarum et calamitatum mearum, sicut qui in utre aliquem bonum liquorem vini aut olei reponunt, vel etiam secum circumferunt, ut juxta eandem velut mensuram aliquando gaudia mihi admetiaris. נאד *utrem* denotat, quo vinum asservabant, 1 Sam. 16, 20. Jos. 9, 4. 13.; item *lac*, Jud. 4, 19. Hujusmodi utres, ex caprinis praecipue pellibus, foris adhuc pilosis, intus vero commode purgatis, praeparata hodieque usurpant Orientales. Alii ad ampullas s. urnas lachrymales, quales apud Romanos in usu erant, alludi existimant, vid. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 34.; adde P. VI. p. 278. הֲלֹא בְסִפְרָתֶךָ *Nonne in libro tuo* sc. sunt consignatae lachrymae meae? Similis locus est Malach. 3, 16. *scriptus est* סֵפֶר זִכָּרוֹן *liber memoriae coram Domino omnibus timentibus eum*, i. c. Deus recordatus suorum, eos minime negligit. Allusio est ad morem regum et aliorum gubernatorum, qui, ne prae multitudine negotiorum obliviscantur, curant annotari res agendas, et singulorum etiam vel reorum vel bene meritorum bona malave, eaque sibi tempestive in memoriam redigi.

10. אָז — אֶקְרָא *Tunc*, cum intelligent hostes mei, me ad te confugere, *convertentur retrorsum hostes mei die quo invoco*, in fugam convertentur hostes mei ad preces meas. Vocula אָז respicit ad sequens בְּיוֹם, post quod subaud. אֲשֶׁר בּוֹ, ut supra Vs. 4.

11. 12. Vid. not. supra ad Vs. 5.

13. עָלַי אֱלֹהִים נְדָרֶיךָ *Super me, Deus, vota tua*, solvenda mihi sunt vota tibi facta; loquitur ita, ac si jam compos factus esset petitionis suae. *Vota tua*, quae tibi nuncupata sunt; affixum enim h. l. non efficientem, uti alias, sed eum cui votum factum, denotat; ita Gen. 16, 5. Jer. 51, 35. חֲמָסִי *injuria mea* est, qua ego affectus sum; et עֲלִילוֹתָם *facinora ipsorum*, Ps. 99, 8., sunt, quae alii adversus ipsos patrarunt. Ceterum de נְדָרִים cf. not. ad Ps. 22, 26. 50, 14. עָלַי *Super me*, i. e. mihi incumbunt, me obligatum et obstrictum tenent; ita particula עַל de debito saepius usurpatur, veluti Jud. 19, 20. *omnis defectus tuus super me*, h. l. mihi incumbit defectus tuos implere, ut 1 Chr. 9, 27. *et super eos*, janitores, est vigilia, illis excubare incumbit. אֲשַׁלֵּם תּוֹדוֹת לָךְ *Exsolvam tibi eucharistica*, cf. ad 50, 14.

14. כִּי הִצַּלְתָּ נַפְשִׁי מִמָּוֶת *Nam eripuisti animam meam e morte*, e lethali periculo, ut Jos. 2, 13. Ps. 33, 19. — הֲלֹא רַגְלַי מִדֶּחִי *Nonne pedes meos* eripuisti *ab impulsione*, i. e. impediisti hostem incursantem, ne titubantes meos impelleret pedes, meque vacillantem sic prorsus prosterneret; cf. de hac figura not. ad Ps. 35, 5. 36, 13. — לְהִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי אֱלֹהִים *Ad ambulandum coram Deo*, i. e. ut in vita hac conservatus diutius, porro te colere possim. De הָלַךְ in Hithpael vid. ad 26, 3. *Ambulare* autem *coram Deo* est, omnia sua dicta et facta ad Dei quasi praesentis voluntatem componere, eumque continuo revereri, vid. Gen. 5, 22. 24. 6, 9. 17, 1. 24, 40. — בְּאוֹר הַחַיִּים *In luce viventium*, inter vivos, in hac vita; *lumen viventium* opponitur caligini sepulchri et inferni.

Ps. 57.

Conqueritur de periculis, in quibus haereat, sed sperat, quod Deus eum ex illis sit liberaturus. Qua spe fretus pollicetur, se Dei benignitatem et veritatem laudaturum et celebraturum esse. Occasio carminis indicatur Vs. 1.

1. De verbis אַל־תַּשְׁחֵת vid. Prolegg. p. 14., atque de מִכְתָּם ibid. p. 17. — בִּבְרֹחוֹ מִפְּנֵי שָׁאוּל בַּמְּעָרָה *Quum propter Saulum in speluncam fugisset.* Bis David in spelunca latuit propter Sauli persequutiones. Primum in spelunca, *Adullam* dicta, 1 Sam. 22, 1. Secundo in alia quadam spelunca, in deserto *Engeddi*, e qua Saulum salvum et incolumem dimisit, 1 Sam. 24, 1. sqq. Ad posteriorem historiam plerique putant nostrum Psalmum pertinere, dum Davides, quaerente ipsum Saule, in periculo ibi fuit, in quo quae hoc carmine legimus precatus fuerit. Ad Engeddicum enim specum plus periculi fuit, quam ad Adullamicum, quum illuc cum exercitu trium millium venerit Saulus, ad Adullamicum autem nullus hostis venerit.

2. וּבְצֵל־כְּנָפֶיךָ אֶחְסֶה Vid. Ps. 17, 8. 36, 8. עַד־יַעֲבֹר הַוּוֹת *Dum transeat calamitatum quaeque*, hoc modo distributive הַוּוֹת

reddendum esse, indicat numeri inter nomen et verbum diversitas, vid. not. ad 7, 2. 3. 37, 31.

3. לָאֵל גֹּמֵר עָלַי *Ad Deum, perficientem pro me*, i. e. omnia mea expedientem et ad optatum finem perducentem. Simili modo, sed cum בְּעַד constructum, verbum גָּמַר accipitur 138, 8. גְּמֹר, quod in Psalmorum libro tantummodo, et in eodem quinquies quidem occurrit, ceteris locis tribus (7, 10. 12, 2. 77, 9.) neutraliter pro *absumtus fuit*, *cessavit*, *desiit*, usurpatur, vid. ad 7, 10. *Perficiendi* notionem habet etiam in Chaldaica dialecto. Ex veteribus tam h. l. quam 138, 8. quidam ita verterunt, ac si גָּמַל legissent, ut Ps. 13, 6. גָּמַל עָלַי, ubi not. vid. Sic h. l. Alexandrinus: εὐεργετήσαντά με, et Hieronymus: *ultorem meum;* forsan huc et Syrus referendus: *ad Deum salvatorem meum.* In codicibus tamen, qui hodie exstant, neutro loco lectionis diversitas deprehenditur.

4. יִשְׁלַח מִשָּׁמַיִם *Mittit e coelis* sc. manum meam ad meum auxilium, cf. ad 18, 17. וְיוֹשִׁיעֵנִי חֵרֵף שֹׁאֲפִי *Et servabit me dum probro me afficit persequutor meus*, vid. de שָׁאַף ad 55, 2. Potest quoque verti: *ignominia afficiet persequutorem meum.*

5. נַפְשִׁי בְּתוֹךְ לְבָאִם *Anima mea in medio leonum*, vita mea summis exposita est periculis, haud aliter ac inermis homo incursantibus undique cinctus leonibus famelicis. אֶשְׁכְּבָה לֹהֲטִים *Cubo*, prostratus jaceo, *inter homines flammas spirantes.* Ante אשכבה subaud. vel בְּתוֹךְ, vel עִם aut אֶת, *cum*, quomodo hoc ipsum verbum construitur Ez. 31, 18. 32, 19. 20., imo ellipsin eandem, quae h. l. est, deprehendimus etiam Ez. 32, 21. *descenderunt* שָׁכְבוּ חֲלָלֵי חֶרֶב *jacuerunt* inter *transfossos gladio.* Nisi cum Gesenio *Lehrgeb.* p. 808. sumas, verbis *habitandi commorandique* jungi nomina eorum, inter quos aliquis commoratur, in Accusativo, ut Ps. 5, 5. לֹא יְגוּרְךָ רָע *non commoratur apud te malus.* Alexandrinus: ἐκοιμήθην τεταραγμένος, Vulgatus: *dormivi conturbatus.* Ante verba, quae sequuntur, iterum repetendum est אשכבה בתוך *jaceo inter* בְּנֵי־אָדָם וגו׳ *homines, quorum dentes sunt lanceae et sagittae, quorumque lingua gladius acutus*, i. e. res valde et plane extreme noxiae. Videtur velle indicare instrumenta sermonis, et dicere, quod loquendo magis obsint, pluresque laedant ac perdant, quam si ipsis violentissimis armis in quosque obvios grassarentur.

6. רוּמָה עַל־הַשָּׁמַיִם אֱלֹהִים *Exaltare super coelos, Deus*, id est, ostende tuam divinam omnipotentiam me liberando. Cf. Ps. 21, 14. et ibid. not.

7. רֶשֶׁת הֵכִינוּ לְפְעָמַי *Rete pararunt gressibus meis*, callide me variis suis fraudibus nituntur circumvenire et constringere. Vid. 9, 16. 10, 9. 25, 15. 31, 5. כָּפְפָה נַפְשִׁי *Incurvata est anima mea*, jam constrictus teneor ab hoste, ut similis sim ferae, ab occulto quodam laqueo vel tendicula in terram prostratae, ubi jam

accurrit venator, eandem jugulaturus. Quamvis enim alias *incurvationis* figura moestitia summa solet significari, ut Ps. 38, 7. Jud. 11, 35. Jes. 58, 5.; hoc tamen loco illam quam dedimus explicationem contextus videtur flagitare. Aben-Esra notat, verbum כָּפַף esse vel *intransitivum*, ponique masculinum, sicut נָפַשׁ et alias construitur, veluti Gen. 46, 25., vel esse *transitivum*, q. d. *unusquisque incurvat animam meam*, s. incurvavit hostis animam meam, quum transitive et Jes. 58, 5. usurpetur. Hinc nostro loco Alexandrinus: *κατέκαμψαν τὴν ψυχήν μου*, Vulgatus: *incurvarunt* (Chaldaeus *incurvavit*) *animam meam.* כָּרוּ לְפָנַי שִׁיחָה *Foderunt ante me foveam*, vid. ad Ps. 7, 16.

8. נָכוֹן לִבִּי *Firmatum est cor meum*, i. e. forti ac laeto animo sum, qui in te fiduciam meam pono. Cf. ad 10, 7. Hic Versus et quatuor, qui proxime sequuntur, repetiti sunt 108, 2—6., paucis nec magni momenti mutationibus.

9. עוּרָה כְבוֹדִי *Evigila, gloria mea!* i. e. anima mea, cf. ad 7, 6. 16, 9. 30, 13. Alii h. l. per *gloriam* intelligi putant *nablium* et *citharam*, quae mox sequuntur, propterea quod ea instrumenta Davidi, ut artis musicae perito, magnam conciliabant gloriam, 1 Sam. 16. Cui sententiae tamen alii loci, in quibus כָּבוֹד aperte de *anima* usurpatur, non favent. עוּרָה הַנֵּבֶל וְכִנּוֹר *Evigila nablium et cithara*, vid. de utroque ad 33, 2. אָעִירָה שָׁחַר *Evigilabo mane*, verbum עוּר in Hiphil h. l. intransitive accipitur, ut 35, 23. *evigila et expergiscere.*

11. *Nam ad coelos usque gratia tua magna est, et ad nubes usque veritas tua*, i. e. immensa et ineffabilis est veritas promissionum tuarum.

Ps. 58.

Reprehenduntur judices injusti, quorum impietas, quae describitur Vs. 3—6., tanta sit, ut vindictam divinam provocet, Vs. 7—10. Quo facto pii in virtutis studio confirmentur, Vs. 11. 12.

Plerique Psalmum interpretantur de consiliariis aulae Saulicae, qui regem adversus Davidem exsulem calumniis suis irritabant, inter quos eminuit Doegus, Idumaeus; quo accusante et mortis sententiam exsequente immani crudelitate interficiebatur Achimelechus, sacerdos, cum tota familia. Alii de consilio seditiosorum Absalonicorum Psalmum interpretantur. Illi enim non minus, quam Saulici, et odia inflammabant, et caedes suadebant; atque ad innocentem ipsum persequendum et causas ad Absalonem deferebant, et cum ipso ad rem conspirabant, sociosque se ei facinoris adjungebant, non judicio vero, sed contra conscientiam, in assentatione mera, ut suis et alienis affectibus inservirent. De Wette questus Judaei alicujus inter exules viventis de judicibus injustis populi alieni hoc carmine contineri existimat.

2. Voc. אֻלָּם sunt, qui ad verbum אָלַם *manipulos ligavit* (vid. ad 56, 1.) referentes illud *manipulum*, indeque *congregationem* existimcnt denotare, totumque incisum sic reddant: *an revera, o congregatio justitiae*, i. e. vos, quibus provincia recte judicandi mandata est, *loquimini?* Sive: an revera, congregatio, justitiam loquimini? Alii אֻלַּם *obmutescentiam* interpretantur, Chaldaeo praeeunte, qui sic explicat: *num vere quod silent justi tempore contentionis, videmini vobis justitiam loqui?* Quod nonnulli sequuti Versum sic explicant: *num revera obmutescentiam justitiae*, i. e. mutam quasi justitiam silentio vestro suppressam, *eloquemini? rectitudines*, i. e. quod recti et justitiae leges postulant, an *judicabitis* tandem? *o filii Adami!* homines! Equidem malim Versum sic interpretari: *an revera obmutescentia justitiae?* silet justitia? *Proloquamini* se. quod justum est; *ex aequo judicate, homines!* Alexandrinus forsan אֻלָּם legit, vertit enim: *εἰ ἀληθῶς ἄρα δικαιοσύνην λαλεῖτε;* Ita et Syrus: *si vere justitiam loquimini.* Ceterum מֵישָׁרִים positum est pro בְּמֵישָׁרִים, ut Ps. 9, 9. habetur.

3. *Imo vero in corde iniquitates operamini*, meditamini, *in terra*, per terram, *violentiam manuum vestrarum appenditis*, hinc inde velut bilancibus distributis, ordinatis. *Ponderandi* verbo (פלס) videtur exacta et studiosa injustitiae cura describi, cum pravi consiliarii vel judices omnes quasi technarum attendunt minutias, tum hoc, tum aliud excogitando, tentando, exequendo. Alii *librare violentiam* interpretantur, prava consilia perficere praetextu justitiae, eaque exsequi, quasi ad trutinam rectae rationis essent expensa. Eleganter Alexandrinus: *συμπλέκουσιν*, et Vulgatus: *concinnant.*

4. זֹרוּ רְשָׁעִים מֵרָחֶם *Abalienati sunt impii* scil. ab omni pietatis et justitiae cura *inde ab utero*, male agunt inde a nativitate sua; malitia iis est innata. Pro זֹרוּ alias habetur זָרוּ (similiter בּוֹשׁוּ *erubuerunt* Jer. 14, 3., טוֹבוּ *boni sunt* Cant. 4, 10.), vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 401. תָּעוּ מִבֶּטֶן דִּבְּרֵי כָזָב *Errarunt*, s. errare solent, a recto justitiae et pietatis tramite, *inde a ventre* se. matris (quomodo מבטן etiam usurpatur Jud. 16, 17. Ps. 22, 11. 71, 6.) *loquentes mendacium*, quibus dolosos suos hostes innuit, ob justitiae vilipendium et iniquas sententias ab ipsis in judiciis prolatas.

5. חֲמַת־לָמוֹ כִּדְמוּת חֲמַת־נָחָשׁ *Venenum ipsis ut venenum serpentis;* forma regiminis חֲמַת per enallagen ponitur pro absoluta חֵמָה. כְּמוֹ פֶּתֶן חֵרֵשׁ יַאְטֵם אָזְנוֹ *Instar aspidis surdae* scil. venenum ipsorum, *quae obturat aurem suam*, scil. contra incantationes, ut Vs. 6. sequitur. Arabibus quoque serpens *surdus* dicitur, cum incantatione nihilo magis afficitur, quam si vel surdus esset, vel auribus obtusis. Eadem phrasi, qui erga pauperes durus est, et immisericors, *aurem obturare* dicitur *a clamore pauperis* Prov. 21, 13. Et vir pius *aurem obturat ne audiat caedes*, Jes.

33, 15., i. e. a cruentis et sanguinariis consiliis tam alienus est, neque ad ea magis attendit, cum ab impiis proponuntur, quam si aures haberet obturatas. *Surdos* autem ab Arabibus dici serpentes omnes, in quos credunt incantationem nihil valere, multis exemplis probavit Bochartus in *Hieroz.* T. III. p. 173. ed. Lips. Ejusmodi autem serpentes maxime perniciosi ab Orientalibus habentur; et Avicenna, medicus Arabicus, a Bocharto l. c. adductus, inter plura serpentum genera etiam mentionem facit *surdi, cito mortem inferentis.* Plura dabit *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 55. sqq. Aptissime itaque poeta noster homines perniciosissimos et nocentissimos *aspidi surdae* confert, cui venenum acerrimum nulla arte potest adimi.

6. *Quae non audit vocem incantantium, et divini, incantationum periti.* A nomine לָחַשׁ *serpens* (qui ita dicitur a *lambendo, lingendo,* quae prima radicis arabicae significatio est) ortum verbum denominativum לָחַשׁ, *carmine magico serpentibus vim nocendi demere,* eos *incantare,* illarum regionum, in quibus serpentes noxii sunt, frequens et vetustum artificium, de quo multa Bochartus l. c. p. 162. sqq., et recentiores scriptores, quos ibi not. 2. adduximus. De serpentum incantatione nomen לַחַשׁ dicitur Jer. 8, 17. Coh. 10, 11. Vox חֹבֵר explicanda est ex Arab. חבר *scivit,* ut חוֹבֵר proprie sit *sciens,* tum *magus, incantator,* quemadmodum et Chald. מְחַבַּר, atque Syr. חברא *incantatorem* significat. Verba enim, quae *sapiendi, sciendique* notionem habent, apud Orientales non solum, verum apud alias etiam gentes, ipsis quoque cesserunt *incantatoribus, veneficis* et *magis,* quemadmodum et Ex. 7, 11. הַחֲכָמִים *sapientes,* junguntur הַמְכַשְּׁפִים *praestigiatoribus,* et הַחַרְטֻמִּים *magis* Aegyptiis. Plura vid. in Not. 4. ad Bocharti *Hieroz.* T. III. p. 167. Pro verbis חוֹבֵר חֲבָרִים מְחֻכָּם Alexandrinus haec posuit: *φαρμάκου τε φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ,* quod Arabs ita vertit: *ipsa fascinatione melius quam sapiens.* Nec multo aliter Chaldaeus: *incantantibus incantationem ipsa est prudentior.* Reddiderunt ita, ac si legissent מְחֻכָּם.

7. אֱלֹהִים הֲרַס־שִׁנֵּימוֹ בְּפִימוֹ *Deus evertes dentes eorum in ore eorum,* i. e. omnem vim ac potentiam hostilem. Quia enim plerumque ferae sylvestres, et etiam quaedam domesticae, ut canes, potissimum dentibus pugnant ac laedunt, ideo per synecdochen dentes crebro pro omni vi ac potentia hostium ponuntur, vid. Ps. 3, 7. 8. 7, 3. Job. 29, 17. מַלְתְּעוֹת כְּפִירִים נְתוֹץ יְהוָה *Dentes caninos leunculorum comminue.* מַלְתָּעוֹת alias מְתַלְּעוֹת (quod vulgo *dentes molares* vertere solent, sed male, quum molares dentes in leonibus aliisque bestiis carnivoris parum sint metuendi) sunt *dentes acuti* et *anteriores,* terribiles in leonibus, praeeuntibus interpretibus Orientalibus h. l.

8. יִמָּאֲסוּ כְּמוֹ־מָיִם *Liquidi fient sicut aquae* sunt liquidae, ita effluant, dissolvantur, ac si essent tam liquidi, quam aqua.

יִמָּסוּ pro יִמָּסּוּ, quemadmodum et Job. 7, 5. יִמָּאֵס pro יִמָּסֵס, et בּוּאוּ *diripiunt*, pro בָּזְזוּ, Jcs. 18, 2., more Aramaeorum, qui verba quiescentia secunda haud raro cum defectivis secunda confundere solent, veluti מְכַךְ et מְאַךְ *humiliari*, et apud ipsos Hebraeos רוּם et רָמַם *exaltari*. Alii, retenta *spernendi* significatione, quae verbo מָאַס inest, vertunt: *spernantur*, pro nihilo habeantur, *ut aqua*, quae prolabitur ac diffluit; conferri volunt locum Ps. 22, 15. (ubi vid. not.) et 2 Sam. 14, 14. Ita Syrus: *reprobabuntur*, *sicut aquae*, *quae effunduntur*. Alexandrinus: ἐξουδενωθήσονται ὡς ὕδωρ διαπορευόμενον, et Vulgatus: *ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens*. Respexit haud dubie *dissolvendi* significationem, sed sensum tantummodo expressit. Ante יִתְהַלָּכוּ *decurrunt*, subaud. אשר, ut saepe. לָמוֹ autem redundat, ut Ez. 37, 11. *excisi sumus* לָנוּ *nobis*. Similitudo nostro loco desumta est ab aquis, ex imbribus forte coortis, magnum concitantibus strepitum ac horrorem, nec non quaevis obvia prosternentibus, si per montana proruant in valles; brevi tamen per tot rivulos dispersae evanescunt, inque terram se insinuant, ut nusquam compareant amplius. יִדְרֹךְ חִצָּיו כְּמוֹ יִתְמֹלָלוּ *Intendat sagittas suas* unusquisque adversariorum Vs. 2. sqq. descriptorum, sed fiant, *ac si succisae essent*, h. e. cuspide careant, obtusae nulliusque pretii sint, careant effectu; cuncta illa tela fiant irrita, haud aliter, ac si in frustula concisa vel comminuta essent. De דָּרַךְ *calcavit*, vid. ad 7, 13. coll. 11, 3. 37, 14., quibus in locis conjungitur cum nomine קֶשֶׁת *arcus*. Quandoque tamen etiam cum חֵץ et חִצִּים *sagittae*, constructum reperitur, ut infra 64, 4. coll. Jer. 9, 2. *Sagittae succisae* autem appellantur minae irritae, et quae nullum effectum sortiuntur; aut dirae et maledictae, quae non eveniunt. יִדְרֹךְ חִצָּיו per compendium dictum pro יִדְרֹךְ קַשְׁתּוֹ לִירוֹת חִצָּיו *tendat arcum suum*, *quo jaculetur sagittas suas*; nisi malis חִצָּיו ad sequentia referre: *tendat* arcum suum; sint ejus sagittae, ac si succisae essent. Ante כְּמוֹ subaud. יִהְיוּ *fiant*. *Succidendi* significatio verbo מוּל ex usu linguae propria est (vid. Deut. 30, 6. Ps. 90, 6. Job. 24, 24.). Jarchius verba nostra refert ad Deum, qui intendat sagittas suas adversus impios, ut succidantur et pereant. Ita Alexandrinus: ἐκτενεῖ τὸ τόξον αὐτοῦ, ἕως οὗ ἀσθενήσουσιν, Vulgatus: *intendit arcum suum*, *donec infirmentur*. Syrus: *jaciet sagittas suas*, *donec consumantur*. Chaldaeus: *intendit sagittas suas propter eos*, *et erunt jaculis confecti*. Symmachus contra, ut nos supra, ad impium haec verba refert, qui nocere quidem studet pio, sed sine effectu; vertit enim sic: ὁ τείνων τὸ τόξον αὐτοῦ θορυβηθήτω ὡς τὰ θρυπτόμενα.

9. כְּמוֹ שַׁבְלוּל תָּמֵס יַהֲלֹךְ *Sicut limax liquefactione*, s. *liquescens*, *abit*. „Hoc enim genus," inquit RUDINGERUS, „non esse diuturnum atque intra testam suam colliquescere, etiam testarum inanium multitudo ostendere videtur in ripis et littoribus,

etsi et terrestre genus harum est. Latino nomine sunt *limaces*. Terrestres quidem repente absumuntur et colliquescunt, sicut mucus ostendit, quem post se relinquunt. Sed non intcritum, qui sensim fiat, sed celerem eis imprecantur similitudines omnes istae. Itaque *sensim* hic locum non habet.“ Qua de causa verborum hebraeorum sensum ita expressit: *Pereant sicut cochlea, quae cito deliquitur contabescitque et testam post se relinquit inanem.* שַׁבְלוּל esse *cochleam*, s. *limacem*, multis ostendit Bochartus *Hieroz.* T. III. p. 557. sqq. ed. Lips. Ita et h. l. Chaldaeus interpres: *sicut reptile limacis, quod humectat viam suam.* Contra Alexandrinus: ὡσεὶ κηρὸς ταχεῖς ἀνταναιρεθήσονται, unde Vulgatus: *sicut cera, quae fluit, auferentur;* et Syrus: *sicuti cera, quae liquescit, et cadit a conspectu ignis, destruentur.* Nec multo aliter Theodotion, uterque Arabs et Aethiops. Verum si de *cera* res esset, Psaltes dixisset כִּדוֹנַג, ut Ps. 22, 15. 68, 3. 97, 5. Praeterea quorsum dicatur impius *ire*, vel *abire ut cera liquefacta*, quum ea numquam eat, aut certe a loco, in quo fusa est, parum recedat? Verba quae sequuntur, נֵפֶל אֵשֶׁת בַּל־חָזוּ שֶׁמֶשׁ, Chaldaeus sic reddidit: *ut abortivus foetus et talpa, qui caeci sunt, nec vident solem.* Hebraeum אֵשֶׁת ejusdem putavit esse significationis atque Chaldaicum אִישׁוּתָא, h. e. *talpa*, quod ipsum multi h. l. interpretes sequuti sunt. Sed rectius veterum alii נפל אשת exposuerunt *abortum mulieris.* נֵפֶל *abortivus*, a *cadendo* nomen habet, quia mulieri ex utero *excidit* mortuus, instar immaturi ac decidui fructus. Neque solum hic exstat, sed et Job. 3, 16. et Coh. 6, 3. Et אֵשֶׁת pro *muliere*, in statu constructo frequentius, sed et in absoluto occurrit. Sic Deut. 21, 11. *et si videris in captivitate* אֵשֶׁת *mulierem forma venustam.* Et 1 Sam. 28, 7. *quaerite mihi* אֵשֶׁת *mulierem Pythonissam.* Vid. et Jer. 13, 21. Ita hic נפל אשת est *abortivus foetus mulieris.* Ante נפל repetenda est similitudinis nota כמו. Sensus est: exterminentur ex hominum conspectu instar abortivi, qui statim in terram reconditur, nec solis lucem umquam vidit. Cf. Job. 3, 16. *Sicut abortivus latens, non amplius essem, ut infantes qui non vident lumen.* Et Coh. 6, 3. 4. 5. *Beatior illo est abortivus, quamvis in cassum venerit, et in tenebras iverit, et tenebris opertum fuerit nomen ejus, neque solem viderit, neque cognoverit*, etc. Alexandrinus, qui pro verbis נפל אשת posuit ἔπεσε πῦρ, accepit אשת significatione Chald. אֶשָׁתָא *ignis*, et Psalten alludere putavit ad eversionem Sodomae, quae fulminibus divinitus immissis eversa est. Item Syrus, qui praeterea verba priora Vs. 10. ad hunc traxit, unde haec cnata est versio: *cecidit ignis, et non viderunt, et sol, et non intellexerunt.*

10. *Priusquam ollae vestrae persentiscant rhamnum*, i. e. ignem ex rhamno, qui celerrime ardescit et calefacit, *tam vivum, quam adustum, turbine abripiet illum* sc. rhamnum Deus; pro-

verbialis loquutio, cujus sensus videtur hic esse: antequam consilia vestra ad maturitatem, aut effectum pervenerint, improviso omnes vestrae machinationes evertentur. Saepe accidere solet illis, qui per deserta iter facientes cibos parare sibi volunt, ut subita coorta tempestate ignis ad cibos coquendos accensus extinguatur, omnisque epularum apparatus destruatur, ac dissipetur (vid. OEDMANNI *Vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erklärung der heiligen Schrift*, P. IV. p. 99.); unde haec similitudo ducta videtur. Verbum בוּן *intelligere* (vid. ad 33, 15.), quandoque ad alia quoque transfertur, veluti ad palati gustum, Job. 6, 30., ad aurem, Job. 13, 1., atque sic etiam h. l. ad ollas, quibus sensus caloris tribuitur. Nomen feminini generis סִירוֹת conjungitur cum verbo masculino, enallage generis satis frequenti, cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 716. אָטָד esse *rhamnum spinis oblongis*, cujus multus est usus apud Orientales ad ignem in foco, quod facile flagrat, ostendit CELSIUS in *Hierobot.* T. I. p. 199. sqq. כְּמוֹ־חַי כְּמוֹ־חָרוֹן *Tam vivum* scil. rhamnum, i. e. virentem adhuc, nec igne satis accensum, *quam ardorem*, i. e. jam ardentem, ita enim metonymice h. l. nomen illud usurpari, patet ex geminata particula כ, sive כְּמוֹ, qua repetita par et aequalis diversarum rerum conditio significatur, ut Jes. 24, 2. et Hos. 4, 9. כָּעָם כַּכֹּהֵן *tam populus, quam sacerdos;* Zach. 9, 15. כַּמִּזְרָק כְּזָוִיוֹת *tam cratera, quam angulos altaris.* Sensus est: turbo erit tam vehemens, ut nihil, coquendae ollae necessarium, superstes sit mansurum. Verbum שָׂעַר, quod h. l. ut saepe alias idem valet quod סָעַר *procellosus fuit* (cf. ad 50, 3.), transitivo significatu accipiendum est, ut additum affixum, ad אָטָד referendum, docet; adeoque sicut Zach. 7, 14. dicitur, אֲסָעֲרֵם *turbine disjiciam eos per omnes gentes;* item Job. 27, 21. וְיִשְׂעָרֵהוּ *et turbine abripiat eum a loco suo;* ita et h. l. יִשְׂעָרֵנּוּ vertendum est: *turbine abripiet eum* rhamnum, sc. Deus, qui Nominativus ex Vs. 7. est repetendus. Multo aliter veteres hunc Versum interpretantur. Alexandrinus: *πρὸ τοῦ συνιέναι τὰς ἀκάνθας ὑμῶν τὴν ῥάμνον, ὡσεὶ ζῶντας, ὡσεὶ ἐν ὀργῇ καταπίεται αὐτούς*, Vulgatus: *priusquam intelligerent spinae vestrae rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos;* sensus videtur esse hic: ut agricola succrescentes in arvis teneriores adhuc spinas antequam duriores fiant, ac laedere possint, radicitus evellit, et quasi cum ira quadam detestatus abjicit, sic illos nondum satis in improbitate confirmatos Deus vita privabit. Apparet, Graecum interpretem nomen סִירוֹת pro *spinis* habuisse (et certe סִיר *spinam* esse non dubium, sed ubi hac significatione sumitur, in Plurali ubique terminatione masculina סִירִים dicitur, vid. Jes. 34, 13. Hos. 2, 8. Nah. 1, 10. Eccles. 7, 6.; feminina autem Pluralis terminatione, סִירוֹת, quae tamen undecies praeter hunc locum in V. T. occurrit, numquam pro *spinis*, sed semper pro *ollis* usurpari solet hoc nomen), et חָרוֹן male *irae* significatione accepisse. Alexandrinum tamen in falsa hujus loci interpre-

tatione non solum reliqui veteres, sed etiam recentiorum nonnulli sequuntur.

11. *Laetabitur pius, dum* hanc *ultionem videt, gressus suos lavabit in sanguine impiorum;* videtur allusio esse ad victoriam militarem, ubi victores necessario pedes suos ponunt aut gradiuntur in sanguine hostium, cum passim terra sit cruore contecta cumque fugientes persequuntur ac caedunt, quorum sanguine viae passim contaminantur.

12. וְיֹאמַר — לַצַּדִּיק *Atque dicet homo* quilibet, omnibus tum fatendum erit, *utique fructus est pio*, non absque praemio manet virtus, אַךְ — בָּאָרֶץ *utique Deus judex in terra*, Deum existere, qui judicium exerceat. Cum nomine אֱלֹהִים, terminatione plurali, conjungitur et Pluralis שֹׁפְטִים, ut Jos. 24, 19. *non potestis Jovam colere*, כִּי־אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא אֵל־קַנּוֹא *etenim Deus sanctissimus est, Deus aemulus.* Ita et verbis pluralis numeri jungitur Gen. 20, 13. 37, 5. 2 Sam. 7, 23. Alexandrinus, quem sequuti sunt Vulgatus et Syrus, posuit ὁ Θεὸς κρίνων αὐτούς, ac si אֱלֹהִים שֹׁפְטָם legisset, ut Ps. 53, 1. שֹׁפְטֵנִי אֱלֹהִים habetur.

Ps. 59.

Preces continet pro sui conservatione ab hostibus impiis, qui poetam sine causa persequerentur et perdere studerent. His igitur hominibus perditissimis poenas divinas imprecatur, sibi vero defensionem et liberationem ex omnibus periculis fiducia certa in Deum nixus pollicetur. Tempus et occasio carminis indicata est Vs. 1.

1. לַחֲמִיתוֹ — בִּשְׁלֹחַ *Dum mitteret Saulus* videlicet שְׁלוּחִים *emissarios* (supplendus Accusativus ex verbo, ut Coh. 6, 3. Ps. 13, 4. coll. Jerem. 51, 39. 57.), *ut custodirent domum ad eum interficiendum.* Historia legitur 1 Sam. 19, 11. Furore quodam invidentiae Saulus transversus actus, qua jure, quave injuria Davidem e medio tollere decreverat. Quum igitur certo quodam die David esset in Sauli cubiculo, et in ejus conspectu citharam pulsaret; princeps ille, subito quodam et extraordinario veluti oestro percitus, hastam arripuit, et eam in Davidem magna vi intorsit, sperans, ut eo ictu ad parietem transadactus affigeretur. David ictu, levi corporis inclinatione, devitato, excessit, et in domum suam se recepit, ratus fore, ut omnem de absente Saulus cogitationem abjiceret. At illa principis efferati rabies non consederat. Misit ergo ille satellites, qui sub vesperam domum Davidis circumdarent, et ipsum mane exeuntem corriperent ac trucidarent. Verum cum Michal, ejus uxor, insidias animadvertisset, easque marito indicasset, convenit inter eos de ineundo consilio, cujus ope ille elaberetur. Demisit ergo se David per fenestram clanculum, adjuvante uxore, quo facto evasit; et ut longius progredi posset, quam ut satellites, eum insequentes, assequerentur, eos Michal manc in domum et in cubiculum Davidis introductos, artificio

delusit. Quum igitur David in eo periculo versaretur, hanc precationem, qua Dei opem implorat, concepisse, et postquam in locum tutum pervenit, eam literis consignasse videtur. Sunt quidem, qui inscriptionis fidem in dubium vocent, quod Vs. 6. vates Deum orat, ut in כָּל־הַגּוֹיִם animadvertere velit, quod iis Davidis adversariis, quos inscriptio indicat, minus convenire videatur. Sed cf. not. ad Vs. 6. Syriaca translatio in Polyglottis hanc hujus Psalmi epigraphen exhibet: *Cecinit David hoc carmen, cum percepisset, Saulum sacerdotes interfecisse.* Historiam vide 1 Sam. 22, 21.

2. מִמִּתְקוֹמְמַי תְּשַׂגְּבֵנִי *Prae adversariis meis exaltes me*, tutum me ab illis praesta, quasi in loco praealto et inaccesso constitutum, cf. 20, 2. De מִתְקוֹמֵם vid. not. ad 17, 7.

3. De פֹּעֲלֵי־אָוֶן vid. not. ad 28, 3., atque de אִישׁ דָּמִים ad 5, 7.

4. יָגוּרוּ עָלַי עַזִּים *Congregantur adversus me robusti*, homines feroces et insolentes. De *violentia* עַז etiam Gen. 49, 7. usurpatur. De verbo גּוּר vid. ad Ps. 56, 7. Syrus: *et roborarunt contra me malitiam suam.* Alexandrinus et Vulgatus: ἐπέθεντο ἐπ᾽ ἐμέ, *irruerunt in me.* Sed Chaldaeus ut 56, 7., *congregati sunt contra me.* לֹא פִשְׁעִי *Non* ob *delictum meum*, sine culpa mea. Subaudienda particula עַל, quam expressit Chaldaeus: *non propter peccatum meum.* Ita congruit cum iis, quae proxime sequuntur: בְּלִי עָוֹן. Alii subaudiunt verbum substantivum, et vertunt ita: *non delictum meum* est, i. e. nullum delictum mihi potest imputari.

5. בְּלִי־עָוֹן יָרֻצוּן וְיִכּוֹנָנוּ *Absque culpa* scil. mea, citra meam culpam, *currunt*, ultro citroque, tanquam occupatissimi in iis, quae ad meam faciunt perniciem, *et praeparant* instituta, in perniciem meam spectantia. וְיִכּוֹנָנוּ pro וְיִתְכּוֹנָנוּ, *Thau* characteristicum Conjugat. Hithpael elisum per Dagesch forte compensatur, ut Num. 21, 17. Alexandrinus et Vulgatus ita vertunt: ἄνευ ἀνομίας ἔδραμον καὶ κατεύθυνα, *sine iniquitate cucurri et direxi*, ac si in Hebraeo אָרַץ וְאָכִין scriptum esset. Sed recte Syrus: *sine iniquitatibus meis cucurrerunt contra me, et pararunt sese contra me.* Neque aliter Chaldaeus et Hieronymus. עוּרָה *Evigila!* vid. Ps. 7, 7. 44, 24. — לִקְרָאתִי *In occursum meum*, ut amicus obviam solet ire suppetiasque ferre amico impugnato aut in fugam dato. וּרְאֵה *Et intuere* afflictionem meam, vid. Ps. 9, 14. 25, 18.

6. אֱלֹהִים אֱלֹהֵי צְבָאוֹת pro אֱלֹהֵי צְבָאוֹת אֱלֹהִים, prius enim אלהים accentus dirimit a צבאות, ut regimen statuere non liceat; sed אלהי subaud. locis aliis, veluti 2 Sam. 5, 10. 1 Reg. 19, 10. 14. Amos 3, 13. 5, 27. Cf. not. ad Ps. 24, 10. הָקִיצָה *Evigila*, vid. ad 3, 6. 35, 23. 44, 24. לִפְקֹד כָּל־הַגּוֹיִם *Ad animadvertendum in omnes gentes.* Qualis precatio tamen huic loco minus convenire videtur. Cum quibus enim sit negotium poetae, mox ipse ostendit,

adversus orbem terrarum, nunc quidem, nihil habet quod agat. Quem nodum alii aliter solvere tentarunt. Sunt, qui existiment, hunc Psalmum adnumerandum esse iis, qui contra totius populi Hebraei hostes, gentes exteras, auxilium a Deo petunt, nec rationem habendam esse ejus, quod Psalmi inscriptio indicat, facti, quod Davidem ad hasce preces impulerit. Attamen quum plura alia hujus Psalmi, veluti Vs. 3. 4. 5. 7. 8. 15. 16. tempori et causae, quam titulus indicat, bene conveniant, non esse videtur, cur illius veritatem in suspicionem vocemus. Kimchi, Davidem vehementiore affectu concitatum, quum consideraret, nihil penitus justitiae, etiam apud Israelitas, superesse, in haec verba erupisse: *evigila ad visitandum*, i. e. ad animadvertendum *in omnes gentes*, ut pro totius orbis judicio orarit, quo qui ubivis gentium mali exstant sint exstinguendi. Sed videntur per convitium גּוֹיִם vocari adversarii poetae, qui quidem ortu Israelitae essent, barbarorum autem impietatem et in innocuos crudelitatem animo et moribus referrent. Verbum פָּקַד (de quo vid. 31, 6.) praeter alia etiam significat *animadvertere in aliquem*, ut Jes. 26, 14. Jer. 46, 25. אַל־תָּחֹן כָּל־בֹּגְדֵי אָוֶן *Ne miserere*, ne parcas, *ullius horum hominum pessimorum*. De בָּגַד vid. ad 25, 3. Hoc loco Participium nominascens collocatur in regimine, ita ut construatur cum adjuncto *iniquitatis*, אָוֶן; et vertendum sit *praevaricatores iniquitatis*, i. e. iniquissimi, ut supra Vs. 3. *homines sanguinum* sunt sanguinolenti, crudelissimi. Cf. Jer. 12, 1.

7. יָשׁוּבוּ לָעֶרֶב *Revertantur* ab insidiis suis (Vs. 4.) *ad vesperam*, die inaniter consumto, re infecta. Respicere videtur ad sicariorum circa aedes suas praestolationem et insidias, a quibus aedibus altero die revertere et discedere cogebantur ob Davidem fuga elapsum. יֶהֱמוּ כַכֶּלֶב *Fremant ut canis*, sc. famelicus, cibo diu quaesito destitutus. Verbum הָמָה, quod de quolibet strepitu proprie dicitur, hic ad canum ululatum transferri, res ipsa docet, quare Syrus et Arabs recte: *ululent*. Alexandrinus cum Vulgato: λιμώξουσιν, *famem patientur*. Sed Bochartо *Hieroz.* T. I. p. 763., ubi multis de hoc loco agit, verisimile est, Graecum interpretem μαιμάξουσιν, *strepent*, scripsisse. וְיסֹבְבוּ עִיר *Et percurrant urbem*, canum famelicorum instar, qui victum quaerunt. De canibus urbes in terris Orientis magno numero percurrentibus, vid. *das alte u. neue Morgenl.* P. IV. p. 76.

8. יַבִּיעוּן בְּפִיהֶם *Eructant ore suo*, subaudi רָעוֹת *mala*, *noxia*, quomodo integra haec phrasis habetur Prov. 15, 28. Verb. נָבַע proprie est *scaturire*, diciturque de fonte, seu aqua vivente, ebulliente, tum autem transfertur ad sermonem, emanantem ex ore, plane ut רָחַשׁ (de quo vid. Ps. 45, 2.); hinc etiam significat *manifestare*, *praedicare* (ut 19, 3. 78, 2. 145, 7.). H. l. נבע in malam partem usurpatur (ut 94, 4.). חֶרֶב בִּשְׂפְתוֹתֵיהֶם *Gladii in labiis eorum*, sermones eorum adeo aculeati sunt et sauciantes,

ut famam meam laedant. Cf. Ps. 55, 22. 57, 5. — כִּי־מִי שָׁמֵעַ *Num quis audiens?* h. e. nemo in ejusmodi calumniatores animadvertit, aut mendacia eorum retundit. Interrogatio affirmans negativum infert sensum, ut 19, 13. 35, 10. Tacite videtur perstringere summi magistratus injustitiam, quod tales calumnias, injurias ac mendacia plane non curet et puniat; cf. 58, 2. Hinc Chaldaeus: *Nam quis est, qui audiat et ulciscatur?* Alii haec verba accipiunt *μιμητικῶς*, in persona hostium prolata, hoc sensu: propterea tam audacter me calumniantur, et omni injuriarum genere me afficiunt, quia ex ipsorum mente nemo, ne Deus quidem (cf. Vs. 9.) audit, multo minus in eos animadvertet. Quem sensum forsan spectavit Symmachus: *ὡς οὐδενὸς ἀκούοντος ἐβόων*, nec non Hieronymus: *quasi nemo audiat*, et Syrus: *et dicunt: quis audit?*

9. Cf. not. ad 2, 4. 22, 8. 37, 13.

10. עֻזּוֹ אֵלֶיךָ אֶשְׁמֹרָה *Robur ejus*, sc. cujuslibet hostium, vel regis ipsius, quod attinet (Nominativus absolutus, de quo vid. ad 32, 10. 35, 13.), *ad te attendam*, i. e. vim hostilem non metuo, sed tuum exspecto auxilium. Sed infra Vs. 18., ubi eadem sententia repetitur, legitur ita: עֻזִּי אֵלֶיךָ אֲזַמֵּרָה, quod ipsum et hoc Vs. haud pauci interpretes reponendum putarunt. Consentiunt ex parte versiones antiquae, עֻזִּי enim h. l. exprimunt omnes ne Chaldaeo quidem excepto, et habent sex Codices Kennicotti, et quatuor de Rossi. Sed אֲזַמֵּרָה exhibent tantummodo Syrus et Arabs. Simile repetitionis exemplum vid. 42, 6. 12. De מִשְׂגַּבִּי vid. ad Ps. 46, 8.

11. אֱלֹהֵי חַסְדִּי יְקַדְּמֵנִי *Deus gratiae meae*, qui beneficus et misericors est erga me, qui tam clementer mecum egit adhuc, *praeveniet me*, cito mihi succurret, ante me sese sistet, tanquam protectorem, ictus declinantem. Secundum *Kethibh* legendum est: אֱלֹהַי חַסְדּוֹ *Deum meum* quod spectat, *gratia ipsius antevertit me*. Sic quodammodo Alexandrinus: *ὁ Θεός μου, τὸ ἔλεος αὐτοῦ προφθάσει με*. Syrus חַסְדָּךְ expressit; sed Chaldaeus חַסְדִּי; recte, cf. infra Vs. 18. et 144, 2. — אֱלֹהִים יַרְאֵנִי בְשׁוּרָרָי *Deus videre me faciet*, cum voluptate conspiciendos mihi dabit, *osores meos*, debellatos et poena affectos. De verbo רָאָה cum ב constr. vid. ad 22, 18. coll. 54, 9.

12. אַל־תַּהַרְגֵם — בְּחֵילְךָ *Ne interficias eos* (*statim* מִן יַד, ut Chaldaeus addit), *ne obliviscantur populares mei*, sed *vagari eos fac per virtutem tuam*, i. e. fac potentia tua, ut vagentur paternis sedibus expulsi (מִן בָּתֵּיהוֹן *a domibus suis*, ut bene Chaldaeus), tanquam infamiae spectaculum, cui justitia tua ignominiae notam inussit. In miseriis vivi conserventur, ut exstet ad posteritatem etiam exemplum et monumentum in ipsis poenae, qua afficiantur calumniatores et qui opprimere innocentes student. Pro פֶּן־יִשְׁכְּחוּ עַמִּי Alexandrinus posuit: *μήποτε ἐπιλάθωνται τοῦ νόμου σου*, et sic quoque Arabicus interpres. Vulgatus vero: *ne*

quando obliviscantur populi mei. Syrus quoque: *ne obliviscantur populi mei.* וְהוֹרִידֵמוֹ *Et deturba eos* a felicitatis fastigio ad ima miseriae, cf. 56, 8. Interpretantur hoc de disjectione ejusmodi, quae omnibus fortunis omnique dignitate eos exuat, etsi et simplex dissipatio intelligi potest, qua dissipati et tanquam exules desinant esse factio. Prius illud tamen magis placet מָגִנֵּנוּ *Clypeus noster*, qui me meosque protegis ab omni periculo, vid. 3, 4. 7, 11. 18, 3. 31.

13. In verbis חַטַּאת־פִּימוֹ דְּבַר־שִׂפְתֵימוֹ propositionis partes, sive subjectum et praedicatum, per synchysin sunt trajecta, ut sensus sit hic: *verbum labiorum ipsorum*, est *peccatum oris ipsorum*, quicquid suis proferunt labiis, malum et perversum est. Hujusmodi transpositionis exempla passim obvia vid. 5, 10. 9, 16. 19, 2. 39, 6. 45, 7. וְיִלָּכְדוּ בְגַאֲוָתָם *Ideoque capiantur*, constricti tanquam retibus, e quibus nequeant sese extricare (vid. Coh. 7, 26.) *in fastu suo.* Convincantur superbae elationis et contemtus Dei et hominum. Chaldaeus ante חטאת־פימו particulam עַל subaudit, ut ו ante ילכדו sit conversivum: *propter peccatum oris sui, et verbum labiorum suorum capientur in fastu suo.* וּמֵאָלָה וּמִכַּחַשׁ יְסֻפָּרוּ *Et propter maledictiones* in innocentes, quos immerito diris devovent, et *propter mendacia*, calumnias, *quae enarrant*, enunciant, spargunt, sc. capiantur. Ante יספרו subaud. אשר. Sunt, qui hoc modo vertant: *ut de imprecationibus atque mendaciis suis narrent* alii, s. narretur, ut fiant fabula mundi, quomodo praefixum ו de *fine* aut *eventu*, sicut Vs. 1. Ps. 78, 44., מן autem de *objecto* accipitur; sicut Alexandrinus et Vulgatus etiam habent: *et de exsecratione et mendacio annunciabunt.* Sed tutius omnino erit, illud מן *causaliter* accipere, atque verba, ita, ut nos supra fecimus, interpretari.

14. כַּלֵּה *Consume*, perime, eos, quos adhuc descripsi, subaudiendum est אוֹתָם, ex sequenti וְאֵינֵמוֹ, *adeo ut non sint*, ut recte Chaldaeus vertit, adeo ut non supersint amplius inter vivos. Hoc autem contrarium videri posset ei, quod dixit Vs. 12. *ne interimas eos* rel. Sed haud inconsentaneum est, existimare, quod, mutata sententia in commotione augescente, simpliciter petat hoc genus prorsus deleri. וְיֵדְעוּ כִּי־אֱלֹהִים מֹשֵׁל בְּיַעֲקֹב *Ut cognoscant*, experimento ipso deprehendant, *Deum esse imperatorem in Jacobo*, in Jacobi posteris. Opponi hoc quidam putant Saulo, atque adulatorum ejus persuasioni fastuosae, qua se summum opinabatur in hoc populo regem, nullius legibus vel poenis subjectum. לְאַפְסֵי הָאָרֶץ *Usque ad limites terrae*, h. e. dominium hoc Dei non angustis Palaestinae includitur finibus, sed ad extremos orbis terminos protenditur, ut proinde ditionem Dei nemo possit effugere.

15. Cf. not. ad Vs. 7.

16. הֵמָּה יְנוֹעֲעוּן לָאֳכֶל *Ipsi vagentur*, hinc inde oberrent, ut canes famelici solent, *ad edendum*, ad quaerendum cibum, quem

comedant. Lectio marginalis (קְרִי) est יָנִיעוּן *movebunt;* melior tamen est lectio textualis (כְּתִיב) in *Kal*, quum in Hiphil verbum נוּעַ alias semper post se habet Accusativum, qui motionis objectum exprimat, qui tamen hic deest; neutralis autem, seu intransitiva significatio, quae formae Kal est propria, optime quadrat h. l. אִם־לֹא יִשְׂבְּעוּ וְיָלִינוּ *Quando non saturati fuerint, et famelici pernoctaverint*, i. e. noctem transigent famelici et palantes. Cf. Prov. 19, 23. *timens Dei satur pernoctabit;* impii itaque hic descripti pernoctabunt incoenati. Non multo diversus Jarchi: *Sicuti faciunt canes, tota nocte vagantur, quando non sunt saturi; etenim quiescunt illi et dormiunt propter saturitatem.* Aben-Esra censet לֹא geminandum, hoc sensu: *si non fuerint saturati, non dormient.* Ita Syrus: *quaerent cibum, nec saturabuntur, nec pernoctabunt*, s. pernoctandi locum invenient. Chaldaeus totum hunc Versum reddidit sic: *vagabuntur quaerentes praedam, ut comedant, et non quiescent, donec saturentur et dormiant.* Nec aliter Symmachus: *περιερχόμενοι πόλιν ῥεμβόμενοι, ἵνα μὴ ἀχορταστοὶ αὐλισθῶσι.* Hi igitur omnes verbum לוּן capiunt usitata *pernoctandi* significatione. Sed quum verbum לוּן in Niphal semper et in Hiphil quandoque denotet *murmurare prae impatientia* (veluti Num. 14, 27. 29. 17, 20. Ex. 16, 7. 8. al.); sunt interpretes, qui et nostro loco vertant: *si non saturati fuerint, murmurent*, s. murmurabunt. Ita Alexandrinus: *ἐὰν μὴ χορτασθῶσι, καὶ γογγύσουσιν*, quod Vulgatus et Hieronymus sequuti sunt.

17. וַאֲנִי אָשִׁיר עֻזֶּךָ *Ego vero* (ו adversative est capiendum, ut supra Vs. 9.) *canam*, celebrabo *robur tuum*, quo me ab illorum vi liberasti. וַאֲרַנֵּן לַבֹּקֶר חַסְדֶּךָ *Et alta voce cantabo bonitatem tuam.* לַבֹּקֶר *mane* dicit, ut significet, se prima luce ad Deum celebrandum surrecturum, neque hac opera ullas alias sibi, ex diurnis et quotidianis, priores aut potiores futuras.

18. עֻזִּי אֵלֶיךָ אֲזַמֵּרָה *Robur meum! tibi canam.* Verbum זָמַר alias nusquam cum אֶל constructum reperitur, sed vel mediante לְ, vel nudo nominis Accusativo sequente; quare אֶל h. l. pro לְ positum videtur. Alii vertunt: *de te canam*, ut Job. 42, 7. *non loquuti estis*, אֵלַי *de me rectum.* In אֲזַמֵּרָה Kimchius paronomasiam observat cum אֶשְׁמְרָה Vs. 10., hoc modo explicandam: qui in te *sperabam* (Vs. 10.), nunc tibi *canam.* Quod a poetae Orientalis genio minime abhorret. Cf. not. ad Ps. 49, 13.

Ps. 60.

Superioris temporis cladibus atque calamitatibus publicis commemoratis Vs. 3—5., precibus suis ad Jovam conversus, petit ab eo, ut reconciliatus populo suo sanare velit vulnera regni, quae in ira sua inflixerit ei, Vs. 6. 7. Hinc, fretus promissionibus divinis, atque animatus victoriis a magna hostium parte jam reportatis,

promittit sibi successum similem prioribus adversus hostes adhuc debellandos, oratque Deum, ut sibi auxilio sit, vanum namque esse sine illius ope auxilium hominum, Vs. 8 — 14. De carminis tempore et occasione vid. not. ad Vs. 2.

1. De לַמְנַצֵּחַ vid. Prolegg. p. 18., de עַל־שׁוֹשַׁן עֵדוּת p. 20. et de מִכְתָּם p. 17. Adjicitur לְלַמֵּד *ad docendum*, sive quod hoc carmen composuerit, ut doceret posteros, quae a se recte gesta essent; sive quod cantori praecipuo datus sit hic Psalmus, qui ceteros inferiores doceret. Nam quum in viginti quatuor vices distributi essent cantores, ex iis aliqui peritiores erant, aliqui non aeque periti, qui a peritioribus illis docebantur, vid. 1 Chr. 25, 7. 8.

2. בְּהַצּוֹתוֹ *In certando ipsum*, i. e. dum certaret, dum bellum gereret. Arabibus verbum נצא notat *antias* alicujus *prehendere*, atque in Conjug. 3. *invadere alicujus antias*, et proprie de iis dicitur, qui, *antiis mutuo correptis*, *decertant*. Unde elucet vera vis usus Hebraei, etiam Chaldaeis et Syris notissimi, quo נָצָה et הָצָה *acriorem contentionem*, *rixam*, atque *pugnam* dictam inde מַצָּה et מַצּוֹת, notant. Prius, נָצָה, formam passivam habens, proprie valet, *antiis correptus est*, posterius הָצָה, cui forma transitiva est, *instituit antiarum correptionem*. Utrumque potissimum de *rixantibus* usurpatur, qui, inter *mutuas crinium correptiones* et *vulsiones*, verbera et ictus sibi mutuo infligunt, sic Ex. 2, 13. 21, 22. Deut. 25, 11. 2 Sam. 14, 6. Non mirum itaque, verbum etiam ad *conserentes manum cum hoste et acie confligentes* transiisse, ut nostro loco et Jes. 41, 12., ubi מַצּוֹת *pugna*, quasi *correptis antiis* facta, et מִלְחָמָה *praelium*, proxime conjunguntur. Male h. l. Alexandrinus atque Vulgatus reddiderunt: ὁπότε ἐνεπύρισε, *cum succendit*, ac si esset בְּהַצִּיתוֹ, a יָצַת *incendit*, quomodo verba נָצָה et יָצַת Alexandrinus et Thren. 4, 15. inter se confudit. אֶת־אֲרַם נַהֲרַיִם *Cum Mesopotamia*, vid. de hac appellatione not. ad Gen. 10, 22. et 24, 10., atque cf. librum nostrum: *Handbuch der bibl. Alterthumsk.* P. I. Vol. II. p. 133. וְאֶת־אֲרַם צוֹבָה *Et cum Syria Zobaea.* צוֹבָה sive, ut nonnumquam Syriaco more scribitur, צוֹבָא, Euphratem attigisse, ex eo patet, quod Davides profectus לְהַצִּיב יָדוֹ *ut constitueret manum suam in flavium Euphratem*, i. e. ut ad Euphratem usque imperii limites propagaret, percussit Adadezerem, regem Zoba, 2 Sam. 8, 3. 1 Chr. 18, 3. Eodem facit, quod Adadezer auxiliares copias eduxit e *Syria quae trans flumen* (Euphratem) est, i. e. e Mesopotamia proxima, 2 Sam. 10, 16. et nostro loco. Euphrates igitur Syriae Zobaeae limes fuit orientalis, ut occidentalis terra Canaan et Syria Damascena. Quibus vicinam fuisse, suadet, quod Zobaeis tam saepe res fuit cum Judaeis et Damascenis, vid. 1 Sam. 14, 47. 2 Sam. 8, 3. et 10, 6. 2 Chr. 8, 3. Praeterea Tadmor s. Palmyra, et vicinae urbes, quas in deserto aedificavit Salomon, 1 Reg. 9, 17. 18. leguntur sitae fuisse in Hamath-Zoba 2 Chr. 8, 3. 4. In

J. D. Michaelis sententiam, Syriam Zobaeam esse ultra Euphratem, in Mesopotamia sitam, ea in regione, qua hodie Nesibin urbs est, vid. quae monuimus in *der bibl. Alterthumsk. (bibl. Geographie)* Vol. I. P. II. p. 144. et 249. וַיָּשָׁב יוֹאָב וַיַּךְ אֶת־אֱדוֹם *Et reversus est Joabus et percussit Edomaeos*, i. e. iterum percussit, vel aliam, praeter Syrorum, obtinuit victoriam. Hujusmodi verbi prioris per adverbium exponendi idiotismus Ps. 6, 11. 45, 5. 51, 4. Alii, verbis pressius adhaerentes, sic vertunt: *et reversus est Joabus* sc. ex Syria *ad domandam Idumaeam*. Idumaei Nesibenorum in bello contra Davidem socii erant, vid. 2 Sam. 8, 13. (ubi tamen in libris editis male אֲרָם legitur pro אֱדוֹם, ut ponendum esse patet ex Vs. 14. atque ex loco parallelo, nec non versionibus antiquis). בְּגֵיא־מֶלַח *In valle salis*. Sunt quidem in Syria Arabiaque plures valles eo nomine dignae, quod exsiccatae, quae in illis restagnaverant, paludes, stratum salis relinquunt; hic vero, ubi de pugna cum Idumaeis, ea vallis intelligenda videtur, quae mare mortuum ambit, salis illa officina naturalis, toti Palaestinae sufficiens; urbs quoque illo in tractu sita proprio nomine עִיר־הַמֶּלַח *urbs salis* dicitur, Jos. 15, 62. שְׁנֵים עָשָׂר אֶלֶף *Duodecim millia*. Sed 2 Sam. 8, 12. et 1 Chr. 18, 12. caesorum numerus dicitur 18000 fuisse; incertum, utrum errore librariorum, an varie, ut saepe majoribus in praeliis fieri solet, numeratis caesis; cum his enim, qui in acie ceciderunt, in fuga caesi, prouti lubet, connumerari, aut omitti possunt. Quodsi igitur post illam victoriam est scriptus Psalmus, nimirum in apparatu belli ad conficiendas reliquias hostium scriptus erit. Syriacae quidem victoriae nulla diserta mentio carmini inest; sed paene plus spei et precum habet, quam gratiarum actionis et rei. — Sunt, qui huic inscriptioni ita omnem fidem denegent, ut carmen, quod sequitur, ad alia plane tempora, quam quae in illa sunt indicata, referendum existiment. Et alii quidem, ut Hubigantius, Venema, Dathius, Psalmum ad initia regni Davidici referunt, illumque compositum existimant a Davide, postquam ab omnibus tribubus rex esset electus; alii vero, ut Rudingerus, ad Machabaica tempora referunt, et ad eas quidem historias horum, quae sunt descriptae 1 Macc. 4. et 5., quando post Encaenia Judas excurrit in Idumaeam, et contra Ammonitas; ac postea Simo, frater Judae, mittitur in Galilaeam, et cum Jonatha fratre transit Jordanem, atque post multas victorias copias suas in Judaeam reducit. Sed vid. Prolegg. p. 7. Mihi quidem minime videtur opus esse, Hebraeam inscriptionem sollicitare, cui certe traditionis a majoribus acceptae auctoritas denegari non poterit. Quam bene autem omnia hujus Psalmi Davidi conveniant, ostendent notata ad Vs. 3. 8. 9. 10.

3. אֱלֹהִים זְנַחְתָּנוּ *Deus, qui irato in nos animo fuisti*, iratum te in nos ostendisti. Subaudiendum esse post אֱלֹהִים pron. אֲשֶׁר, colligitur e contextu, qui hoc verbum et duo, quae proxime

sequuntur, ad circumscriptionem numinis invocandi docet adhiberi, hoc sensu: Tu, qui adhuc nos castigasti, nos reficias! Verbum זָנַח proprie *rancidum esse*, hinc, ad animum translatum, significat *iram*, *indignationem*, *odium*, praesertim grave, diuturnum, et inveteratum. Cf. 43, 2. Quae metaphora in aliis quoque pluribus, eandem, vel similem notionem habentibus, verbis, usu recepta est. Ita רָגַן *rancescere* Arabibus ad affectum malignum, odia et iras transfertur. Sic igitur et h. l. זָנַח non multum diversum erit ab אָנַפְתָּ, quod proxime sequitur. פָּרַצְתָּנוּ Qui *perrupisti nos*, h. e. haud leviter concussisti, nosque ut aries murum perrupisti, haud mediocri ruina facta. Sic verbum פָּרַץ de murorum disturbatione usurpatur Ps. 80, 13. 84, 41. Coh. 10, 5. Jes. 5, 5., quare et h. l. Alexandrinus *καθεῖλες*, *dejecisti*, posuit. De violenta exercitus dissipatione hoc verbum dicitur 2 Sam. 5, 20. 1 Chr. 14, 11. Notetur h. l. asyndeton, אָנַפְתָּ, פָּרַצְתָּנוּ, זָנַחְתָּנוּ, quod emphasi carere non videtur, cujusmodi exemplum Ex. 15, 9. *dixit inimicus: persequar, apprehendam, dividam praedam.* Jud. 5, 27. *incurvavit se, cecidit, jacuit.* Ex iis, quae hoc et sequentibus Versibus dicuntur, interpretes fere colligunt, Hadadezeris, regis Zobensis, exercitum insigni aliqua clade, etsi hujus rei in historia non fit mentio, Israelitas affecisse. Sed videntur potius haec referenda ad interna bella, primum per bienne regnum Sauli, qui persequendo Davidem factionibus regnum complevit, donec tandem caesus a Philisthaeis, cum magna strage populi, et ipse sublatus fuit, et multa regni loca hostes occuparent, etiam vacuas civitates multas, ex quibus incolae diffugerant (cf. 1 Sam. 31, 7.). Quibus addamus post mortem Sauli septennium totum, quo Hebrone rex Judae fuit David, nam illud ferme totum bellis civilibus cum Sauli filiis consumtum fuit; et dicit historia diserte (2 Sam. 3, 1.), longum bellum fuisse inter domum Sauli et Davidem, donec tandem sublato Isbosetho, regnum etiam Israelis ad eum delatum fuerit. Neque enim biennio tantum regnasse Isbosethus videtur (2 Sam. 2, 10.), sed, ut Hebraei interpretantur, per septennium Hebronicum Davidis (2 Sam. 2, 11.), quum mox post mortem Isbosethi David rex Israelis unctus fuerit (2 Sam. 5, 1—5.). Ita igitur per annos continuos novem aut circiter valde calamitosa fuit terra, et regnum lacerum, donec sub initia occupati universi regni, a Davidis victoriis, rediret tranquillitas. Sicut igitur regnum scissum coaluit sub Davide, ita tribus primis hujus Psalmi Versibus peti videtur, ut vulnera etiam et hiatus ejus coaleseant. תְּשׁוֹבֵב לָנוּ *Reficies*, vel *refice* (fut. pro imper.) *nos*, h. e. nos animi velut deliquium passos, mortique proximos, in vitam reduc, sana, exhilara. De verbo שׁוּב *reverti*, in Piel *reducere*, scil. spiritum, *recreare*, vid. not. ad Ps. 23, 3.

4. הִרְעַשְׁתָּה אֶרֶץ פִּצַּמְתָּהּ *Intremere feceras terram et dehiscere eam*, imago poetica (cf. 46, 4.) a magno terrae motu

petita, ubi sursum deorsum omnia aguntur, ubi montes corruunt, ac terrae labes fiunt. Vid. Ps. 18, 8. Hagg. 2, 6. 7. Verbo פָּצַם, quod hoc tantummodo loco occurrit, Hebraei interpretes tribuunt notionem *diffissionis*. Recte, consonat enim Arabum פצם *fregit sine partium separatione*. Chaldaeis quoque *perfringendi*, *discindendique* notione usitatum est, poniturque in Chaldaica versione Jer. 22, 14. pro Hebraeo קָרַע. Chaldaeus h. l. *et discidisti eam*. רְפָה שִׁבְרֵיהּ כְּי־מָטָה *Sana fracturas ejus*, *nam vacillat*, ruinam minitatur nostra respublica, restitue igitur ei integritatem. Metaphorice terra tanquam saucius homo sistitur, cui ossa sunt fracta, ut prorsus sit impotens, atque ad fortiter agendum plane ineptus. Nomen שֶׁבֶר de *fractura ossis* usurpari solet, ut constat ex Lev. 21, 18. 24, 20.; hinc ad afflictionem ruinamque etiam aliam, sive hominis, sive populi, gravem refertur, ut Prov. 16, 18. 18, 12. Jes. 30, 26. Jer. 4, 6. 20.

5. הִרְאִיתָ עַמְּךָ קָשָׁה *Ostendisti populo tuo durum*, experiri et perpeti fecisti populum tuum mala multa et gravia, quomodo verbum הִרְאָה Hebraeis saepius usurpari solet, vid. ad Ps. 50, 23. הִשְׁקִיתָנוּ יֵין תַּרְעֵלָה *Potasti nos vino temulentiae*. Tropus Orientalibus perquam familiaris. Dicitur autem *vinum* aut *calix*, e quo bibitur, in utramque partem, ad bona et mala, quae quis suscipit aut patitur, indicanda, veluti Jes. 51, 17. 22. Jer. 25, 15. Significatur itaque h. l. Deum populum Israeliticum aerumnis et calamitatibus affecisse, quae cum vehementiores sint, animum obturbant, ut, qui eo vino sit ebrius dolore pressus jaceat, nec quid consilii capiat, expedire possit. Unde Alexandrinus *οἶνον κατανύξεως* posuit, quod non est *vinum compunctionis*, ut Vulgatus vertit, sed *vinum altum soporem inducens*, ut Aquila habet, *οἶνον καρώσεως*, *vinum soporis* atque gravedinis. A verbo רָעַל (Nah. 2, 4.) *tremuit*, quae significatio Aramaeis perquam usitata, תַּרְעֵלָה apte ad *temulentiam* adhibetur. Alii vertunt *vinum horroris*, i. e. maximo nos perculisti horrore. Chaldaeus: *vinum maledictionis*. Ceterum nomen יַיִן positum est in statu absoluto pro constructo יֵין, aut concise dictum pro יַיִן יֵין תַּרְעֵלָה *vinum*, *vinum* nimirum *tumulentiae*, ut 1 Reg. 22, 27. לֶחֶם לַחַץ וּמַיִם לַחַץ *cibus oppressionis et aqua oppressionis*.

6. נָתַתָּה לִירֵאֶיךָ נֵס *Da cultoribus tuis vexillum ad elevandum*, h. e. ipse tuis in bellum proficiscentibus, vexilli instar, i prae, ut a te ducti imperterrite invadant hostes eosque excidant; milites enim, quamdiu vexillum vident praeire, bono sunt animo, idque impavide atque alacres sequuntur. Praeteritum נָתַתָּה in Imperativo vertendum, ut saepius (vid. ad 56, 9.), precantis enim haec verba esse, totus tum antecedentium, tum consequentium contextus docet. לְהִתְנוֹסֵס *Quod sese erigeret* et sublatum oculos feriret, sicque eos ad se ipsum vocaret ac recolligeret, praesidio tuo fruituros. מִפְּנֵי קֶשֶׁט *Propter veritatem* tuam (subaud. affixum,

vid. ad Ps. 30, 13.), ut veritati promissionum tuarum sua semper constaret integritas. Conjungenda haec sunt non cum proximo לְהִתְנוֹסֵס, verum cum remotiori נִתְּתָה. מִפְּנֵי *Ob respectum*, h. e. propter, ut Ex. 9, 11. Jer. 7, 12. 44, 23. Nomen קֹשֶׁט, quod praeter h. l. tantummodo exstat Prov. 22, 22., *veritatem* notare, Chaldaica docet atque Arabica dialectus. Alexandrinus vocem לְהִתְנוֹסֵס retulit ad verbum נוּס *fugere*, קֹשֶׁט vero confudit cum קֶשֶׁת *arcus* (Aramaeis quoque קְשַׁט est *jaculari*, unde קִשְׁטָנִית *arcus*), unde hanc produxit interpretationem: *τοῦ φυγεῖν ἀπὸ προσώπου τοῦ τόξου*. Quod sequutus Symmachus: *εἰς τὸ ἐκφυγεῖν ἀπὸ προσώπου τοξεύματος*, Vulgatus et Hieronymus: *ut fugerent a facie arcus*. Syrus, sensum correpturus, addit particulam negativam, hoc sensu: *ut ne fugiant a facie arcus*. Sed poeta non salvam fugam suis precatur, sed gloriosam victoriam.

7. *Ut eripiantur dilecti tui*, seil. vexillum erigas; *serva dextera tua, et exaudi nos*. Ante יְמִינְךָ subaud. praefixum בְּ, ut 108, 7. 138, 7. Ad הוֹשִׁיעָה vero pronomen suffixum repetendum est ex עֲנֵנוּ, pro quo Keri habet וַעֲנֵנִי *et exaudi me*, preces fundentem. Ceterum iisdem paene verbis hic Versus et proximi repetuntur Ps. 108, 7. sqq.

8. Confirmat animum Davides, aut qui sub ejus persona loquitur, poeta, oraculo, quod olim acceperat, fore, ut non modo regno Hebraeorum potiretur, sed etiam exteras gentes sub imperium suum subjugaret. אֱלֹהִים דִּבֶּר בְּקָדְשׁוֹ *Deus loquutus est per sanctitatem suam*, i. e. sancte promisit, ut Am. 4, 2. et Ps. 89, 36. habetur נִשְׁבַּע בְּקָדְשִׁי. Verbum דִּבֶּר h. l. de *promissione* intelligendum, ut Gen. 21, 1. Deut. 9, 28. Verbum אָמַר quoque eodem sensu saepius adhiberi, observavimus ad Jes. 38, 15. Nomen בְּקָדְשׁוֹ quidam putant elliptice positum pro: *in* palatio *sanctitatis suae*, ut Ps. 5, 8. 71, 1. dicitur, vel *in* habitaculo *sanctitatis suae*, ut Ex. 15, 13. Deut. 26, 15. Ita h. l. Chaldaeus: *in domo sanctitatis suae*. In iis, quae jam sequuntur, minime Deus loquens inducitur, ut nonnullis visum est; illa enim non Deo conveniunt, sed personae Davidis, qui quae sibi Deus fecerat, ut et in posterum fiduciam suam alat, gratulabundus memorat. אֲחַלְּקָה שְׁכֶם וגו׳ *Divisi Sichem et metitus sum vallem Succoth*. Haec loca sortis Ephraimi fuerunt, in quibus Abner, princeps exercitus Sauli, regem constituerat Isbosethum, filium domini sui (2 Sam. 2, 8. 9.), coque minus quam alia cessura ipsius imperio credebantur. Hinc est, quod nominatim eorum meminit, quo simul ostendere voluit, nulla ratione impediri potuisse quod sibi destinasset Deus. *Dividere* et *metiri* dixit pro possidere jure hereditario, quod eo jure possidenda primum dividantur et dimetiantur. — אֶעְלֹזָה Igitur *exulto*; subaud. לָכֵן, ut Thren. 3, 42. — שְׁכֶם *Sichem*, urbs in tribu Ephraim sita, Jos. 17, 7. 20, 7. 21, 21. Aliis שכם hic est nomen appellativum, *portio* (qua significatione legitur Gen. 48, 22.), quam

h. l. de portione praedae intelligunt. Ita Chaldaeus, qui tamen utramque interpretationem jungit: *dividam praedam cum filiis Joseph, habitantibus in Sichem. Vallis Succoth*, עֵמֶק סְכוֹת sive *planitiei*, ut Chaldaeus h. l. vertit (cf. Gen. 14, 3. 10. 17.), non amplius fit mentio. *Succoth* autem fuit civitas in tribu Gad, trans Jordanem, non procul a mari Genesareth sita, Jos. 13, 27. Jud. 8, 4. 14. Meminit autem locorum cis et trans Jordanem sitorum, ut dominium totum super Israelem describeret, q. d.: regiones cis et trans Jordanem mihi parent, et pro arbitrio cum eis agere possum.

9. לִי גִלְעָד וְלִי מְנַשֶּׁה *Mihi* est, s. paret *Gileaditis et mihi Manasse*, trans et citra Jordanem, Jos. 13, 29. sqq. et 17, 1—18. Mentione tribuum quarundam per synecdochen facta, includuntur etiam reliquae iisdem vicinae. Kimchi eo putat respici, quod Abner Isbosethum regem fecerat terrae Gileaditidis, 2 Sam. 2, 9. — וְאֶפְרַיִם מָעוֹז רֹאשִׁי *Et Ephraim robur capitis mei*, i. e. Ephraimi, prae ceteris populosae ac potentis tribus (Jos. 17, 17.), quae etiam regnum postea sibi affectavit, viribus ac fortitudine bellica non parum confido; instar galeae, caput a telis ictibusque defendentis, munimentum mihi praestat. Sub tribu hac populosissima etiam reliquas cis Jordanem habitantes tribus indicari, improbabile non est. Potissimum vero ad hunc locum illustrandum facere videtur, quod 1 Chr. 12, 30. 31. tribus Manasse et Ephraim, quae sub Sauli et Isbosethi imperio fuerunt, una cum ceteris tribubus ad Davidem Hebronem venisse narrantur et conjunctis cum ceteris sententiis regem eum Israelitarum crearunt. Venit autem Ephraim, ut illic dicitur, cum 20800 viris fortibus et bellicosis, unde hanc tribum recte *robur capitis sui*, i. e. suum, dicere potuit. Verba יְהוּדָה מְחֹקְקִי plerique sic vertunt: *Juda* est *legislator meus*, i. e. ex tribu Juda sapientes mihi suppetunt viri, ad regendum populum, qui יְחֹקְקוּ *decernunt* justitiam (Prov. 8, 15.); vel, per prudentes ex hac tribu viros exerceo imperium. Hoc significatu haec vox usurpatur Jes. 33, 22. *Deus judicat nos*, *Deus est* מְחֹקְקֵנוּ. Alii affixum י ad מְחֹקֵק explicandum censent per praepositionem separatam לִ, ac si ita scriptum esset: לִי יְהוּדָה מְחֹקֵק *mihi est Juda* tribus *legislatrix*, s. princeps, quae quidem interpretandi ratio mihi magis placet. Videtur hoc dicere: Judam esse totam suam, quae inter reliquas tribus emineat, propter stirpem in hac regiam. Forsan allusum ad Gen. 49, 10.

10. מוֹאָב סִיר רַחְצִי *Moab olla lotionis meae*, i. e. serviet mihi pro vilissimo mancipio. סִיר רַחַץ *vas in quo sordes eluuntur*, cujusmodi est *pelluvium*. Graeci vertunt: *Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου*, *Moab olla spei meae*, tanquam dicas: mea sperata servitia. Nam רָחַץ *sperare* in lingua Chaldaeorum. Syrus recte: *Moab lotio pedum meorum.* Gentem Moabiticam a Davide in servitutem fuisse redactam, dicitur 2 Sam. 8, 2. 1 Chron. 18, 2. עַל־אֱדוֹם אַשְׁלִיךְ נַעֲלִי *Super Edom projicio calceum meum*, mihi

Idumaea subjecta est. Uti apud Romanos *manus injectio* jus domini in re capienda et vindicanda, quam agnoscit suam, significabat, ita apud Hebraeos idem jus calcei injectione significatum videtur. Cf. Ruth 4, 7. et *das a. u. n. Morgenl.* P. III. p. 70. sqq. Quo pertinet, quod uxor fratris vidua, si frater superstes recusat eam ducere, eruit ei calceum, in ceremonia veteri Deut. 25, 9., qua ostendit, se esse liberam a fratre mariti, et nubere ei licere, cui velit. Chaldaeus sensum ita expressit: *super juncturam cervicis fortium Idumaeorum injeci*, s. imposui *calceum meum*, ut victores agere solebant in devictos, vid. Jos. 10, 24. et cf. infra Vs. 14. Davidem Idumaeos sibi subjecisse, et in eorum urbibus munitis sua collocasse praesidia, narratur 2 Sam. 8, 14. 1 Chron. 18, 13. עָלַי פְּלֶשֶׁת הִתְרוֹעָעִי *De me, o Philisthaea! clangorem ede!* i. e. acclama mihi Jo victoriae, ut de qua non dubito, quasi jam victam habeam. Imperativus suadentis et consulentis, q. d. gratulare tibi de novo rege, mihique domino tuo adplaude potius, quam ut diutius relucteris, ne duriora etiam experiri cogaris. Respici videtur eo, quod Palaestini Israelitis multum pugnae ac negotii facessentes, Davidi tandem se subjicere coacti sunt, 2 Sam. 8, 1. 1 Chr. 20, 4. Etsi vero non sit certum, num eo tempore, quod Psalmi titulus indicat, Philisthaeos jam bis vicerit duobus magnis praeliis; tamen si quid tum reliquum fuerit, de eo tamen bene sperare potuit, id se paullo post confecturum, sicut et confecit. Alii ironice hoc dictum esse volunt: *jubila*, si potes, aut lubet. Aptissimum sensum facit, quod 108, 10. legitur: עָלַי פְּלֶשֶׁת אֶתְרוֹעָע *super Philisthaea jubila*, quod ipsum in nostro etiam Psalmo Syrus expressit. Chaldaeus h. l. vertit: *super Philisthaeis jubila, o coetus Israelis!* Legit עֲלֵי pro עָלַי. Videtur nostro loco sic legendum esse: עֲלֵי פְּלֶשֶׁת הִתְרוֹעָעִי *super Philisthaea jubilare meum*, s. jubilum meum, ut הִתְרוֹעָעִי sit Infinitivus cum affixo primae personae.

11. Prius hemistichium, מִי יוֹבִלֵנִי עִיר מָצוֹר, plures vertunt: *quis deducet me in civitatem munitam?* ut sit Optativus, quem Hebraei ita interrogando exprimere solent (vid. Jud. 9, 29. 2 Sam. 15, 4. 23, 15.); *utinam compos fierem urbe munita!* qua Rabbam, sedem regiam Moabitarum, indicari putant, quam longa obsidione, et multa satis difficultate expugnavit Joabus, qui ejus expugnationem tanti fecit, ut regi eam deferret, indignum ratus, ut ipse tantae urbis expugnator haberetur; unde quum illam expugnationi jam proximam reddidisset, ad regem misit, ut ipse adducto populo eam caperet, ejusque victoriae sibi titulum vindicaret, 2 Sam. 12, 26. sqq. coll. 11, 1. sqq. Sed quum in hemistichio altero Praeterito utatur, מִי נָחַנִי עַד־אֱדֹם *quis me deduxit usque ad Idumaeam?* malim et prius hemistichium in praeterito tempore accipere, et עִיר מָצוֹר collective capere, *quis me deduxit in urbes munitas* (subaudito ante עִיר praefixo לְ, ut 1 Sam. 13, 20.

Jes. 10, 32.)? nonne Deus fuit, qui me tot munitarum urbium expugnatorem reddidit? qui et ipsam Idumaeam mihi subjecit (supra Vs. 10.), ut igitur soli Deo omnes illas victorias sese debere fateatur.

12. Versus hic eleganter respondet carminis initio (Vs. 3.) dum dicit: הֲלֹא־אַתָּה אֱלֹהִים זְנַחְתָּנוּ *nonne tu Deus*, qui olim *respueras nos?* auxilio tuo destitueras, scil. nobis omnes illas victorias concessisti, et hostibus nostris nos superiores effecisti? וְלֹא־תֵצֵא *et qui non exiveras* (praecessit Praeteritum זנחתנו) ad bellum gerendum; verbum יצא enim Hebraeis solenne est de expeditionibus bellicis (vid. 2 Sam. 11, 1. Jes. 42, 13. Zach. 14, 3.). Jam vero et porro, uti fecisti, nobis victoriam dabis. Pro hac orat Versu proximo.

13. הָבָה־לָּנוּ עֶזְרַת מִצָּר *Da nobis auxilium ab hoste*, praesta nobis auxilium ab hostibus, qui nobis debellandi restant. עֶזְרַת *Auxilia;* „feminina Pluralis terminatio interdum est ־ַת, pro וֹת, ex dialecto Chaldaica: ut תְּהִלַּת *laudes*, Ps. 9, 15.; עֲצַת *consilia*, Jes. 47, 13.“ N. G. Schroederus in *Institt. Ling. Hebr.* Reg. C. c. Illud tamen in dubium vocat Gesenius *Lehrg.* p. 527. Not. 1., et p. 467. terminationem ־ַת potius pro feminini singularis terminatione poetica habet, ut זִמְרַת *canticum* Jes. 12, 2., ad quem locum alia exempla attulimus. וְשָׁוְא תְּשׁוּעַת אָדָם *Nam vanitas*, vanum est *salus hominis*, quae ab hominibus exspectari et praestari potest. Confitetur, praesidia hominum nullius esse momenti, quo ad copias suas respexit, quibus uti quidem volebat, et fidere solo Deo, de quo canit Versu ultimo.

14. בֵּאלֹהִים נַעֲשֶׂה־חָיִל *In s. cum Deo faciemus virtutem*, fortiter bellum geremus, magnis animis pugnabimus. עֲשׂוֹת חַיִל est fortiter et strenue agere, Num. 24, 18. Ps. 118, 16.

Ps. 61.

Implorat auxilium divinum, ut defendat eum adversus hostes suos. Agit tamen simul gratias Deo, qui protexerit eum eo usque, et regem fecerit, petitque, ut conservetur ei regnum, idque diu et feliciter teneat. Ex Vs. 3., ubi poeta se *ex finibus terrae* ad Deum clamare dicit, colligunt fere interpretes, composuisse Davidem hoc carmen, dum exul esset ultra Jordanem, quo profugerat Absalomi metu, 2 Sam. 17, 22. Neque est quidquam in Psalmo, quod illi tempori admodum refragetur, nisi quod propter *aeternitatis* mentionem in voto pro regis vita Vs. 7. 8. alii (inter quos Chaldaeus, qui Vs. 7. מֶלֶךְ interpretatur מַלְכָּא מְשִׁיחָא) Davidi Psalmum omnino non convenire, sed ad Messiam referendum existiment. Huic tamen quum prior carminis pars haud facile aptari queat; dictio עוֹלָם Vs. 8. erit de longo vitae spatio intelligenda, ut alias haud raro.

3. מִקְצֵה הָאָרֶץ *A fine terrae*, i. e. ex ultimis ferme terrae Israeliticae partibus, coll. Ex. 16, 34. Jerem. 12, 12. Alii hanc phrasin intelligunt in oppositione ad coelos, q. d. e terra, quae longissimo tractu a coelo distat, coll. 135, 7. Jer. 51, 16. Sed prius praeferimus. בַּעֲטֹף לִבִּי *Dum languet*, s. deficit *cor meum*, aut tristitia quasi obruitur; verba, quae *involvere*, *obtegere* notant, tam apud Hebraeos quam apud Arabes frequenter ad animum anxium, miseria quasi obvolutum, transferuntur. בְּצוּר יָרוּם מֶמֶּנִּי *In rupem*, i. e. ut recte Chaldaeus, *in arcem munitam*, *quae constructa est super rupem* (cf. Ps. 18, 3. 34.), *quae altior est prae me*. Ellipsis relativi, ut Ps. 49, 13. 18., quae altior est, quam ut meis viribus ad eam pertingere possim. Sensus: securius mihi auxilium praesidiumque praesta, quam in meis deprehendo viribus. Pro יָרוּם veteres omnes, Chaldaeo excepto, תְּרוֹמְמֵנִי *exaltas me*, legisse videntur. Etiam Ps. 27, 5. legitur בְּצוּר יְרוֹמְמֵנִי.

5. Ideo *commorabor in tentorio tuo perpetuo*, sub protectione tua, tanquam domesticus tuus (cf. 5, 5. 15, 1. 27, 5.); *confugium meum quaeram sub latibulo alarum tuarum*, cf. ad Ps. 36, 8.

6. כִּי — לְנִדְרָי *Nam tu*, *Deus*, *exaudisti vota mea*, i. e. preces, per synecdochen, quum vota non soleant nuncupari sine precibus, et preces veterum non carere solerent votis. Recte igitur Alexandrinus: *τῶν προσευχῶν μου*, et Vulgatus: *orationem meam*. נָתַתָּ יְרֻשַּׁת יִרְאֵי שְׁמֶךָ *Dedisti* mihi *hereditariam possessionem cultorum tuorum*, i. e. quicquid petii dedisti mihi, fecisti ut sub meam potestatem venirent ii, qui vita pia colunt te, peculium et possessio mea sunt timentes Deum. Recordatione praeteritorum beneficiorum a Deo in se collatorum confirmat fidem suam de liberatione futura. Post נתת subaud. לִי ex נדרי, quod proxime praecessit. Alexandrinus, Vulgatus et Chaldaeus subaudierunt לְ ante יִרְאֵי, vertuntque *timentibus nomen tuum*. Sed non apparet, cur David, qui de se tantum loquitur, plures Dei cultores exauditionis precum suarum participes faciat.

7. תּוֹסִיף — יָמִים *Dies diebus regis adjicies*, tu vero, quem regem fecisti ei etiam vitam produces, et regnum conservabis, et restitues exulem. Loco pronominis ipsum nomen ponitur, ut Gen. 4, 23. 49, 2. 26. Ex. 30, 14. 16. 1 Reg 1, 33. — שְׁנוֹתָיו כְּמוֹ־דוֹר וָדוֹר *Anni* vitae *ejus* erunt *secundum generationem et generationem*, per plures generationes. Vid. 10, 6. 22, 31. 45, 18.

8. יֵשֵׁב עוֹלָם *Sedebit*, s. sedeat, i. e. regnet (vid. ad 21, 10.) *perpetuo*, ad finem usque vitae, ut Ex. 21, 6. Deut. 15, 17. 2 Reg. 5, 27. — לִפְנֵי אֱלֹהִים Vid. ad Ps. 56, 14. — חֶסֶד וֶאֱמֶת מַן יְנַצְּרֵהוּ *Gratia et veritas para*, i. e. fac, constitue, ut *eum custodiant*, constitue, ut pietas et veritas custodiant eum, regiorum instar satellitum, qui regnum suum stabiliant, ne impia tyrannide senium deturpet. Sic gratia et veritas regnum stabilire dicitur Prov.

20, 28. 28, 2., cf. Ps. 45, 5. 85, 11. מַן Imperativus Piel per apocopen tertiae radicalis pro מַנֵּה, sicut הַס pro הַסֵּה *sile*, Amos 6, 6.; גַּל pro גַּלֵּה *retege*, Ps. 119, 8. Verbum מָנָה h. l. idem valet, quod עָשָׂה, ut Jon. 2, 1. 4, 6. Aliis illud מַן est pronomen interrogativum *quis*, ut in Chaldaica et Syriaca dialecto. Sic Alexandrinus: *τὶς ἐζητήσει αὐτῶν*, Vulgatus: *misericordiam et veritatem ejus quis requirit?* Syrus: *quis custodiat eam?* Sine sensu commodo.

9. *Sic te perpetuo celebrabo, sic solvam vota mea ad dies singulos.* כֵּן *Ita* vero, quum tu mihi bene et secundum vota mea feceris. Verba כְּשַׁלֶּמִי נְדָרַי יוֹם־יוֹם Vulgatus bene reddit: *ut reddam vota mea de die in diem*, quotidie, per singulos dies; Gen. 39, 10. Ex. 16, 5. Jes. 58, 2.

Ps. 62.

Profitetur suam in Deo fiduciam, et docet, hoc facere etiam alios, atque hostium suorum pravitatem describit, quo ingenio, quibus moribus praediti sint, et quam pertinaces in ipso persequendo. Atque ita hac occasione communem doctrinam instituit, ne quis ulla re alia fidat aut nitatur, quam solo Deo, neque hominibus ullis, neque opibus, aut ullis malis artibus, et rebus fluxis aliis. Tales autem intelligi vult eos, qui sunt in factione hostium suorum, et principes horum praecipue, qui rebus humanis talibus et potentia humana freti agant omnia, quibus et propterea eversionem et interitum praedicit. Si Psalmus, ut inscriptio asserit, Davidis est, videtur ad tempora persequutionum Saulicarum referendus.

1. De עַל־יְדוּתוּן vid. Prolegg. p. 16.

2. אַךְ *Certo*, *utique*, quo asseverandi significatu haec particula supra 39, 6. 58, 12. aderat, et simili sensu repetitur in hujus Psalmi Vs. 3. 5. 6. 7. 10. Sed Alexandrinus interrogative: *οὐχὶ τῷ θεῷ ὑποταγήσεται ἡ ψυχή μου;* et Vulgatus: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* אֶל־אֱלֹהִים דּוֹמִיָּה נַפְשִׁי *Ad Deum silentium animae meae* sc. dirigitur. דּוֹמִיָּה h. l. silens exspectatio auxilii divini, cf. ad 37, 7. Nomen absolutum דּוֹמִיָּה pro constructo, ut sacpius, veluti Ex. 28, 17. טוּרִים אֶבֶן *ordines lapidis*; Deut. 16, 21. אֲשֵׁרָה כָּל־עֵץ *lucum ullius arboris.*

3. Verba לֹא־אֶמּוֹט רַבָּה verti possent: *non labascam multo lapsu*, subaudito ad אֶמּוֹט nomine verbali מוֹטָה (vid. ad 13, 4. 27, 4.). Unde et Lutherus: *dass mich kein Fall stürzen wird, wie gross er ist.* Mihi vero femininum רַבָּה neutraliter, atque adeo adverbialiter h. l. positum videtur, sicut apud Latinos *multum*, *plurimum.* Ita namque hoc ipsum רַבָּה in forma constructa adverbialem habere sensum, constat ex Ps. 65, 10. 129, 1. coll. 120, 6. 123, 4. Ita סָבִיב tam *circuitum*, quam *circumquaque*

significat. Recte h. l. Aquila: *οὐ σφαλήσομαι πολλήν.* Paullo aliter tamen Alexandrinus: *οὐ μὴ σαλευθῶ ἐπὶ πλεῖον*, et Vulgatus: *non movebor amplius.* Sensus proinde loci nostri erit hic: utut multis impetar procellis, utut multis me pulsibus hostes ab asylo conentur detruderc, non tamen dimovebor multum; licet vacillare forsan coepero, non tamen prorsus cadam. Lucem capiet hic locus ex Ps. 37, 24. *cum ceciderit pius, non succumbet, quia Dominus sustentat manum ejus.*

4. עַד־אָנָה תְּהוֹתְתוּ *Quousque occlamabitis*, id enim significare videtur verbum הוּת hoc tantummodo loco occurrens, ex Arabico הות et היח *clamare.* Alii conferunt Arabicum הוּה *intulit malum, grassatus est.* Sic Alexandrinus: *ἐπιτίθεσθε*, et Vulgatus: *irruitis.* Potuerant tamen et illi verbum *clamandi* significatione sumere, et in vertendo sensum tantummodo exprimere, quum similitudo petita sit a clamore bellico, quo Orientales etiamnum in pugna in hostes irruere solent. Quod et Chaldaeus spectasse videtur, dum vertit מִתְרַגְּשִׁין *tumultuantes* (eritis). Aliis tamen, quoniam illi ipsi Davidis hostes Vs. 5. dicuntur mentiri atque ore amicitiam simulare, minus aptus videtur ille *clamandi* significatus sermoni contexto. Quare verbum הוּת explicandum censent ex cognato Arab. היט, quod praeter illam significationem *clamandi* in Conj. 6. etiam notat *congregari, convenire ad res concinnandas.* Sic Aquila: *ἐπιβουλεύετε*, et Hieronymus: *insidiamini.* Aben-Esra et Kimchi verbum nostrum referunt ad nomen הַוּוֹת *pravitates*, illudque explicant: *pravitates cogitatis.* Quod jam Symmachus expressit: *ματαιοπονήσετε.* Syrus sensum utcunque expressit: *pugnatis, rixamini.* עַל־אִישׁ *Contra virum*, sc. innocuum, חָסִיד, quod Chaldaeus addit. תְּרֻצָּחוּ *Frangemini*, vid. de רָצַח ad 42, 11. Atque sic passive in Pyal תְּרֻצָּחוּ legit Rabbi *Aaron*, Mosis fil. e tribu *Ascher*, qui floruit in Judaea anno p. C. n. 1037., quem sequuntur Judaei occidentales. Orientales vero Judaei, post *Ben-Naphthali* (qui in Babylonia floruit eodem fere quo *B. Ascher* tempore), legunt תְּרַצְּחוּ, active in Piel, *frangitis*, s. infringere conamini. Quam lectionem interpretes veteres omnes exprimunt. כֻּלְּכֶם *Vos omnes* mei adversarii. כְּקִיר נָטוּי גָּדֵר הַדְּחוּיָה *Quasi paries inclinatus*, quasi *materia convulsa* (de דָּחָה vid. ad 35, 5.), h. c. brevi facillime *frangemini*, s. concidetis, haud aliter ac paries dissolutus, vel maceria, vento aut vetustate quassata et jamjam ruitura. Ita de hostibus exponunt, qui passive praecedens verbum accipiant. Qui vero active legunt: *infringitis*, s. infringere conamini, ii Davidem *parieti inclinato* conferri putant, quod ita esset debilitatus atque afflictus, ut levissimo momento impulsus corruere atque exitio propinquus esse videatur. Tum vertendum erit: *sicut parietem inclinatum;* vel construenda haec erunt cum אִישׁ, subaudito relativo: *virum*, qui est *tamquam paries inclinatus* etc.

5. אַךְ מִשְּׂאֵתוֹ יְעָצֻהוּ לְהַדִּיחַ *Utique ex altitudine*, dignitate sua, *deliberant depellere* sc. cum virum, quem tantopere oderunt prostratumque cupiunt (Vs. 4.). שְׂאֵת *excellentia*, *altitudo*, h. l. de regia dignitate intelligenda, de qua deturbare Davidem consultabat Absalon cum Achitophele ceterisque conjuratis. Bene Syrus: *imo etiam de honore ejus cogitant eum deturbare.* Eumque in finem יִרְצוּ כָזָב *diligunt mendacium*, student vel calumniis de me detrahere, vel dolis et adulationibus me circumvenire. בְּפִיו יְבָרֵכוּ *Ore suo bene precantur*, unusquisque illorum; suffixum singulare *distributive* accipiendum, ut verbum, quod proxime sequitur, et suffixum plurale probant, vid. ad 37, 31.

6. לֵאלֹהִים דּוֹמִי Vid. 37, 7.

9. שִׁפְכוּ־לְפָנָיו לִבְּכֶם *Effundite* (vid. ad 42, 5.) *coram eo cor vestrum*, desideria, curas et sollicitudines animi Deo in precibus exponite; cf. Thren. 2, 19.

10. אִישׁ — אַךְ *Utique vani sunt homines ignobiles, fallaces sunt nobiles.* De הֶבֶל vid. 31, 7. 39, 6.; de בְּנֵי־אָדָם et בְּנֵי־אִישׁ vid. 4, 3. coll. 49, 3. Sensus est: saepe non possunt, saepe nolunt homines juvare; igitur falluntur, qui in eis spem suam ponunt. כָּזָב *mendacium*, saepe dicitur de eo, quod non praestat, quod vel verbis vel externo habitu aliis polliceri videbatur, vid. Hos. 9, 2. Habac. 3, 17.; eodem sensu, quo שֶׁקֶר usurpatum vidimus supra 33, 17. בְּמֹאזְנַיִם לַעֲלוֹת *In lancibus ad ascendendum*, i. e. ascendunt, homines bilanci impositi eam sua gravitate deprimere non possunt, sed cum ea ob summam suam levitatem ascendunt et attolluntur *ad ascendendum* scil. parati s. destinati sunt, i. e. ascendere solent. Ita Infinitivus praefixo ל, omisso verbo substantivo, haud raro pro verbo finito ponitur de eo quod fieri solet, ut Prov. 16, 30. *comprimens oculos suos* לַחְשֹׁב תַּהְפֻּכוֹת *cogitare perversa*, i. e. perversa excogitare solet. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 786. הֶבֶל מֵהֶבֶל *Ipsi prae vanitate* sc. leviores sunt, quod ex praeced. לעלות intelligitur. Tum quidem, inquit, sunt nihili, ut si cum ipsa inanitate appendantur, haec illos momento suo praeponderet, et ipsa inanitate inaniores reperiantur. יַחַד *Pariter*, tam nobiles, quam ignobiles. Cf. 33, 15.

11. אַל־תִּבְטְחוּ בְעֹשֶׁק וּבְגָזֵל *Ne confidatis oppressione et rapina*, i. e. divitiis oppressione et rapina partis. אַל־תֶּהְבָּלוּ *Ne vani sitis*, i. e. absit a vobis ista vanitas. Alii: dispicite, ne fallaci vosmetipsos spe decipiatis, coll. 2 Reg. 17, 15. Jer. 2, 5. חַיִל וגו׳ *Divitiae si creverint, ne opponatis cor*, i. e. quodsi non etiam malis artibus quaesitae, aut sua sponte contingant vobis divitiae, sic tamen ne pendeatis ab his animis vestris, neque iis nitamini, sive, uti bene Syrus reddidit: *ne gaudeat* de iis *cor vestrum*, ne ametis illas. De phrasi *ponere cor ad aliquid*, vid. ad 48, 14. Verba חַיִל כִּי־יָנוּב Alexandrinus vertit: *πλοῦτος ἐὰν ῥέῃ*, נוב enim, licet non proprie, sed metaphorice etiam denotat *abundanter affluere.*

12. אַחַת *Unum*, vel *semel*, saepe designat tale enunciatum, quod non mutatur, irrevocabile, quo sensu haec vocula occurrit quoque Job. 33, 14. Prov. 28, 18. Ps. 89, 36. שְׁתַּיִם *Bis*, i. e. aliquoties, pluribus vicibus, numerus certus pro incerto, ut Hos. 10, 10. *duo peccata;* Am. 4, 8. *duae et tres urbes.* Huc illud Job. 40, 4. (al. 39. Vs. ult.) *semel loquutus sum et non respondebo; et bis, nec addam*, h. e. semel atque iterum loquutus sum, sed nil quidquam in posterum respondebo.

13. וְלָךְ אֲדֹנָי חָסֶד *Et tibi, Domine, gratia*, tu non solum potens es ad vindicandum pios (Vs. 12.), sed benignus quoque erga eos, qui te colunt. לָאִישׁ *Viro*, i. e. unicuique, ut Ps. 12, 3. 31, 20. 39, 7.

Ps. 63.

Exponit desiderium et cupiditatem, quo teneatur cultus sacri, a quo se jam separatum esse dolet. Sed ejus recordatio quoque in illo exilio cum delectat, et fiduciam ejus sustentat, fore, ut hostibus victis regno restituatur. Argumento et sententiis simillimum carmen Psalmo 42., atque adeo ad idem tempus referendum. Vid. notata ad Vs. 1.

1. בִּהְיוֹתוֹ בְּמִדְבַּר יְהוּדָה *Dum in deserto Judae commoraretur.* „Quanquam in exilio propter Sauli persequutiones David saepe et diu in deserto Judae viveret (vid. 1 Sam. 22, 5. 23, 14. 15. 26.), tamen ad illa tempora hunc Psalmum referri non posse, jam plures interpretes recte observarunt. Nam in Versu 12. se regem vocat; quod nomen vivente Saulo numquam sibi tribuit. Etsi enim a Samuele rex unctus esset, tamen ex eo, ne mortuo quidem Saulo, jus in regiam dignitatem sibi vindicabat, sed ex libera tribuum electione regnum accipiebat. Igitur haud dubie inscriptio de exilio propter seditionem Absalomi explicanda est, cum trajecto Jordano in deserto Judae, quod latius, quam vulgo sumitur, patuit, castris fortasse saepe mutatis, degeret.“ Dathius.

2. אֲשַׁחֲרֶךָּ *Te inquiro studiosissime.* A שַׁחַר *aurora* verbum שָׁחַר proprie notat *mane aliquid investigare*, hinc in universum, *sedulo quidquam quaerere*, tanquam unicum, quippe quod quam primum expergiscimur animum occupat; vid. Prov. 1, 29. 7, 15. 8, 17. Hos. 5, 15. — לָךְ pro אֵלֶיךָ *ad te*, ut Deut. 33, 46. *apponite cor vestrum* לְכָל־ *ad omnia verba.* Vocabulo כָּמַהּ, ἅπαξ λεγομένῳ, *desiderandi* significatum inesse, docet contextus, et respondet τῷ צָמְאָה, quod praecessit. Cognatarum tamen dialectorum nulla hanc aut similem notionem servavit. Aquila reddidit: ἐπετάθη σοι ἡ σάρξ μου, Symmachus: ἱμείρεταί σε, Hieronymus: *desideravit te*, et sic etiam Chaldaeus atque Syrus: *exspectans.* Male Alexandrinus ποσαπλῶς, Theodotion ποσαχῶς, atque Vulgatus *quam multipliciter*, ac si כַּמָּה scriptum esset. Pro בְּאֶרֶץ Syrus atque interpres anonymus Graecus in Hexaplis

כְּאֶרֶץ *sicut terra sicca* videntur legisse; sensu minime inepto. Et Ps. 143, 6. legitur: *anima mea* כְּאֶרֶץ־עֲיֵפָה לָךְ. עָיֵף *fessum*, de magno deserto usurpatur etiam Jes. 32, 2., vel per metonymiam effectus: quod fessum reddit viatorem; qualis metonymia est *mors pallida*, et *otium segne;* vel, quod עָיֵף idem sit quod *siticulosum*, quum fessus et sitiens esse soleat. Ad אֶרֶץ enim, non ad בְּשָׂרִי, referendum esse עָיֵף, manifestum est ex loco modo citato Ps. 143, 6. Nec opponi potest generis discrepantia, quum אֶרֶץ sit generis utriusque, ut רוּחַ, unde 1 Reg. 19, 11. רוּחַ גְּדוֹלָה וְחָזָק *ventus magnus et fortis.* Cf. 1 Sam. 15, 9., ubi מְלָאכָה construitur cum feminino נִבְזָה *contemtibilis*, et cum masculino נָמֵס *tabescens.*

3. Versu hoc et 4—6. loquitur de felicitate, quam ex observatione cultus religiosi se percepturum esse, in posterum sperat. כֵּן בַּקֹּדֶשׁ חֲזִיתִיךָ *Sic*, in tali conditione, s. statu meo, in hoc meo ardentissimo desiderio *contemplor te* animi mei oculis quasi coram *in sacrario*, לִרְאֹת עֻזֶּךָ וּכְבוֹדֶךָ *videndo magnificentiam tuam et gloriam tuam*, i. e. sedem gloriae tuae, arcam foederis, quae alias אֲרוֹן כְּבוֹד יְהוָה *arca gloriae Jovae* vocatur, et אֲרוֹן עֻזּוֹ Ps. 132, 8. 150, 1. 2 Chr. 6, 41. Quamvis exul in horrido deserto constitutus, tamen animo praesens adsum conventibus sacris et administrationi cultus tui. Cf. not. ad Ps. 24, 8.

4. Causam exponit ardentissimi sui desiderii, quod Vs. 2. expressit: כִּי־טוֹב חַסְדְּךָ מֵחַיִּים *Nam melior* est *bonitas tua, quam vita*, omnibus rebus potior est mihi cultus tui, et sensus misericordiae tuae; malo vita orbari, quam conventibus sacris et commendatione misericordiae tuae. שִׂפְתַי יְשַׁבְּחוּנָךְ *Labia mea laudabunt te*, celebraret te os meum debitis laudibus, si sacrarium tuum rursus frequentare mihi liceret. Omnia enim referenda videntur ad istam beatitudinem, si conventibus sacris frui ei concedatur iterum.

5. כֵּן *Ita* (vel *tunc*, ut 48, 6.), i. e. voti mei compos factus, אֲבָרֶכְךָ *bene precarer tibi*, i. e. laudes tuas canerem, ut 10, 3. 16, 7. 28, 9. — בְּשִׁמְךָ אֶשָּׂא כַפָּי *In nomine tuo*, i. e. in laude nominis tui, *attollerem manus meas*, sublatis manibus tibi gratias agerem.

6. Versus hic cum proximo unam sententiam facit; vid. not. ad Vs. 7. כְּמוֹ — נַפְשִׁי *Quasi adipe et pinguedine satiatur anima mea*, rebus optimis et delicatissimis satiari videor. וְשִׂפְתֵי וגו׳ *Et labiis jubilorum*, i. e. plenis ovationibus, *laudat* te *os meum.*

7. אִם־זְכַרְתִּיךָ עַל־יְצוּעָי *Dum tui recordor super strato meo.* Cohaerent haec cum praecedentibus redduntque causam, cur et quando tantopere se oblectet vates laudetque Deum, nempe dum super lecto ejus recordatur, et noctu de eo meditatur. Alii haec ita accipiunt, Davidem exulem in mediis timoribus se subito erigere, pristinisque beneficiis a Deo acceptis, animum suum reficere.

בְּאַשְׁמֻרוֹת אֶהְגֶּה־בָּךְ *In vigiliis noctis meditor de te.* Noctem Hebraei cum antiquiores tum recentiores in *vigilias* s. *custodias* diviserunt, vid. Ex. 14, 24. Jud. 7, 19. 1 Sam. 11, 11. Thr. 2, 19. אַשְׁמֹרֶת igitur designat certam noctis partem, cui peculiaris semper et novus destinatus fuit שֹׁמֵר *vigil.* Harum autem vigiliarum utrum apud veteres Hebraeos tantummodo *tres*, an semper *quatuor*, quot N. T. scriptores habent (Marc. 13, 35. ὀψέ, *μεσονύκτιον*, *ἀλεκτοροφωνία* et *πρωΐ*), numero fuerint, de eo et inter Judaeos et inter Christianos philologos disputatur. Ex recentiorum Judaeorum sententia fuerunt tres, ut singulae ternis horis constarent. Et *tres* vigilias numerasse priscos, verisimile fit ex Jud. 7, 19., ubi *mediae vigiliae* mentio est facta. Repetitur illud nomen et Ps. 90, 4. 119, 148.

10. וְהֵמָּה לְשׁוֹאָה יְבַקְשׁוּ נַפְשִׁי *Sed isti* (sc. hostes) *ad ruinam quaerunt animam meam*, ut vitam meam pessumdent. Alex. לשואה confudit cum לְשָׁוְא, ut et Jes. 22, 11., unde vertit: *αὐτοὶ εἰς μάτην ἐζήτησαν τὴν ψυχήν μου.* Sed recte Hieronymus: *ipsi vero interficere quaerunt animam meam.* Ceterum ante לשואה subaud. אשר, hoc sensu: illi, qui me perdere student, ad ima terrae migrabunt. De nom. שׁוֹאָה vid. et Ps. 35, 8.

11. יַגִּירֻהוּ עַל־יְדֵי־חָרֶב *Prosternunt eum per manum gladii*, gladio. Quod Jarchi recte ita exponit: venient super persequutores meos inimici, interficientque *unumquemque* eorum; etenim suffixum singularis numeri (הוּ) distributive positum, ut 35, 8. coll. 5, 10. 12, 8. 17, 12. Tertia vero persona pluralis impersonaliter dicta, pro eo, quod plene esset יַגִּירֻהוּ מַגִּירִים *occident eum occidentes*, quicunque illi fuerint, i. e. occidetur. Sic Job. 18, 18. *depellent eum*, i. e. depelletur, et *deturbabitur.* Vid. et Ps. 31, 5. 49, 12. (קְרֵאוּ). Loquutio הֹגִיר עַל־יְדֵי־חָרֶב pro *caedere* exstat quoque Jer. 18, 21. Ez. 35, 5. In conjugatione Niphal נִגַּר est *manavit*, *lapsus est*, unde Hiphil, הֹגִיר *labi fecit*, *dejecit*, *prostravit*, ut Mich. 1, 6. — מְנָת שֻׁעָלִים יִהְיוּ *Portio vulpium erunt*, i. e. inhumata eorum cadavera a feris devorabuntur, erunt quasi demensum ferarum; metaphora a distributione ferculorum in conviviis petita. De מְנָת vid. ad 11, 6. שֻׁעָלִים species vulpium e genere canino *(Schacal)*, de qua vid. Bochart *Hieroz.* Tom. II. p. 190. sqq. ed. Lips. et ibid. not. nostr. 2. p. 192. Solent maxime cadavera appetere, eaque ex ipsa terra, si investigarunt, eruere.

12. וְהַמֶּלֶךְ — יִתְהַלֵּל בּוֹ *Rex vero laetabitur in Deo*, regno recuperato; *gloriabitur omnis jurans per eum*, sc. Deum. Rex, inquit, et pii omnes laetabuntur successu hoc, quod recuperet tandem regnum suum rex populi is, quem Deus unxit. Usurpat autem de piis hanc notam, ut nominet eos, *qui per Deum jurant*, et quidem religiose; sicut Graecis sunt pii *ἔνορκοι*. *Per Deum jurare* est eum colere, venerari, perjurii vindicem agnoscere. Cf.

Jos. 23, 7. Am. 8, 14. Sunt, qui בּוֹ referunt ad regem, ut sit, *quisquis jurat per eum, gloriabitur*, per regem videlicet, quod solerent Judaei per vitam regis jurare; vid. 2Sam. 15, 21. Hoc si ita interpretemur, ut dicatur hoc, pios subjectissime agnituros Davidem regem, fortassis non fuerit intolerandum. Alterum tamen simplicius est, et per solum Deum recte juratur. Lutherus relinquit ἀμφιβολίαν, vertit enim: *wer bey ihm schwöret, wird gerühmet werden (qui per ipsum jurat celebrabitur).* כִּי יִסָּכֵר פִּי דוֹבְרֵי־שָׁקֶר *Quia* s. *quando obturabitur os loquentium mendacium*, ora mendacia obstruentur. Aliqui hoc opponi mentioni ἐνορχίας de piis existimant, ut piis tantum promittatur gaudium et laetitia, qui nimirum religiose jurant, et impiis, i. e. mendacibus, vanis, obtrectatoribus, minetur colon hoc interitum, quod sit tanquam *γνωμὴ γενικὴ*. Possumus tamen mendacium hominum mentionem referre etiam ad hostes Davidis seditiosos, et qui cum Absalone faciebant, qui calumniis suis et odiosissimum fecerunt et infamarunt Davidem. Erit igitur totius Versus sententia haec: pii lactabuntur etiam hoc ipso, quod videbunt refutari mendacia obtrectationum et calumniarum in iis, qui per haec seditionem Davidi excitarunt.

Ps. 64.

Petit a Deo defendi ab adversariorum technis et coitionibus. Linguam illorum virulentam et ingenium subdolum depingit. Promittit vero sibi certo et indubitato, Deum ita illos eversurum, ut exemplo sint omnibus hominibus, seque tunc ait, et una quotquot rectum colunt, de Dei ope palam gloriaturos, magisque ac magis spem in Deo collocaturos. Videtur compositum hoc carmen a Davide inter Saulicas persequutiones; multa enim sunt in hoc Psalmo similia Psalmo 52., quem contra Doëgum factum docet Hebraeus titulus.

2. מִפַּחַד אוֹיֵב *A terrore hostis*, a terribili hostium mihi insidiantium periculo. Nomen פַּחַד, quod communiter neutro-passivum, hic *activum* est, s. terrorem designat, ita ut sequens Genitivus non subjectum (ut loquuntur), sed efficientem hujusmodi affectus exprimat; cujusmodi phrasis est Deut. 32, 19. *sprevit eos* מִכַּעַס *propter indignationem*, s. irritationem filiorum suorum; et Jes. 1, 7. *subversio peregrinorum* talis est, quam peregrini inferunt.

3. תַּסְתִּירֵנִי *Occultes me*, securum mihi praebe asylum, ubi delitescere mihi liceat. רִגְשָׁה i. q. רֶגֶשׁ, vid. ad 55, 15.

4. דָּרְכוּ חִצָּם Phrasis est in significatione praegnante, ut 58, 8., ubi not. cf. Tendunt *arcum* et imponunt sagittas suas. דְּבַר מָר *Verbum amarum*, verba acerba calumniarum suarum tanquam sagittas emittunt. Sunt, qui מָר accipiunt pro *felle* vel *veneno*, ut *verbum fellis* late significet, quod simile sit sagittae venenatae, letaliter saucianti eos, quos ferit.

5. תָּם *Innocuum*, vid. ad 26, 1. פִּתְאֹם *Subito*, quando minime metuebat periculum. וְלֹא יִירָאוּ *Nec metuunt* sc. numinis vindictam.

6. יְחַזְּקוּ־לָמוֹ דָּבָר רָע *Obfirmant sibi verbum malum*, non contenti sunt, mendacia calumniasque se excogitasse, verum summopere etiam laborant in hac impietate continuanda. יְסַפְּרוּ לִטְמוֹן מוֹקְשִׁים *Narrant ad occultandum laqueos*, s. tendiculas, consultant inter se de struendis insidiis. מִי יִרְאֶה־לָּמוֹ *Quis videbit eos?* sc. laqueos.

7. מְחַפְּשׂ — יְחַפְּשׂוּ *Scrutantur*, sedulo investigant, s. exquirunt (ut Prov. 2, 4. 20, 27. Thren. 3, 40.) *pravitates*, prava consilia, quibus me perdere student (ut Ps. 58, 3.); *consummavimus*, inquiunt, *inventum excogitatum!* jam inventum est! Per mimesin tacitam referuntur haec in persona deliberantium impiorum, qui sibi gratulantur, quod prava sua consilia ad umbilicum deduxerunt. Mimeseos ejusmodi exempla, ubi Participium *dicens*, vel *dicentes* subaudiendum est, vidimus Ps. 2, 3. 22, 9. 30, 10. 46, 11. 50, 7. Ceterum pro חַמֹּנוּ, quae est regularis pers. 1. plur. Praet. Cal forma in verbis defectiva secunda, ponitur תַּמְנוּ, Dagesch ejecto Chaldaico more (vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 373.), non hic tantummodo, verum ter adhuc in Codice Hebraeo, Num. 17, 13. Jer. 44, 18. Thr. 3, 22., quibus locis tamen passive, *consumimur*, vel *consumti sumus*, vertendum est. Alex. h. l. vertit ἐξέλιπον, Vulg. *defecerunt*, et Syrus: *consumti sunt*, non quod חַמּוּ legerunt; potuerunt enim et תַּמְנוּ ita accipere, ut modo vidimus. Jarchi ת positum putat pro ט, ac si טָמְנוּ *occultarunt* (Vs. 6.) scriptum esset, quod ipsum in codicibus bene multis, a Kennicotto atque de Rossio memoratis, exstat. Sed et sic punctatio est irregularis, quia sic legendum esset טָמְנוּ, per Camez sub ט. וְקֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק *Et intimum viri et cor* viri, i. e. uniuscujusque hostium meorum, *est profundum*, i. e. nequitia et dolus adversariorum vix potest a quodam perspici aut pervestigari. Similis sententia Jer. 17, 9. *perversum* (עָקֹב) *est cor hominis*, *quis pernoscet illud?* Illum sensum et Dathius in versione h. l. expressit: *profunda malitia animo cujusque insidet.*

8. וַיֹּרֵם אֱלֹהִים *Sed feriet eos Deus*, illos, qui sagittas in homines innocuos jaculati sunt, Vs. 4. 5. Verbum יָרָה, quod impiis Vs. 5. tribuerat, nunc judici supremo, paria illis reddenti, tribuitur. Alexandrinus: καὶ ὑψωθήσεται ὁ Θεὸς, quocum Syrus consentit, ac si וְיוּרָם in Hebraeo scriptum esset. Ceteri tamen veteres nostram lectionem expresserunt. Verba quae sequuntur, חֵץ פִּתְאֹם הָיוּ מַכּוֹתָם, quidam connectunt priori Versus membro, hoc sensu: *ejaculabitur in eos Deus sagittam repente, unde mansurae sunt plagae eorum.* Quos forsan movit accentus Athnach vocabulo פתאם suppositus. Sed in libris metricis accentus ille, praecedente Merca composito, vim distinctivam amittit, posterio-

rique Versus hemistichio vocem suam annectit. Sic ita vertendum erit: *sagitta subita erunt plagae eorum*, i. e. infortunia in eos irruentia erunt tanquam sagitta subito ex alto decidens, atque incautos feriens et perncans.

9. וַיַּכְשִׁילֻהוּ לְשׁוֹנָם *Et impingere*, s. corruere, *eos facient linguae eorum*, fabricati sunt sibimetipsis infortunium lingua propria; in foveam, quam pararunt, inciderunt ipsi. Nomen singularis numeri לָשׁוֹן collective h. l. intelligendum esse, docet contextus; quare conjungitur cum verbo pluralis numeri, qui quod additum affixum singulare, distributive est explicandum (ut 63, 11.), ut *unumquemque* illorum praecipitandum fore intelligatur. עָלֵימוֹ *Super ipsos*, i. e. uniuscujusque lingua unum super alterum praecipitabit. Vel: efficient linguae, ut עָלֵימוֹ, *propter eas* corruant illi, ut lingua eorum maledica ipsis perniciei causa sit. Alii: *impingere facient in semetipsos ipsam linguam suam*, i. e. facient, ut lingua sua in se ipsos impingat; quae impia in me evomuerunt verba in proprium ipsorum revertentur caput. יִתְנוֹדְדוּ כָּל־רֹאֵה בָם *In fugam se conjicient omnes, qui eos videant*, adeo horrendum istis maledicis imminet supplicium et lapsus, ut spectaculo hoc abigantur quotquot illud videant.

Ps. 65.

Celebrat primo (Vs. 1—5.) praestantiam cultus divini et bona ex eo obtinenda, tum (6—9.) summam Dei potentiam, quae in eo maxime cernitur, quod solus ille terrae fertilitatem potest concedere, cujus elegans est descriptio Vs. 10. sqq. Quia vero in hac posteriore carminis parte poeta potissimum in *pluviae* descriptione versatur; verisimile nonnullis visum est, Psalmum compositum esse post tempestivam pluviam, in summa quadam agrorum siccitate, et forsan apud Arcam, quae tunc erat in Zionis arce, publice decantatum fuisse celebrandi ejus beneficii gratia. Nobis est hymnus, qui in universum potiora beneficia celebrat quae populo suo praestat Deus. Qua vero occasione sit factus uti nemo facile ad liquidum perduxerit, ita nec si illam exploratam haberemus, id nos admodum juvaret ad Psalmum melius intelligendum, qui per se satis est planus.

2. לְךָ דְמִיָּה תְהִלָּה *Tibi silentium*, i. e. tranquilla auxilii exspectatio, fiducia (vid. ad 62, 2.) et *laus* scilicet debetur; tu es ille, a quo in adversis auxilium exspectandum, idemque qui eo praestito laudibus celebrandus. Asyndeton, cujusmodi exempla plura habuimus; vid. e. c. Habac. 3, 11. Chaldaeus: *coram te reputatur veluti silentium laus.* Graecus Alexandrinus: σοὶ πρέπει ὕμνος. Quae interpretatio tamen *silentii* et *tranquillitatis* notioni, radici דָּמָה propriae, minus convenit. Alii, inter quos Luthcrus, subaudito בְּ ante דמיה, sic faciunt: *tibi in silentio laus* debetur. Hunc sensum vindicare studuit Jo. Jac. Bosius in

Dissertat. *de cultu Dei in silentio ad Ps.* 65, 2. *illustrandum*, Lips. 1756., et respici putat hisce verbis ad sacrum silentium, quod apud plures gentes antiquas in cultu Deorum observari solebat, imprimis apud Aegyptios, Indos, Persas, Graecos et Romanos, uti compluribus veterum scriptorum testimoniis ostendit p. 14. sqq. Et apud Judaeos quoque tale sacrum silentium obtinuisse, colligit inde, quod, uti e Talmude et Maimonide liquet, eo tempore, quo sacerdos suffitum adolevit in Sancto templi, fiebat autem quotidie ad sacrificia תמידים *jugia* mactanda, altum ibi regnavit silentium. Simulac enim sacerdos sanctum intravit ad suffiendum, tinnicbatur campanula, quae signum erat, nunc esse tempus precandi, qua audita sacerdotes, qui erant in templo, secedebant omnes, et quilibet ad preces sese componebat, quae silentio fundebantur ad Deum. Eo tempore omnis cessare debebat strepitus, mactationes animalium, securium fragores, clamores, alloquutiones, et id genus alii stridores. Nobis tamen ea sententia, quae ex interpretatione supra initio posita prodit, gravior videtur et elegantior, quam simplex ad certum quendam ritum allusio. אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן *O Deus*, qui *in Zione*, in templo tibi sacro, sedem quasi habes. Cf. 132, 13. Alii nectendum putant cum תְּהִלָּה, ut sit: tibi debentur laudes in Zione, i. e. in templo tuo canendae. וְלָךְ יְשֻׁלַּם־נֶדֶר *Et tibi persolvitur votum*, quod inter calamitates et in auxilii exspectatione conceperunt pii tui cultores. Cf. 61, 6. 66, 13. 14.

3. עָדֶיךָ *Ad te;* עַד *ad*, ut Deut. 4, 11. 30. 30, 2. *redibis* עַד *ad Deum*, pro quo Vs. 10. ponitur אֶל־יְהוָה.

4. דִּבְרֵי עֲוֹנֹת גָּבְרוּ מֶנִּי *Peccata praevaluerunt mihi;* nomen דָּבָר redundat, uti saepe, veluti 35, 20. דִּבְרֵי מִרְמוֹת *fraudes;* vid. et 45, 5. 105, 27.

5. אַשְׁרֵי תִּבְחַר elliptice pro אַשְׁרֵי הָעָם אֵת אֲשֶׁר תִּבְחַר *felicem populum, quem elegisti* ex aliis populis tanquam tibi proprium. וּתְקָרֵב יִשְׁכֹּן חֲצֵרֶיךָ *Et quem admittis, ut habitet in atriis tuis.* Bene Kuinoel in *Specim. Observatt. in Psalmos* (in Commentatt. theoll. Vol. IV. p. 271.) componit cum hoc loco Ps. 15, 1., monetque, formulas hasce depromtas esse a jure hospitalitatis apud populos Orientis, atque sensum prioris hemistichii esse: *felix, cui tu propitius es*, cujus preces exaudis, quem tua benevolentia amplecteris! Verba autem, quae sequuntur, נִשְׂבְּעָה בְּטוּב בֵּיתֶךָ, sic vertit: *utinam satiemur bonis domus tuae*, קָדֶשׁ הֵיכָלֶךָ *templi tui sancti!* h. e. sis etiam nobis, qui in templo tuo apparuimus, propitius, beneficiis tuis nos orues. „Quatenus Deus in templo habitare dicitur, ibi beneficia distribuere, ibi preces exaudire, eatenus ipsa haec beneficia vocantur *dona templi.*

6. נוֹרָאוֹת בְּצֶדֶק תַּעֲנֵנוּ *Terribilia in justitia* (i. e. juste) *exaudis nos*, terribilibus iisque justissimis judiciis exaudis nos. נוראות dicuntur facinora Dei, quae maxime edidit in poenam impiorum et piorum salutem, ad quae illi obstupescunt, hi vero Deum

propterea laudant; vid. 66, 6. 139, 14. Jes. 64, 2. Hic in bono sensu nomen videtur accipiendum esse, ut Deut. 10, 21. 2 Sam. 7, 23. Verbum עָנָה *exaudit*, construitur cum נוֹרָאוֹת, quod est Accusativus, quemadmodum Gen. 41, 6. dicitur: *Deus respondeat*, s. exaudiendo exhibeat *salutem Pharaonis.* מִבְטַח וגו׳ *Spes omnium terrae et maris extremas oras incolentium*, tu es, ad quem respiciunt, in quo sperant omnes homines, qui terram totam incolunt, usque ad extremos limites hujus, et quorum sedes longinquas mare alluit. רְחֹקִים *remotorum* (vid. ad 56, 1.) pertinet ad nomen קְצָוִים *fines;* tu es spes *finium remotorum* tam terrae, quam maris.

7. מֵכִין הָרִים בְּכֹחוֹ *Stabiliens montes robore suo*, tu es, qui stabiles reddis montes, ita ut nullis, tametsi validissimis ventorum flatibus dimoveri possint. Vel: tui tanta est virtus, ut solidum illud montium corpus quasi columnas quasdam stabilias ac statuas. Animadvertenda personarum variatio; siquidem in secunda dixerat Vs. 6. *exaudis;* nune in tertia: *robore suo;* brevi post, Vs. 9. ad secundam redit: *ob signa tua.* נֶאְזָר בִּגְבוּרָה *Accinctus fortitudine*, h. e. qui undiquaque pollet virtute tum debellandi hostes, tum benefaciendi amicis, praestandique, quicquid vel in coelis, vel terra, vel mari libuerit, 115, 3. 135, 6. Metaphora ducta ab heroe, invictis undiquaque cincto armis; cf. 93, 1.

8. מַשְׁבִּיחַ *Compescens*, proprie *mulcens*, quae est propria verbi שָׁבַח notio.

9. וַיִּירְאוּ יֹשְׁבֵי קְצָוֹת מֵאוֹתֹתֶיךָ *Et pavent incolae finium* extremorum terrae *propter signa tua*, in coelo, terra marique passim conspicua. Intelligenda omnia Dei opera, quibus inseulptae quasi sunt potentiae suae notae. מוֹצָאֵי בֹקֶר וָעֶרֶב תְּרַנֵּן *Egressus mane et vesperi facis ovare.* מוֹצָא notat tum *actum exeundi, exitum*, ut 2 Sam. 3, 25. Ez. 12, 4.; tum *locum*, ubi quid exit, ut 2 Chr. 32, 30. Ps. 107, 33. Jes. 58, 11.; tum illud *quod exit*, ut *egrediens per labia* Num. 30, 13. Deut. 23, 24., quam significationem hoc loco obtinere plures existimant, ut *exitus aurorae et vesperi* designet eas omnes res creatas, quae per certas diei ac noctis vicissitudines soleant in conspectum prodire publicum, uti vesperi faciunt stellae, luna duce, mane sol; item in terris exeunt vesperi ferae ad rapinam, manc homo ad laborem; cf. 104, 19. sqq. Sed membrorum parallelismus suadet, מוצאי בקר ועֶרֶב de orientali et occidentali coeli plaga intelligere, hoc sensu: facis laetos ovare qui agunt ad solis ortum, quique ad occasum. מוצאי בקר *egressus mane*, exortum solis indicant, ערב vero, *vespera*, denotat solis occasum. Vel potest וָעֶרֶב in Genitivo *vesperae* verti, ut per ζεῦγμα et *vesperae* tribuatur מוֹצָא, qui proprie בֹּקֶר וֹ tantum competit. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 353. תְּרַנֵּן *Cantare facis*, exhilaras (ut Job. 29, 13. *cor viduae* אַרְנִין), cunctis illis das vigorem, ut cum tripudio quasi faciant et exequantur id, ad

quod creata sunt. Potest etiam verti: *laudare facis*, ut sensus sit: facis, ut omnes res creatae palam tuas concinant laudes, aliisque materiam te laudandi suggerant.

10. פָּקַדְתְּ הָאָרֶץ *Visitas terram*, curam ejus geris, vid. ad 31, 6. — וַתְּשַׁקְּקֶהָ *redundare facis*, i. e. ditas *eam*. Est Piel s. Poel verbi שׁוּק i. quod arab. סוק in Conjug. 7. *fluxit et progressus est*, quo denotatur abundantia, qua res rebus succedunt, unde Hiphil הֶשִׁיק Joel 2, 24. 4, 13. *abundavit*, et h. l. Piel causativum *abundare facere*. Alii cum veteribus: *irrigasti eam*, quasi שׁוּק i. q. שָׁקָה, sicut כור et כָּרָה *fodere*, בוז et בָּזָה *spernere*. רַבַּת תַּעְשִׁרֶנָּה *Copiose* (cf. ad 62, 3.) *ditas eam*, multifaria fructuum quorumvis abundantia. פֶּלֶג אֱלֹהִים מָלֵא מָיִם *Rivus Dei aquae plenus est*, h. e. pluviam largam demittis. Arabibus quoque *fluvius Dei* dicuntur *pluviae*. תָּכִין דְּגָנָם *Praeparas frumentum eorum*, sc. vel terrae tractuum variorum, vel hominum. Ad affixum in voce דגנם subaud. nomen ex contextu, vid. ad 39, 7. coll. 18, 15. כִּי־כֵן תְּכִינֶנָּה *Si*, i. e. *postquam sic*, per irrigationes tuas, *praeparasti eam*, sc. terram, h. e. frumenta tu praeparas solus postquam pro frumentis prius praeparasti terram pluviis.

11. תְּלָמֶיהָ רַוֵּה *Sulcos ejus irrigando* scil. *irrigas*, h. e. irrigare soles, vel, irrigabis etiam in posterum. רַוֵּה est Infinitiv. absol. pro רַוֹּה, qui induit naturam temporum antecedentium, pro רַוֵּה תְרַוֶּה, ut Ex. 22, 22. עַנֵּה תְעַנֶּה. — נַחֵת גְּדוּדֶיהָ *Descendere faciendo sulcos ejus* per copiose demissas pluvias, ut sulci aquis super iis demissis desideant. גְּדוּדִים proprie *caesurae*, ut גְּדוּדוֹת Jer. 48, 37. (coll. verbo Deut. 14, 1. 1 Reg. 18, 28.), sed hoc loco *sulcos* intelligendos esse, contextus docet. Bene Kimchi hoc nomen explicat *profunditas porcam inter et porcam*. Alii גדוד interpretantur *porcam*, ut sit: *descendere faciendo*, i. e. deprimendo pluvia *porcas ejus*. Alii גְּדוּדִים *turmas* vertunt, ut Gen. 49, 19., per quas *glebarum multitudinem*, quae agrum occupant, intelligunt, quacque pluviis sint *deprimendae* vel subigendae. Ita Chaldaeus: *compescas turmas ejus*. Alexandrinus: *πλήθυνον τὰ γεννήματα αὐτῆς*, Vulgatus: *multiplicata genimina ejus*. בְּרְבִיבִים תְּמוֹגְגֶנָּה *Guttis*, i. e. imbribus *liquescere eam facis*, humiditate eam dissolvis.

12. עִטַּרְתָּ *Coronas*, ornas. Sed Alexandrinus pro nomine עֲטֶרֶת *corona* accepit, et verbum postremum Versus 11., תְּבָרֵךְ, ad hunc retulit, unde haec enata est interpretatio: *εὐλογήσεις τὸν στέφανον τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς χρηστότητός σου*, et Vulgatus: *benedices coronae anni benignitatis tuae*. Praeferendam esse Hebraeam lectionem et Versuum divisionem, quisque intelliget ipse. שְׁנַת טוּבְתֶךָ *Annum bonitatis tuae*, h. e. beneficiis tuis undiquaque refertissimum. Est hic Genitivus adjuncti, ut in illo Gen. 41, 50. שְׁנַת הָרָעָב *annus famis*; Jes. 34, 8. *annus retributionum*; 61, 2. *annus* רְצוֹן יְהוָה *beneplaciti Jovae*. Aliis est Genitivus effecti;

ut *annus bonitatis divinae* sit, cui Deus benefaciat, vel quo hominibus bonitatem suam exhibet. Itaque vates se loqui innuit non de anno qualicunque, sed de anno, bonitatis divinae monumentis undique conspicuis. Alii שְׁנַת formam status constructi pro statu absoluto שָׁנָה capiunt, et טוּבְתֶּךָ Accusativum secundum, quem עִטַּרְתָּה regat (cf. Ps. 8, 6.), ut sic interpretandum sit: *coronas*, ornas, *annum bonitate tua.* וּמַעְגָּלֶיךָ יִרְעֲפוּן דֶּשֶׁן *Et orbitae tuae destillant pinguedinem*, ubicunque modo es praesens, ibi uberrima benignitatis tuae reperiuntur vestigia vel monumenta. Introducitur Deus instar divitis cujusdam domini, cujus vestigia non madent sanguine, nec sterilem reddunt terram, sed quae salutem et foecunditatem destillant. Idem quod hic dicitur Virgilianis hisce Versibus *Georg.* 2, 391. 92.: *Complentur vallesque cavae saltusque profundi, Et quocunque Deus circum caput egit honestum.* Nisi quod Maro respectui divino hoc tribuit, quod Psalmus ingressui et vestigiis divinis. In utroque autem est figura poetica, qua significatur providentia et munificentia divina.

13. יִרְעֲפוּ נְאוֹת מִדְבָּר *Stillant* pinguedinem (Vs. 12.) *mansiones*, s. *pascua deserti*, herbis virentia loca, qualia passim in Judaeae desertis reperiebantur. De voce נָאוֹת vid. ad 23, 2. Pascua deserti, coelitus madefacta, ipsa quoque pinguedine stillare dicuntur. Alii, cum Kimchio, ante נְאוֹת subaudiunt עַל *super*, sensumque faciunt hunc: *stillant* enim vestigia tua super *mansiones deserti*, ut ferae quoque cibum ac potum reperiant. וְגִיל גְּבָעוֹת תַּחְגֹּרְנָה *Et exultatione colles sese accingunt*, i. e. instruuntur gaudio, suppeditatur iis causa laetitiae, ut rideant. Vel: colles etiam laetum exhibent vultum, dum versicoloribus undique arridet floribus.

14. לָבְשׁוּ כָרִים הַצֹּאן *Induunt pascua greges*, induta sunt prata ovibus, ut prae his solum non appareat. Post terrae foecunditatem descriptam, meminit jam foecunditatis gregum, quae ipsa quidem tanta sit, ut greges per agros dispersi, graminique inhaerescentes, instar vestimenti videantur operuisse nuditatem pratorum viridantium, eademque exornare. *Vestium* vel *indumenti* figura et alias ad indicandam magnam copiam et omnia occupantem adhibetur, veluti Ps. 93, 1. 132, 9. Jes. 51, 9. Job. 29, 14. Nomen כַּר et *agnum pascualem* notat, ut Jes. 16, 1. Deut. 32, 14., et *pascua*, ut Jes. 30, 23. *depascet pecus tuum* כַּר *pascuum amplum.* Cf. et Ps. 37, 20. ibique not. Quia vero nomen כַּר rarius *pascuum* significat, sunt qui כָּרִים *arietes* interpretentur, verbo לָבַשׁ vero eorum *coitum cum ovibus* designari censeant, quum Arabes non solum ipso verbo לבש, verum et aliis *vestiendi* verbis eodem modo uti solent. Hinc Mal. 2, 16. *uxor* vocatur *viri* לְבוּשׁ *vestimentum.* Eadem Chaldaei interpretis h. l. fuit mens, qui sic vertit: *saliunt arietes in oves.* Cf. Gen. 31, 10. 12. Aben-Esra quoque ad h. l. istius explicationis meminit; sed eam rejicit tum ob locum Jes.

30, 23., qui non nisi coacte de *ariete* accipi potest, cum quod h. l. sequens nomen *vallium* aliam, quam *arietum*, notionem poscere videatur. Alexandrinus: *ἐνεδύσαντο οἱ κριοὶ τῶν προβάτων*, *et induentur arietes ovium*, ut Vulgatus reddidit; invita constructione Hebraea et sine completo sensu, ad quem integrandum Arabicus et Aethiopicus interpres addunt *pinguedine*. Syrus: *et induent* sc. colles (Vs. 14) *pinguia pecorum*. Hieronymus: *vestientur agnis greges*. וְעֲמָקִים יַעֲטְפוּ־בָר *Et valles operiuntur frumento*, abundant, ac si obvoluta amicta frumento essent. יְתְרוֹעָעוּ אַף־יָשִׁירוּ *Jubilant etiamque canunt* valles et colles, antea memorati. Pulchra metaphora, qualis et Jes. 55, 12., qua sensus inanimati tribuitur. Personant autem jubilis et canticis arva, aliis pro ipsis et ipsorum causa haec praestantibus.

Ps. 66.

Hortatur vates omnes mortales ad Dei laudes celebrandas et ad mirificа ejusdem opera pro Hebraeorum salute consideranda, occasione ejus beneficii, quod tempore scripti Psalmi populo suo post multiplices et longi temporis calamitates praestare coeperit, cum cessantibus jam omnium calamitatum miseriis et res bene succedant in praesentia, et felicitatis spes bona se ostendat, et quasi effulgeat in posterum. Hoc nomine et gratias Deo agit, et ad societatem rei invitat et assumit, in amplificatione, omnes gentes, et suam, i. e. Hebraeam, imprimis. Peculiariter autem celebrat in Deo hoc, quod semper exaudiverit precantem populum, quem in sua persona vates significat (Vs. 13. sqq.), se nominans, eum populum dicat, et hoc argumentum haberi vult innocentiae suae, nam qui mali quidquam concipiant animo suo, eorum preces non exaudiri (Vs. 18. 19.). Hoc autem omnino apparet, ad certi temporis preces exauditas et ob praesentem statum bonum exstitisse eam, quam Psalmus spirat, laetitiam in auctore. Pro Davidico nec veteres illi Hebraei carmen hoc videntur habuisse, quum Davidis nomen ei non praescripserint. Et ostendit res etiam per se, Davidico tempore nihil tale factum cum populo. Satis verisimilis est Rudingeri sententia, scriptum esse in laetitia consecrati templi secundi. Nam initiis aedificationis, quae a reducibus fieri coepit, minus convenit haec jubilatio; captivitati autem, et in exilio adhuc haerentibus multo minus.

2. שִׂימוּ כָבוֹד תְּהִלָּתוֹ *Ponite gloriam laudem ejus*, efficite, ut gloria, sive gloriosissima sit laus ejus, splendide Deum concelebrate. שׂוּם *ponere*, constructum cum gemino Accusativo, exponi solet: *constituere*, vel *facere*, ut hoc sit illud; ut Jes. 28, 15. *posuimus mendacium spem nostram*, i. e. constituimus, ut res fallax sit spes vel refugium nostrum. Cf. Jos. 7, 19. Ps. 40, 5. 44, 14.

3. מַה־נּוֹרָא מַעֲשֶׂיךָ *Quam formidabile* quid sunt *opera tua! s. quam formidabile est unumquodque operum tuorum!* Cf.

Ps. 119, 137. בְּרֹב עֻזְּךָ יְכַחֲשׁוּ־לְךָ אוֹיְבֶיךָ *Propter multitudinem roboris tui mentiuntur tibi hostes tui*, i. e. blandiuntur tibi, et submissis gestibus sese tibi submittunt. Vid. ad 18, 45.

5. נוֹרָא עֲלִילָה *Formidabilis actione*, venerandus propter facinora. Ante nomen עלילה subaudiri potest ב, *propter*, vel *quoad*. Sic Jer. 32, 19. Deus dicitur *magnus consilio*, וְרַב עֲלִילָה *et potens opere*. עַל־בְּנֵי אָדָם *Super homines*, quod vel comparative intelligendum, quod opera divina longissime superent omnium hominum molimina, ut Jud. 4, 24. Ps. 95, 3.; vel objective, *in* vel *erga* homines, ut Ex. 18, 11. 1 Sam. 20, 8.

6. הָפַךְ יָם לַיַּבָּשָׁה *Convertit mare*, i. e. *mare algae*, seu Arabicum, ut recte Chaldaeus posuit, *in aridam* terram. Innuit transitum Israelitarum per sinum Arabicum, Ex. 14, 21. sqq. בַּנָּהָר *Per fluvium Jordanem* (ut Chaldaeus interpretatur), qui antonomastice aut eminenter h. l. sic dicitur, utpote parem in Palaestina non habens. Alias enim *Euphratis* illa adpellatio est, ut 1 Reg. 5, 1. Ps. 80, 12. יַעֲבֹרוּ *Transierunt*; Futurum pro Imperfecto aut Praeterito, ut saepe in narratione. Vid. 77, 8. 80, 9. בְּרַגְלָ *Pede* sicco, sine pontis aut navis subsidio. Vid. Jos. 3, 13. sqq. שָׁם נִשְׂמְחָה בוֹ *Tunc laetabamur eo*. Loquitur de gaudio Israelitarum in suis majoribus, quippe et posteri fruebantur adhuc tum eo beneficio, quo ipsorum majoribus per transitum Jordanis contigerat. Cf. 81, 6.

7. עוֹלָם pro לָעוֹלָם *in aeternum*, semper. Chaldaeus, Hieronymus, alii, vertunt *dominatur mundo*. Quo significatu nomen עוֹלָם a recentioribus scriptoribus Hebraeis usurpari solet; minime vero ab antiquioribus. הַסּוֹרְרִים אַל יָרוּמוּ *Rebelles ne efferantur*. Quod in textu exstat יָרִימוּ *exaltent*, impersonaliter accipiendum, *extollant* scil. se, ita ut utraque legendi ratio sensu non differat. לָמוֹ *Sibi* pleonasticum, ut 44, 4. 64, 6., q. d. in suum honorem aut commodum; vel: pro fastu illo suo.

9. הַשָּׂם נַפְשֵׁנוּ בַּחַיִּים *Qui ponit animam nostram in vita*, s. *in vivis* (utrumque enim חַיִּים denotat), i. e. vivos nos servavit, cf. 30, 4. De loquutione לַמּוֹט רַגְלֵנוּ vid. 38, 17. 55, 23.

10. כִּי בָחַנְתָּנוּ *Nam probasti nos* explorando calamitatum aestu fiduciae nostrae in te constantiam, quomodo metallorum valor igne explorari solet. Eandem figuram vid. 26, 2., ubi cf. not.

11. הֲבֵאתָנוּ בַּמְּצוּדָה *Induxisti nos in rete*, s. *laqueum*, i. e. tradidisti nos in manus hostium, ut irretirent, seu circumretirent nos. שַׂמְתָּ מוּעָקָה בְּמָתְנֵינוּ *Posuisti oppressionem in lumbis nostris*, grave onus nobis imposuisti. Nomen מוּעָקָה, quod hoc tantummodo loco exstat, denotat *onus premens* et sarcinam molestissimam, a verbo עוּק (de quo vid. 55, 4.), coll. nom. עָקָה 15, 14. ad formam מוּעָף Jes. 8, 23. et מוּצָק Job. 37, 10. Metaphora depromta ab eo, qui serviliter mancipii vel jumenti instar

tractatur, ingente velut quadam humeris imposita sarcina, qua ad terram depressus succumbere tandem cogitur. מָתְנַיִם *Lumbi*, pro *dorso*, ut 1 Reg. 20, 31. Recte Alexandrinus et Vulgatus h. l. *in dorso nostro* verterunt.

12. הִרְכַּבְתָּ אֱנוֹשׁ לְרֹאשֵׁנוּ *Equitare fecisti homines capiti nostro*, hostibus nostris nos subjecisti. Loquutio ducta ab equis, qui ab equite insidente domantur et libertate privantur. בָּאנוּ בָּאֵשׁ וּבַמַּיִם *Intravimus in ignem et in aquam*, in extrema pericula incidimus. Cf. Jes. 43, 2. Jer. 6, 9. 20, 7. Ps. 18, 17. — וַתּוֹצִיאֵנוּ לָרְוָיָה *Sed eduxisti nos ad irriguum*, sive abundantem locum; h. l. libertatem nobis restituisti, abundeque nos recreasti omnigena felicitate. Ad רְוָיָה (de quo vid. 23, 5.) subaudiendum אֶרֶץ.

13. In sua persona loquitur de universo populo, et sunt haec vota facta ab iis, qui templum aedificarunt, si absolvatur opus, et instauretur gens et sacerdotium.

14. אֲשֶׁר פָּצוּ שְׂפָתָי *Quae* sc. vota *aperuerunt labia mea*, i. e. quae labia mea nuncupaverunt in rebus meis adversis (בַּצַּר־לִי). Haec phrasis alias, ut Job. 35, 16. Jud. 11, 35. de verbis votisque temere effutitis, hic vero de votis in anxietate prolatis dicitur.

15. Redit ad hostiarum, Versu 13. memoratarum, ulteriorem descriptionem. Verba עִם קְטֹרֶת אֵילִים non sunt vertenda post Vulgatum: *cum incenso arietum*, quod explicant: cum pinguedine ex arietibus adolenda, quum tamen קטרת *suffitum* denotet, vid. Ex. 30, 1.; sed: *cum suffitu arietes* sc. אַעֲלֶה־לָּךְ *offeram tibi*, quod praecesserat. Cf. Lev. 2, 1. 2. 15. de thure cum sacrificio farris adolendo. Alii accentibus relictis, dirimendum volunt nomen אֵילִים a praecedente serie, jungendumque sequenti hoc modo: *holocausta pinguissimarum ovium offeram tibi et suffimentum; arietes sacrificabo, boves hircosque.* Sic quoque Chaldaeus verba distinxit. אֶעֱשֶׂה *Faciam*, i. e. praeparabo ad sacrificium, respondet τῷ אַעֲלֶה לְךָ, quo sensu et Ex. 29, 36. 38. 39. 41. Ez. 45, 17. 46, 2.

17. וְרוֹמָם plures explicant *et exaltatus fuit*, quasi sit adjectivum participiale Pyal formae שׁוֹבָב, Jes. 57, 17. Jer. 3, 14. Sed est potius nomen substantivum (cujus Pluralis cum terminatione feminina Ps. 149, 6. legitur), *exaltatio*, i. e. laus. תַּחַת לְשׁוֹנִי *Sub lingua mea*, i. e. animo et pectore meo, tanquam fonte sermonis et orationis. Potest et ea loquutio redundantiam quandam verborum et copiam significare, ut parata sibi indicet sub lingua fuisse verba, quae promeret et ore clamaret.

18. *Iniquitatem si spectassem in corde meo*, quod si concepissem aut instituissem mali aliquid animo meo, et indulsissem pravitati tali, *non auditurus me fuisset Dominus.* Testatur in his de innocentia sua populus, quod de posteritate abductorum verum est, de majoribus ipsorum non item. Simul vero docet vates, Deum mente pura esse orandum, alioquin frustra esse orationem.

20. אֲשֶׁר לֹא־הֵסִיר תְּפִלָּתִי *Qui non amovit*, rejecit *preces meas*, וְחַסְדּוֹ מֵאִתִּי *et gratiam suam* sc. non amovit (quod repetendum) *a me*, petitis meis annuit.

Ps. 67.

Optat poeta totius populi nomine, ut ipsis faveat Deus et benigne faciat; quo nimirum ceteri populi ad nominis divini cognitionem ac praedicationem expergefiant, atque excitentur. Tandem ait terram jam fructus protulisse abunde, atque orat, ut Deus et in posterum suis benigne faciat, eumque ideo universus orbis agnitus revereatur. Quo tempore quave occasione factus sit Psalmus, nemo definiat, quum nihil ei insit, quod ad verisimilem ea de re conjecturam adducere nos possit.

2. יָאֵר פָּנָיו אִתָּנוּ *Illuminet* seu *lucere faciat vultum suum nobiscum*, re ipsa declaret, se nobis favere. Forma loquendi nata ex communi hominum consuetudine, qui quem amant et cui favent, eum sereno, sive, ut Hebraei loquuntur, lucido vultu adspiciunt. Pro אִתָּנוּ Ps 4, 7. exstat עָלֵינוּ, cf. et 31, 17. Sed videtur constructio esse similis ei, quae praegnans dicitur, ut sensus sit hic: lucere faciat super nobis lumen sereni vultus sui et sit nobiscum.

3. לָדַעַת בָּאָרֶץ דַּרְכֶּךָ *Ut cognoscant in terra viam tuam*, ut intelligant omnes mortales, quomodo te gerere soleas erga tuos cultores, quomodo eos serves et tuearis omniaque iis suppeditcs, quae ad vitam necessaria sunt. *Via Dei* hic significat modum et rationem, quam persequi in suis cultoribus gubernandis et conservandis solet Deus. Sic *viae* vocabulum sumitur Jes. 55, 8. *neque viae vestrae, viae meae.*

4. יוֹדוּךָ עַמִּים אֱלֹהִים *Confitebuntur*, i. e. laudabunt *te populi, o Deus!* ubi animadverterint bonitatem tuam, qua uteris in gubernando populo tuo, quocum sese conjungent, ut ita ad societatem cultus tui veniant.

5. כִּי־תִשְׁפֹּט עַמִּים מִישֹׁר *Quoniam judicat populos aeque*, s. juste, i. e. gaudeant nationes et ovent, quod jus reddas ex aequitate populis.

7. אֶרֶץ נָתְנָה וגו׳ *Terra dedit fructum suum* etc., quod Jarchi bene ita exponit: *etiam propter terram, quae dat proventum suum*, s. propterea quod terra suum proventum reddit, populi te celebrabunt, *et propterea quod nobis benedicit Deus noster*, laudes ejus cantabunt gentes. Alii sensum hunc faciunt: jam terra uberes fructus tulit; pergat *Deus nos cumulare beneficiis.*

Ps. 68.

Praemissis, exordii instar, iis ipsis verbis, quae Moses pronunciari jusserat, cum Arca ex uno loco in alium, mutata statione, transferenda esset, praedicat vates potentiam Dei, quia dissipet et

conficiat hostes suos, qui sunt hostes populi sui, et qua benefaciat suis. Utramque ostendit ex antiquitate, repetitis exemplis eorum, quae Jova patribus praestiterit occupantibus terram Cananaeam, et μιμητικῶς, valdeque poetice ἠθοποιΐαν prisci epinicii informat (Vs. 1 — 15.). Deinde celebratur singularis praerogativa, qua Deus montem Zionem, ut sedem suam elegerat (16 — 19.). Tum sequuntur preces pro impetrando auxilio divino adversus hostes adhuc debellandos (20 — 31.). Tandem excitantur omnes mortales ad tantam hujus Dei majestatem agnoscendam et reverenter celebrandam (32 — 36.).

Satis probabilis est interpretum complurium conjectura, hoc carmen a Davide compositum esse ex occasione illius solennitatis, qua arca sacra ex aedibus Obededomi in arcem Zioniticam ad locum ei paratum transferretur (2 Sam. 6, 12. sqq. 1 Chr. 15.). Alii carmen in arcae sacrae reditu e bello feliciter gesto in solenni pompa in sanctuarium reductae decantatum existimant. Ante Davidem carmen non esse factum, arguit sanctuarii in urbe Hierosolymitana mentio Vs. 30. Neque vero post decem tribuum defectionem compositum est, quum tribus Juda et Benjamin cum Sebulon et Naphtali junctae Vs. 28. commemorentur. Haud plane improbabilis eorum sententia, qui post bellum a Davide feliciter gestum contra Syros aliosque cum iis junctos populos (2 Sam. 8, 5. sqq.) carmen factum putant. — Peculiari Dissertat. praeter alios hoc carmen illustravit C. F. Schnurrer in *Dissertatt. philolog. critt.* (Goth. 1790.) p. 285. sqq.

Quia epistola ad Ephesios (4, 8.) Versum hujus Psalmi unum (19.) interpretatur de Christi victoria, qua e morte resurrexit, ejusque ascensione in coelum, ideo plures totum Psalmum de Christo, historia et regno ejus interpretantur, id quod detortissimarum interpretationum causam afferre debuit. Verissime vero monuit Schnurrerus, pendere vim omnem argumentationis, qua Apostolus loco illo utitur, a Graeca versione, qua Paulo locum Psalmi (Vs. 19.) reddere visum est. In qua quum verba καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, recedant plane vero et obvio sensu formulae hebraicae, לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם, qua Deus acceptor munerum, non auctor dicitur; haud difficulter intelligitur, non ad probandum ab Apostolo usurpatum esse Psalmi sententiam, sed ad rem aliam, de qua ipsi sermo erat, tantummodo accommodatam.

2. Scita est Schnurreri observatio, Psalmum ita videri dispositum, ut inter ipsam pompam deducendae arcae posset cantari. „Habet igitur intervalla quaedam sua, et constat ex distinctis partibus, quas omnino haud opus est, arctissimo nexu inter se cohaerere. Et initium quidem ejus cantandi factum esse dixerimus, cum arca e loco ad Zionem proximo, quo antea substitisset, solemniter procedere inciperet. Utitur enim Davides Vs. 2. eadem plane formula, qua Moses olim uti consueverat, quoticscunque arca

locum mutaret suum, Num. 10, 35. (ubi vid. not. nostr.). Sed ita utitur Davides, ut eandem jure suo augeat et amplificet Vs. 3. 4."

3. כְּהִנָּדֵף עָשָׁן *Secundum propelli*, i. e. sicut propellitur *fumus*. Infinitivus absolutus Conjugationis Niphal pro constructo הִנָּדֵף, et hoc pro הִנָּדֹף, collato הִנָּתֵן Jerem. 32, 4., et הִתּוֹךְ Ez. 22, 22. Ad תִּנְדֹּף *propellis*, subaud. Accusativus vel *hostes*, ex אוֹיְבָיו Vs. 2., vel רְשָׁעִים, quod proxime sequitur. Quod ad *Nun schvatum*, similiter illud retinetur Jes. 58, 3. in יִנָּשׂ, et in יִנָּטוֹר Jer. 3, 5. — כְּהָמֵס *Secundum liquefieri*, vel, *sicut liquescit*. Eadem forma Infinitivi Niphal 2 Sam. 17, 10. Expressit eandem imaginem Micha 1, 4., ubi advenientem Deum talem fingit, a cujus facie universa natura sacro quodam terrore afficiatur: *sub pedibus ejus montes liquescunt, ut cera coram igne.* רְשָׁעִים h. l. esse, qui bellum cum Davide gerebant, bene jam monuit Aben-Esra. Non significantur *impii*, sed injusti, sensu forensi, justis oppositi, i. e. rei, aggressores. Vid. Exod. 2, 13. Hic hostes populi Dei sistuntur, ut qui injusto Israelitas bello lacessant, nec possint non causa cadere.

4. צַדִּיקִים ex oppositione τῶν רְשָׁעִים Vs. 3. sunt ii, quorum causa est justa, Israelitae, a Jova in tutelam recepti.

5. סֹלּוּ לָרֹכֵב בָּעֲרָבוֹת *Elevate* sc. viam, דֶּרֶךְ, de qua exaggeranda et complananda hoc verbum dici solet, v. c. Prov. 15, 19. Jes. 57, 14. Jer. 18, 15., *ei, qui vehitur per deserta;* referendum hoc eo, quod Jova in Arabiae desertis populum suum in columna nubis et ignis praeccssit, unde et mox Vs. 8. dicitur: *Deus, cum exires, ante populum tuum cum gradereris per desertum* (בְּצַעְדְּךָ בִּישִׁימוֹן). Ita imagine vere sublimi altitonans manu sua Israelitas ex Aegypto educens, curru equisque per deserta Sinaitica vectus pingitur, tanquam heros et dux exercitus, qualem nobis Jovem pingit Homerus *Il.* 8, 41. sqq. Sentit praesens Numen totum descrtum, et mox montem Sinai occupaturo iter per descrta paratur. Eadem imago iisdem fere verbis expressa exstat Jes. 40, 3. Alex. עֲרָבוֹת ccpit pro *occidente*, vertit enim: τῷ ἐπιβεβηκότι ἐπὶ δυσμῶν. Et haec quidem explicatio Jovam nobis fingit ab ultimo occidente, sive, si malis, ab Aegypti finibus Cherubis vectum (cf. 18, 11.) montem Sinai adscenderc. Sed quamvis ערבות Jer. 5, 6. de vespertino *tempore* usurpetur, nusquam tamen de occidentali coeli plaga dicitur, de qua Hebraei nomine מַעֲרָב uti solent. Significantur *planities, campestria, deserta*, ut Job. 24, 5. Jes. 35, 1. בְּיָהּ שְׁמוֹ *In Jah* est, consistit, continetur *nomen ejus.* יָהּ pro יְהוָה, quod contracte est pro יִהְוֹה. Respicitur *immutabilitatis, aeternitatis* notio, quae huic nomini inest, Ex. 3, 14. 6, 3. Praefixum autem illi ב h. l. eum usum habet, qui frequentissimus est in Arabica dialecto, qua, si v. g. *Deus potens* esse dicendus sit, dicitur Deus esse *in potente.* Vid. Ps. 29, 4. Gesenii *Lehrgeb.* p. 838.

6. De verbo דּוּן *judicare* vid. 54, 3. Verba אֱלֹהִים בִּמְעוֹן קָדְשׁוֹ subjectum propositionis efficiunt, cui praedicatum, ut alias saepe, praemittitur. Sensus horum verborum: *Deus in sanctuario suo*, hic esse videtur: benignum hoc miseris et humilibus numen in sanctuario suo se Deum gerit, Dei majestatem induit.

7. אֱלֹהִים מוֹשִׁיב יְחִידִים בַּיְתָה *Deus habitare facit solitarios domum.* Est constructio praegnans (vid. ad 32, 8.); etenim ה in voce בַּיְתָה notat motum ad locum, adeoque alio verbo subaudito formula explenda est sic: אֱלֹהִים מֹשִׁיב יְחִידִים בַּיְתָה וּמוֹשִׁיב אוֹתָם בּוֹ *Deus solitarios*, h. e. extorres, *domi facit habitare;* יחידים enim, *solitarii* (vid. 25, 16.), sunt patria seu domo extorres. Minus recte alii hunc locum de *conjugii foecunditate* explicant, ut sensus sit, sobolem improbi tanto datum iri numero, ut totam domum, angustam futuram, habitet, in qua antea solus erraverat. מוֹצִיא אֲסִירִים בַּכּוֹשָׁרוֹת *Qui vinctos educit in loca omnium rerum abundantia.* כּוֹשָׁרָה (a כָּשַׁר *incrementum capere*, de semine) est *fortuna*, abundantia; כּוֹשָׁרוֹת itaque erunt loca rebus omnibus affluentia, quemadmodum צָחִיחַ (nam ה iterum locale est) in ultimo hemistichio, significat propric *locum glabrum* et *nudum*, hoc est, solum asperum, torridum, sterile. אַךְ־סוֹרְרִים שָׁכְנוּ צָחִיחָה *At rebellibus incolendum sterile solum.* Haud obscura allusio ad nobilem illam rerum conversionem, qua olim gens Israelitica, summi Dei beneficio, ab Aegyptiaca servitute esset liberata, inque terram bonis omnibus abundantissimam deducta, barbaris incolis partim deletis, partim e patria in loca vasta atque horrida ejectis.

8. „Jam Arca (Schnurreri verbis utor) cum splendido suo comitatu solemniter procedente, abesse omnino haud potuit, quin animo vatis se offerret cogitatio pristini illius temporis, quo populus, excusso Aegyptiorum jugo, duce et auspice Jova, per deserta Arabica migrabat. Itaque, nulla transitus formula adhibita, sermone subito ad Deum converso, commemorat primo legem a Deo latam, deinde beneficia, ab eo in itinere accepta, porro victorias ab hostibus reportatas, alia. Ad primum illud quod attinet, dubitari nequit, Versu 9. contineri descriptionem horrendae illius tempestatis, quam conjunctam fuisse cum divinae legis promulgatione ex Ex. 19, 16. sqq. intelligitur, quoniam nominatur Sinai et quasi digito commonstratur (זֶה סִינַי), diciturque et ipse praesente Numine contremuisse. Et quidem Davides utitur formulis, a Debora olim Jud. 5, 4. sqq. adhibitis, unde consequitur, nobilissimi hujus carminis usum ista aetate haud obscurum fuisse.“

9. שָׁמַיִם נָטָפוּ *Coeli stillarunt*, ingentes imbres praecipitando, quasi liquefacti a numinis praesentia. זֶה סִינַי *Hic Sinai* scil. רָעַשׁ *contremuit*, quod e verbo eodem feminino facile intelligitur.

10. גֶּשֶׁם נְדָבוֹת תָּנִיף *Imbrem largissimum sparsisti.* Per גשם נדבות *imbrem liberalitatum*, significantur multifaria illa be-

neficia, quibus Jova populum suum per vasta et horrida deserta iter facientem, ornavit et sustentavit. Vel denotatur *manna*, quae non poetice tantum, ut Ps. 78, 23. sqq. coll. 105, 40., sed oratione etiam plana et simplici, Ex. 16, 4. cibus coelestis dicitur, pluviae instar a Deo effusus. נַחֲלָתְךָ וְנִלְאָה אַתָּה כוֹנַנְתָּהּ *Et quod attinet possessionem tuam hereditariam*, i. e. populum tibi proprium, *fessam*, s. laborantem illam *confirmasti*, s. stabilisti, sustentasti *eam.* נַחֲלַת יְהוָה ex usu loquendi et suadente orationis serie est *populus Israeliticus*, alias etiam hoc nomine nobilitatus, veluti Deut. 9, 29. Ps. 28, 9. 94, 5. Particula ו ante נִלְאָה eodem modo est posita ut Ex. 12, 15. 19. quod attinet *omnem, qui comedat fermentatum*, וְנִכְרְתָה *exscindatur anima illa.* Eadem constructionis formula est 1 Sam. 25, 27. Prov. 23, 24. Verbo כּוּנַן ad exprimendam providam Dei curam in populo suo sustentando utitur etiam Moses, in carmine nobilissimo Deut. 32, 6.

11. חַיָּתֶךָ *Caterva tua, coetus tuus*, poetice pro usitatiore עַמֶּךָ *populus tuus.* חַיָּה non ad radicem חָיָה *vixit*, referendum est, sed ad חָוָה *collegit, congregavit.* Hinc חֲנוֹת פְּלִשְׁתִּים 2 Sam. 23, 13. est *turma Philisthaeorum*, pro quo in loco parall. 1 Chr. 11, 15. *castrum Philisthaeorum* dicitur. Verbum plurale יָשְׁבוּ conjungitur cum nomine singulari, חַיָּתֶךָ, quod collective sumitur; similia exempla vid. supra 64, 9. 66, 1. — בָּהּ *In ea*, in terra deserta. Pronomen suffixum femininum referendum est ad nomen non diserte expressum, sed facile intelligendum tam ex omni serie orationis, quam ex יְשִׁימוֹן supra Vs. 8. Saepius pronomina pertinent ad nomina ex contexto sermone cognoscenda (vid. ad 39, 7.). תָּכִין בְּטוּבְךָ לֶעָנִי *Parasti per bonitatem tuam egeno* populo sc. מִחְיָה *victum*, quod et alias in hac phrasi est subaudiendum. Exemplum luculentum exstat 1 Chr. 12, 36. *manserunt apud Davidem per triduum et epulabantur, praeparaverunt enim illis cognati eorum*, i. e. suppeditarunt eis victum. Quae ipsa loquutio elliptica recurrit 2 Chr. 35, 14. 15. Plenam loquutionem vid. Ps. 78, 20. Totus Versus itaque sic capiendus: *Coetus tuus in deserto commoratus; per bonitatem tuam egeno* populo *victum suppeditasti.*

12. אֲדֹנָי — רָב *Dominus fecit, ut vox audiretur feminarum, laeta nunciantium magno numero.* „Vss. 12. et 13. ad victorias referenda sunt, potissimum a Sihonc atque Ogo regibus reportatas Num. 21, 21. sqq. Certe quidem non id agit vates, ut rem gestam omnem ex ordine multis exponat, quod historici erat, non poetae: choros tantum videt auribusque percipit feminarum ovantium, carminibusque celebrantium victorias modo ex hostibus relatas. Feminarum enim permagnas partes fuisse in ejusmodi laetitia publica, intelligitur ex locis Ex. 15, 20. Jud. 11, 34. 1 Sam. 18, 6. 7. 2 Sam. 1, 20. Nomen אֹמֶר, simpliciter positum, late patet, nec videtur jure posse ad *laetum nuncium* restringi. Sed cogita-

tione repetendum est hoc nomen, atque enunciatum, quo monocolon esse videtur, et est, si solam sententiam spectes, in duo distribuendum, quorum prius posteriore demum legitime circumscribatur definiaturque.“ SCHNURRER.

13. Sequitur jam carmen illud triumphale feminarum Israeliticarum. *Reges exercituum fugerunt! Fugerunt! et habitatrix domus partitur spolia.* Verbum יְדֻדוּן Syrus reddidit *congregabuntur*, Hieronymus *confoederabuntur*, Symmachus ἠγαπήθησαν, Vulgatus cum Alexandrino *dilecti*, *dilecti*. Qui omnes illud derivarunt a דּוֹד *amicus*, atque interpretati sunt *amici invicem sunt*. Sed nusquam alias tale verbum exstat. Referendum potius ad נָדַד *fugit*, Jer. 4, 25. Nah. 3, 7. Ps. 55, 8. Nomen femininum constructum נְוַת h. l. est *adjectivum* a masculino נָוֶה *habitans*, ut יְפַת *pulchra* (Gen. 12, 11. Deut. 21, 11.) a masculino יָפֶה. Alias enim נָוֶה substantive est *habitatio*, ut Job. 8, 7. Alexandrinus et Vulgatus, qui ὡραιότης, *species domus*, vertunt, et Syrus, qui *pulchritudo domus* ponit, deduxerunt a נָאָה. „נְוַת בַּיִת poetice dictum est pro נָשִׁים, quoniam moris erat, atque adhucdum est, in istis regionibus, ut domi sese contineant feminae, nec in celebritate hominum versentur, quo etiam respicit illud Jud. 5, 24. תְּבֹרַךְ יָעֵל בָּאֳהָל. Feminis, non viris, quod tribuitur praedae partitio; elegantissimum est, atque ad rem ipsam accommodatissimum. Nempe viris satis est, hostes prostravisse, praelioque vicisse: praedam vero, ipsorum virtute partam, ejusque aequabilem partitionem non admodum curare sinit animi elatio atque liberalitas.“ SCHNURRER.

14. אִם־תִּשְׁכְּבוּן בֵּין שְׁפָתָיִם *Si jaceatis inter stabula*, i. e. cum debellatis hostibus tranquilli in terra vestra sedebitis. שְׁפָתַיִם a שָׂפַת *posuit*, sunt *bina repagula* in jumentorum stabulis, ut מִשְׁפְּתַיִם Gen. 49, 14. Jud. 5, 16. *stabula* s. *caulae*, quibus pecus noctu includitur. *Recubare* vero *inter stabula* denotat vitam pacatam rebusque affluentem. Sequitur apodosis, ante quam תִּהְיוּ subaudiendum: כַּנְפֵי יוֹנָה נֶחְפָּה בַכֶּסֶף eritis tanquam *columba*, quae, s. quarum alarum unaquaeque *obducta est argento*, וְאֶבְרוֹתֶיהָ בִּירַקְרַק חָרוּץ *et pennae alarum ejus* obductae *subfulvo pallore purissimi auri*, i. e. e bello domum reduces facti, et agris colendis vacantes praeda agri et argenti ita abundabitis, ut columbarum alas referatis, quarum pennae renitent nitore argenteo et fulgore aureo. חָרוּץ est ex poeticis *auri* nominibus, ut Prov. 3, 14. 8, 10. 19., sic dictum vel a splendore *acuto* quasi oculos feriente, vel quod e terrae gremio *effissum* est non arte, sed sua sponte, quod auri genus est lectissimum. *Pallorem*, יְרַקְרַק, verum esse auri colorem, notum est. Hinc Aethiopibus וַרְק notat *aurum*. Pluribus hunc locum illustravit BOCHARTUS in *Hieroz.* T. II. p. 533. ed. Lips. Ceterum et nos hunc Versum ad vetus illud epinicium, quod Versu 13. inceperat, pertinere existimamus.

15. בְּפָרֵשׂ שַׁדַּי מְלָכִים בָּהּ תַּשְׁלֵג בְּצַלְמוֹן *Cum omnipotens dispersit reges in ea* terra, *albescebat* (scil. terra illa) velut *in Zalmone* nix; h. e. tanta fuit regum illarum strages, ut terra conspersa et velut obtecta hostium caesorum ossibus dealbesceret instar nivis in Zalmone, monte, in Samaritide sito, Jud. 9, 48. Vid. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* s. *bibl. Geogr.* Vol. II. P. I. p. 115. Sic Virgilius *Aen.* 5, 865. *albi ossibus scopuli.* Et *Aen.* 12, 36. *Campi ossibus albent.* Ovidius *Fastor.* L. I. *Humanis ossibus albet humus.* Hiphil, תַּשְׁלֵג, intransitive usurpatur, ut הִשְׂכִּיל *intelligens fuit*, הֶבְאִישׁ *computruit*, הִלְבִּין *albus evasit* (Jes. 1, 18. Ps 51, 9.), הֶאְדִּים *rubicundus fuit* (Jes. 1, 18.). Quod *dispergendi* figuram attinet, conferri potest Ps. 53, 6. *dispersit Deus ossa castrametantis contra te.*

16. Ab expugnationis terrae Cananaeae mentione transit ad montis Zionis prae aliis montibus praestantiam celebrandam. Alloquitur illos: הַר אֱלֹהִים הַר בָּשָׁן *Mons Dei, mons Basanis!* vos altissimi montes Basanitici! הר אלהים alias quidem, ut Ex. 3, 1. 18, 6. 24, 13. Horeb mons, et Ps. 24, 3. Jes. 30, 29. Zion vocatur; hic vero patet hanc appellationem intelligendam esse ex consuetudine Hebraeorum, qua quicquid in suo genere praestans est atque eximium, *Dei esse* dicere solent, vid. ad Ps. 36, 7. הַר גַּבְנֻנִּים *Mons gibborum* s. *eminentiarum*, vos plurium collium montana Basanitica, de quibus cf. libr. nostr. citat. p. 127.

17. לָמָּה תְרַצְּדוּן *Quare invidiose observatis?* Hanc enim esse verbi רָצַד, hoc tantummodo loco exstantis, significationem, observarunt jam doctores Rabbinorum. הָרִים גַּבְנֻנִּים est vel asyndeton, *o montes et colles!* ut Ps. 65, 2. Hab. 3, 11.; vel praecedens הָרִים repetendum est in statu constructo, pro הָרֵי הָרִים גַּבְנֻנִּים *montes, montes eminentiarum*, s. *collium* (vid. ad Vs. 16.), simili formula, quae Ps. 60, 4., ubi not. vid. הַהָר *Hunc* ipsum *montem* Zionem intellige. ה h. l. vero est δεικτικῶς. „Nimirum, ait Schnurrerus, ad montes eminentiores universos convertitur oratio, quos vates elegantissime fingit invidere Zioni honorem illum eximium, quod dignus habitus esset, quo aream, adeoque sedem suam regiam collocaret Deus. Haud quidem nominatim commemoratur Zion mons, sed potius digito quasi monstratur: quid enim opus erat nominare montem, qui nunc, inter canendum hoc carmen, omnium obversaretur animis oculisque? Tandem id quam maxime observari velim, quam commode atque apte ad rem nunc redeat vates, unde digressio ab ipso satis longe facta est.“

18. רֶכֶב אֱלֹהִים רִבֹּתַיִם אַלְפֵי שִׁנְאָן *Currus Dei duae myriades, millia iterationis*, i. e. millia multoties iterata. Sicut magni olim reges suam ostentare potentiam solebant magna curruum bellicorum copia, veluti Pharao, qui currus eduxit sexcentos Ex. 14, 7.; Jabin, qui nongentos Jud. 4, 13. (vid. et 1 Sam. 13, 5. 1 Chron. 19, 7.); ita noster regem supremum Israelitici populi,

Jovam, inducit tanquam victorem triumphantem, spirituum coelestium exercitu infinito stipatum, in Zionem, locum, quem sedem sibi elegit (Vs. 17.), ascendentem. *Currus* tribuuntur coelesti exercitui, quo Jova utitur, etiam Hab. 3, 8. 2 Reg. 2, 10. 11. 6, 17. Nomen singularis numeri רֶכֶב h. l. poni collective, ut in locis paullo supcrius memoratis, vix monitu opus. רִבְתַּיִם non est rcfcrendum ad nomen רִבָּבָה *myrias*, cujus pluralis est רִבָּבוֹת (1 Sam. 18, 8. Num. 10, 36.), verum ad formam רִבּוֹא Esr. 2, 64. sive רִבּוֹ 1 Chron. 29, 7. Jon. 4, 11., cujus pluralis est רִבֹּאת Esr. 2, 69. Dan. 11, 12., et רִבּוֹת Neh. 7, 71., unde dualis רִבְּתַיִם, qui praeter h. l. nusquam alias occurrit. Ponitur vero per synecdochen hic numerus certus pro incerto vel longe maximo, sicut *millia* Coh. 7, 28., *bis millia* 6, 6., *decem millia* Ps. 3, 6. 91, 7. Nomen שְׁנָאן ἅπαξ λεγόμενον, sunt qui referant ad שָׁנַן *acuit*, exponantque de curribus falcatis. Alii acceperunt pro שַׁאֲנָן, a שָׁאַן *tranquillus fuit*, intelliguntque *Angelos*, ut sic dicantur, quasi *tranquilli beati*. Quod Alexandrinus haud dubie spectavit, qui εὐθυνούντων, *abundantium* (bonis omnibus) vertit, quemadmodum et Job. 3, 18. pro שַׁאֲנָנוּ εὐθύνουσαν, et Ps. 123, 4. pro הַשַּׁאֲנַנִּים τοῖς εὐθυνοῦσι posuit. Sed rectissime Aben-Esra nostrum vocabulum videtur explicasse, qui, quemadmodum a בָּנָה deducitur בִּנְיָן *aedificium*, ita a שָׁנָה *iteravit*, deductum שִׁנְיָן observat, pro quo, mutato ob euphoniam *Jod* nominis, vel *He* radicis in *Aleph*, שִׁנְאָן dictum, sicut etiam Jes. 30, 21. תֵּאָמֵרְנָה pro תֵּימַרְנָה legimus. אֲדֹנָי בָּם *Dominus inter eos;* particula ב h. l. valet *inter*, ut Ps. 35, 16. 60, 12. Coh. 3, 12. — סִינַי בַּקֹּדֶשׁ per compendium pro כַּאֲשֶׁר עַל סִינַי *sicut super Sinai cum majestate*, sicut olim in Sinai monte majestatem suam exhibuit. Comparatur solennis illa arcae deductio in Zionem montem, quem Jova sedem tunc occupavit, solenni ejus in Sinai monte apparitioni, ne minus solennis quam haec esse videatur. Particulam comparativam frequenter omitti, notum est, vid. e. c. Ps. 125, 2. Nec male alii: *Sinai est in sanctuario*, sive: *in sacrario* nunc est *Sinai*, ut Sinai mons hic per synecdochen universe pro sede domicilioque Numinis dicatur, sitque loquendi modus, qualis obtinet in illo loco Martialis Lib. IV. Ep. 60. *in medio Tibure Sardinia est.* Vel apud Themistium Orat. 31. μετελήλυθεν ὁ Ἑλικὼν εἰς τὸν Βόσπορον, *Helicon in Bosporum transiit.* Sic sensus esset: Qui in Sinai monte olim praesentem se demonstravit Deus, jam in hocce sacrario sedem suam habebit. Zion non minori pollet dignitate, quam Sinai, imo est alius quasi novus mons sanctus.

19. *Conscendisti altum, captivos ducens victos hostes* (propr. *captivam duxisti captivitatem*, i. e. captivorum turbam, vid. ad 55, 21.), *accipiens munera inter* s. *per homines, rebelles etiam, ut habites* hic, *Jah, Deus.* Apostrophe fit ad eundem, de quo proxime sermo erat, Jovam. Montem nunc conscendit pompa:

itaque dicit vates עָלִיתָ לַמָּרוֹם, utiturque eodem verbo, quod etiam alias hac de re usurpatum videmus, ut Ps. 47, 6. 1 Chr. 15, 28. 2 Sam. 6, 15. Quae vero de captivis dicta sunt, muneribusque acceptis, non sunt ad vivum resecanda, sed pertinent ad amplificandam pompae magnificentiam. Tribuuntur Deo, quae solebant apud reges, bello feliciter gesto, locum habere, ut victos ad servitutem deprimerent, et munera acciperent obsequii et observantiae causa oblata. Et victoris persona vere tribuitur Jovae, qui brevi ante Sionem montem, quem nunc ipse occupabat, vi armisque expugnasset, ejectis veteribus incolis. Ad vocem סוֹרְרִים repetendum est praefixum ב, nam שְׁבִירָה remotius est, ut trahi huc possit. Quod vero ab infensis etiam hominibus munera oblata esse dicuntur, iterum pertinet ad declarandam triumphantis regis dignitatem et potentiam. לָשְׁכֹּן conjungendum esse putamus cum עָלִיתָ, ut verbum eadem significatione veniat, qua ante adfuit Vs. 17.

20. Sequitur nunc laus Dei interposita usque ad Vs. 24. *Celebrandus Deus quotidie!* Si quis *onus imponit nobis*, nos premit, *Deus ille salus nostra.* Verba יַעֲמֹס־לָנוּ, subaudito nomine אִישׁ, impersonaliter accipienda sunt, hoc sensu: si oppressi ab hoste fuerimus, hic Deus nobis fert opem.

21. „Verba וְלַיהוִה אֲדֹנָי לַמָּוֶת תּוֹצָאוֹת plerumque sic intelliguntur: Jova multiplices habet vias modosque, quibus suos possit morti subducere. Enimvero למות תוצאות non possunt dici *exitus ex morte.* Recte vero Symmachus: *καὶ τοῦ Κυρίου τοῦ δεσπότου αἱ εἰς θάνατον ἔξοδοι.* Est hic quidem parallelismus, nec vero similium, sed oppositorum. Etenim vox תוצאות usu militari sumenda, ut verbum יָצָא Ps. 55, 12. Hab. 3, 13., significatque *exitus Dei* seu *impetus in hostes*, cum strage ac internecione ipsorum conjunctos. Eadem res sequenti Versu aliis verbis describitur.“ Schnurrer. Quare verba nostra hoc modo reddidit: *Jovae Domini sunt impetus* in hostes *mortis pleni.*

22. אוֹיְבָיו — אַךְ *Certe Deus percutit capita hostium suorum.* Verbum מָחַץ *feriendi percutiendique* significatu, quo h. l. accipiendum est, occurrit quoque Deut. 33, 11. Ps. 18, 39. Hab. 3, 12. In posteriore hemistichio, קָדְקֹד שֵׂעָר מְהַלֵּךְ בַּאֲשָׁמָיו *verticem capillatum versantis in culpa sua*, sc. percutit, manifestum est, קדקד שעה poetice dictum esse pro ראשׁ, et מהלך באשמיו pro אויב in hemistichio priori.

23. *Pronuntiavit Dominus: ex Basanitide adducam, adducam ex profundo maris*, subaudiunt interpretes complures: populum meum, ut sententia haec sit: ex maximis etiam periculis, qualia olim erant in Basanitide propter Ogum, et in mari rubro propter Pharaonem, feliciter meos educam. Sed subaudiendum potius est אוֹיְבִים *hostes*, a populo meo jugulandos, id quod manifeste docet versiculus, et qui proxime praecessit, et qui proxime sequitur, quippe utrobique mentio fit non piorum, sed perimendo-

rum hostium; hinc etiam nexus ille per particulam consequutivam לְמַעַן *(reducam) ideo ut* etc. Vs. 24. Adeoque hic eadem erit sententia, quae Am. 9, 1. sqq. *Nemo evadet, nemo effugiet; quamvis vel ad inferos penetrarint, illinc quoque manus mea eos auferet; quamvis coelum scanderint, illinc eos detrudam, quamvis in vertice montis Carmel se absconderint*, etc. Cf. Obadj. Vs. 4. הָשִׁיב h. l. non est *reducere*, sed *adducere*, ut Ps. 72, 10. — „מִמְּצֻלוֹת יָם poetice dictum est pro מַיִם, cumque *mare* hoc loco oppositum sit Basanitidi, regioni ad orientem sitae, haud difficulter intelligitur, innui mare occidentale, seu mediterraneum. Neque vel maris vel Basanitidis mentio aliam hic vim habet, quam quae posita est in plaga designanda. Adeoque sensus est, hostiles copias a Deo utrimque adductum, atque Israelitico populo traditum iri ad internecionem.“ Schnurrer.

24. לְמַעַן תִּמְחַץ רַגְלְךָ בְּדָם *Ut agites pedem tuum in sanguine* hostium. Eadem fere figura, quae 58, 11. De verbo מָחַץ vid. ad Vs. 22. — לְשׁוֹן כְּלָבֶיךָ מִאֹיְבִים מִמֶּנּוּ *Lingua canum tuorum ex hostibus, ex unoquoque eorum* sc. bibet. Subaud. verbum תִּשְׁתֶּה, quod itidem omissum 2 Sam. 23, 17. in formula הֲדַם הָאֲנָשִׁים, subaudiendum ex loco parallelo 1 Chr. 11, 19., ubi loquutio plena exstat: הֲדַם הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה אֶשְׁתֶּה *num sanguinem hominum illorum bibam?* מִמֶּנּוּ *Ex eo*, i. e. ex unoquoque eorum. Distributionis causa hoc affixum singulare הוּ plurali nomini אֹיְבִים, q. d. nemo horum effugere poterit, sanguis *ex ipso*, vel unoquoque illorum lingetur a canibus. Posset etiam, parum mutato sensu, referri ad דָּם *sanguis*. Aliis מִמֶּנּוּ est nomen מֶן *pars, portio*, (a מָנַן *distribuit*) cum suffixo tertiae personae, ad לָשׁוֹן, nomen generis communis, relato, hoc sensu: *linguam canum tuorum* quod attinet, *ab hostibus portio ejus*, dum bibet eorum sanguinem. Ceterum haec pertinent ad illam pristini temporis ferociam, qua prostratorum hostium cadavera solebant nonnumquam inhumata relinqui, avibus, canibus, aliisque bestiis voranda, vid. Jer. 15, 3.

25. Si carmen compositum putamus propter solennem arcae deductionem in arcem Zionis, explicanda haec videntur de pompae illius solennitate peracta atque absoluta, quod jam sedem suam occupasset arca, unde ratio intelligitur, cur verba nunc adhibita sint temporis praeteriti. רָאוּ הֲלִיכוֹתֶיךָ *Viderunt*, i. e. visi sunt *incessus tui*. Tertia pluralis persona רָאוּ, expresso carens nominativo, ponitur impersonaliter, ut Esth. 2, 2. יְבַקְשׁוּ. Nomen הֲלִיכוֹת *incessus* Dei, spectat pompam illatae in Sionem arcae. הֲלִיכוֹת אֵלִי מַלְכִּי בַקֹּדֶשׁ *Incessus Dei mei, regis mei, in sanctitate*, i. e. sanctos, vel sancta cum majestate factos. Cf. Vs. 18. Alii vertunt *in sacrario*, quod nomine קֹדֶשׁ appellatur Ex. 28, 43. 29, 30. Ps. 74, 3. Schnurrerus vertit: *visi sunt incessus tui ad sanctuarium.*

26. קִדְּמוּ שָׂרִים *Praecesserunt cantores.* Pro שרים Alexandrinus Syrusque interpretes posuerunt *principes*, quasi שָׂרִים

legissent, quod ipsum hodienum in libris nonnullis et manu et typis exaratis apparet; nec repudiandum est prorsus, coll. Vs. 28. Verba אַחַר נֹגְנִים quidam ita reddunt: *post fidicines*, ut hi omnium primi fuerint. Sed אַחַר h. l. est adverbium, atque per Asyndeton sic explicandum: *et postea* sequuti sunt *pulsantes* s. *fidicines*, instrumentis nimirum, ut illi voce, cantantes. De verbo נָגַן vid. Prolegg. p. 18. בְּתוֹךְ עֲלָמוֹת *In medio virginum.* Puellarum apud Hebraeos in solennitatibus publicis permagnas partes fuisse, ad Vs. 12. observatum est. תּוֹפְפוֹת *Pulsantes tympana*, publicae laetitiae instrumenta, vid. 81, 3. תֹּף, instrumentum musicum, saepe commemoratur, et fere semper ut instrumentum a feminis tractatum, Jud. 11, 34. 1 Sam. 18, 6. Jer. 31, 4. Ex. 15, 20. Etiamnum hoc unicum in Oriente est instrumentum, quod a feminis tractari solet. Cf. NIEBUHR *Reisebeschr.* P. I. p. 180. Vid. et *das a. u. n. Morgenl.* P. II. p. 21.

27. Ante hujus Versus initium subaud. לֵאמֹר *dicendo*, vel: *cantantes: in coetibus laudibus extollite Deum* etc. Possit tamen etiam esse a vate interjecta apostrophe ad Israelitas. Ante מִמְּקוֹר יִשְׂרָאֵל subaud. אשר, *qui ex fonte Israelis estis oriundi*, qui stirpis estis Israelitieae. Auctores gentis ab Hebraeis comparari cum fontibus, gentes cum aqua inde profluente, apparet ex locis Jes. 48, 1. Prov. 5, 18.

28. שָׁם *Ibi*, in solenni illa pompa, Vs. 25. 26. „Commemorat vates tribus Israeliticas, quae laetitiae huic publicae intererant. Ex 1 Chr. 15, 3. quidem intelligitur, ex universo populo convocatam a rege multitudinem fuisse, sed omnes tribus longo ordine recensere, historici erat, non poetae. Itaque nonnullas tantum nominat, et quidem duas, quae in proximo habitarent *(Benjamin* et *Juda)*, adeoque primarias in hac celebritate partes haberent, duasque alias, quae longissime quidem abessent a loco solennitatis *(Sebulon* et *Naphthali*, in finibus terrae degentes), nec tamen frequentes adesse recusassent.“ SCHNURRER. Appellat autem Benjaminem צָעִיר *parvum*, quod natu inter fratres ceteros minimus esset; quemadmodum Jacobus dicitur צָעִיר relatione ad natu majorem Esavum Gen. 25, 23., item Ephraim respectu Manassis 48, 14. רֹדֵם *Dominans*, i. e. princeps *eorum*, pro רֹדֵה בָם, quum verbum רָדָה (de quo vid. 49, 15.) alias plerumque sequenti Beth construi soleat, ut Lev. 26, 17. Jes. 14, 2. 1 Reg. 4, 24.; cum affixo autem eodem modo, quo h. l. Participium, reperitur verbum hoc constructum Lev. 25, 53. *non* יִרְדֶּנּוּ *dominabitur ei* (servo) *dure;* nec non Thren. 1, 13. וַיִּרְדֵּנָהּ. Affixum vero non per *Camez* est additum, ut alias, sed per *Tzere*, ut itaque רֹדֵם sit pro רֹדֵם, quemadmodum Jes. 63, 11. exstat הַמַּעֲלֵם *educens eos.* Tribum Benjaminitieam vero *imperium gerentem* vocari existimant propter Saulum, e tribu hac oriundum, qui prius toti populo imperasset. Sed rectius ante רֹדֵם subaudiunt alii copulam *et* (plura

asyndeta in hoc Versu sequuntur), ut sensus sit: *ibi Benjamin et dominans eis*, h. e. tribus adest una cum principe suo; quemadmodum et in hemistichio altero mentio fit שָׂרֵי *principum*, una cum tribubus ipsorum. Alexandrinus, qui vertit ἐν ἐκστάσει, quod Vulgatus *in mentis excessu* reddidit, nostrum רדם retulit ad רָדַם, unde תַּרְדֵּמָה *sopor altus*, Gen. 2, 21. 15, 12., quod Alex. utroque loco ἔκστασις transtulit. Ita et Syrus: *in tranquillitate*, quasi *dormiens*, *sopore obrutus*. Sed recte Aquila: κρατῶν αὐτῶν. שָׂרֵי יְהוּדָה *Et principes Judae.* Dependent haec a שָׁם, *illic* erant etiam principes Judae. רִגְמָתָם plerique non male *coetum eorum* interpretantur, a verbo רָגַם *lapides in tumulum* aut acervum *conjecit* (unde מַרְגֵּמָה Prov. 26, 8. *locus, quo lapides projiciuntur*), ut nomen רִגְמָה a lapidum acervo ad hominum multitudinem et catervam translatum sit. Praeplacet tamen, cum aliis vertere: *lapis eorum;* quum enim nomen illud nonnisi hoc loco occurrat, tutius omnino est retinere eam significationem, quae cum verbo, unde derivatur, convenit. Est autem non inusitatum Hebraeis, *lapidem* tribui personae, quae aliorum fulcrum et firmamentum est, ut Gen. 49, 24. de Josepho, ex cujus posteris reges potissimum orti sunt, qui decem tribubus praefuerunt, dicit Jacobus, *inde pastor* et *lapis Israel.* Ita et hoc loco רגמתם sensu videtur convenire cum רֹדֵם et שָׂרִים. Alexandrinus quoque ἡγεμόνες αὐτῶν reddidit; nec non Syrus: *principes eorum.*

29. Sequitur brevis ad Deum supplicatio pro confirmanda atque augenda Israelitarum republica: צִוָּה אֱלֹהֶיךָ עֻזֶּךָ *Praecepit*, i. e. decrevit, ordinavit (ut 42, 9.) *Deus tuus robur tuum*, i. e. firmum et validum tuum regnum. Antiqui interpretes omnes mirabili fere consensu lectionem exprimunt hanc: צַוֵּה אֱלֹהִים עֻזֶּךָ *praecipe*, *o Deus*, *potentiae tuae*, nec desunt hebraici codices, qui et ipsi exhibent lectionem אֱלֹהִים. Sed recte observavit Schnurrerus, posse receptam lectionem recte defendi, si verbis hisce sermonem vel vatis, vel singulorum civium ad rempublicam conversum contineri dixeris, hoc sensu: *decrevit*, *o Israel*, *Deus tuus firmandam atque amplificandam esse tuam rempublicam.* עוּזָּה אֱלֹהִים זוּ פָּעַלְתָּ לָּנוּ *Robustum te praesta*, validum te demonstra, quoad *id quod nobis fecisti*, in salutem nostram, quod nostri causa jam fecisti.

30. *Ob palatium tuum super Hierosolymis afferent tibi reges munera.* Particulam עַל complures interpretes pro אֶל positam accipiunt, ut sic transferendum sit: *propter templum tuum Hierosolymam afferent* etc. Sed potest usitatus illius particulae significatus bene retineri, ut et a Symmacho factum, qui ita reddidit: διὰ τὸν ναόν σου τὸν ἐπάνω τῆς Ἱερουσαλήμ, atque a Schnurrero, qui vim illius vocis sic expressit: *quod imminet Hierosolymis*, monuitque, sensum esse hunc: ornando tuo, quod Hierosolymis imminet, palatio a regibus etiam barbaris donaria

contingant; cujus rei illustre exemplum memoratum est 2 Sam. 8, 6. 11. Nomen הֵיכָל (de quo vid. 27, 4.) in universum de sacrario Jovae dicitur, non tantum de templo lapidibus exstructo.

31. גְּעַר *Perde*, ut Ps. 9, 6., ubi not. vid. Alii *increpa*, i. e. severe cohibe, et compesce, quemadmodum regis aut domini tremendi increpatione tota cohorrescit familia aut regium satellitium. Sic *increpare*, i. e. cohibere Deus dicitur *mare*, Ps. 107, 10. et hostes Ps. 80, 17. Jes. 17, 13. De חַיַּת קָנֶה *Fera arundinis*, plures sunt interpretum conjecturae. Alii existimant *aprum* illa appellatione significari, propterea quod apri cubilia in arundinetis solent habere, et חֲזִיר מִיַּעַר *porco e sylva*, s. sylvestri, h. e. apro, Israelitici populi hostes etiam 80, 14. comparantur. Alii *Aegyptum*, seu regem Aegypti innui putarunt; imagine ducta a *crocodilo*, incola Nili, arundinibus consiti (Jes. 19, 6.). Quod ipsum animal etiam ab Ezechiele Cap. 49, 3. 4. 32, 2. 3. pro Aegypti imagine usurpatur. Sed tempore, quo hocce carmen editum est verisimile, infenso erga Israeliticam rempublicam animo fuisse Aegyptum plane non constat; et Vs. 32. Aegyptii etiam ut cultores et admiratores Jovae memorantur. Praetermitto conjecturas plures alias. Quaecunque demum ponatur fera, dubio saltem caret, metaphorica loquutione significari hostem divini regiminis, i. e. reipublicae Israeliticae. Si qui porro, qualem speciatim David respexerit, investigare laborent, vix quidquam ultra fluctuantis opinionis conatum promoverint. עֲדַת אֲבִירִים בְּעֶגְלֵי עַמִּים *Coetum taurorum cum vitulis populorum* (sc. *perde*). *Tauris*, אֲבִירִים (vid. ad Ps. 22, 13.), plerique volunt significari populos, qui vi atque opibus pollent; *vitulis* autem gentes minus validas et numerosas. Mihi per *tauros* potius duces, per *vitulos* milites, qui eos sequuntur, videntur intelligendi. מִתְרַפֵּס בִּרְצֵי־כָסֶף *Qui prosternat sese cum fragminibus argenti*, i. e. increpa eos ita, ut facti supplices veniant cum massulis argenti ad pendendum tributa. Optaverat vates (Vs. 30.), ut reges exteri templo Jovae ornando donaria afferrent; jam votum subjicit, ut etiam ferocissimae gentes, tanti Numinis objurgatione perterritae, mox domatae et supplices factae ad pedes illius provolvantur, atque tributa eidem pendere cupiant. Propria per catachresin miscentur tropicis, ut proxime antea *vituli* junguntur *populis*. Verbi רָפַס *conculcavit*, species Hithpael praeter h. l. semel tantummodo occurrit, Prov. 6, 3., quo loco manifeste significat *prosternere se ipsum*, veluti pedibus conculcandum sese praebere. Qui significatus et huic loco optime congruit. Significatur *προσκυνήσεως* ritus, qui 72, 9. formula *pulverem lingendi* exprimitur. Singularis vero מהרפס distributive est accipiendus, atque ad unamquamque istarum belluarum referendus, cujusmodi enallages exempla plura jam habuimus. בְּזַר עַמִּים קְרָבוֹת יֶחְפָּצוּ *Dispersit populos, qui bella diligunt!* Nulla etenim gens superest, quae Jovae imperio sese submittere recuset; omnes sunt

fractae domitaeque; omnes tributariae factae. Alexandrinus cum Vulgato et Arabico interprete, nec non Syrus Imperativum exprcsserunt: *disperge*, non quod בַּזַּר legerunt, sed quod Praeteritum pro Imperativo per enallagen usurpatum putarunt, ut Ps. 56, 9. et 60, 6. Sine necessitate. Vividior enim et magis poetica sententia prodit retento Praeterito.

32. יֶאֱתָיוּ חַשְׁמַנִּים מִנִּי מִצְרָיִם *Veniant magnates ex Aegypto.* חשמנים sunt *proceres multo satellitio stipati*, coll. Arab. חשם *multi famulitii fuit.* *Nun* heemanticum hebraico vocabulo additum copiam notare solet, ut in צַאֲנָן *pecorosus* Mich. 1, 11., נַעֲמָן *perquam amoenus*, propr. *multis amoenitatibus praeditus*, Jes. 17, 10. כּוּשׁ תָּרִיץ יָדָיו לֵאלֹהִים *Aethiopia currere faciet*, s. accelerabit, *manus suas Deo.* *Manus* per synecdochen dicuntur pro donariis, quae manibus tenentur, ut ita sit transferendum: *Aethiopes festinabunt adferre* dona Deo. Verbum תריץ, quod ad כוש pertinet, feminei generis est; etenim nomina propria populorum construuntur modo ut singularia masculina, modo ut feminina; cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 469. sqq.

34. לָרֹכֵב בִּשְׁמֵי שְׁמֵי־קֶדֶם (Psallite) *Vecto in coelis coelorum antiquitatis*, i. e. in coelis supremis atque antiquis. *Antiquum* dicitur coelum ad significandum, illud inde ab omni aevo occupatum a Jova fuisse atque ab eodem conditum. Et quod apud gentes pristinas valeret opinio, tonitrua cum fulminibus pertinere ad jus majestatemque hujus summi numinis, additur: *vocem*, i. e. tonitru *edit* (coll. Ps. 46, 7.), et quidem *validissime.*

35. In formula תְּנוּ עֹז nomen עֹז idem valet quod כָּבוֹד, ut 8, 3. 29, 1. Sensus est, summam Jehovae magnificentiam atque potestatem non minus elucescere ex gubernatione reipublicae Israeliticae, quam e tempestatibus, pendentibus ex ipsius arbitrio. עַל־יִשְׂרָאֵל גַּאֲוָתוֹ *Super Israel excellentia ejus*, i. e. in populo Israelitico ostendit majestatem suam atque potentiam, conspicuam fecit.

36. נוֹרָא אֱלֹהִים מִמִּקְדָּשֶׁיךָ *Formidabilis*, venerandus es, *o Deus! e sanctuario tuo*, ex iis, quae facis de sacrario tuo; inde terret hostes suos, inde protegit populum suum. Nomen מִקְדָּשׁ tam in singulari, quam in plurali usurpatur de sacrario Jovae, ut constat ex Ez. 21, 2. 7. Ps. 73, 17. Jer. 51, 51. De tabernaculo sacro usurpatur pluralis et Lev. 21, 23., quod e pluribus partibus illud, uti postea templum, constabat.

Ps. 69.

Queritur se innocentem a malis et impiis hostibus suis opprimi, et implorat ardenter opem et misericordiam Dei, qua fretus pollicetur sibi certam liberationem, atque imprecatur gravissima inimicis et persequutoribus suis. Multa habet hoc carmen similia

Psalmis 6. et 38. Qui quidem Psalmi, quum totius populi exilii miseriis afflicti querelas contineant, non dubitamus adstipulari iis interpretibus, qui et hunc Ps. ex persona Judaeorum, qui in Babylonem fuerant abducti, dictum putant, praesertim quum Vs. 34. et sqq. *captivorum*, *urbiumque Judaeae dirutarum* diserta fiat mentio.

2. בָּאוּ מַיִם עַד־נָפֶשׁ *Venerunt aquae ad animam*, i. e. os subeunt et intrant, ut periculum sit a suffocatione, et animam elidant. Cf. ad 18, 17. Sensus: ne differ tuam opem diutius, neque enim potero sustinere amplius.

3. וְאֵין מָעֳמָד *Nec statio*, quod recte Chaldaeus transtulit: *non est locus ad consistendum;* haereo in limo fundi experte, ubi non reperiunt pedes quo nitantur. De nom. יֵוֵן vid. ad 40, 3.

4. נִחַר גְּרוֹנִי *Adustum*, s. exsiccatum *est guttur meum*, irrausi arescente gutture. כָּלוּ עֵינַי מְיַחֵל לֵאלֹהָי *Consumti sunt oculi mei exspectans Deum meum*, obtenebrescunt oculi mei, deficientibus viribus, desiderio opis divinae, quam expertus sum toties. Cf. Thr. 4, 17. *consumebantur oculi nostri ad auxilium nostrum*, ad hebetudinem usque oculorum auxilium circumspeximus.

5. חִנָּם *Immerito*, ut 35, 7., ubi not. vid. Cui in hemistichio altero respondet שֶׁקֶר, quomodo 38, 20. שִׂנְאַי שֶׁקֶר. — מַצְמִיתַי *Perditores mei*, i. e. qui hoc agunt, ut perdant me. Non de actu sed conatu accipiendum, ut 56, 2. שֹׁאֲפַנִי *deglutire me conatur;* Prov. 11, 9. יַשְׁחִית *perdere conatur.* — אֲשֶׁר לֹא גָזַלְתִּי אָז אָשִׁיב *Quod non rapui, tamen restituam.* Proverbium videtur fuisse Hebraeis de innocente: rependit, seu luit, quod non rapuit. Sensus: plectuntur in me innocente, ea quae non admisi. Particula אָז vel *tamen* reddi potest, ut Job. 9, 31.; vel redundat, ut Coh. 2, 15. Ps. 119, 92. Job. 38, 21. Verbum הֵשִׁיב *restituendi* significatu dicitur quoque Ex. 22, 26. Lev. 6, 4. Deut. 24, 13.

6. אֱלֹהִים אַתָּה יָדַעְתָּ לְאִוַּלְתִּי *Tu, Deus, nosti insipientiam*, seu fatuitatem *meam*, i. e. an quid per stultitiam admiserim et dignum iis, quae mihi accidunt; tu nosti innocentiam meam, et me nihil tale meritum esse. אִוֶּלֶת *insipientia*, Hebraeis etiam *delictum* significat, ut supra Ps. 38, 7., quomodo et Plato virtutem esse sapientiam disserit, et vitium stultitiam. Et h. l. in altero hemistichio אַשְׁמוֹתַי, ut aequipollens ponitur. Haec vero innocentiae professio populo exilii miseriis afflicto eatenus competit, quatenus inter medias persequutiones et contumelias, quas a barbaris ob cultum Jovae perpessus est, tamen ab eo non descivit. Verbum יָדַע nusquam, praeter hunc locum, cum ל construitur; nec tamen raro Accusativi potestatem, pendentem ex significatione propria particulae illius, *quod attinet ad*, *respectu habito ad rem*, nomen cum ל obtinet.

7. אַל־יֵבֹשׁוּ בִי קֹוֶיךָ *Ne erubescant propter me sperantes in te*, i. e. ne sinas, ut, me a te neglecto, propter meum exemplum,

pocnitere aut pudere quenquam possit spei suae, quam in te collocavit. Cf. 6, 11. 22, 6. 25, 2.

8. *Nam propter te tuli opprobrium, operuit ignominia vultum meum*, hinc ignominia mihi existit tanta. עָלֶיךָ *Propter te*, quod in te spem meam posui. Occlamant mihi mei adversarii: ubi est Deus, quo niti et fidere gloriaris? de quo polliceris tibi omnia? Vid. Ps. 22, 9. 42, 4.

9. מוּזָר הָיִיתִי לְאֶחָי *Alienus factus sum fratribus meis.* Non se agnosci amplius queritur, nec a suis quidem, quod ita sit mutata species oris ejus ex dolore et moerore; quae deformata species ejus multo et evidentius et magis pathetice descripta 22, 15. 16. וְנָכְרִי לִבְנֵי אִמִּי *Et peregrinus* factus sum *filiis matris meae*, i. e. *fratribus uterinis*, vid. ad 50, 20.

10. כִּי־קִנְאַת בֵּיתְךָ אֲכָלָתְנִי *Nam zelus domus tuae consumsit me*, ingens me studium tenet et ardor cultus tui, et ne tibi obtrectetur, tantus quidem omnino, ut totus consumar affectu hoc. *Domus Jovae*, cultus ejus domicilium et sedes, pro ipso hoc cultu dicitur. Mentem suam satis ipse explicat, dum addit: וְחֶרְפּוֹת חוֹרְפֶיךָ נָפְלוּ עָלָי *Et probra probris afficientium te super me cadunt*, probra et contumeliae, quibus te afficiunt obtrectatores tui, non afficiunt me aliter, quam quae mihi fiunt. *Obtrectatoribus Dei* significat illos, qui poetam deriderent, quod spem suam in Jova poneret, qui tamen cultores suos in maximis miseriis esse sinat, neque eos juvare possit. Cf. ad Vs. 8. Cujusmodi vocibus timet, ne decedat gloriae Jovae, ut minus colatur.

11. *Et quum flevi et in jejunio anima mea* est, quando me per jejunium affligo (cf. 35, 13.), *est in opprobria mihi*, i. e. dum lachrymis me do et jujunio, in hoc dolore meo, illi rident haec in me, et fiunt probro mihi. Particula וְ h. l. *quum* significat, ut 37, 10. Ante בְּצוֹם vero copula וְ est subaudienda. נַפְשִׁי pro אֲנִי, ut saepissime.

12. וָאֶתְּנָה לְבוּשִׁי שָׂק *Feci vestimentum meum saccum*, vid. ad 35, 13. וָאֱהִי לָהֶם לְמָשָׁל *Et factus illis sum in proverbium*, fabula et exemplum irrisionis; cf. Deut. 28, 37. 1 Reg. 9, 7.

13. יָשִׂיחוּ בִי יֹשְׁבֵי שָׁעַר *Meditantur*, fabulantur et colloquuntur *de me sedentes ad portam*, sub quibus plerique h. l. proceres intelligunt, vel eos, qui in loco judicii publici assidere consueverunt; in *portis* enim fuisse quasi curiam priscorum, et Hebraeorum, et exterorum, notum, vid. Jos. 20, 4. Ruth. 4, 1. Am. 5, 15. Malim tamen h. l. intelligere homines otiosos et leves, qui in portis confabulabantur, res novas spectabant et audiebant, et praetereuntes taxabant (*porta* enim erat locus, in quo homines convenire solebant, vid. Gen. 19, 1. Job. 29, 7.); quod omnino magis congruit et rei praesenti, et hemistichio sequenti: וְנִגְינוֹת שׁוֹתֵי שֵׁכָר *Et cantilena factus sum potantium siceram*, quod

Chaldaeus bene sic reddit: *eorum, qui abeunt ad bibendum in domo cauponaria.* De שֵׁכָר vid. not. ad Lev. 10, 9. Ceterum נְגִינוֹת pro נְגִינוֹת הָיִיתִי, ut Job. 30, 9. plenius dicitur. Cf. Thr. 3, 14. Ez. 33, 32, quibus locis eaedem querelae.

14. וַאֲנִי — רְצוֹן *Et ad me quod attinet, oratio mea ad te, Jova,* directa est, *in tempore beneplaciti,* i. e. oro et exspecto tempus id, quo tibi libeat liberare me. Quod eo spectare videtur, quod frustrationem precum in ipso riderent hostes. Ante עֵת subaud. particula ב, ex Jes. 49, 8., ubi haec ipsa formula occurrit. עֲנֵנִי בֶּאֱמֶת יִשְׁעֶךָ *Exaudi me pro veritate salutis tuae,* pro fide tua, qua salutem te allaturum pollicitus es.

16. וְאַל־תֶּאְטַר־עָלַי בְּאֵר פִּיהָ *Neque claudat super me puteus os suum,* ne margo foveae collabens me absorptum obruat.

17. כִּי־טוֹב חַסְדֶּךָ *Nam bona,* i. e. magna, multa (ut 109, 21.) est *gratia tua.* Syris quoque Adverb. טַב est *valde.*

19. קָרְבָה אֶל־נַפְשִׁי *Appropinqua ad animam meam,* adsis mihi auxilio tuo. גְּאָלָהּ *Vindica eam,* animam meam, a violentia hostium mihi insultantium. Proprie verbo גָּאַל indicatur vindicatio injuriae, consanguineo illatae, vel consanguinei captivi aut depauperati in statum pristinum restitutio, intercedente λύτρῳ, tum ad cujuscunque injuriae vindicationem transfertur, haud aliter, quam verbum פָּדָה, quod noster proxime usurpat, de quo vid. ad 25, 22. לְמַעַן אֹיְבַי *Propter hostes meos,* h. e. libera me, ne inimici de me glorientur, et confirmentur animis in impietate et scelere, si videant me deseri; sententia eadem, quae Vs. 7. Chaldaeus: *ut ne efferant se super me inimici mei.*

20. נֶגְדְּךָ כָּל־צוֹרְרָי *Coram te omnes inimici mei,* patent tibi omnia adversariorum meorum, neque effugere potest oculos tuos quicquam eorum, quae perpetrant.

21. חֶרְפָּה שָׁבְרָה לִבִּי *Opprobrium frangit cor meum,* ad mortem usque me excruciat probrorum turpitudo, cf. Jer. 23, 9. Ps. 22, 15. 42, 11. — וָאָנוּשָׁה *Aegritudine affectus sum.* Descendit haec prima futuri Cal a radice nusquam alias occurrente נוּשׁ, quae vel cum אָנַשׁ *aeger, debilis, afflictus fuit,* communem habet significatum; vel explicanda est ex Syriaco נוס, et Arabico נוש *ultro citroque agitatus fuit.* וָאֲקַוֶּה לָנוּד *Et spectavi ad condolendum* scil. venientes.

22. *Et dederunt in cibum meum herbam venenatam, et siti meae* extinguendae *bibendum dederunt mihi omphacium,* i. e. imo tantum abest, ut praestent mihi talia pietatis et humanitatis officia (ut consolentur me, Vs. 21.), ut insuper augeant mihi dolores, et magis me crucient, insultantes calamitati et dolori meo, non secus, quam si esurienti et sitienti, pro cibo et potu, venenata herba et omphacium apponerentur. רֹאשׁ, vel ut etiam scribitur, רוֹשׁ, nomen veneni esse ex regno vegetabili, manifestum ex Deut. 29, 18.

32, 32. Hos. 10, 4. Thren. 3, 15. 19. (unde de *veneno* in genere Deut. 32, 33.), sed qualis sit planta? nemo facile definiverit, quum nec in cognatis dialectis vox reperiatur, nec in locis ipsis, quibus occurrit, certis notis sit insignita. Celsio (*Hierobot.* T. II. p. 46—52.) est *cicuta virosa* (*Wasserschirling*); J. D. Michaeli (*Supplemm.* p. 2220. sqq.) *lolium temulentum*, s. solanum; Oedmanno (*Vermischte Sammlungen aus der Naturk.* Fasc. IV. p. 83. vers. teuton.) *cucumis colocynthis* Linnaei (*Coloquinthe*). Veteres quoque dissentiunt in hoc nomine transferendo. Illorum conjecturas recensuit et dijudicavit Michaelis l. c. חֹמֶץ *acetum* significare locis Num. 6, 3. Ruth. 2, 14. Prov. 25, 20., vix in dubium vocari recte potest. Sed h. l. acetum locum non habere posse, scite monuit Michaelis in *Supplemm.* p. 828. Nihil enim melius promtiusque sitim restinguit aceto. Neque igitur improbabilis conjectura illius, h. l. *vinum acerbum*, ex omphacibus factum, ideoque noxium, intelligendum esse.

23. יְהִי — לָפַח *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*, quoniam me pascunt venenato cibo et acerbo potu, ipsis omnis copia victus et fortunarum in exitium vertat, cujus figura h. l. est *laqueus*, quemadmodum *mensâ* omnia bona et commoda significantur. וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ *Et tranquillis in tendiculam*, i. e. cum pacata et tuta ipsis omnia videntur, fac ut epulae eorum ipsis convertantur in exitium. שְׁלוֹמִים *qui pace fruuntur*, vid. Ps. 55, 21. Alexandrinus et reliqui interpretes veteres, Chaldaeo excepto, transtulerunt: *in retributiones*; שְׁלוֹמִים pro שְׁלֻמִים (Jes. 34, 8.) acceperunt, a שָׁלַם *rependit*. Quod ipsum et compluribus nostrae aetatis interpretibus placuit, ut vertatur: *inque retributionem* mensa illorum illis fiat *laqueus*. Chaldaeus: *sacrificia ipsorum* fiant eis *in offendiculum*; שלומים confudit cum שְׁלָמִים *sacrificia pacifica*, Ex. 24, 5.

24. תֶּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת *Obscurentur oculi eorum a videndo*, i. e. ne videant, ne intelligant quicquam eorum, quae faciant, atque ita in exitium certum praecipitent. וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד *Et lumbos eorum perpetuo fac nutare*, nihil relinquatur eis firmitatis, roboris aut potentiae, ut et nihil intelligant, animo occoecato, et nihil possint, viribus omnibus subtractis, sicut elumbes sunt, qui ingredi non possunt amplius; tum autem jacent in homine omnia.

25. וַחֲרוֹן אַפְּךָ יַשִּׂיגֵם *Et ardor irae tuae*, severissima tua ira, *apprehendat eos*, nusquam ab ultione tua tuti sint.

26. *Fiat habitatio eorum desolata*, *in tentoriis eorum non sit habitans*, nemo supersit in familia, qui succedat incolendo sedes avitas. טִירָה proprie *domos pastoritias*, *in quibus est stabulum*, videtur significasse, ut Gen. 25, 16. Num. 31, 10., tum *pagos*, et *castella*, denique in universum *habitationes*, quomodo et Chaldaeus h. l. vertit.

27. כִּי־אַתָּה אֲשֶׁר־הִכִּיתָ רָדָפוּ *Nam quem tu percussisti*, illi *persequuntur*. Aliqui haec ad excusationem referunt eorum, qui vatem, aut eos, quorum personam sustinet, persequuntur, hoc sensu: hoc praetexunt culpae suae, quod Deus eum percusserit, quem ipsi exagitant, et magis exercent, ut hoc faciant, quod Deus ostendat sibi cum ipso fieri gratum esse. Sed potest etiam simpliciter sententia haec esse: exstirpetur prorsus (Vs. 26.) pessimum hoc genus hominum; qui enim te percutiente miseri sunt, ex eorum dolore voluptatem capiunt, eos magis adhuc affligunt. וְאֶל־מַכְאוֹב חֲלָלֶיךָ יְסַפֵּרוּ *Ad dolorem eorum, qui a te sunt sauciati annumerant*, sc. plures alios, dolorem dolore cumulant, persequendo et exercendo gravius eos, quos tu sauciasti. Recte Alexandrinus et Vulgatus προσέθηκαν, *addiderunt* habent, quod verbum סָפַר *numerandi* significatu accipiendum esse intellexerunt.

28. תְּנָה־עָוֹן עַל־עֲוֹנָם *Da culpam super culpam eorum*, i. e. sinito eos accumulare peccata, ruendo ex uno in alterum, ut maturescant ad destinatas poenas, וְאַל־יָבֹאוּ בְּצִדְקָתֶךָ *nec veniant in justitiam tuam*, ne mereantur, ejus gratiae tuae, qua delinquentes absolvis poena, fieri participes.

29. *Deleantur ex libro viventium, et cum justis non scribantur*, ne sit locus eis in catalogo justorum tuorum. *Deleri* autem *e libro* s. catalogo *viventium*, idem esse, ac morti destinatum esse, et capitis damnatum, res ipsa docet. Cf. not. ad Exod. 32, 32. Jes. 4, 3. Ez. 13, 9.

30. יְשׁוּעָתְךָ תְשַׂגְּבֵנִי *Salus tua exaltet me*, h. e. in tuto collocet, tanquam in arce et propugnaculo, quod h. l. magis placet, quam ad honores elatio, ut carminis finis respondeat initio, quo petiit se de aquis et limo extrahi.

32. וְתִיטַב לַיהוָה מִשּׁוֹר *Et bonum erit*, i. e. *placebit*, scil. celebratio illa, תּוֹדָה (vid. ad 50, 14.) et שִׁיר Vs. 31., *prae bove*, פָּר מַקְרִין מַפְרִיס (מ) prae bove *juveni cornuto et ungulato*, qui scil. adducatur ei ad sacrificandum. Describitur bos vitulus aetate et robore integer, qualis ad victimam requirebatur. Sensus: carmina, quibus liberatus Jovam celebrabo, eique gratias agam, gratiora ei erunt quam victimae. Cf. omnino not. ad 50, 14.

33. *Videbunt* hoc *miseri*, *et laetabuntur*, *Dei reverentes*, *et reviviscet cor vestrum.* Subito orationem convertit ad ipsos pios afflictos. Cujusmodi subitae conversionis exemplum vid. 49, 19. Praeteritum רָאוּ poetice pro futuro: lactae spei plenus jam praesentes videt calamitosos, qui de hoc spectaculo opis a Jova sibi praestitae laetentur, et hoc recreati in miseriis reviviscant animis suis. דֹּרְשֵׁי אֱלֹהִים *Quaerentes Deum* scil. רָאוּ *videbunt*, quod e praecedentibus debet resumi. Ceterum cf. not. ad 14, 2. et 22, 27.

34. אֶבְיוֹנִים *pauperibus*, uti עֲנִיִּים *afflictis* Vs. 33., saepe in Psalmis Hebraei exilii miseriis oppressi designantur, vid. e. c.

Ps. 22, 25. 27. 34, 3. אֲסִירָיו *Vinctis suis* sc. Dei intelligendi qui sui sunt, vincti vero ab aliis.

Ps. 70.

Ἀποσπασμάτιον Psalmi 40., Vs. 14. sqq., ad hoc, uti videtur, destinatum, ut certis quibusdam temporibus aut occasionibus in templo inter sacra decantaretur. Neque enim credibile est, incuria illorum, qui hoc carminum syntagma colligerent, factum esse, ut haecce Psalmi quadragesimi particula hoc loco repeteretur.

Ps. 71.

Petit vates se liberari a magnis periculis, et subveniri sibi a Deo, a quo semper dependerit omnis spes et fiducia ipsius, a primis annis usque, et inseritur querela de contumeliis et insectationibus hostilibus. Contra has igitur invocat opem Dei, quam quum per omnem actatem suam expertus sit benignissimam; petit, ne subtrahatur etiam senescenti. Promittit autem laudes a se et gratiarum actionem, ut fere semper precibus vota conjungi tum consueverunt. Etsi Psalmus titulum nullum habet, qui auctorem vel tempus ejus indicaret, interpretes tamen plerique a Davide illum factum statuunt in seditione Absalonica, quae in senectutem ejus incidit, ut senex tum exularit, et major sexagenario. Nos malumus carmen iis annumerare, quae totius populi querelas et preces sub hominis afflicti et miseri persona continent. Id innuunt Pronomina suffixa primae Pluralis personae in Versu 20., ad quem vid. not. Nec obstat, quod qui hoc carmine loquens inducitur, *senem* sese dicit Vs. 9. 18. Nam sicut populo Hebraeo sua erat *pueritia*, cum ex Aegypto egressus populus fieri coeperit (vid. 121, 1. Jer. 2, 2. Ez. 23, 3. sqq. Hos. 2, 5. 17. 11, 1.); ita eidem illi malorum asperitate afflicto, omnique robore exhausto, *senectus* tribuitur Jes. 46, 4. Hos. 7, 9.

1. De verbis אַל־אֵבוֹשָׁה לְעוֹלָם vid. ad 31, 2.

3. הֱיֵה לִי לְצוּר מָעוֹן *Esto mihi in petram domicilii*, i. e. in qua tuto commorari et habitare possim. Chaldaeus convertit: *in rupem valde fortem*, ac si legisset לְצוּר מָעוּז, quomodo in loco parallelo 31, 3., et hoc ipso loco in codicibus bene multis scriptum reperitur. לָבוֹא תָּמִיד *Ad veniendum* scil. שָׁמָּה *illuc* (ut Deut. 30, 18.) *semper*, ad quam (arcem) semper possim confugere, et quae mihi pateat, quotiescunque necessitas id postulaverit. צִוִּיתָ לְהוֹשִׁיעֵנִי Qui saepius antehac *mandasti servare me*, qui praestitisti mihi jam toties opem tuam in rebus difficilibus meis. *Mandare salutem* est curare et perficere, ut praesto sit, vid. Ps. 44, 5. 68, 29. 133, 3. Alii Praeteritum pro Imperativo positum accipiunt, Syro auctore, qui transtulit: *praecipe ad servandum me*, s. *manda ut server.*

4. מִכַּף מְעַוֵּל וְחוֹמֵץ *E manu perverse agentis et oppressoris*, quod collective capiendum. Verbum חָמֵץ h. l. ut et Jes. 1, 17. significatione convenit cum similiter sonante חָמַס *vi et injuria oppressit.*

6. Verba מִמְּעֵי אִמִּי אַתָּה גּוֹזִי vulgo ita vertunt: *e visceribus matris meae tu eductor meus* fuisti, גּוֹז accipientes pro Participio verbi גּוּז *transire*, quod h. l. transitiva significatione sumi existimant, ut proprie sit *transire me faciens*, sc. novum hujus mundi colonum, ex matris meae utero. Anomalae autem Participii verbi mediae radicalis Vau formae (pro גָּזִי) simile exemplum afferunt גָּחִי, Ps. 22, 10., ubi not. cf. Sed vocabulum nostrum h. l. ad verbum גָּזָה est referendum, quod, ut Arabum גזי, *retribuit*, *pensavit* significat. Quare transferendum erit: *retributor meus*, i. e. qui beneficiis me cumulas, quemadmodum et verbum synonymum גָּמַל de *beneficiorum retributione* dicitur Ps. 13, 6. Quia verbum Arabicum etiam *sufficit* denotat, posset etiam verti: *ab utero inde matris meae tu sufficiens mihi fuisti*, i. e. te solo adjutore et benefactore contentus fui. Arabibus frequentissima formula: *sufficit Deus.* Forsan idem respexit Alexandrinus cum Vulgato: σκεπαστής, *protector meus*, et Syrus: *fiducia mea.* בְּךָ תְהִלָּתִי *De te laus mea;* ב de objecto, ut 1 Sam. 19, 3. *alloquar* בְּךָ *de te patrem meum;* et Ps. 69, 12. Sensus: quamdiu vixi, uberrimam semper laudandi te praebuisti mihi materiam, beneficia in me cumulando.

7. כְּמוֹפֵת הָיִיתִי לָרַבִּים *Quasi prodigium fui multis;* haesi in calamitatibus insolitis et tantis, ut portenti instar haberer a multis. וְאַתָּה מַחְסִי־עֹז *Tu vero refugium meum*, refugium *roboris*, i. e. robustum; repetendum est prius nomen absque affixo, nomenque posterius pro more vices gerit adjectivi. Vid. 25, 19. Alia exempla sunt Thr. 4, 17. *auxilium nostrum* auxilium *vanitatis*, i. e. vanum. Lev. 6, 3. *vestis ejus* vestis *lini*, i. e. lintea. Jes. 31, 7. *manus vestrae* manus *sceleris*, i. e. scelestae.

9. אַל־תַּשְׁלִיכֵנִי לְעֵת זִקְנָה *Ne projicias me tempore senectutis meae*, s. *in senecta mea*, quem a pueritia usque conservasti. כְּכִלּוֹת כֹּחִי *Secundum consummari robur meum*, i. e. cum consumtae sunt vires meae. כ ante Infinitivum nota temporis, ut notum.

10. כִּי־אָמְרוּ אוֹיְבַי לִי *Nam loquuntur inimici mei de me*, dicentes, ut Vs. 11. sequitur. לִי *de me*, vid. ad 41, 6.

15. כִּי לֹא יָדַעְתִּי סִפֹּרֹת *Non enim novi numerationes*, h. e. quotidie recensendo tua facta, non tamen destituar materia, quia summam eorum inire nequeo, innumera sunt tua beneficia. Nomen סִפֹּרֹת, quod hoc tantummodo loco reperitur, ejusdem cum מִסְפָּר (40, 13.) significationis esse sumitur.

16. אָבוֹא *Ingrediar* sc. aedem Jovae, laudes ibidem potentiae illius celebraturus. Sic Davides in simili discrimine consti-

tutus ingressu in templum Jovae tum se ipsum animare, tum Deo gratitudinem polliceri consuevit, veluti 5, 8. 66, 3. Atque verbum בּוֹא nude de ingressu in locum Deo sanctum manifeste ponitur 42, 3. — בִּגְבֻרוֹת אֲדֹנָי *Per fortitudinem Domini*, i. e. virtute Jovae adjutus, atque e tot angustiis ereptus. Eadem plane sententia, quae 5, 8. plenius exprimitur: וַאֲנִי בְּרֹב חַסְדְּךָ אָבוֹא בֵיתֶךָ. De Wette mallet in Commentar. tertium edito h. l. גְּבוּרָה *laudis* significatu capere, quomodo עֹז propr. *robur* haud raro usurpari constat, veluti Ps. 8, 3. 29. 1., ut locus ita sit interpretandus: *veniam* in templum *cum laudibus Domini*, quemadmodum 66, 13. dicitur: *veniam in tuam aedem cum holocaustis*. Verum ille nominis גְּבוּרָה usus haud poterit probari.

17. *Deus, docuisti me inde a juventute mea, et huc usque annuncio admiranda tua*, i. e. ita gubernasti a primis annis vitam meam, ut doceres me agnoscere et experiri potentiam et fidem tuam, quem ductum tuum nunc etiam celebro. Ductum illum vitae suae mirificum, quo per tot calamitates et miserias vita sua ducta et conservata fuerit, appellat *mirabilia Dei*, i. e. admirabilis consilii et potentiae Dei opus.

18. לְכָל־יָבוֹא pro לְכָל־אֲשֶׁר־יָבוֹא *Omni qui venturus est*, sc. in mundum hunc.

19. עַד־מָרוֹם *Usque in excelsum*, i. e. amplitudine sua omnem excedit numerum et mensuram; cf. 36, 6. 7. 57, 11.

20. אֲשֶׁר הִרְאִיתַנוּ צָרוֹת רַבּוֹת *Qui ostendisti* (vid. ad 50, 23.) *nobis*, i. e. sivisti nos experiri *calamitates et magnas et multas*. Pro suffixo pluralis numeri, ad populum referendi, et a Chaldaeo quoque expressi, Masorethae ad marginem legi praecipiunt cum suffixo singularis numeri הִרְאִיתַנִי, uti mox in eodem hoc Versu תְּחַיֵּינִי et תַּעֲלֵנִי pro תְּחַיֵּינוּ et תַּעֲלֵנוּ. Primae personae suffixa exprimunt quoque Graecus Alexandrinus, Vulgatus et Syrus. Nos vero haud dubitamus, illam suffixorum pluralium in singularia mutationem factam esse a criticis male sedulis, qui, quod in reliquo carmine unus tantum de se loquens inducitur, minus congruens existimarunt, ut hoc solo Versu plures loquantur. Nec perspexisse videntur, totum populum Hebraeum sub unius persona hoc Psalmo sisti, id quod poetam suffixis pluralibus hoc Versu innuere voluisse credibile est. תָּשׁוּב תְּחַיֵּינוּ *Reverteris vivos nos facies*, i. e. paene extinctos in lucem revocabis. Prius verbum adverbii vicem explet, ut 51, 4. 69, 18. וּמִתְּהֹמוֹת הָאָרֶץ תָּשׁוּב תַּעֲלֵנוּ *Et de abyssis terrae iterum adscendere nos facies*, ex profundissimis malis nos retractos evehes.

21. תָּרֵב גְּדֻלָּתִי *Auges magnitudinem meam*, amplificabis res meas. Sive: *ad dignitatem meam me iterum evehes*, nam de *dignitate* nomen illud usurpatur etiam 2 Sam. 7, 21. 23. 1 Chr. 17, 19. Esth. 1, 4. — וְתִסֹּב תְּנַחֲמֵנִי *Inverteris consolaberis me*,

i. e. versa vice me consolaberis. Iterum prius verbum adverbiascit, ut Vs. 20.

22. בִּכְלֵי־נֵבֶל אֲמִתְּךָ *Cum instrumento nablii* (organo musico, de quo vid. ad 33, 2.) *veritatem tuam*, fidem in praestitis iis quae mihi pollicitus es, se. *celebrabo*, אוֹדֶה, quod est repetendum.

24. גַּם — צִדְקָתְךָ *Etiam lingua mea quotidie meditabitur justitiam tuam*, i. e. etiam extra modos et fides (vid. Vs. 23.), simplicique oratione, praedicabo quotidie fidelem tuam defensionem et bonitatem. כִּי־בֹשׁוּ כִּי־חָפְרוּ vid. ad 34, 6.

Ps. 72.

Exorsus vates precibus ad Deum, velit populo suo regem constituere sapientem et justum, qui afflictos vindicet, oppressores vero proterat, et sub cujus administratione regnum laete floreat (Vs. 1—4.), transit ad describendum talem regem, qualem populo dari sperat, et vaticinatur de regni illius amplitudine, felicitate, et diuturnitate. Jam vero de nullo omnino regum eorum, qui unquam in Hebraeos regnarunt, magnifica illa exspectari potuerunt, quae vates sperat de eo rege, quem hoc carmine canit. Sed nonnisi regi illi, omni alio humano majori, quem e stirpe Davidica quondam exoriturum esse, Hebraei omni aetate sperabant, Messiae, convenit regni aeternitas (Vs. 5.), pax alta et perpetua dum hic mundus durabit (Vs. 7.), dominium in hunc terrarum orbem quam late patet (Vs. 8.), omnium regum et gentium veneratio (Vs. 9—11.), denique quod omnes gentes salutaribus ejus beneficiis fruentur eumque celebrabunt (Vs. 17.). Messiam hoc Psalmo cani, vidit et Chaldaeus paraphrastes, qui prima statim illius verba sic exposuit: *Deus sententias judiciorum tuorum regi Messiae dato.* Dictionem לִשְׁלֹמֹה vero, in fronte carminis, sic interpretatur: *per Salomonem dictus est prophetice.* Jarchi quoque ad Vs. 16. ait, veteres doctores verba, quae illic habentur, *de temporibus Messiae*, *imo totum Psalmum de rege Messia* explicare.

1. אֱלֹהִים מִשְׁפָּטֶיךָ לַמֶּלֶךְ תֵּן *Deus*, *judicia tua regi da*, i. e. fac, ut rex ad praecepta tua regnum administret. Alias *judicia Dei* dicuntur ea, quae Deus ipse exsequitur defendendo pios, puniendo impios, ut 36, 7. Quandoque tamen etiam ita dicuntur statuta a Deo promulgata, secundum quae ab hominibus aut statuendum aut agendum, ut vocabulo *legis* aequiparet, ut 119, 20. 30. 39. 52. 75. Bene Jarchi nostram dictionem explicavit *scientiam judiciorum*, s. jurium, *quae in Lege praecepisti.* Quae ipsa sententia verbis synonymis repetitur in hemistichio altero, in quo rex בֶּן־מֶלֶךְ *filius regis* appellatur, quemadmodum hodie in numis Turcicis Osmanorum imperator אַלְסֻלְטָאן בֶּן אַלְסֻלְטָאן *rex*, *regis filius* dicitur.

2. עֲנִיֶּיךָ *Afflicti tui*, pro עֲנִיֵּי עַמֶּךָ *miseri inter populum tuum.*

3. יִשְׂאוּ הָרִים שָׁלוֹם לָעָם *Proferent montes pacem populo*, i. e., translatione desumta a terrae foecunditate: quemadmodum terra producit fruges, ita montes *pacem;* ubique exstabunt copiae bonae rerumque omnium affluentiae monumenta. Similiter 85, 12. *veritas e terra progerminare* dicitur. *Montium* vero sicuti in magna regionis alicujus devastatione describenda mentio fieri solet, veluti Jes. 5, 25. sqq.; ita vicissim iidem ad describendam terrae felicitatem insignem adhibentur, ut Jes. 55, 12. Ps. 98, 8., utpote maxime conspicuae terrae partes. וּגְבָעוֹת בִּצְדָקָה *Et colles* scil. pacem proferent *cum justitia*, s. *propter justitiam. Justitia* et *pax* conjunguntur, ut causa et effectus; ubi iniquitas, omnia pessum eunt; contra, ubi justitia, ibi felicitas. Sensus: ubique regnabit felicitas; nam populus juste gubernabitur.

4. יִשְׁפֹּט עֲנִיֵּי־עָם *Judicabit afflictos populi*, i. e. eosdem vindicabit, vid. de verbo שָׁפַט ad 26, 1. יוֹשִׁיעַ לִבְנֵי־אֶבְיוֹן *Opem praestabit filiis egeni.* Redundat בְּנֵי, quomodo Coh. 10, 17. *filius nobilium* ponitur pro *nobili;* Ps. 18, 45. *filii peregrini* pro *peregrinis*, et locis pluribus *filii hominum* pro *hominibus.* וִידַכֵּא עוֹשֵׁק *Et conteret oppressorem*, violentos injuriarum auctores proteret.

5. יִירָאוּךָ עִם־שֶׁמֶשׁ וְלִפְנֵי יָרֵחַ *Venerabuntur te cum sole et coram luna*, i. e. quamdiu sol iste lucebit, et quoad substiterit luna; sive, dum sol et luna lucebunt, h. e. perpetuo. Cf. Vs. 7., ubi paullo aliter haec sententia exprimitur: *usque dum non sit luna.* Vid. et 89, 37. לִפְנֵי h. l. eodem modo est accipiendum, ut Gen. 11, 28. *mortuus est Haran* עַל־פְּנֵי *coram facie Tarah*, h. e. eodem superstite. Hinc et Alexandrinus Ps. 102, 29. pro לְפָנֶיךָ *coram te* (Deo) posuit: *εἰς αἰῶνας.* Et nostro loco statim sequitur expositio: דּוֹר דּוֹרִים *generatio generationum* sc. venerabuntur te, per cunctas generationes, sive per continuam seriem annorum celebrabunt felix tuum et gloriosum regnum homines.

6. יֵרֵד כְּמָטָר עַל־גֵּז *Descendet quasi pluvia super detonsum* sc. gramen vel pratum, quae bene Kimchi sic explicavit: *hic rex in bonum ac salutem populo suo veniet instar pluviae, quae super herbam resectam cadit, eamque recrescere facit.* A גָּזַז *totondit* nomen גֵּז significare *pratum detonsum*, patet ex Am. 7, 1. *herba serotina succreverat* אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ *post foenisecia regis.* Imago vero prati detonsi perquam apta est; nam inter medios calores aestatis, ubi tonsa fuerint prata, etiam ipsae radices arescerent, nisi sequeretur pluvia. Quia גֵּז Job. 31, 20. de *vellere gregis* dicitur, Alexandrinus et nostro loco *πόκον*, *vellus*, reddidit, quod mirum est placere potuisse nostrae aetatis quibusdam interpretibus, qui ad historiam velleris Gideonis Jud. 6, 37. respici existimarunt. כִּרְבִיבִים זַרְזִיף אָרֶץ *Sicut guttae irrigationis terrae.* זַרְזִיף,

hoc tantummodo loco occurrens, recte explicant ex Arabico זרף *manavit*, et Syriaco זריפתא *pluvia*, *imber* vehemens, *nimbus*. Consentiunt veteres. Alexandrinus: στάζουσαι ἐπὶ τὴν γὴν, Vulgatus: *stillantia super terram*, Chaldaeus: sicut guttae *pluviae serotinae*, *quae destillant super terram*. Syrus: *quasi guttae*, *quae descendunt in terram*.

7. שָׁלוֹם — יִפְרַח *Florebit in diebus suis justus et multitudo pacis*, probis tum bene erit, florebunt tempore regni ejus, florebunt pax et tranquillitas in terris et maxima quidem, durabitque עַד־בְּלִי יָרֵחַ *usque dum non luna*, dum luna esse desinat, usque ad finem mundi, perpetuo. Cf. Vs. 5.

8. *Et dominabitur ab uno mari usque ad alterum, a fluvio usque ad limites terrae.* Verba מַיִם עַד־יָם *a mari ad mare*, hoc sibi volunt: tam longe lateque, quam quousque maribus et aquis concluditur terra, s. orbis terrarum; cf. Am. 8, 12. *errabunt a mari ad mare; a septentrione ad orientem usque.* Sunt quidem ex hodiernis interpretibus plures, qui ob mentionem *fluminis*, i. e. Euphratis (vid. Gen. 15, 18. 31, 21.), in altero hemistichio haec de Palaestinensis terrae limitibus intelligenda existiment, a mari rubro usque ad Syriacum, quod Philisthaeum et mare magnum vocant, et ab Euphrate usque ad solitudinem magnam, inter Palaestinam et Aegyptum. Hi autem sunt limites terrae Israeliticae, illi quidem a meridie ad occasum, hi vero a Septentrione usque ad Orientem, Gen. 15, 18. Sed hoc loco vix dubium est, *fluvio* s. Euphrate indicari extremum orbis terrarum limitem orientem versus. Profecto in magnifica, qualem hoc carmen continet, regis super reliquos omnes elati (vid. Vs. 9. sqq.) descriptione, nihil jejunius cogitari potest et tenuius finitione limitum Palaestinae, intra quos magni illius regis imperium sit inclusum. Praeterea terrae Hebraeorum limites multo angustiores finiuntur Ex. 23, 31. *a mari Suph*, i. e. sinu Arabico, *ad mare Philisthaeum* (mediterraneum), *et a deserto usque ad fluvium* (Euphratem). Cf. Deut. 11, 24. et vid. not. ad Ps. 2, 8.

9. לְפָנָיו יִכְרְעוּ צִיִּים *Coram eo incurvabunt se* venerabundi *barbari*. A nomine צִיָּה *siccitas* (63, 2.), *regio sicca et torrida*, *desertum*, צִיִּים videntur esse qui deserta loca, vastas et ignoratas terras, incolunt, barbari, qui significatus tam huic loco, quam 74, 14. aptissimus videtur. Hinc de animalibus dictum Jes. 13, 21. 34, 14. Jerem. 50, 39. feras sylvestres et deserticolas significat. וְאֹיְבָיו עָפָר יְלַחֵכוּ *Et hostes ejus lingent pulverem*, in veneratione coram ipso procidentes osculabuntur terram, more ab antiquissimis inde temporibus apud Asiaticos populos recepto, ut procidentes coram rege humum feriant.

10. מַלְכֵי — יָשִׁיבוּ *Reges Tarschisch et regionum transmarinarum munera ferent.* תַּרְשִׁישׁ quam demumcunque regionem significet, hoc tamen loco synecdochice regiones remotissimas

easdemque ditissimas in genere indicare, res ipsa docet. אִיִּים, quod proprie in universum *regiones* denotat (vid. not. ad Gen. 10, 5.), h. l. *oras remotissimas* significat, ut אִיֵּי הַיָּם Jes. 11, 11., ubi not. vid. יָשִׁיבוּ *Reddent*, s. repetent, quod Kimchi non male interpretatur: vice post vicem, s. constanter adferent. *Reges* namque *tributarii* respici videntur, qui singulis annis dona sua *repetere* coguntur. De rege tributario verbum hoc ipsum cum מִנְחָה junctum usurpatur 2 Reg. 17, 3. coll. Vs. 4. מַלְכֵי שְׁבָא וגו׳ *Reges Schabae et Sabae dona adferent.* סְבָא interioris Africae videtur regio esse, vid. not. ad Gen. 10, 6.; שְׁבָא vero Arabiae felicis regio, vid. ad Gen. 10, 28., et *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 33. 160. 174. Nomen אֶשְׁכָּר, quod praeter h. l. semel tantummodo, Ez. 27, 15., occurrit, *donum* significare, docet contextus et membrorum parallelismus tam hoc, quam Ezechielis loco. Explicandum est ex Arabum שכר *gratias egit, laudibus celebravit ob beneficia accepta; mercede aut praemio donavit.* Unde אֶשְׁכָּר proprie notare videtur *εὐχαριστήριον*, *munus, quod gratitudinis testandi causa ab aliquo offertur;* tum in universum quodvis munus.

12. כִּי־יַצִּיל אֶבְיוֹן מְשַׁוַּע וְעָנִי וְאֵין־עֹזֵר לוֹ *Quia liberabit egenum clamantem et inopem, et cui non est adjutor.* Non tam justum et lene imperium, quo suum ipsius populum rex ille moderatur, quam potius aequitas et clementia, qua erga alios populos utitur, describi videtur. Non permittet, ut exiles nationes a potentioribus, minores a majoribus proterantur et subjugentur. Pro מְשַׁוַּע sunt qui legendum praecipiant מְשׁוֹעַ. Sed quamvis Alexandrinus *ἀπὸ δυνάστου*, et Syrus *ab eo, qui fortior eo* habeat, eosque Vulgata et Hieronymi interpretatio sequatur; magis tamen ex loco parallelo Job. 29, 12. dijudicanda est enunciatio. Quin nec parallelismus וְאֵין עֹזֵר לוֹ id vult, et durissime *dives*, s. *nobilis*, שׁוֹעַ, pro *tyranno* poneretur.

14. מִתּוֹךְ וּמֵחָמָס יִגְאַל נַפְשָׁם *Ex oppressione et violentia redimet animam eorum*, a vi improborum vindicabit eos, nihil accidere eis patietur. De תּוֹךְ vid. ad 10, 7. וְיִקַּר דָּמָם בְּעֵינָיו *Et pretiosus erit sanguis eorum in oculis ejus*, in magno pretio habebit vitam horum, neque feret, ut eorum sanguine quisquam impune se polluat. Non sinet illos temere occidi, et effusum ipsorum sanguinem severe ulciscetur. Eadem loquendi formula 116, 15. 1 Sam. 26, 21. 2 Reg. 1, 14.

15. תָּמִיד — וְיִחִי *Et vivet* ille, quem rex tuetur, prospere et ab omni metu securus: cives, quorum salutem atque vitam sua benevolentia, praesidio, custodiaque talis rex tegit, vitam prosperam agent: *et dabit ei de auro Sabae*, tributi aut gratitudinis causa, *atque orabit pro ipso perpetuo;* pro regis sui incolumitate preces ad Deum fundent, ipsique optima quaeque precabuntur. Sunt, qui illud וְיִחִי de *rege* accipiant, cetera vero verba hujus

Versus impersonaliter sumant, hoc modo: vivet rex ille aetatem longam, beneque ei erit; et donabitur ei aurum Sabae, et preces votaque pro salute ejus fient sedulo. Nostra tamen interpretandi ratio, qua וְיִחִי ad אֲבִיוֹן illum refertur, de quo Versu 12. 13. in Singulari, commendatur eo, quod reliqua indubitato ad cives sunt referenda.

16. יְהִי פִּסַּת־בַּר בָּאָרֶץ *Erit abundantia frumenti in hac terra.* Plerique quidem, quod Chaldaeus interpres 1 Reg. 18, 44. pro Hebraeo כְּכַף אִישׁ *quasi vola viri*, posuit כְּפִסַּת יַד, quod proprie sonat, *quasi particula manus* (vid. et Dan. 5, 24.); nostrum פִּסַּת־בַּר interpretantur *portiunculam frumenti*, quantum quis vola manus suae vel pugillo potest comprehendere. Unde, subaudita sub Versus initio particula conditionalis אִם, verborum illorum cum iis quae proxime sequuntur: בְּרֹאשׁ הָרִים יִרְעַשׁ בַּלְּבָנוֹן פִּרְיוֹ, hunc faciunt sensum: *si fuerit pugillum frumenti in terra*, imo *in vertice montium* (ineptiore alioquin ad sationem loco); *fructus* tamen *istius* frumenti exigui terrae commissi adeo prodibit copiosus, ut *contremiscat* strepitumque edat *ad instar Libani*, arboribus vento motis late sonum dantis. Alii nominis פִּסָּה significationem eandem existimant cum פִּסְיוֹן *diffusio*, *ubertas*, a פָּסָא, quod Chaldaeis pariter ut Arabibus פשא, *expandit*, *diffudit se*, denotat. Quod ipsum Syrus haud dubie respexit, qui *multitudinem frumenti* transtulit. Qua quidem adoptata interpretatione nihil erit extrinsecus arcessendum, ut in priore illa. Nec obstat Dagesch forte literae ס impositum, quod innuit, nomen a radice secundae geminatae פָּסַס derivari. Quis enim nescit, verba tertiae radicalis א aut ה et geminatae secundae, quae communes habent duas primas radicales, et communes habere significationes, exempla vid. in Gesenii *Lehrg.* p. 455. Chaldaeis פִּסָּא est *panis*, quo significatu tributo Hebraeo פִּסָּה verti posset: *erit*, futurum est, *ut panis tritici sit in terra*, quem ipsum sensum Chaldaeus exhibuit: *fulcimentum panis in terra;* q. d. tantum abest, ut cibi penuria sub talis principis regno unquam sit timenda, ut potius panis triticeus in terra nunquam sit defuturus. Verbum יְהִי tum vel absolute erit accipiendum, *futurum est*, ut etc; vel יְהִי פִּסַּת־בַּר generis est enallage, non adeo rara apud Hebraeos. Sed elegantior est *abundantia frumenti*, quam *panis tritici* mentio, et sensu superiore adscito reliqua hujus Versus facile procedent: *in cacumine montium commovendo strepet fructus ejus* (tritici) *sicut Libanus*, h. e. tanta erit terrae fertilitas atque tritici copia, ut montium etiam cacumina maximam prolatura sint messem; in eam frumentum excrescet altitudinem, ut agitati vento culmi hujus resonent ac perstrepant, perinde atque Libanus ventis concutitur, tum enim cedri et arbores ejus strepunt. וְיָצִיצוּ מֵעִיר כְּעֵשֶׂב הָאָרֶץ *Et efflorebunt ex urbe* (s. collective, *ex urbibus*) *sicut herba terrae*, crescet et augescet soboles populi in civitatibus sicut gramina

campi. Fertilitati fructuum terrae commode subnectitur foecunditas etiam hominum; ut hoc Versu vates praedicat, principe novo regnante, et fertilitatem agrorum fore magnam, et populum ipsum foecunditate auctum iri, q. d. florebit terrae frumento et viris. Sic scribitur 1 Reg. 4, 20., quod Salomonis tempore *Juda et Israel fuerit tanquam arena maris, edentes, et bibentes et laetantes*, quibus et multitudo hominum et omnium rerum copia a proventu bono significatur. Verbum צִיץ *emicare, promicare*, et de plantis aut herbis dicitur, quae *emicant*, quando, ex suo semine enatae et pullulantes, cum grato nitore ex terra prodeunt (cf. Num. 17, 8. 23.), et ad hominum foecunditatem et prosperos successus etiam Jes. 27, 6. adhibetur. In nomine מֵעִיר vero latet omissus verbi antecedentis Nominativus; q. d. *ex civitatibus* singulis cives *efflorescent*, fere ut Ps. 68, 27. *de fonte Israelis* dicuntur ii, qui ex Israele suam habent originem.

17. לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ *In conspectu solis*, i. e. quamdiu sol lucebit, coll. Vs. 5. et 89, 37. יִנּוֹן שְׁמוֹ *Sobolescet nomen ejus*, i. e. propagabitur, quamdiu sol est duraturus: continua erit regni successio in posteris ejus. Neque sensu differt lectio textualis, יִנִּין, Hiphil, pro Niphal. Verbum נוּן, quod hoc tantummodo loco occurrit, ex nomine נִין (Gen. 21, 23. Job. 18, 19. Jes. 14, 22.) est explicandum: illud vero quum locis memoratis manifeste *sobolis* habeat significationem, et a Chaldaicis etiam interpretibus constanter בַּר *filius*, reddatur, satis certe sumi potest, נוּן *sobolem procreare* denotare. Memorabile est, quod Chaldaeus transtulit: *et antequam esset sol, praeparatum erat nomen ejus.* Jam vero, quum Chaldaeus suo זְמַן haud raro utatur pro Hebraeo כּוּן (vid. e. c. Exod. 19, 15. 34, 2.), conjectura est nequaquam improbanda, interpretem illum in suo codice יְכוֹן legisse, praesertim quum hoc ipsum in uno codice (quem numero 879. signavit, et antiquum bonaeque notae esse asserit) a prima manu deprehenderit DE ROSSI. Accedit, quod Alexandrinus *διαμενεῖ* h. l. habet, neque secus Vulgatus et Hieronymus, qui sic transtulit: *perseverabit nomen ejus;* quamvis hunc sensum etiam habere potest lectio יִנּוֹן — וְיִתְבָּרְכוּ בוֹ *Et beatos se praedicabunt in eo*, i. e. exemplo erit et formula quasi faustae precationis apud omnes populos; quoties volent sibi vel aliis bene precari, sument illud nomen: benefieus sit tibi Deus et liberalis, quemadmodum se erga regem illum praestitit. Quod clarius explicat, dum subdit: כָּל־גּוֹיִם יְאַשְּׁרוּהוּ *omnes populi felicem praedicabunt eum.* Dictio כל־גוים accentuatio quidem cohaeret cum יאשרוהו, sensu tamen respicit simul verbum, quod praecedit, ויתברכו.

18. Versu 17. desinit carmen. Hic vero cum 19. continet *δοξολογίαν*, qualis est addita sub finem libri primi hujus carminum sylloges, Ps. 41, 14., ubi not. vid.

20. Vid. Prolegomm. p. 8.

Ps. 73.

Argumentum Psalmi idem prorsus est, quod Pss. 37. 39. et 49. Hortatur vates, ne invideamus rebus secundis et prosperis impiorum, neque ex praesenti eorum statu aut conditione judicemus, sed ut exitum exspectemus, in quo justitia Dei cum in puniendis impiis, tum in servandis et tuendis piis sese clare ostendet.

Hic et qui proxime sequuntur decem Psalmi *Asapho* adscribuntur; de quibus vid. Prolegg. p. 5. Et sane genus dicendi obscurius et sublimius, quod in hisce carminibus regnat, alium, quam Davidem, arguit auctorem; illius enim oratio planior esse solet.

1. Particulam אַךְ complures interpretes *profecto* transferunt, ut 62, 2. (ubi itidem Psalmum inchoat); ego tamen adstipulor iis, qui adversative illam accipiunt pro *veruntamen*. Apparet enim ex Vs. 2., poetam aliquantisper addubitasse, num Deus rerum humanarum procurationem suscipiat, et, essetne aliquod propositum praemium cultui Dei, quandoquidem improbis omnia prospere succedebant, boni vero multis aerumnis adflictabantur. Hinc ita hoc carmen inchoat, ut manifestum sit, eum veluti emergere ex profunda aliqua meditatione, in qua mens ejus inter minus pias cogitationes jactata, aliquamdiu aestuaverat, donec tandem meliores animi sensus praevaluerant, ut in haec verba eruperit: *Veruntamen benignus est Deus et propitius Israelitis suis, quicquid eis accidat; modo colant eum corde recto et sincero.*

2. וַאֲנִי כִּמְעַט נָטוּ רַגְלָי *Me vero quod attinet, paene declinarunt pedes mei*, a recti verique judicii linea. Literae נטוי, quae in textu scriptae sunt, referunt Participium Paul (נָטוּי), *inclinatus*, quod distributive positum: *uterque pedum meorum nutans*. Sed lectio marginalis exhibet tertiam Pluralis Praeteriti *Cal*, quod multo est commodius. כְּאַיִן שָׁפְכוּ אֲשֻׁרָי *Quasi nihilum*, i. e. nihil fere abfuit, quin *effusi fuissent gressus mei;* figura, qua respicitur ad loca lubrica, aquis perfusa, ubi facile effluunt quoque vel eliduntur gressus. Iterum lectionis varietas, ita ut tam tertia Singularis feminina, שָׁפְכָה, quam tertia Pluralis Pyhal legi possit. Similis lectionis varietas in eodem verbo reperitur Deut. 21, 7. Sensus: parum abfuit, quin in cogitationes impias incidissem, atque a veritate ac fide erga Deum defecissem.

3. כִּי קִנֵּאתִי בַּהוֹלְלִים *Nam invidebam insanis*, vid. 37, 1., et de voce הוֹלֵל ad Ps. 5, 6. — שְׁלוֹם רְשָׁעִים אֶרְאֶה Cum *pacem impiorum intuerer*, quando videbam pacata esse impiis omnia, fortuna optima illos uti.

4. כִּי אֵין חַרְצֻבוֹת לְמוֹתָם *Nam non sunt contorsiones usque ad mori ipsos*, i. e. non premuntur communibus aliorum hominum miseriis, per totam vitam ipsorum. חרצבות, quod praeter h. l. tantummodo Jes. 58, 6. occurrit, *constrictiones* propric significat, et *vinculorum* notionem flagitat locus Jesajae, quomodo et veteres

omnes ibi interpretantur. Nostro loco bene Jarchi *terrores* et *dolores* exposuit. לְמוֹתָם *usque ad mortem eorum;* ita praefixum ל usurpatur etiam Jes. 7, 15. לָדַעְתּוֹ *usque ad agnoscere eum reprobare malum* etc. Paullo aliter, neque tamen male, Chaldaeus: *non terrentur aut conturbantur propter diem mortis.* וּבָרִיא אוּלָם *Et pingue* s. saginatum *est corpus eorum*, corporibus manent ad mortem usque firmis et valentibus. Nomen אוּל Aben-Esra ejusdem monuit esse significationis cum אֵילוּת Ps. 22, 20. et אַיִל *robur*, *fortitudo*, 88, 5. Quam ipsam notionem spectasse videtur Chaldaeus, dum *cor eorum* transtulit, quod de vi vitali haud dubie intelligendum. Commodius tamen nostrum אוּל explicatur ex Arab. אול, אאל, אל *corpus.*

5. בַּעֲמַל אֱנוֹשׁ אֵינָמוֹ *In labore*, s. molestia *hominis non sunt illi*, non exercentur miseriis et calamitatibus sicut ceteri homines. וְעִם־אָדָם לֹא יְנֻגָּעוּ *Et cum hominibus* ceteris *non percutiuntur*, s. affliguntur, quae aliis immittuntur ipsos non attingunt.

6. *Ideo cinxit eos*, torquis instar (quem nomen עָנָק significat Prov. 1, 9. Cant. 4, 9.), *elatio*, *obtegit amictum violentia* s. insolentia *eis;* sicut torques collum, sicut vestis corpus, ita superbiae elatio et insolentia habet totos involutos illos, totos illos occupat.

7. יָצָא מֵחֵלֶב עֵינֵמוֹ *Prodit prae adipe oculus eorum* uterque (hanc enim distributionem exigit differentia numeri, quum nomen sit duale, verbum autem, quod praecessit, singulare; alia exempla vid. Gen. 49, 22. Ex. 17, 12.), i. e. turget prae obesitate vultus eorum; prae nimia felicitate turgent. Ita Job. 15, 27. is, qui antehac vitam lascivam et voluptatibus deditam egit, dicitur *texisse faciem suam adipe suo.* עֵינַיִם h. l. per synecdochen ponuntur pro פָּנִים *vultu*, vel pro *facie* et figura tota; huic oppositum עַיִן דָּאֲבָה *oculus*, facies, *contabuit*, Ps. 88, 10. Haud male Lutherus: *ihre Person brüstet sich.* Offenderunt aliqui in eo, quod nomen עֵינַיִם cum verbo masculini generis, יָצָא, conjungitur. Sed notum est, עַיִן non minus quam יָד et זְרוֹעַ generis esse communis. Alexandrinus pro עינמו posuit ἡ ἀδικία αὐτῶν, *iniquitas eorum*, ut Vulgatus transtulit. Neque aliter Syrus: *perversitas eorum.* Videntur hi עַוְלָתָמוֹ suis in codicibus legisse, quod praeplacuit Schnurrero, qui in *Dissertatt.* p. 154. verba nostra sic interpretatur: *prodit ex corde iniquitas eorum;* nam חֵלֶב h. l. *praecordia* existimat significare, ut Ps. 17, 10. (vid. p. 106.). Vidimus tamen, et vulgata lectione usitataque nominis חֵלֶב notione retenta, sensum oriri sat facilem, et perquam commodum. Quicquid est, describuntur homines bene saginati omni copia atque rerum affluentia, qui simul fastu turgent et insolentia, quod significat, dum addit: עָבְרוּ מַשְׂכִּיּוֹת לֵבָב *transgrediuntur cogitationibus cordis* sc. omnes recti et acqui fines, omnem modum excedunt, audacissima quaeque et insolentissima in animo moliuntur. Significatur

idem h. l. hominum genus, quod 101, 5. Prov. 21, 4. גְּבַהּ־עֵינַיִם וּרְחַב לֵבָב vocatur.

8. יָמִיקוּ *Subsannant*, coll. Chaldaico Syriacoque מַיֵּק *irridere*. Petulantia sua omnibus illudunt; omnes ludibrio suo laedunt. וְיַדַּבְּרוּ בְרָע עֹשֶׁק *Loquuntur in malitia*, i. e. malevole *oppressionem*, meras injurias. Cf. Jes. 59, 13. *loquuti sumus* עֹשֶׁק *et rebellionem.* מִמָּרוֹם יְדַבֵּרוּ *Ex alto loquuntur*, sermones eorum sunt elati, inflati, contumeliosi in alios. Cf. Ps. 56, 3.

9. Verba שַׁתּוּ בַשָּׁמַיִם פִּיהֶם quidam sic interpretantur: *ponunt in coelis os suum*, i. e. irrefragabilem sibi arrogant auctoritatem, ac si Dei instar de coelo loquerentur. Cui interpretationi favet quidem usus s. constructio verbi שׁוּת s. שָׂתַת cum sequente ב, ut Ps. 12, 6. 13, 3. 88, 7., atque analogia praecedentis in Vs. 8. *ex alto loquuntur.* Sed ob alterum hujus Versus hemistichium magis placet eorum ratio, qui, praefixo ב ante שמים pro *contra* accepto (ut Gen. 16, 12. Prov. 7, 23. Ps. 17, 7., ubi cf. not.), sic transferunt: *os suum contra coelum ponunt*, i. e. coelum petit maledicentia oris ipsorum. וּלְשׁוֹנָם תִּהֲלַךְ בָּאָרֶץ *Et lingua eorum ambulat per terram* ad proscindendos alios, in terris grassantur contumeliis et insectationibus, linguis suis. Verbum הָלַךְ h. l. per synecdochen generis pro specie dicitur pro *grassari*, depopulandi causa proficisci, ut Prov. 6, 11. 24, 34. Ita integri versiculi sensus erit hic: nemini parcunt maledicendo, neque coelo, neque terra, neque Deo, neque hominibus.

10. לָכֵן *Propterea*, quod tam prospere huic hominum generi omnia succedunt, יָשׁוּב עַמּוֹ *revertitur populus ejus*, quod complures sic intelligunt: asseclae et turba clientum illorum improborum, ut affixum ad unumquemque illorum sit referendum, qualem nominis et pronominis in numero disparitatem habuimus Ps. 5, 10. 17, 12. 63, 11. Rectius vero illi facere videntur, qui suffixum nominis עַם ad *Deum* referant; populum enim Dei et pios indicari, sequentia convincunt. Hinc sensus erit, etiam pios Jovae cultores vehementer hac impiorum felicitate offendi, adeo ut deserto Deo ad malos hos declinent. הֵלֹם *huc*, ad haec illorum studia et mores, ut recte Jarchi explicat. וּמֵי מָלֵא *Et aquae pleni* subaudi *calicis*, vel *rivi*. Adjectiva enim et participia persaepe includunt omissum substantivum, atque ita vim quasi substantivam accipiunt, ut יָמִין *dexter*, pro *dextero latere* (Ex. 29, 22.), מֵת *mortuus*, sc. homo (Gen. 23, 3.), צָפוּן *reconditus*, sc. thesaurus (Ps. 17, 14.). Potest etiam dici, Adjectivum poni neutraliter, vel pro abstracto: *aquae plenitudinis*, i. e. largae. *Aquarum* sive *potus* figura Hebraei tam in malam, quam in bonam partem utuntur. Hic vero quum tota orationis series in prosperitate impiorum versetur, et mox Vs. 11. sqq. subjiciantur verba eorum, qui sese illis aggregarint; מֵי מָלֵא h. l. in bonam partem accipiendum est, pro rerum omnium affluentia. Verba יִמְצְאוּ לָמוֹ plerique transferunt, *reperiuntur iis*, i. e.

ab hacce turba, impiis felicibus adhaerescente, percipiuntur aquae largae, ימצו refcrentes ad מָצָא *invenit*, ita ut א tanquam ה sit abjecta, quomodo hoc ipsum verbum Num. 11, 11. defective exstat: מָצָתִי *inveni*, et facta formarum alternatione הִמְצִיתִיךָ *tradidi te*, 2 Sam. 3, 8. (cf. וַיִּרְפָּאוּ pro וַיֵּרָפְאוּ *et sanati sunt*, 2 Reg. 2, 22.); adeoque sicut Deut. 21, 17. dicitur: *ex omni, quod* לוֹ יִמָּצֵא *reperitur ei*, i. e. quod ipse habet; 1 Chr. 28, 9. *si quaesiveris eum*, (Dominum) יִמָּצֵא לָךְ *invenietur a te;* ita et hic simili cum ל scquente constructione dicitur: *aquae largae reperiuntur ab iis.* Ad מצא retulit nostrum ימצו Alexandrinus etiam, cum Vulgato, nisi quod ille מֵי pro יְמֵי accepit, unde talis prodiit translatio: *dies pleni invenientur in iis.* Sed praeferendum videtur, ימצו referre ad מָצָה, communem cum מָצַץ *exsugere* significationem habentem (cf. quae ad 72, 16. de פָּסַס notavimus), ut vertatur: *aquae plena* pocula *exsuguntur iis.*

11. *Et dicunt: quomodo sciret Deus? et* quomodo *existeret scientia in Altissimo?* Non dubitant perturbati illi, qui impiorum turbae sesc aggregant, in hujus sententiae voces erumpere: an putatis Deum de coelo respicere ad ea, quae in terra fiunt? et horum quidquam nosse aut intelligere, multo magis gubernare aut his affici?

12. הִנֵּה — עוֹלָם *Ecce! illi impii! et tranquilli* s. *felices seculi*, i. e. aspicite, isti sunt homines impii: et tamen videtis his omnia continenter succedere ex animi sententia, et tranquille beateque eos viverc. שַׁלְוֵי עוֹלָם aliqui reddunt *tranquillos* s. *felices mundi*, ut significentur *felicissimi*, solet enim superlativus haud raro ita exprimi per adjectivum cum substantivo vel loci vel personarum, in quo, vel supra quas aliquis eminet, constructum, vid. ad 35, 20. not. Sed quum nomen עולם significatione *mundi* apud seriores tantummodo Hebraeos reperiatur; praestat, illud h. l. de *perennitate* accipere. Nomine שַׁלְוָ *tranquillus*, désignatur hujusmodi homo, qui in bona securaque pace omnigenis fruitur opibus, neminem habens, quem magnopere cxtimesceret, sibi adversantem, quomodo dc se id usurpat vocabulum Jobus, pristinam describens prosperitatcm Job. 16, 12., item de prosperitate loquens impii 21, 23. הַשְׂגוּ־חָיִל *Qui augent opes.* De חַיִל vid. ad 33, 16.

13. Praemittunt huic Versui Alexandr. et Vulgat.: *et dixi*, s. dixi itaque et ego in illa mea perturbatione. אַךְ־רִיק זִכִּיתִי לִבָּבִי *Profecto frustrà mundavi cor meum*, frustra operam dedi, ut conscientiam ab omni scelere aut dclicto intemeratam retinerem, quum interca pressus fuerim penuria, nec ad opes, ad exemplum aliorum, emergerc potuerim. Cf. Prov. 20, 9. וְאֶרְחַץ בְּנִקָּיוֹן כַּפָּי *Et lavi in innocentia manus meas*, ab omni scclerc immaculatas eas servavi. Vid. ad Ps. 26, 6.

14. וָאֱהִי נָגוּעַ כָּל־הַיּוֹם *Et tamen sum percussus omni die*, variis aerumnis, tum corpori, tum animo varios gravesque dolores

ac ignominiam concitantibus. Opponit vates fortunam suam adversam prosperitati impiorum (Vs. 5.). וְתוֹכַחְתִּי לַבְּקָרִים *Et castigatio mea ad matutina singula*, sc. adest, vel mihi infertur. Pluralis בְּקָרִים cum praefixo ל distributive accipiendus, ut Job. 7, 18. Ps. 101, 8. Jes. 33, 2. Adeoque sensus est: singulis diebus, una cum luce, venit mihi nova calamitas, qua castigor.

15. אִם־אָמַרְתִּי *Si dixero*, i. e. si cogitarem, vel proponerem mihi; ita namque verbum אָמַר tam de *λόγῳ προφορικῷ*, quam *ἐνδιαθέτῳ* usurpari solet, ut 14, 1. 39, 2. אֲסַפְּרָה *Narrabo*, i. e. pronunciabo, vel, similes agitabo sermones. Respicit hac voce ad Vs. 11., ubi de his, qui impiorum turbae se adsociarunt: *dixerunt: quomodo cognosceret Deus?* כְּמוֹ aliqui nude transferunt *sic*, Alexandrinum sequuti, qui οὕτως posuit. Sed multo convenientius Chaldaeus Syrusque reddiderunt *sicut illi*, ut illud מוֹ non sit syllaba expletiva, sed affixum poeticum pro הֶם, ut Vs. 5. 6.; quomodo tamen כְּמוֹ pronunciandum erit. הִנֵּה דוֹר בָּנֶיךָ בָגַדְתִּי *En! in generationem filiorum tuorum*, in familiam tuam, adversus pios tui cultores *perfidus fuissem*, i. e. prodita piorum causa, quam teneor defendere, impiorum causam adjuvassem, dum scilicet affirmassem, pietatis studium esse inutile. De בָּגַד vid. ad 25, 3. Ante nomen דּוֹר subaud. praefixum ב. Alexandrinus pro בגדתי posuit ἠσυνθέτησα, et Vulgatus *reprobavi*, i. e. hoc tantumdem erit, ac si ab eis, qui te colunt, defecerim et discesserim, cum illi aliud credant, nempe te curare res humanas, omnia scire, justis et piis hominibus pro benefactis digna praemia reddere.

16. *Et cogitabam ad sciendum hoc, labor* s. molestia *erat in oculis meis*, i. e. in animum induxi, accuratius eam quaestionem investigare, ut quid in ea re caussae sit intelligerem, id vero meo judicio maximus labor videbatur, et difficillimum opus, rem tantam evolvere et invenire posse. בְּעֵינַי *In oculis meis*, h. e. ita apparebat menti meae; *oculum* pro judicio, ut Ps. 15, 4. Prov. 3, 7. 12, 15.

17. *Donec Dei sanctuarium ingrediebar, atque ad eorum exitum attendebam.* Fingit vates se hujus quaestionis declarationem a Deo ipso petiisse, a quo edoctus fuerit, non praesentia esse spectanda, sed novissima et extrema hujusmodi hominum, qui, quum impii sint, beati videntur; nam facies hujus felicitatis arridet et speciosa videtur, at vero extrema pars foedissime desinit. Pluralis מִקְדָּשִׁים etiam 68, 36. de sanctuario Zionio s. tabernaculo sacro usurpatur. Aliis מקדשים sunt h. l. sacra et arcana Dei consilia; usu vocis perquam dubio.

18. *Profecto in lubricis* locis *ponis eos, cadere eos facis in loca fallacia*, q. d. vere enim, sicut animadverto, collocas eos in lubrico, ut inde eos praecipites in interitum: initia felicitatis eorum laevia et blanda ponis, ut specie illa decepti et lubricum iter aggressi, postremo ruant et in praeceps cant. Cf. 35, 6. Nomen

מַשּׁוּאָה ad verbum נָשָׁא *decepit*, referendum esse, arguit Dagesch in litera שׁ. Quare videntur h. l. talia significari loca, quibus *decipiatur* viator, ut ex improviso praeceps datus misere pereat, qualia sunt praecipitia, aut occultae cavernae et voragines, quae sub terra longa vetustate in altum cavatae jacent. Olim vero codices exstitisse, in quibus מַשּׂוֹאוֹת (cum *Sin*) scriptum esset, a verbo נָשָׂא *extulit*, *in altum sustulit*, colligi potest tam ex Alexandrina translatione, in qua verba nostra sic reddita sunt: *κατέβαλες αὐτοὺς ἐν τῷ ἐπαρθῆναι dejecisti eos, dum allevarentur*, ut Vulgatus transtulit, quam ex Syriaca interpretatione: *et dejicies eos, dum elevabuntur.* Sensus profecto ita aptus, ut dubitari possit, utra lectio sit praeferenda.

19. Admiratur novum et inopinatum impiorum illorum casum, et subitam incertae felicitatis commutationem: אֵיךְ הָיוּ לְשַׁמָּה כִּרְגָע *Quomodo fuerunt in desolationem subito!* quam subito, quaeso, inversa est omnis prior prosperitas! *Esse in desolationem* est misere vastari, adeoque ipsam quasi desolationem esse, ut Jer. 25, 37. 44, 12. Syrus: *quomodo fuerunt in stuporem subito!* Scilicet שַׁמָּה non raro et *stuporem* et *rem stupendam* notat (ut Jer. 8, 21. 5, 30. 19, 8.). סָפוּ תַמּוּ מִן־בַּלָּהוֹת *Consumuntur, desinunt ex improviso;* etenim nomen בַּלָּהָה non tantum *terrorem* denotat, unde et h. l. vulgo *prae terroribus* transferunt; verum etiam *casum improvisum*, malum imprudentem derepente opprimens. Qua ipsa *mali improvisi* significatione et Job. 27, 19. occurrit. *Terroris* notio secundaria videtur.

20. כַּחֲלוֹם *Sicut somnium* est prosperitas illorum; similis exstat imago Jes. 29, 7. מֵהָקִיץ *Ab evigilando*, s. postquam aliquis evigilaverit, quomodo particula מִן et 1 Chr. 8, 8. usurpatur: מִן שִׁלְּחוֹ *post ejicere suum eas*, postquam eas ejecisset. Verba אֲדֹנָי בָּעִיר צַלְמָם תִּבְזֶה plurimi ita transferunt: *Domine, in civitate imaginem eorum spernes*, quod hoc modo explicant: palam, inter cives suos, contemtos illos reddes. Alii בָּעִיר pro בְּהָעִיר *in excitando*, accipiunt (quemadmodum verba הָקִיץ et הָעִיר etiam Ps. 35, 23. conjunguntur), ut hic prodeat sensus: *sicut somnium post evigilationem* evanescit, ita, *o Domine, in excitando* s. te excitante ipsos atque exagitante, *imaginem illorum contemtim abolebis.* Ita ad בָּעִיר pronomen affixum ex צַלְמָם erit subaudiendum. Quum voc. עִיר etiam de *aestu* et *fervore irae* dicatur, locus noster non incommode ita quoque posset explicari: *Domine, in fervore*, s. quando ira tua effervescet, *imaginem eorum spernes*, vel potius, ad proprietatem verbi בָּזָה *ignominiose tractabis;* splendidam illam felicitatis et gloriae speciem, qua superbiunt, ipsis detrahes, mera ignominia cumulandis. Eodem modo Chaldaeus: *in ira imaginem eorum spernes.* Nescio tamen, annon *excitandi* notio dictioni בָּעִיר tributa praesenti loco magis congruat, ut hoc dicat: cum excitas eos e tranquillitatis suae dulci somno.

צֶלֶם *imaginem*, apte nuncupat imaginariam hominum istorum felicitatem, quam proxime antea somniorum visis comparaverat.

21. כִּי יִתְחַמֵּץ לִבָּבִי *Nam*, priusquam a Deo edoctus haec rectius cognoscerem (Vs. 17.), *exasperabatur cor meum.* Verbi חָמַץ conjugatio Hithpael nusquam alias occurrit, in *Cal* tamen est *fermentari*, ut Ex. 12, 34., nam nomen חָמֵץ est *fermentum*, et חֹמֶץ *acetum;* adeoque sensus erit: *cor meum veluti acri fermento sese inficiebat*, s. *exacerbabatur*, ita ut intumesceret ac perturbaretur motibus importunissimis, dum indignationi illi propter impios indulgeret (Vs. 3.), eorumque successus aegerrimo ferret animo, praesertim innocentiae suae valde metuens ne fuerit frustranea (Vs. 13.), insimulque quotidianas plagas persentiscens (Vs. 14.) Lutherus olim non male: *mein Herz ist durchbittert.* Convenit verbum illud hebracum cum Graeco παροξύνεσθαι, quomodo de Paulo Actor. 17, 16. scribitur: παρωξύνετο τὸ πνεῦμα αὐτοῦ: et sic in Chaldaica paraphrasi חַמֵּץ *fermentare*, saepe est *acerbitatem, dolorem, tristitiam afferre*, ut Prov. 10, 1. מְחַמֵּץ παροξύνων *matrem suam;* 25, 1. *cum te* יַחְמִיץ *exacerbaverit socius tuus;* 28, 7. *qui pascit comessatores,* מְחַמֵּץ παροξύνει *patrem suum.* וּכְלָיוֹתַי אֶשְׁתּוֹנָן *Et in renibus* (subaud. ב) *meis exacui memetipsum*, h. e. acutos mihimetipsi dolores concitavi iis ipsis nimirum curiosis meis disceptationibus ac invidiosa inquietudine. De כְּלָיוֹת vid. 7, 10. 16, 7. 26, 2. Verbi שָׁנַן *exacuit*, conjugatio Hithp. nonnisi hic exstat, et pro ratione verbi antecedentis *exacerbavit se*, recte de doloris pungentis concitatione exponitur.

22. וַאֲנִי *Tunc ego*, litera ו est quasi ἀποδοτική, vel respiciens ad כִּי *cum*, et reddenda *tunc*, ut 39, 12. 45, 12. בַּעַר *Brutus* vel *stupidus* eram, ineptus meis cogitationibus indulgens. Ps. 49, 11. et 92, 7. בַּעַר et כְּסִיל conjunguntur. וְלֹא אֵדָע *Neque intelligebam* rem quaesitam (Vs. 16.), quod tuum sit in hoc fortunae impiorum moderamine consilium. בְּהֵמוֹת הָיִיתִי עִמָּךְ Instar *bestiarum fui tecum*, s. coram te, ut recte Chaldaeus: *reputatus sum apud te*, cf. particulae עִם similem usum 1 Sam. 2, 26. Ps. 18, 20. Ante בהמות similitudinis particula est subaudienda.

23. וַאֲנִי תָמִיד עִמָּךְ *Ego tamen semper tecum* mansi, utut paene a te deflexissem, tamen constanter servatus sum pius tui cultor, nam tu אָחַזְתָּ בְיַד יְמִינִי *apprehendisti dexteram meam* nutantem, meque adjuvisti et sustentasti, ne a te deficerem. Praefixum ב inservit constructioni verbi, facitque in Latino Accusativum, ut 1 Reg. 1, 51. *apprehendit* בְּקַרְנוֹת *cornua altaris;* item Coh. 7, 20. Jud. 16, 3. 2 Sam. 6, 6. Nomen יָמִין, quod tam adjective, quam substantive occurrit, affixum solet accipere, si construitur cum יד *manus*, quum illud alias substantivo apponi soleat; sic Jer. 22, 24. Ps. 121, 5. Ez. 39, 3. Gen. 48, 17.

24. בַּעֲצָתְךָ תַנְחֵנִי *Pro tuo consilio duces me*, tu duces et diriges me etiam deinceps consilio tuo, וְאַחַר כָּבוֹד תִּקָּחֵנִי *et*

postea, s. *postremo*, *cum gloria me suscipies*, tandem ad decus et gloriam perduces me. De לָקַח cf. 49, 16. כָּבוֹד pro בְּכָבוֹד *gloriose*, vel *splendide*, quomodo plene cum ב exstat 112, 9. coll. 149, 5. Vel subaudiri potest לְ, ut designetur terminus ad quem: *suscipis me et evehis ad gloriam;* quemadmodum Prov. 15, 33. 18, 12. dicitur: *ante* כָּבוֹד *gloriam afflictio.*

25. מִי־לִי בַשָּׁמָיִם *Quis mihi in coelis?* ad quae, sensus explendi causa, ex altero hemistichio haec trahunt: עִמְּךָ חָפַצְתִּי, hoc sensu: *quis mihi in coelis*, quo *delectarer mecum?* i. e. quem tibi, meis deliciis, associarem? Fundunt tamen verba illa sola jam per se satis aptam sententiam, si לִי transferamus *pro me*, quomodo accipiendum est etiam 56, 10. 118, 6. 124, 1. 2. Atque sic sensus emerget hic: *quis pro me in coelis?* quemnam in coelis meum dicam opitulatorem? וְעִמְּךָ לֹא־חָפַצְתִּי בָאָרֶץ *Et aeque ac te non diligo* quicquam *in terra.* Particula עִם h. l. vim associantem et exaequantem habet, ut Coh. 2, 16. *nulla est recordatio sapientis* עִם *cum stulto*, i. e. aeque oblivione tegitur sapiens ac stultus. Cap. 7, 11. *bona est sapientia* עִם *cum hereditate*, i. e. aeque bona est, atque lauta quaedam hereditas. Vid. et Job. 9, 26. Integri versiculi sententia itaque huc redit: tu solus es, quo nitor, tu solus voluptas mea; nihil in coelo et terra tibi praefero.

26. Amoris sui sinceritatem constantiamque testaturus vates, ponit casum extremae miseriae, ubi et *caro* et *cor* deficiunt et absumuntur. Subaudienda est sub Versus hujus initio particula conditionalis אִם, ut Ps. 40, 6. 46, 7. 72, 16. — *Si consumta fuerit caro mea et cor meum*, *petra cordis mei et portio mea Deus in sempiternum*, tu tamen es recreatio et corroboratio cordis mei, haec mihi hereditas est, ut te habeam et peculium gratiae tuae et beneficiorum tuorum.

27. *Nam ecce*, *longinqui tui*, qui a te deficiunt, *pereunt; tu perdis omnem scortantem a te*, i. e. universos, qui, te relicto, Deos alienos prosequuntur et colunt, et violata fide tua, cum iis quasi scortantur. רְחֵקֶיךָ pro רְחֵקִים מִמְּךָ *qui longe discedunt a te.* De verbo צָמַת vid. 18, 41. Verbum זָנָה duplicem h. l. includit significationem, unam *scortandi*, alteram *deserendi*, s. *deficiendi*, quam notionem particula מִן in מִמְּךָ spectat, cujusmodi constructionis praegnantis exempla plura habuimus, ut 18, 46. 44, 4.

28. וַאֲנִי — טוֹב *Sed me quod attinet*, *propinquitas Dei mihi bonum*, optimum mihi maximeque salutare judico, ut Deo me adjungam, et ab ipso pendeam. *Accessus* vel *propinquitas Dei* opponitur illis, qui illo relicto Deos alienos colunt (Vs. 27.). שַׁתִּי בַאדֹנָי יְהוָֹה מַחֲסִי *Pono refugium meum in Domino Jova*, eum agnosco pro unico meo refugio, quod nimirum spem facit, tutum fore, quem receperit. Cf. 14, 6. 62, 8. — לְסַפֵּר כָּל־מַלְאֲכוֹתֶיךָ *Ad enarrandum universa opera tua*, ut conservatus ab ipso celebrare possim facinora gloriosissima bonitatis et providentiae ipsius.

Est hic personarum enallage, saepius jam observata, veluti 54, 7. 67, 2. 3. Bene transtulit Alexandrinus: τοῦ ἐξαγγεῖλαι πᾶσας τὰς αἰνέσεις σου. *Opera Dei* per metonymiam pro *laudibus operum ejus* dictum vidit.

Ps. 74.

Preces reipublicae Judaicae afflictissimae, cum miserabili querela, qua exponuntur mala, quibus oppressa jaceat, in his ardentissime invocat opem Dei, freta potentia, quam ante ea tempora, et ab antiquo exhibuit populo suo, et quam fabrica hujus universi, ejusdemque gubernatio ostendit; itemque freta affectione erga hunc ipsius populum, et foedere eo, quod fecit cum patribus ipsorum. Haec omnia quasi revocando ei in memoriam, et indignitatem rei, tam nefandorum facinorum, quam insanae insolentiae hostium, ob oculos ponendo, ita nihil omittit omnium, quae impetrare misericordiam Dei possint.

Hoc carmen diserte queritur de profanatione et direptione templi, et urbis vastatione, quorum utrumque factum est Antiochi Epiphanis tempore, cui tempori etiam conveniunt Versus 4. et 9. Ad Antiochicum tempus tamen non congrit inflammati templi mentio, Vs. 7. Hinc fuerunt, qui ad vastitatem a Chaldaeis terrae illatam Psalmum referrent. Cui sententiae repugnat potissimum Versus *nonus*, ubi queruntur, se nullos amplius habere prophetas, qui doceant, quando finis futurus sit hujus miseriae. Chaldaicum autem excidium, qui praediceret, habuerunt Jeremiam, in cujus Prophetiae Cap. 25, 11. diserte de septuaginta annorum captivitate docetur. Antiochicis vero temporibus non habuerunt prophetas, qui praedicerent de hujus calamitatis duratione. Cf. et not. ad Vs. 2. Ad Antiochi Epiphanis furorem nostrum carmen jam Chaldaicus interpres retulit; vid. not. ad Vs. 22. Etsi vero et incensi templi mentio, et aliae causae, quae in Prolegomenis p. 7. sq. expositae sunt, obstare videntur, quo minus omnino Psalmos Maccabaicis temporibus huic libro inscrtos esse statuamus; nolui tamen in explicatione hujus carminis notare omittere, quae ad Antiochicam tyrannidem referri possint. Ceterum sponte intelligitur, Asaphum, qui in carminis inscriptione nominatur, Davidicum illum cantorem esse non posse, sed longe recentiorem aliquem, forsan tamen ex hac ipsa familia oriundum, significari.

1. לָמָּה זָנַחְתָּ *Quare indignaris?* Ita enim verbum זָנַח potius interpretandum esse, quam *rejecisti*, vidimus ad 60, 3. Eodem modo dicitur Thren. 3, 31. Ps. 77, 8. 89, 39. לָנֶצַח *In sempiternum?* tam diu? Ita namque נֶצַח a נָצַח *vicit, superavit*, sumi de longinquo et diu permanente tempore alias diuturnitates veluti superante, cognoscitur ex Ps. 9, 7. 49, 19. Vel possit *prorsus, omnino*, ut infra 79, 5. 89, 47. denotare. יֶעְשַׁן אַפְּךָ בְּצֹאן מַרְעִיתֶךָ Quare *fumat ira tua contra gregem pascui tui?* contra

populum, quem instar pastoris adhuc curasti et defendisti? Eodem nomine populus Israeliticus insignitur etiam 100, 3. 95, 7. 79, 13. Verbum עָשַׁן de ira, quae comparatur cum igne, circa interiora hominis praecordia succenso, magnumque proinde fumum per nares spirante, dicitur etiam Deut. 29, 20. Ps. 80, 5.

2. זְכֹר עֲדָתְךָ *Recordare coetus tui*, opere ipso palam demonstra, te populi tui non esse oblitum, quomodo adhuc nobis visum fuit te curam nostri prorsus abjecisse. קָנִיתָ Quam *acquisivisti*, peculiari redemtione, dum ex Aegypto illam educeres, in deserto aleres certisque legibus instrueres, in terram promissam introduceres, adeoque reliquis nationibus omnibus separares. Cf. Ex. 15, 16. Deut. 32, 6. קֶדֶם *Olim;* nomen hebraeum adverbiaseit. גָּאַלְתָּ שֵׁבֶט נַחֲלָתֶךָ Quam congregationem *redemisti* in *virgam hereditatis tuae*, ut esset tibi veluti peculium hereditarium, quodque aeque tibi curae est, ac homini portio hereditaria. Nomen שֵׁבֶט, quod proprie *baculum* notat, e stipite enatum, tum per metonymiam et *sceptrum*, et *virgam mensoriam*, h. l. ponitur pro *portione*, per virgam mensoriam vel decempedam dimensa, inque portionem possessionis alicui data; quo ipso nomine Israeliticus populus etiam vocatur Jer. 10, 16. 51, 19. Cf. Deut. 32, 9. — הַר־צִיּוֹן זֶה שָׁכַנְתָּ בּוֹ *Montis Zion* (sc. זכר *recordare*), *illius in quo habitasti*, quem delegisti sedem tibi ad incolendum. Pron. demonstr. זֶה, ut et זוּ, non raro vices gerit relativi אשר, vel illud saltem includit, ut Job. 19, 19. וְזֶה *et ille* quem *dilexi*, *inversus est contra me.* Vid. et Ps. 31, 5. 32, 8. Est vero haec Zionii mentio argumentum, non esse Psalmum interpretandum de tempore incensi a Chaldaeis templi, quum hoc tempore Psalmi, ex hoc loco, salvum adhuc fuisse videatur. Salvo autem templo Zionio persequutiones maximae populi fuere Antiochico tempore. Etsi autem montem tantum Zionium nominat, clausula tamen carminis ostendit, non fuisse tempore hujus prorsus abductum populum, sed aliquem adhuc ejus statum fuisse.

3. הָרִימָה פְעָמֶיךָ לְמַשּׁאוֹת נֶצַח *Eleva gressus tuos ad ruinas seculi*, recognitionem institue, instar regis, devastatum ab hoste arcem suam lustrantis deque ejusdem instauratione solliciti. Non vero simpliciter dicit: *gressus tuos dirige*, sed *exalta*, ut ostendat, celerem alacremque expeti accessum, ubi non lente adrepitur, sed magnis pergitur passibus, omniumque oculi in hunc convertuntur festinanter adventantem. *Ad ruinas seculi*, h. e. ad loca, annos quam plurimos in vastitate sua derelicta atque horrida. Pro מַשּׁאוֹת in Lexicis, quae inspexi, omnibus scriptum exstat מַשּׂאוֹת (cum *Schin*) et non diversum esse dicitur a מַשּׁוּאוֹת Ps. 73, 18., ubi cf. not. Recte vero in editione, qua nos utimur, a Jos. Athia curata (*Biblia Sacra correcta et collata cum antiquissimis et accuratissimis exemplaribus manuscriptis et hactenus impressis, Amstelodami, typis et sumtibus Josephi Athiae*, anno

1661. 8.) scribitur לְמַשֵּׁאוֹת, ut nomen referendum sit ad verbum נָשָׂא, significatione *auferendi*, s. *abolendi*, quomodo de arbore radicitus evellenda hoc ipsum verbum usurpatur Ez. 17, 9. *Tollere* aliquid pro *sublatum dejicere et prosternere*, aliis quoque linguis usitatum. Ita Graecis ἀναστῆναι significat tam *erigere*, quam *evertere*, *subvertere*. לַמַּשֵּׁאוֹת jam legit in suo codice Alexandrinus, qui ἐπὶ ὑπερηφανίας αὐτῶν posuit, *in superbias eorum*, ut Vulgatus transtulit. Neque aliter Syrus, quamvis hic sensum plane alienum expresserit: *eleva servos tuos super illos, qui efferuntur super eos in robore.* Plerique transferunt *vastitates*, ac si מַשְּׁאוֹת sive מְשֹׁאוֹת (cum *Schin*, et sine *Dagesch*) scriptum esset, a verbo שָׁאָה. Alii haec verba de excidendis hostibus accipiunt, hoc modo: malis illos afficias numquam finiendis. Quem sensum Chaldaeus haud dubie spectavit: *attolle gressus tuos ad humiliandum* s. *ad devastandum nationes in perpetuum.* Verum quum in tota orationis serie vates in mera versetur miseriae descriptione, non imprecatione, praeferenda videtur prior illa sententia, ita ut precetur Dei accessum ad loca sua sancta adeo diu *devastationem passa.* Quare et Aben-Esra לְ exponit *propter* ruinas, in sanctuario tuo conspicuas. כָּל־הֵרַע אוֹיֵב בַּקֹּדֶשׁ *Omne malefecit hostis in sancto*, h. e. nihil reliquerunt in locis sanctis tuis violenti illi hostes integrum aut inviolatum. כֹּל *omne*, s. *totam universitatem*, quicquid modo ad sacrum pertinet cultum. הֵרַע *malefecit*, h. e. integritate ac ornatu suo privavit; verbum הֵרִיעַ significat *damnum alicui inferre*, ut Ps. 44, 3. — בַּקֹּדֶשׁ *In sancto*, h. e. in loco sancto, in templo, vid. 63, 3. 150, 1. Dan. 9, 26.

4. שָׁאֲגוּ צוֹרְרֶיךָ בְּקֶרֶב מוֹעֲדֶךָ *Rugierunt adversarii tui in medio conventuum tuorum*, h. e. quae loca cultui tuo et conventibus sacris consecrata sunt, in quibus antea accinebantur laudes tuae, in iis mediis exauditi sunt rugitus et clamores barbari irruentium hostium tuorum. Nomen מוֹעֵד (a יָעַד *indixit* certum tempus atque locum) accipitur alias tum de personis congregatis vel coctibus, ut Jes. 15, 4., tum de tempore certo, ubi convenitur, ut sunt dies festi solennes atque annui (Ez. 46, 9. 11. Zach. 8, 19. Lev. 23, 2.); hic vero de loco conventuum sacrorum dici docet res ipsa. שָׂמוּ אוֹתֹתָם אוֹתֹת *Posuerunt signa ipsorum in signa*, h. e. cultus Jovani, in conventibus sacris celebrari consueti, ritibus abolitis, introduxerunt cultus alieni sacra et ritus. *Signa hostium* haud pauci interpretantur *signa militaria* (quo significatu nomen אוֹת Num. 2, 2. dicitur), siquidem manu armata irruperunt in sacra aedificia hostes, signa ducum suorum sequentes. Sed Vs. 9. אוֹתוֹת manifeste de *signis* s. *insignibus religionis* dicitur, et hoc ipso loco membrorum parallelismus vocem illam eadem notione accipiendam esse innuit; praecesserat enim *concionum sacrarum* mentio. Ita et circumcisio vocatur אוֹת, *signum* foederis Gen. 17, 4., item Sabbathum *signum* Deum inter et populum Israeliticum Ex. 31,

13. 17. Ex. 20, 12. 20. Quae hoc Versu et iis qui sequuntur leguntur, referri possunt ad insaniam illam, qua Antiochus Epiphanes in Judaeos eorumque sacra saeviit. Is enim anno 145. Scleucidarum secunda vice Hierosolymorum urbem ingressus, Sabbatho cum militibus per templum urbemque vagatus, non solum magnam multitudinis lanienam fecit urbemque diripuit et incendit; verum etiam sub poena supplicii *sacra* summo numini *fieri*, *filios circumcidi*, *sabbatha et festa celebrari*, legemque Mosaicam observari vetuit; contra ea idolis in suscitatis per totam Judaeam aris sacra facere jussit. Quid? quod ab Aegyptiaca expeditione redux Jovis Olympii statuam templi altari imponi jussit, ipsique templo Jovis Olympii fani nomen dedit. Vid. 1 Maec. 1, 30—67. 2 Macc. 5, 24—27. 6, 1—7. Josephi *Archaeolog.* Lib. XII. Cap. 7.

5. Pergit ad descriptionem devastationis templi. יִוָּדַע *Cognoscitur*; tertia Passivi persona vel ponitur impersonaliter, ut Gen. 41, 21. Ex. 21, 36. 33, 16.; vel referri potest ad צוֹרְרֶיךָ (Vs. 4.) *adversariorum tuorum* unusquisque, aut ad אוֹיֵב Vs. 3. — כְּמֵבִיא וגו׳ *Sicut adducens desuper in perplexa ligni secures*, ita quoque cognoscitur vel conspicitur hostis sanctuaria tua devastans. Trajecta quodammodo videtur constructio, quae tamen facile hoc modo ordinari potest. Significatur, hostes, deposita omni reverentia, loca sacra non aliter tractasse, quam silvam vel loca spinosa purgaturi, quibus inducuntur secures ad paranda inde ligna caduca. Eadem similitudo Jer. 46, 22. 23. *cum exercitu purgent*, *cum securibus venient ad eam*, *tanquam caesores lignorum succident silvam ejus.* Particula לְמַעְלָה *desuper*, vel *valde*, *vehementer*, ut 2 Chr. 1, 1. 16, 12. 20, 19., indicantur graves securium ictus, qui ex alto repetiti infliguntur. Connectendum est hoc adverbium cum participio כְּמֵבִיא, *sicut adducens vehementer.* בְּסְבָךְ־עֵץ *In perplexitatem ligni*, h. e. in ligna perplexa, ubi dumeta vel arbusta adeo arcte innexa sibi sunt, ut separari citra ictus alte petitos nequeant. De densitate dumeti vox סְבָךְ propria est, vid. Gen. 22, 13. Jes. 10, 34. 9, 17. Et alia forma סֹבֶךְ Jer. 4, 7., item סָבֹךְ, quod est h. l.

6. פִּתּוּחֶיהָ *Sculpturas ejus*, h. e. lapides ac ligna affabre exsculpta, variisque figuris exornata. Ita namque hoc ipsum פתוחים usurpatur de *sculptura* lapidis Zach. 3, 9., annuli Ex. 28, 11. 21. 36. 39, 6. 14. 30., et tabularum parietes tegentium, quomodo 1 Reg. 6, 29. Salomo parietes templi sculpsit פְּתוּחֵי *caelaturis sculpturarum* Cherubim et palmarum, et caelaturis florum etc. Affixum femininum הָ referendum est ad vocem subaudiendam *structura templi*; quemadmodum saepius pronomen ad nomen diserte non expressum pertinet. Vid. ad 39, 7. Alexandrinus et Vulgatus τὰς θύρας αὐτῆς, *januas ejus*, reddiderunt, quod nostrum nomen cum פִּתּוּחֶיהָ confuderunt. יַחַד *Una* omnes, Vs. 8. Ps. 14, 3. 41, 8. בַּבַּשִּׁיל *Securi*, πελέκει, ut Alexandrinus reddit. Nomine hoc, quod

nonnisi hic reperitur, haud dubie tale indicatur instrumentum, quo aliquid impetitur, ut corruat, a verbo כָּשַׁל *corruit*, *lapsus fuit*. כִּילַפּוֹת Alexandrinus interpretatur λαξευτήρια, *instrumenta*, *quibus lapides caeduntur*, exque hoc Vulgatus *ascia*, Hieronymus *dolatoria*, Chaldaeus *asciâ duorum laterum*, i. e. utrinque scindente, bipenni; Syrus: *lignes*, *bipennes*, qui huic loco optime videntur congruere. יַהֲלֹמוּן *Contundunt* s. *comminuunt*, ut tollant omnem aedium sacrarum reverentiam, una cum ornatu hoc modo pessundato. Verbi הָלַם quae demumcunque significatio propria sit, quae ignota est, hoc certum, locis, quibus illud occurrit, longe plerisque, praesertim Jud. 5, 26. Jes. 41, 7., *contundendi percutiendique* significationem fere unice aptam esse, quae et veterum interpretum auctoritate confirmatur. Ceterum hisce, quae vates hic queritur, bene congruit descriptio vastitatis templo Hierosolymitano ab Antiocho Epiphane illatae, 1 Macc. 1, 22. 39. Neque enim thesauros solum et vasa sacra diripuit, verum etiam τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ, καὶ ἐλέπισε πάντα (*desquamavit omnia*).

7. שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ מִקְדָּשֶׁךָ *Miserunt in ignem sanctuarium tuum*, h. e. ignem sanctuario tuo immiserunt. Eadem emphatica loquendi formula, qua urbs tanquam in igne mersa sistitur, est Jud. 1, 8. וְאֶת־הָעִיר שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ *urbi ignem immiserunt*. Quodsi ad Antiochica tempora huc spectent, non tam penitus concrematum fuisse templum, quam ambustum tantum incendio, hyperbolè poetica, significari videtur. Certe ex 1 Macc. 1, 31. et 4, 38. colligitur, flammas quidem injectas fuisse urbi Antiochi jussu, non vero totam deletam illam esse. Et Josephus *Archaeolog.* L. 12. cap. 7. diserte dicit, *pulcherrima* tantummodo *urbis aedificia* illum *incendisse* (ἐνέπρησε δ' αὐτῆς τὰ κάλλιστα). לָאָרֶץ חִלְּלוּ מִשְׁכַּן שְׁמֶךָ *Ad terram usque profanarunt habitationem nominis tui*, i. e. ad extremum, vel infimum usque profanationis gradum dejecerunt cultus tui domicilium, quemadmodum opposita phrasis est: *in coelum elevare*. Sic Ps. 89, 40. *profanasti in terram usque diadema ejus*. Nam in terram conjicimus, cum ea, qua alii magnificiunt, profanare est animus. Cf. 1 Macc. 2, 12.

8. אָמְרוּ בִלְבָבָם *Dixerunt in corde suo*, cogitarunt et sibi proposuerunt, in animo suo, ut 10, 6. 14, 1. נִינָם (i. q. נִינֵהוּ אוֹתָם) *Opprimemus*, vel: *agite*, *opprimamus eos*, universam tum terrae, tum incolis, tam sanctuariis, quam eorundem cultoribus, inducemus ruinam, quod ipsum sequens vocula יַחַד *una*, vel *pariter*, *ex aequo*, intendere videtur. Vocem נִינָם Alexandrinus cumque eo Vulgatus, atque Chaldaeus, nec non Hieronymus, pro nomine נִין *soboles*, *prosapia* (cf. ad 72, 17.), cum affixo habuerunt (ἡ συγγένεια αὐτῶν, *cognatio eorum*), בְּנֵיהֶם *posteri eorum*. Quod tamen sensum minime commodum parit. Nam si vertas: *dixit totum eorum genus unanimiter* (possit enim collectivum נִין cum verbo plurali אמרו junctum esse), non sequi debuisset, quod in

Hebraeo legimus: *combusserunt omnes synagogas Dei*, sed aliquod dictum hostium. Si vero illa verba hostium esse sumas, hortantium sese ad gentem totam exscindendam, hostes hoc dixerint: *soboles eorum simul* s. *una;* sensus prodibit aut nullus, aut certe perquam jejunus. Quod quum bene intellexisset Alexandrinus, fecit hemistichium hujus Versus alterum enunciatum hostium, repugnante tamen textu Hebraeo. Recte vero interpretes ex Hebraeis plerique nostrum נִינָם monuerunt referendum esse ad verbum יָנָה *oppressit, afflixit;* inde prima futuri Cal נִינֶה *affligemus*, cum affixo (ם־), נִינָם, posito Camez loco Zere, ut saepius, veluti in וַנְּיָרֻם *et jaculis conficiemus illos*, Num. 21, 30.; et in יְשִׂימֵם *ponet eos.* Veterum omnium optime Syrus: *perdamus eos universos!* Sensu cum nostro loco convenit Ps. 83, 5. Consultationem statim sequitur exequutio: שָׂרְפוּ כָל־מוֹעֲדֵי־אֵל בָּאָרֶץ *combusserunt omnia loca conventuum Dei in terra*, quod bene Aquila reddidit: *πάσας συναγωγάς*, *festa* enim interpretari (quae dictio illa nonnunquam significat, vid. ad Vs. 4.) vix licet ob praecedens verbum שרפו. Reliqui tamen veteres omnes de *festis* vocabulum acceperunt, aliud verbum, festis aptum substituentes, veluti Alexandrinus *καταπαύσωμεν* (pro quo tamen *κατακαύσωμεν* legendum esse, conjecit Hieronymus in Epistola ad Suniam), exque illo Vulgatus: *quiescere faciamus.* Fuerunt, qui *templum* Hierosolymitanum nomine מועדי־אל signari existimarent. Verum si etiam concedamus, templum מועדי־אל *loca conventus Dei* dici, quamvis incongrui aliquid est in eo, quod Pluralis numerus de uno templo usurpetur, neque loco ullo alio haec sententia firmari potest; praemissum tamen vocabulum כל et additum בארץ prorsus vetat, de *templo* cogitare, contra manifeste jubet, *omnes συναγωγάς Dei in terra* Judae et Israelis intelligere, quae jam per se simplicissima est interpretatio. Quam ipsam tamen nonnulli impugnant hoc maxime argumento, quod ante Babylonici exilii tempora nullae exstiterint synagogae; quare alia conventus sacri non loca solum, sed et aedificia intelligenda existimant, ut sacella in locis, ubi Deus olim adparuerat, aut et scholas prophetarum. Quae objectio ultro evanescit, si carmen nostrum Maccabaicis temporibus factum sit, quod sumimus. Leve enim est, quod huic sententiae Michaelis opposuit: *Maccabaeorum tempore factum Psalmum nemo dixerit, memor in ipso Maccabaeorum libro Psalmum* 79. *citari.* Quibus verbis respexit locum 1 Macc. 7, 17. Qui vero inde consequatur, non potuisse hoc carmen Maccabaicis temporibus factum esse, ego quidem non video (cf. Argument. Ps. 79.). Insunt sane V. T. libris, quos vocant, canonicis plura loca, quae hisce demum temporibus sunt consignata, quorum exemplum satis luculentum habemus in Dan. 7. 8. 9. Synagogas vero, quamvis earum ne in Maccabaeorum quidem libris ulla exstet mentio, repetendas tamen esse ex ipso exilio Babylonico, satis verisimile fecit Vitringa l. c. Cap. 12. p. 423.

9. אֹתֹתֵינוּ לֹא־רָאִינוּ *Signa nostra non vidimus*, cultus nostri insignia, ceremoniae, vel solennitates nostrae sacrae, sacrificia, suffitus, circumcisio, abrogata sunt Quod enim aliqui אוֹתוֹת h. l. de mirandis facinoribus accipiunt, qualia olim contra hostes edidit Jova, jam non edantur; id non congruit cum Versu 4., ubi inter signa populi Israelitici abrogata, inque eorum locum signa hostium substituta manifesta est oppositio. Illustrationem vero harum querelarum historia Maccabaeorum liber suppeditabit, ubi de interdictis circumcisionis, festorum, librorum sacrorum lectionis, ceremoniarumque aliarum signis satis multa exstant. Vid. etiam ad Vs. 4. אֵין עוֹד נָבִיא *Nullus amplius Propheta*, a quo de futuro eventu aut modo rerum gerendarum edoceremur. Quod vix de aliis temporibus dici potuit, nisi de Antiochicis. Opponunt aliqui loca Thren. 2, 9. et Ez. 7, 26., ut probent, eadem de exilii Babylonici temporibus queri aliquem potuisse. Sed utroque loco de eo tantummodo queritur uterque vates, quod nulli prophetae amplius visio ulla contingat; minime vero, quod nullus plane exstet propheta. וְלֹא־אִתָּנוּ יוֹדֵעַ עַד־מָה *Nec est apud nos qui sciat quousque*, s. quamdiu duratura sit haec calamitas. Sunt, qui עַד־מָה transferant *quicquam*, ut querantur, destitui se viris sapientibus, quemadmodum comminatus fuerat Jesajas 3, 2. sqq. *auferet* Deus *judicem*, *et prophetam*, *et divinantem*, *et senem*, *et principem*. Ita particulâ עַד removebitur a sciente etiam מָה *quicquam*, vel minima rerum illarum, unde *scientes* vel eruditi alias denominari solent; cujusmodi fere phrasis est Prov. 9, 13. וּבַל־יָדְעָה־מָּה. Praeplacet tamen ratio illa prior, qua עַד־מָה *usquequo* interpretamur, quomodo ea ipsa dictio Ps. 79, 5. accipienda.

10. עַד־מָתַי אֱלֹהִים יְחָרֵף צָר *Quousque*, *Deus*, *conviciabitur hostis?* quamdiu feres contumelias et opprobria, quae ingerunt inimici nostri? יְנַאֵץ אוֹיֵב שִׁמְךָ לָנֶצַח *Et num irritabit hostis nomen tuum*, te ipsum (ut Vs. 7.) *perpetuo?* Num impune semper cedet hostibus una cum populo devicto, etiam populi Deum conviciari?

11. לָמָּה תָשִׁיב יָדְךָ *Quare retrahis manum tuam?* Subaudi אֵל־חֵיקֶךָ, quod nomen repetendum est ex altero hemistichio; plena loquutio exstat Ex. 4, 7. Quasi proverbialiter, *manum in sinum condere*, h. l. est otiosum esse, et non repugnare violentiae, aut pro se vel aliis propugnare. וִימִינְךָ *Et dextram tuam*, parallelismi causa cum יָד posuit, unde et alias *manum* et *dextram* conjungi videmus, veluti 89, 14. 138, 7. 139, 10., nec non Coh. 10, 20. עוֹף *avis*, et בַּעַל כְּנָפַיִם *ales*. Chaldaeus sensum ita expressit: *Et dextram tuam e medio sinu tuo educ*, *et consume*, tolle, *angustiam*. Verbum כָּלָה *consumsit*, sensu praegnante h. l. dicitur, cujusmodi loquendi formulam habuimus 73, 27, ubi cf. not. Cum nostra dictione comparanda similis Ps. 59, 14. כַּלֵּה בְחֵמָה

כַּלָּה וְאֵינֵימוֹ. Minus commode aliqui כַּלָּה adverbialiter accipiunt, et *prorsus*, *omnino* interpretantur. Alii *perfice*, sc. promissa tua, subaudita דְּבָרְךָ, ex Ruth 3, 18. 2 Chron. 36, 22. Nominis חִיק varians lectio in Keri et Chethib indicio est, illud olim nunc cum media litera *Jod*, nunc sine ea scriptum fuisse, similia exempla vid. 2 Reg. 24, 15. (אִילִי et אֵלִי), Jer. 25, 7. Ps. 140, 10.

12. וֵאלֹהִים מַלְכִּי מִקֶּדֶם *Attamen Deus*, etsi retraxisse nunc manum videatur, *rex* tamen et defensor *meus* est, cui *confidendum*, inde *ab antiquo*. Quapropter et nunc confidimus, te hostium crudelitati nos non permissurum. פֹּעֵל יְשׁוּעוֹת *Operans salutes*, pluralis numerus emphasi quadam non videtur carere, ut sensus hic sit: multiplicem salutem consuevisti illis conferre semper qui in te confidunt. בְּקֶרֶב הָאָרֶץ *In medio terrae*, i. e. coram orbe terrarum, palam, ante oculos omnium hominum et terrarum. Neque enim de sola Israelitica terra illam dictionem h. l. accipiendam esse, cognoscitur ex his, quae sequuntur.

13. Probare jam incipit, quod dixerat, Deum ab antiquissimis inde temporibus populi hujus fuisse regem, utpote quod in eductione ex Aegypto praecipue ostenderat. אַתָּה פוֹרַרְתָּ בְעֻזְּךָ יָם *Tu dirupisti mare fortitudine tua.* Manifestum est, celebrari transitum per mare rubrum, ut primum prodigium in conservando populo suo, Ex. 14, 16. Pro פוררת Alexandrinus ἐκραταίωσας, *confirmasti*, posuit; videtur hebraeum verbum pro צָרַרְתָּ *constrinxisti*, accepisse, ut significetur alterum illud miraculum, quo Deus ita continuit utrinque aquas marinas, ut muri instar essent. Contulit forsan Job. 26, 8. et Prov. 30, 4., ubi verbum צָרַר itidem de aquis conclusis et retentis usurpatur. שִׁבַּרְתָּ רָאשֵׁי תַנִּינִים עַל־הַמָּיִם *Fregisti capita belluarum in aquis*, quibus haud dubie Pharao cum proceribus significatur. Nomine תנינים denotantur *belluae* quaeque magnae et terribiles (vid. 44, 20.); h. l. *belluas aquatiles* intelligendas esse, indicat additum על־המים. *Belluis* vero *aquatilibus* hoc loco, ubi de Aegypto est sermo, *crocodili* insigniri videntur, quod ipsum Jes. 27, 1. הַתַּנִּין אֲשֶׁר בַּיָּם vocatur; et Ez. 29, 3. *en, ego contra te Pharao, rex Aegypti* הַתַּנִּים, *qui es bellua magna, cubans in medio rivi sui*, etc. Chaldaeus explicationem addidit: *et suffocasti Aegyptios super mari.*

14. אַתָּה רִצַּצְתָּ רָאשֵׁי לִוְיָתָן *Tu conquassasti capita crocodilorum*, quos nomine לִוְיָתָן denotari cognoscitur ex descriptione hujus animalis Job. 40, 20. sqq. Cf. Bochartı *Hieroz.* T. III. p. 738. Chaldaeus sensum verbis propriis expressit: *tu confregisti capita fortium*, s. ducum *Pharaonis*. Cf. Jes. 27, 1. Ps. 104, 26. — תִּתְּנֶנּוּ מַאֲכָל לְעָם לְצִיִּים *Dedisti illum in cibum populo deserticolis*, quibus vel *barbari*, aut feri homines, qui deserta incolunt, intelliguntur, quod Alexandrino placuit, qui ita transtulit: ἔδωκας αὐτὸν βρῶμα λαοῖς τοῖς Αἰθίοψι, unde Vulgatus: *dedisti eum escam populis Aethiopum;* et Syrus: *populo forti;*

vel, quod praetulerim, ferae bestiae, ut significetur, corpora Aegyptiorum ad ripam ejecta praedam et pastum fuisse bestiarum et avium (de צִיִּים vid. ad 72, 9.). Nec obstat huic explicationi vox עַם *populus*, nam haec ipsa Prov. 30, 25. 26. de formicis et cuniculis usurpatur. Ceterum לְעַם לְצִיִּים appositio est, ut Gen. 32, 18. לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב. KIMCHI haec verba sic interpretatur: *populo ad deserta*, subaudi *proficiscenti*, h. e. Israelitis, qui relicta Aegypto semper in desertis solitudinibus fuerunt. Porro Israelitis in escam datos Aegyptios cum ait, intelligit Israelitas appulsa ad littus Aegyptiorum cadavera spoliasse.

15. אַתָּה בָקַעְתָּ מַעְיָן וְנָחַל *Tu scidisti fontem et torrentem*, i. e. petras rumpens, quarum inde scaturigines aperuisti et produxisti, quae torrentis instar fluerent. De percussis petris in Horeb, Ex. 17, 6., et in deserto Cades, Num. 20, 8. haec dici, manifestum. בָּקַעְתָּ sensu praegnante, *disrumpendo produxisti*, ut Vs. 11. כַּלֵּה, est accipiendum. Pro וְנָחַל Chaldaeus recte posuit וַהֲוִי לְנַחֲלָא *ut factus sit* (fons) *in flumen*. Eductis e petra torrentibus eleganter opponit exsiccata flumina: אַתָּה הוֹבַשְׁתָּ נַהֲרוֹת אֵיתָן *Tu exsiccasti fluvios cursus perennis*, et contra, magni fluminis aquas ruentes coercuisti exsiccando. Innuitur prodigiosa Jordanis exsiccatio, de qua Jos. 3, 13. 16. Pluralis נהרות de Jordane dicitur, quod maximus tunc esset, quum Israelitae transirent, Jos. 3, 15., quemadmodum idem pluralis Nah. 2, 6. de magno flumine Tigride, et בְּהֵמוֹת Job. 40, 15. de immani fera s. bellua usurpatur. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 664. איתן propr. *perenniter fluens* (cf. not. ad Deut. 21, 4.); hinc de fluvio aquis copiosis validisque dicitur, opponiturque torrentibus exiguis, quos facilis exsiccat aestus, ut Amos 5, 24.; unde איתן de ipso *aestu maris* usurpatur Ex. 14, 17., ad quem loc. cf. not. Pro nomine proprio accepit איתן Alexandrinus, quem Vulgatus sequutus.

16. לְךָ יוֹם אַף־לְךָ לָיְלָה *Tibi est dies, etiam tibi nox*, tum opus est, ut sit perpetua successio tenebrarum et lucis. אַתָּה הֲכִינוֹתָ מָאוֹר וְשָׁמֶשׁ *Tu firmasti*, vel *parasti*, praeparatum ordinasti (quomodo verbum כּוּן in Hiphil accipi solet, vid. 7, 14. 55, 7. 57, 7. 10. 68, 11.) *luminare*, h. e. collective, astra (מְאֹרוֹת, Gen. 1, 14. et cf. Ez. 32, 8.), quorum praecipuum subjungitur, et *sol*, quemadmodum et alias nomini generaliori subjicitur id, quod in genere suo est praecipuum, veluti 1 Reg. 11, 1. *mulieres peregrinas et filiam Pharaonis;* Ps. 148, 9. *arbores et cedri;* Ps. 18, 1. *e manu inimicorum et Saulis;* Hos. 7, 1. *Ephraim et Samaria;* Marc. 16, 7. *dicite discipulis et Petro*, i. e. praecipue vero Petro. Chaldaeus pro מָאוֹר posuit סִיהֲרָא *lunam;* quod nomine hebraeo astrum illud, quod noctu lumen praebet, intellexit, cui oppositum שֶׁמֶשׁ, luminare diurnum. Alexandrinus: σὺ κατηρτίσω ἥλιον καὶ σελήνην, eodemque modo Itala: *tu fecisti solem et lunam;* sed Vulgatus habet: *tu fabricatus es auroram et solem.*

17. אַתָּה הִצַּבְתָּ כָּל־גְּבוּלוֹת אָרֶץ *Tu constituisti omnes terminos terrae*, quod aliqui de quatuor mundi plagis accipiunt; alii de limitibus terrarum, quas singulis nationibus occupandas dederit Deus; alii, quod verissimum videtur, de terminis, quibus terra undiquaque circumscripta cogitari potest, ne mari obruatur; cf. Jer. 5, 22. Job. 38, 8. 11. — קַיִץ וָחֹרֶף אַתָּה יְצַרְתָּם Quod attinet *aestatem et hyemem*, temporum anni vicissitudines, *tu formasti ea*, i. e. ordinasti, vel disposuisti (quo sensu verbum יצר et Jes. 45, 7. Jer. 18, 11. dicitur): tu discriminas caloribus et frigore tempora.

18. זְכֹר־זֹאת *Memento hujus*, sc. quod sequitur; femininum neutraliter ponitur. אוֹיֵב חֵרְפָּה יְהוָה *Hostis probris afficit Jovam*, h. e. te, cum Jova enim loquitur; saepius vero loco pronominis (quod ipsum et usurpatur in שִׁמְךָ, quod proxime sequitur) ipsum collocatur nomen ejus, quocum fit sermo, vid. Num. 25, 11. Zach. 3, 9. — עַם־נָבָל *Populus vesanus* hominum profanorum et flagitiosorum; de נָבָל vid. ad Ps. 14, 1.

19. אַל־תִּתֵּן *Ne tradas*, permittas (ut Ps. 27, 12.). לַחַיַּת *Bestiae*, subaud. הַשָּׂדֶה *agri*, aut הָאָרֶץ *terrae*. In חַיַּת est enallage formae constructae pro absoluta, vel potius omissum est nomen posterius, ut in illo Jes. 51, 21. *afflicta* וּשְׁכֻרַת *et ebria sed non ex vino*, pro וּשְׁכֻרַת צָרוֹת *ebria afflictionibus*, aut רָעוֹת *malis*, vel simile. Cf. et Jes. 14, 6. 2 Reg. 9, 17., et vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 680. In codicibus 17 de Rossianis לַחַיָּת (cum Camez) scribitur, nec male; est enim vel feminina Pluralis terminatione ־ָת pro וֹת, ex Chaldaica mutuata dialecto, vel stylo poetico priva singularis feminini terminatio, vid. supra ad 60, 13. Chaldaeus: *Ne tradas gentibus, quae similes sunt ferae bestiae.* נַפְשׁ *Animam*, i. q. חַיַּת, quod proxime sequitur, *vitam*, cf. Ps. 7, 3. 6. 70, 3. — תּוֹרְךָ *Turturis tui*, i. e. populi tui afflicti, qui turturi comparatur, quod hoc avium genus infirmum est, et diripitur, nec ipsum diripit. Forsan simplicitatem quoque atque innocentiam columbarum respexit. Mirum tamen, veterum interpretum, quotquot exstant, nullum *turturis* meminisse in versione hujus loci. Alexandrinus: *μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι, ne tradas bestiis animam confitentem tibi*, ut Vulgatus reddidit. Apparet illum commutata litera ר cum ד, תּוֹדְךָ legisse. Nec multo aliter Syrus: *ne tradas fractioni animam, quae confitetur tibi;* qui praeterea pro לַחַיַּת expressit לכחת. Sed Chaldaica translatio, quae in nostris Bibliis exstat, atque Josepho Cocco tribuitur, ita sonat: *animas docentium legem tuam*, quasi תּוֹרְךָ alluderet ad תּוֹרָה *lex*. Quod ipsum sequutus Hieronymus: *animam eruditam in lege tua.* Vetustior tamen interpres Chaldaicus, Jonathan, תּוֹר h. l. *turturem* reddidit. Atque is quidem non exstat hodie. Sed illum ita transtulisse, docent haec Jarchii: *Jonathan vertit significatione turturum et pullorum columbarum.*

חַיַּת עֲנִיֶּיךָ אַל־תִּשְׁכַּח לָנֶצַח *Vitae afflictorum tuorum ne obliviscaris in perpetuum.* *Vitae*, quae summopere periclitatur, dum nostri videris esse oblitus, nullamque gerere curam. Alio hic adhibetur sensu vox חיה, quam in hemistichio praecedente, nisi utroque *catervae* significatum sumas; tum Versus noster ita sonabit: *ne objicias multitudini hostium turturem tuam; multitudinis pauperum, tuae solius curae relictorum, ne obliviscaris.* Voce propria עניך *afflictorum tuorum*, prior *turturis* appellatio metaphorica satis perspicue declaratur.

20. הַבֵּט לַבְּרִית *Respice ad foedus*, sc. *quod pepigisti cum patribus nostris*, ut recte Chaldaeus addidit; foedus enim intelligitur illud, quod Deus iniit cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo, Gen. 12, 3. 15, 1. 18. Esto memor foederis tui facti, quod tibi nobiscum intercedit. כִּי־מָלְאוּ וגו׳ *Nam plena sunt tenebricosa terrae habitaculis violentiae.* *Tenebricosis terrae* h. l. significantur haud dubie abdita loca, latebrae, et, ut vulgo dicimus, anguli terrae, quos omnes occupatos queritur a violentis, latronibus scilicet et direptoribus. Alii מַחֲשַׁכֵּי־אֶרֶץ transferunt *tenebras* s. *caligines terrae*, quas interpretantur miserias maximas et calamitosissimas, coll. Jes. 42, 16. Ps. 88, 7.; porro adjuncto *terrae* nomine designari putant caliginem crassissimam, qualis sit in media terra, ubi nec rimula, per quam lux illaberetur; denique נְאוֹת־חָמָס *habitationes violentiae*, explicant, per Genitivum adjuncti, habitationes, quae variis ab hostibus injuriis violentiaque affectae fuerint, ceterum מחשכי־ארץ accipiunt pro Ablativo, ut haec sit integri hemistichii sententia, habitationes injuriis hostium expositas repletas esse luctu et miseriis. Priori tamen interpretationi favet similis verborum ordo et constructio locis aliis, quibus verbum מָלֵא usurpatur; veluti Jes. 28, 8. *omnes mensae repletae sunt foedo vomitu;* Mich. 6, 12. *cujus divites pleni sunt violentia;* Gen. 6, 11. 13. *plena est terra violentia;* cf. Jes. 11, 9. 28, 8. Jer. 51, 5. Ez. 7, 23. Ps. 26, 10. 104, 24., quibus locis omnibus locus, qui aliqua re repletus dicitur, primo, res autem illa, quae replet, secundo loco ponitur. Veteres in nostro hemistichio reddendo discrepant. Alexandrinus: ὅτι ἐπληρώθησαν οἱ ἐσκοτωμένοι τῆς γῆς οἴκων ἀνομίων, *quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae, domibus iniquitatis*, ut Vulgatus reddidit, quorum verborum aut nullus est sensus, aut hic: homines viles ac ignobiles repleti sunt palatiis per violentiam et injuriam partis. מַחֲשַׁכִּים Graecus interpres eosdem credidit, qui Prov. 22, 29. חֲשֻׁכִּים vocantur, quibus homines obscuros et ignobiles significari existimant. Chaldaeus: *quoniam pleni sunt filii eorum* (Israelitae, posteri Patriarcharum, quorum in prioris hemistichii translatione meminerat Chaldaeus interpres, vid. supra) *obscuritate, sese diffundente super terram, violentia et rapinis.* Ellipsin nimirum explere voluit; vel etiam impersonaliter s. absolute accepit verbum,

hoc modo: *plena* s. *completae sunt* (Thren. 4, 18.), pleno numero et nimiae sunt (ut Nah. 1, 10. Gen. 23, 9.) *obscuritates terrae et habitacula violentiae.* Syrus: *repleta sunt habitacula terrae tenebris et iniquitate.* Transposuit verba hebraea, ut sensum facilem et commodum efficerent.

21. אַל־יָשֹׁב דַּךְ נִכְלָם *Ne revertatur attritus ignominia affectus*, tanquam repulsam passus: ne frustreris preces afflictorum; ne hac etiam calamitate affice jam ante calamitosissimos, ut dimittas eos cum turpi repulsa vacuos et non exauditos. עָנִי וְאֶבְיוֹן יְהַלְלוּ שְׁמֶךָ *Oppressus et pauper laudent nomen tuum*, exaudi et opem fer oppressis et miseris, ut celebrent te.

22. קוּמָה *Exsurge!* Vid. ad 3, 8. 10, 2. — רִיבָה רִיבֶךָ *Litiga litem tuam*, age causam tuam, cf. Ps. 43, 1. 35, 1. — זְכֹר חֶרְפָּתְךָ וגו׳ *Recordare ignominiae tuae ab insipiente quotidie*, memento contumeliarum, quibus quotidie a profanis hominibus afficeris. Chaldaeus: *memento ignominiae populi tui a rege insipiente*; intellexit haud dubie Antiochum Epiphanem, qui per contemptum ἐπιμανής, *insanus*, cognominatus fuit.

23. אַל־תִּשְׁכַּח קוֹל צֹרְרֶיךָ *Ne obliviscaris vocis hostium tuorum*, qua tum populo tuo, tum ipsimet tuae majestati insultant. שְׁאוֹן קָמֶיךָ עוֹלֶה תָמִיד *Tumultus insurgentium contra te ascendit continuo.* קָמֶיךָ pro עָלֶיךָ קָמִים. Poterunt haec etiam connecti cum verbo אל־תשכח, hoc modo: ne obliviscaris vociferationis hostium tuorum, quae adscendit continuo.

Ps. 75.

Variae sunt interpretum sententiae de hujus carminis argumento et structura. Aliqui illud compositum existimant in gratiam principis alicujus, a quo reipublicae penitus collapsae restitutio exspectata fuerit; ipsum vero illum loquentem introduci volunt, et ea verba facientem, quae virtute ipsius digna sunt, et quibus populo suo justam et legitimam regni sui administrationem polliceatur, impiis autem et seditiosis severam animadversionem minetur. Quem quidem principem alii *Davidem* esse opinantur, alii *Sorobabelem*, qui restitutionem ordinis politici in republica Israelitica, postquam in patriam reversus populus esset, in animo suo designaret. Alii a secundo Versu omnia Deo tribuunt loquenti, ut fiat Psalmus celebratio sapientiae et justitiae divinae in gubernatione rerum humanarum, qua, suo tempore, justo judicio sit persequuturus insolentiam et injurias impiorum. Omnium tamen optime carminis hujus rationem singularumque ejus partium inter se nexum explicasse nobis videtur SCHNURRER (in *Dissertatt. philolog. crit.* p. 158.). „Vates," inquit, „si quidem titulo, Psalmum ad Asaphum referenti, fides habenda sit, de quo jure dubitari potest, non sui ipsius nomine verba facit, sed populum inducit, ex calamita-

tibus, ut videtur, ab exteris ipsi inflictis emergentem. Hic igitur in gaudia erumpit laudesque Dei Sospitatoris Vs. 2. Causa statim gaudii subjicitur Vs. 3., quae in eo posita sit, quod oraculum a Jova editum fuerit, quo se omnia recte moderaturum, et labantem perturbatumque reipublicae Judaicae statum confirmaturum esse declaravit, Vs. 4. Nunc animosius in barbaras gentes invehitur populus, Vs. 5—9., vetatque gloriari rerum suarum successibus prosperis, quum jam parata ipsis sint gravissima supplicia, a Deo mox exsequenda. Denique Vs. 10. 11. spem profitetur melioris fortunae certissimam.“ Quam rationem et nos in carminis interpretatione sequemur, nisi quod singula quaedam loca, maxime Versum tertium paulo aliter accipienda putemus. In tempus et auctorem carminis inquirere, inanis opera fuerit, quum certa utriusque indicia prorsus desint.

2. שִׁמְךָ — הוֹדִינוּ *Celebramus te* laudibus, *o Deus! celebramus*, et *propinquum nomen tuum*, quod aliqui ita intelligunt: quia praesto es nobis auxilio tuo (vid. ad 39, 19. coll. 145, 18.); ut particula ו pro causali accipiatur, et שֵׁם *nomen Dei* pro Deo ipso, ut 74, 7. 21. Nostri tamen loci paullo alia est ratio, quum non dicatur, Deum propinquum esse *alicui*. Quare alii cogitant de nominis divini laudati repetitione, q. d. prope, ante oculos obversatur nobis nomen tuum, vel, proximum est labiis nostris, sc. ut laudemus ipsum et celebremus, quomodo Jer. 12, 2. dicitur: *propinquus tu es in ore ipsorum, sed longe a renibus eorum.* Cf. Jes. 29, 13. Ps. 119, 151. Eadem Alexandrini videtur mens fuisse: *καὶ ἐπικαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου, et invocabimus nomen tuum*, ut Vulgatus reddidit, quod ipsum et Syrus sequutus. Nisi interpretationis illius causa haec potius fuerit, quod Graecus interpres Hebraea praelegentis verba sinistre intelligendo, pro קָרְאוּ בְשִׁמְךָ acceperit. Sed optime nostra phrasis explicatur: *quia notum est nomen tuum* (ut Ps. 76, 2. נוֹדָע בִּיהוּדָה שְׁמוֹ), ex linguae Arabicae proprietate, in qua קרב *propinquus fuit*, dicitur de rebus bene notis, et contra *remotum* de eo quod *parum notum* est, aut minus intelligitur (cf. Deut. 30, 11. Prov. 24, 7.). Cui interpretationi favet, quod statim subjicitur, quomodo notum aut celebre sit nomen Dei: סִפְּרוּ נִפְלְאוֹתֶיךָ *enarrantur*, praedicantur, *mirificà tua;* סִפְּרוּ impersonaliter positum, ut רָאוּ Ps. 68, 25., וְיִשְׁבוּ 69, 35.

3. Causam subdit, cur celebrandus sit Deus: vindex et sospitator noster est. Quam sententiam enunciat ita, ut introducat Deum ipsum verba facientem, hostibusque severa supplicia minitantem: *Cum accepero tempus, recte judicabo*, i. e. tempore suo judicis justi exsequar partes, deque hostibus vestris supplicium sumam, ut par est. Qui haec verba Davidi assignant, nomen מוֹעֵד *promissi* accipiunt significatione (ex Arabica Syriacaque dialectis, quibus מַוְעַד a יָעַד *condixit*, *promisit*, quicquid promissum, condictum et constitutum est, denotat), atque intelligunt promissum

illi a Deo regnum, ut sensus prodeat hic: ubi regnum mihi promissum nactus fuero, recte administrabo res ejus, et exercebo jus et justitiam integerrime. Promissi significatione nomen illud capit quidem etiam SCHNURRERUS, sed quum verba haec existimet esse populi, nostrum versiculum ita interpretatur: *promissum obtinui divinum;* dixisti: *justam ego sententiam feram.* Verum quum nomen מוֹעֵד nullo alio V. T. loco *promissi* significatione usurpatum reperiatur; tutius fuerit et h. l. usitatam *temporis* retinere notionem, quam manifestè obtinet Hos. 2, 11. Ps. 102, 14., quo utroque loco מוֹעֵד cum עֵת, ut aequipollens, conjungitur. Verborum vero כִּי אֶקַּח מוֹעֵד sensus per se clarus est: *ubi nactus fuero tempus,* sc. opportunum; sive: cum otium nanciscar; quasi nunc distentus sit aliis curis et negotiis. Alexandrinus de verbo ad verbum: ὅταν λάβω καιρόν, et sic etiam Vulgatus et Syrus. מֵישָׁרִים pro בְּמֵישָׁרִים *aequitatibus*, i. e. aequissime, ut Ps. 9, 9.

4. *Dissoluta sunt terra et incolae ipsius, ego disposui columnas ejus*, quod bifariam accipi potest, vel sic: prorsus est dissoluta respublica, et incolae paene defecerunt in calamitatibus, ego tamen has ruinas instaurabo; quomodo תִּכּוֹנְתִּי per enallagen pro futuro positum accipiendum erit, vel hoc modo: tunc, ubi judicium exercebo (Vs. 3.), prae pavore veluti dissolventur omnes gentes, nam is ego sum, qui terram basibus et columnis fulciverim, atque adeo eam, ejusque incolas, quum libitum erit, nullo negotio commovere possim. Cf. Job. 9, 6. Ita Aben-Esra, qui per *terrae columnas* intelligi vult montes, quibus, quasi fulcris et columnis, terrae moles sustinetur. Jam, interposito סֶלָה, sive Diapsalmate, ad aliam personam fit transitus, et vates incipit loqui.

5. אָמַרְתִּי לַהוֹלְלִים *Dixi insanientibus*, h. e. ecce vero, annon illud est, quod ego semper ad hostium, insanorum more furentium, rabiem compescendam dixi? אַל־תָּהֹלּוּ וגו׳ *Ne insaniatis; et impiis: ne exaltetis cornu*, ne insolescite virium vestrarum fiducia. Metaphora a cornutis animalibus desumta, quae dum cornua elato in altum capite ostentant, minitantur incursionem ac prostrationem. Cf. Deut. 32, 17. Ps. 92, 11.

6. אַל־תָּרִימוּ לַמָּרוֹם קַרְנְכֶם *Ne exaltetis ad altitudinem cornua vestra*, i. e. vires vestras; ne fastu superbiaque, fastuosa in vires vestras fiducia, sitis repleti. Ante תְּדַבְּרוּ vel repetenda est ex versiculi initio particula אַל, ut Alexandrinus fecit (μὴ λαλεῖτε); vel subaudiendum אֲשֶׁר, quod Chaldaeo placuit: *vos, qui loquimini*, nec non Symmacho: λαλοῦντες. בְּצַוָּאר *Cum collo*, sc. erecto aut superbo, i. e. arroganter, fastuose, ut Job. 15, 26. (יָרוּץ אֵלָיו בְּצַוָּאר); cf. Jes. 3, 16. Sunt, qui proximum עָתָק (de quo voc. vid. ad Ps. 31, 19.) cum בְּצַוָּאר conjungant, hoc modo: *ne loquamini collo duro;* sed transferendum potius est: *ne loquamini cum collo*, i. e. fastuose, *durum*, s. insolens, ferox. Id quod bene intellexit Symmachus, qui hunc Vs. sic reddidit: μὴ ἐπαίρετε εἰς ὕψος τὸ

κέρας ὑμῶν λαλοῦντες τραχήλῳ ἀνομίαν. Alexandrinus posterius hemistichium ita fecit: μὴ λαλεῖτε κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀδικίαν, ac si בַּצּוּר *adversus petram*, pro בַּצָּוְאר legisset.

7. Verba כִּי לֹא מִמּוֹצָא וּמִמַּעֲרָב וְלֹא מִמִּדְבַּר הָרִים aliqui accipiunt tanquam verba vatis, castigantis fastum hostium, hoc sensu: *at non ex ortu, occasu aut meridie* τὸ *exaltare*, s. exaltatio, eminentia, quatuor autem plagis significari κατὰ μερισμὸν terras, ut dicatur hoc: non a terris, aut hominibus, sed a Deo solo omnis potestas est, hic regna confert et adimit, evehit et deprimit. Commodius tamen haec μιμητικῶς tribuuntur hostibus, insolenter sese jactantibus, a se prostratos numquam iterum se erigere posse; sic namque כִּי praemitti solet sermonibus in persona aliorum prolatis, ut 1 Reg. 1, 13. *jurasti, dicens:* כִּי *filius tuus regnaturus est post me.* Quare cum Vs. 6. noster hoc modo est connectendus: ne insolenter ferocia verba jactetis (quae jam ipsa adferuntur): utut undique miselli hi circumspiciant, nusquam tamen, neque ab ortu, nec ab occasu, vel meridie aderit aut comparebit eis elevatio; nos enim prostravimus illos, ut praeter nos nemo eos poterit elevare. Quod ipsum eleganter infringitur Vs. 8. Mentione praecipuarum terrae plagarum praecludi volunt omnem auxilii aditum, ita ut soli illi jactabundi eminent, ac pro sua undique ferociant libidine. מוֹצָא locus, ubi exoritur, et quasi egreditur sol, vid. Ps. 19, 7. 65, 9. Hos. 6, 3. Per מִדְבָּר *desertum*, tam meridionalis quam septentrionalis plaga videtur significari, utrinque enim deserta loca habet Palaestina, ad aquilonem Syriacum desertum, ad meridiem Judaicum, quo et alias meridionalis plaga indicatur, veluti Deut. 11, 24. Jos. 1, 4. Infinitivus הָרִים *elevare*, nominis induit naturam h. l., ut apud Latinos *Scire tuum nihil est;* cf. Ps. 20, 10. *in die* קָרְאֵנוּ *vocare nos*, i. e. invocationis nostrae; 32, 6. *tempore* מְצֹא τοῦ *invenire*, i. e. inventionis. Veteres quidem הָרִים pro nominis הַר *mons*, plurali habuerunt, atque plerique illorum, Alexandrinus, Vulgatus et Syrus, cum antecedente מדבר conjunxerunt, hoc sensu: *a deserto montium*, i. e. a deserto australi montium Idumaeorum. Ita Aben-Esra: Nec putetis, quod in Oriente aut Occidente, aut in montuoso deserto sit, *qui servare vos possit;* hoc postremum enim, aut tale quidquam erit subaudiendum, si הָרִים pro *montibus* accipiamus, ne imperfecta maneat sententia. Ceterum illos, qui *desertum montium* vertunt, מִמִּדְבַּר pro מִמִּדְבָּר legere necesse est. Et certe מִדְבַּר (cum *Pathach* sub ב), in statu regiminis, et hodie exstat in libris longe plerisque, tam manuscriptis, quam editis. Exeunte tamen seculo 12. in codicibus plerisque aut certe melioris notae, מִמִּדְבַּר exstitisse, verisimile est. Magnum codicum et editionum numerum, in quibus מִמִּדְבָּר (in statu absoluto) exstat, recenset DE ROSSI in *Varr. Lectt.* ad h. l.

8. כִּי־אֱלֹהִים שֹׁפֵט *Sed Deus est judex.* כִּי adversative accipiendum, ut 44, 4. 8., ita ut cohaereat hic Versus cum pracce-

dente. Sententia haec erit: non vestrum est imperium, neque vos superiore caretis domino, sicut stulte vobis arrogatis; verum supremus adhuc restat regum dominorumque judex in coelis, Deus, cf. 7, 12. 9, 8. — זֶה יַשְׁפִּיל וְזֶה יָרִים *Hic*, non vos, *deprimit*, *et hic elevat*, solius Dei est, elatos de sede deturbare, et oppressos ad fastigium evehere. Cf. eandem sententiam 147, 6. Pronomen זֶה veteres in Accusativo transtulerunt: *hunc deprimit*, *et hunc evehit*.

9. כִּי־כוֹס בְּיַד יְהוָה *Nam calix in manu Jovae.* *Calix*, scyphus, כּוֹס, quia ex eo cuilibet, in convivio, bibendum distribuebatur (cf. Jer. 16, 7. Luc. 22, 17.), et quia tam jucundi, quam amari potus recipiendi vas atque organum est, metaphorice sortem tam faustam, quam adversam, et ita tum *beneficia* Dei, tum *poenas* et *supplicia*, significat. Prioris exempla sunt Ps. 16, 5. 23, 5. 116, 13. Posterioris exempla sunt Ps. 11, 6. Jes. 51, 17. 22. Thr. 4, 21. Jer. 25, 15. 51, 7. Ez. 23, 33. 34. Nostro loco, ubi *poculum* simpliciter est positum, ambigitur, in bonam, an vero in malam partem sit accipiendum. Posterius elegit Chaldaeus, qui *poculum dirarum* posuit, altero haud dubie permotus versiculi hemistichio. Nobis tamen in utramque partem imago illa usurpata videtur, ut inducatur Deus tanquam convivii praeses, ex una parte suis vinum liquidius et merum e poculo suo propinans, ex altera vero parte impios ad epotandas exsugendasque faeces non sine horrore adigens. Ita hoc Versu magis amplificabitur, quod Vs. 8. brevius dictum fuerat. Verbum חֲמַר (in וְיַיִן חָמַר) referendum est ad Arab. حمر (per *Hha*) *rubuit*. Ruber color habetur vini praestantissimi, coll. Prov. 23, 31. *non adspicias vinum* כִּי יִתְאַדָּם *cum rutilaverit*. Unde et *sanguinis* nomen *vino* datum Jacobo Gen. 49, 11., et Mosi Deut. 32, 14. Hoc Homerus passim, αἴθοπα οἶνον, quod Eustathius exponit θερμὸν, λαμπρὸν, πυῤῥὸν, μέλανα. Neque improbabilis plane est eorum sententia, qui putent vinum rubrum a poeta nostro ideo memoratum, quod validissimum existat, et quod caput vehementissime feriat. Quod ipsum spectasse videtur Chaldaeus, dum transtulit *vinum forte*, s. validum. Contra Aben-Esra nostrum חָמַר per עָכוֹר *turbidum*, *faeculentum* declarat, a חֹמֶר, quod *lutum*, *crassamentum* significat, quasi *lutulentum* dixeris. Syrus: *vinum turbidum*. Sic חָמַר referendum esset ad Arab. حمر (per *Cha*) *fermentavit* (vid. not. ad Ps. 46, 4.). Quare sunt qui vertant: *calix est in manu Domini*, *in quo vinum fermentavit*, turbida limpidis mixta fuere. Sed *fervendi* significatio huic loco plane non apta est, quum de vino sermo sit, non in torculari, sed in poculo, in quo minime fervet; nisi enim defervuit, vinum non est, sed mustum. Quare verba וְיַיִן חָמַר interpretanda sunt: *vinum* est *rubidum*, i. e. *generosum*, praesertim quum חָמַר nusquam alias nisi in *generositatis* sensu de vino usurpatum reperiatur. Deut. 32, 14. dicitur Deus populum suum

potasse *uvae sanguine* חֲמַר *rubente*, et Jes. 27, 2. *vinea Jovae* כֶּרֶם חֶמֶר *vinea vini rubentis*, sive nobilissimi et generosissimi, ubi neque *turbidi*, neque *meri* significatio quadrabit. Alexandrinus Symmachusque *οἶνος ἄκρατος*, atque ex his Hieronymus *vinum meracum* reddiderunt. מָלֵא מֶסֶךְ *Plenum* est poculum in manu Jovae *mistione*, i. e. vino infuso; nomine מֶסֶךְ enim significatur illud, quod calici jam infusum est, et ex eodem bibendum propinatur. Scilicet verbum מָסַךְ, ex quo nostrum מֶסֶךְ, nusquam praeterea occurrens, descendit, significat non tantum *miscere*, v. c. potum cum lachrymis, Ps. 102, 10., verum etiam rem potulentam poculis *infundere*, ut Prov. 9, 2. *sapientia vinum suum* מָסְכָה *miscuit*, i. e. paravit, et crateribus infudit, atque Vs. 5. *bibite vinum, quod* מָסַכְתִּי *infudi*. Qua ipsa ratione Graeci non tantum *κεράν*, sive *κεράσαι*, licet *miscere* proprie significet, usurpant tamen simpliciter *ἀντὶ τοῦ ἐκχέειν*, *καὶ διδόναι πίνειν*, pro *infundere* in calicem, et *bibendum porrigere;* verum verbo *μίσγειν* quoque in eandem mentem utuntur, ubi nulla liquoris peregrini intervenit mistio, neque aliter Latini suo *miscere*. וַיַּגֵּר מִזֶּה *Et effundit*, vel *effluere facit*, *ex eo*, pro lubitu suo dispensat. Alexandrinus: *καὶ ἔκλινεν ἐκ τούτου εἰς τοῦτο*, quod Vulgatus sequutus: *inclinavit ex hoc in hoc*, nec aliter Syrus. *Inclinare* autem *poculum* non aliud est, quam efficere, ut defluat, propinare. אַךְ־שְׁמָרֶיהָ וגו׳ *Sed faeces ejus sorbebunt et bibent omnes impii terrae.* Cf. Jes. 51, 17. Ez. 23, 34. Suffixum ad שְׁמָרֶיהָ spectat ad nomen כּוֹס, quod plerumque est femininum, rarius masculinum, adeoque cum utroque genere h. l. construitur; vide similem constructionem 1 Reg. 19, 11., item Jes. 19, 9. 35, 8. Hos. 4, 19. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 86. sqq.

10. וַאֲנִי אַגִּיד *Et ego annunciabo* illa Dei judicia, judicisque in illis justitiam. Similem Accusativi aliunde arcessendi defectum deprehendimus Ps. 40, 2. *inclinavit* sc. aurem; cf. Vs. 13. ejusd. Ps. et 3, 7. Alexandrinus pro אַגִּיד *ἀγαλλιάσομαι*, *exultabo*, posuit, quod, similitudine literarum ד et ל deceptus, אֲגִיל pro אַגִּיד legit. אֲזַמְּרָה, in altero hemistichio, bene congruit cum אַגִּיד. Sic alias verbo הִגִּיד dicuntur pii *annunciare* Dei potentiam, justitiam, judicia, opera, Ps. 9, 12. Jes. 57, 32. Ps. 145, 4. Sic dicitur Jes. 48, 20. בְּקוֹל רִנָּה הַגִּידוּ *cum voce cantus annunciate*, divulgate hoc. Vulgatus praeter morem h. l. consentit cum Hebraeo textu: *annunciabo in seculum.* Et interpretatio Graeca, quae in Hexaplis *quintae* nomen gerit, juxta Hebraeum habet *ἀπαγγελῶ*. Singularis est Syrus, qui *et ego vivam in seculum* reddidit.

11. Iterum, ut Vs. 3., ipsa Dei verba adferuntur, quibus animum piis addit, dum impiorum potentiam se destructurum promittit; hoc enim significatur verbis כָּל־קַרְנֵי רְשָׁעִים אֲגַדֵּעַ *omnia impiorum cornua succidam*, quae manifeste respiciunt Vs. 5.

Ps. 76.

Epinicium atque gratiarum actio propter victorias concessas adversus hostes potentes. Petit, ut reliquos quoque hostes Deus conficiat, et hortatur ad pia vota et munera offerenda. Non est dissimilis hic Psalmus sexto et quadragesimo et duodequadragesimo, unde tamen non tuto colligitur, uno eodemque tempore tria haec carmina scripta fuisse. Fieri enim potuit, ut ad veteris alicujus poetae Versus recentior quisquam se exerceret, aut priscum carmen ad sui temporis rationem accommodaret. Victoriam in Assyrios nostro carmine celebrari, vetus est opinio, utpote quae jam in multis translationis Graecae Alexandrinae (*ᾠδὴ πρὸς τὸν Ἀσσύριον*) atque Vulgatae codicibus reperitur, atque a Jarchio quoque editur, qui nominatim de prostrato Sanheribi exercitu (2 Reg. 19, 35. Jes. 36, 36.) Psalmum agere existimat, quod nullum aliud hostis in Judaea prope Hierosolymam ita deleti exemplum sibi in historia occurrat. Syriacae hujus carminis translationi hoc praescriptum legitur: *Quum vastata fuit Rabbah Ammonitarum* (2 Sam. 12, 26. sqq.); *praeterea indicat ultionem judicii Christi adversus impios.* Quod ex parte amplexus est GROTIUS, ita ut Psalmum victis Ammonitis scriptum, sed eo postea Ezechiam, liberatum ab Assyriis, usum esse censeat. Certa tamen atque indubitata temporis indicia nos quidem in hoc carmine deprehendimus nulla.

2. נוֹדָע בִּיהוּדָה אֱלֹהִים *Noscitur in Juda Deus*, qualis sit et quid possit; ostendit potentiam suam in defendendis suis. Cf. 9, 17. Jes. 19, 20. 21. 66, 14. — בְּיִשְׂרָאֵל גָּדוֹל שְׁמוֹ *In Israele magnum est nomen ejus*, longe lateque in terra Israelitica fama ejus celebratur.

3. Pro וַיְהִי בְשָׁלֵם סֻכּוֹ Alexandrinus *καὶ ἐγενήθη ἐν εἰρήνῃ ὁ τόπος αὐτοῦ* posuit, quod et Vulgatus sequutus, ac si שָׁלֵם nomen appellativum esset. Syrus tamen et Chaldaeus recte *Jerusalem* reddiderunt. Nam in locorum nominibus compositis apud Hebraeos, compendii causa, pars prior saepe omittitur. Ita *Jemini* pro *Ben-Jemini*, Esth. 2, 5.; *Seba* pro *Beer-Seba*, Jos. 19, 2.; *Sittim* pro *Abel-Sittim*, Num. 25, 1.; *Tholad* pro *El-Tholad*, 1 Chr. 4, 29. Quia nomen סֻכָּה Ps. 10, 9. et aliis locis de lustro leonis, et Jer. 25, 58. de Jova dicitur: *deseruit tanquam leo* סֻכּוֹ, cum nimirum ut leo ad praedam paratus et in hostes irrupturus illic antea desedisset; Kimchius et h. l. Deum existimat tanquam leonem sisti, qui e latibulo in hostes prosiliat (Vs. 5.), praesertim quum et מָעוֹן in altero hemistichio de antro leonis usurpetur Amos 3, 9. Nomen tamen utrumque et de tabernaculo sacro aut templo dicitur, vid. Ps. 25, 7. 26, 8. 68, 6.

4. רִשְׁפֵי־קֶשֶׁת alii aliter interpretantur. Alexandrinus *τὰ κράτη τῶν τόξων*, hincque Vulgatus *potentias arcuum*, nec non

Syrus: *brachia arcuum*, sensu quidem h. l. satis apto, sed qui ceteris locis, quibus רֶשֶׁף occurrit, Deut. 32, 24. Hab. 3, 5. Ps. 78, 48. Job. 5, 7. Cant. 8, 6. minime congruit. Nonnulli tamen translationis Graecae Alexandrinae codices habent *τὰ κέρατα τῶν τόξων*. Recentiorum aliqui *scintillas arcus* reddunt, i. e. sagittas, instar scintillarum celerrime ab arcu avolantes, aut in aëre veluti scintillantes et coruscas; *scintillarum* significationem praesertim locis Cant. 8, 6. Ps. 78, 48. aptam putant. Alii volunt h. l. significari *aves*, vel potius sagittas, avium instar volantes, quo sensu et 91, 5. mentio fit *sagittae volantis*. Probant hanc significationem tribus ex locis Deut. 32, 24. Job. 5, 7. et Ps. 78, 48. Nec sane inepta aut inelegans figura: *alites arcus* pro *sagittis*. At tamen *ardoris*, *flammae* significatum flagitat locus Cant. 8, 6., ubi verba רִשְׁפֶיהָ רִשְׁפֵי אֵשׁ שַׁלְהֶבֶת־יָהּ vix aliter verti possunt quam ita: *ardores ejus* (amoris) sunt *ardores ignis*, *flamma Jovae*. Et infra 78, 48., ubi de ea plaga Aegyptiis inflicta agitur, qua eorum greges grandine et fulminibus occisi sunt (Ex. 9, 23. 24.), id his verbis exprimitur: וַיַּסְגֵּר לַבָּרָד בְּעִירָם *tradidit grandini jumenta eorum*, וּמִקְנֵיהֶם לָרְשָׁפִים *et pecudes eorum fulminibus*, sic enim postremam versus vocem reddendam esse, docet res ipsa, qua agitur. Hoc igitur loco רִשְׁפֵי קֶשֶׁת *fulmina arcus* elegante imagine dicantur sagittae. וּמִלְחָמָה *Et bellum* sc. frangit, i. e. omnia bellica instrumenta. Chaldaeus Versum nostrum ita explicavit: *Quum domus Israel voluntatem ejus fecerit; habitare fecit majestatem suam inter eos; tunc fregit sagittas et arcus populorum prodeuntium ad bellum; scutum et acies militares abolevit.*

5. נָאוֹר *Splendidus*, i. e. illustris, gloriosus, ut et alia Participia passiva naturam induunt adjectivorum, ut נִפְלָאָה *mirabile* 40, 6.; נוֹרָא *terribilis* 47, 3.; מְהֻלָּל *laudabilis* 48, 2. In verborum, quae sequuntur: אַדִּיר מֵהַרְרֵי־טָרֶף, interpretatione magna sententiarum varietas. Alexandrinus hunc versiculum ita transtulit: *φωτίζεις σὺ θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων αἰωνίων*, hincque Vulgatus: *illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis*, quos vel coelos intelligere licet, vel montem Sionem, in quo tanquam loco et domo sua habitare dicitur; hunc certe intellexit Syrus: *illustris es et laudatus ex monte tuo potente*, vel, ut Erpenius maluit: *prae monte tuo potente*. Theodotion: *φοβερὸς εἶ θαυμαστὸς ἀπὸ ὀρέων καρπίμων*, טָרֶף *folium* h. l. significare existimavit, ut Ez. 17, 9. Sed reliqui interpretes nomen illud usitatiore *praedae* significatione acceperunt. Aquila: *φωτισμὸς σὺ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων ἁλώσεως*, et Symmachus: *ἐπιφανὴς εἶ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων θήρας*. Atque hos quidem omnes particulam מִן (ante הררי) *ex* accepisse patet. Ita sensus erit vel hic: tu, potentissime, perinde ac leo, qui eum in montium cavernis ac lustris habitet, ad praedam rapiendam decurrit, non aliter ex monte tuo sancto, in quo habitas, in exercitum hostium irruens, omnes interemisti; vel

comparatur Deus, hostium victoria potitus, leoni e praeda redeunti atque exultanti, hoc modo: tu solus nunc emicas et fulges, sicuti quum leo praedae satur e montibus redit jubar hinc inde superbe quassans. Alii praefixum illud מ reddendum putant *prae*, *magis*, atque *montes praedae* intelligunt, ut latronum praedonumque sedes, ut sensus sit talis: es illustrior et formidabilior quam montes praedatorii, i. e. quam potentes et violenti illi reges in terris universi, qui regna et populos praedantur. Cujus interpretationis, ceteris omnibus haud dubie praeferendae, auctor est Chaldaeus.

6. אִשְׁתּוֹלָלוּ *Praeda facti sunt*, respicit ad illud, quod Vs. 5. dictum erat de violentis alios infirmiores depraedantibus, ut sensus sit, Deum merito cunctis excelsiorem dici, utpote cujus nutu et virtute isti, qui alios praedati sunt, nunc ipsimet fiant praeda aliis. Verbum Hithpael (Syrorum more formatum, characteristica praeformante *Aleph* posita pro *He*, ut אֶגְאַלְתִּי pro הִגְאַלְתִּי Jes. 63, 3., אִתְחַבַּר pro הִתְחַבַּר 2 Chr. 20, 35.), passivam habet significationem (non reciprocam), sicut et Aramaeis passiva hoc modo efferri solent, adeoque propria est *praedam fieri*, *exspoliari*, quo modo semel adhuc forma illa Hithpael occurrit Jes. 59, 15. *recedens a malo* מִשְׁתּוֹלֵל *praedae expositus est.* Hujusmodi passivus conjugationis 4. significatus deprehenditur etiam in illo Coh. 8, 10. וְיִשְׁתַּכְּחוּ *et oblivioni traditae sunt*; Ez. 19, 12. הִתְפָּרְקָה *rupti sunt*; Mich. 6, 16. יִשְׁתַּמֵּר *observatur.* Cf. Deut. 28, 68. Ps. 92, 10. et Gesenii *Lehrgeb.* p. 247. אַבִּירֵי לֵב נָמוּ שְׁנָתָם *Fortes corde*, animosissimi *dormiverunt somnum suum*, h. e. interfecti sunt, aeternum mortis dormituri somnum. *Mors* enim *somnus* h. l. intelligendus est, ut Jer. 51, 39. coll. Ps. 13, 4. 90, 5. Quapropter, ut indicaret certi generis somnum, non vulgarem, apposuisse videtur affixum: *somnum suum.* Alexandrinus: ἐταράχθησαν πάντες οἱ ἀσύνετοι τῇ καρδίᾳ· ὕπνωσαν ὕπνον αὐτῶν, hincque Vulgatus: *turbati sunt omnes insipientes corde; dormierunt somnum suum.* Neque aliter Syrus. Pro אַבִּירֵי Graecum interpretem אַבִּירֵי vel אַבְּרֵי, ד et ר permutatis, legisse aliqui putant, hoc est, *perditos corde.* Sed quum et Jes. 46, 12. (al. 47, 1.) eadem verba hebraea, אַבִּירֵי־לֵב, Alexandrinus οἱ ἀπολωλεκότες τὴν καρδίαν reddiderit; videtur utroque loco *fortes* s. *duros corde* accepisse in malam partem de temerariis hominibus, qui stulte et cocco impetu sese periculis objiciunt. וְלֹא־מָצְאוּ כָל־אַנְשֵׁי־חַיִל יְדֵיהֶם *Nec invenerunt omnes viri fortes manus suas*, i. e. qui urbes, qui regna vicisse gloriabantur, eos vires ipsae manusque suae defecerunt. *Manus* pro *viribus*, ut 2 Sam. 4, 1. 2 Reg. 19, 26. Ez. 7, 27. Veteres ante ידיהם subaudierunt praefixum ב, unde Alexandrinus: καὶ οὐχ εὗρον οὐδὲν πάντες οἱ ἄνδρες τοῦ πλούτου ταῖς χερσὶν αὐτῶν, exque hoc Vulgatus: *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis;* nomen חַיִל pro *opibus* accepit (vid. ad Ps. 33, 16.), et לֹא substantive, *nihil;* ita sensus erit hic: qui vel

suis opibus et divitiis confidentes ac freti bellum Israelitis intulerunt, vel ad praedas faciendas strenui, nihil viribus suis acquirere potuerunt.

7. *Ab increpatione tua* (i. e. per increpationem tuam, cf. ad 28, 7.) *somno obrutus fuit et currus et equus*, i. e. tam illi, qui curribus, quam qui equis vehebantur. Synecdoche, qualis 1 Reg. 10, 28. *equus* pro rebus equo vectis, et Jes. 23, 1. *navis* pro iis, quae navi insunt. De curribus bellicis vid. Ex. 14, 7. Jud. 4, 13. Ps. 20, 8. Duplex ו ante רֶכֶב et סוּס distributionem importat, ut Gen. 36, 24. Alexandrinus hebraea נִרְדַּם וְרֶכֶב וְסוּס non satis accurate ἐνύσταξαν οἱ ἐπιβεβηκότες τοὺς ἵππους reddidit, quod sequutus Vulgatus: *dormitaverunt, qui ascenderunt equos*, nec non Syrus.

8. אַתָּה נוֹרָא אַתָּה *Tu terribilis* (vid. 18, 4) *tu*, i. e. es, posterius pronomen vices gerit verbi substantivi. Sensus: tu solus terribilis es. וּמִי־יַעֲמֹד לְפָנֶיךָ *Et quis stabit coram te?* quis tam intremidus est ac fortis, ut te sustincre possit, vel increpantem (Vs. 7.), non modo adversus pugnantem? Quo eodem sensu verbum *stare* Jos. 7, 12. Dan. 8, 4. — מֵאָז אַפֶּךָ *Ex tunc irae tuae*, i. e. inde ubi ira tua exarserit semel.

9. מִשָּׁמַיִם הִשְׁמַעְתָּ דִּין *Et coelis audire fecisti judicium*, de coelo, tanquam de sella judicis promulgasti severam sententiam. אֶרֶץ יָרְאָה וְשָׁקָטָה *Terra timuit et quieta fuit.* Quod Chaldaeus explicat: *terra gentium timuit, et terra Israelis quievit.*

10. Dependet hic Vs. a Vs. 9. hoc sensu: terra tremuit et quievit, postquam Deus tandem exsurrexit, ut poenas ab hostibus judicio persequeretur, contra vero Israelitis salutem afferret. Chaldaeus: *Dicunt pii: exsurget ad judicandum cum impiis Deus, ut salvos faceret ex manibus eorum omnes mansuetos terrae.*

11. כִּי־חֲמַת אָדָם תּוֹדֶךָ *Nam furor hostium laudabit* s. *celebrabit te*, i. e. dum judicium ita exerces, evenit, ut enascatur tibi laus maxima ex ipso hostium furore; vel: furor hostium a te domatus materiam te celebrandi praebet. Verba, quae actionem seu effectum notant, de occasione ejus haud raro intelligenda sunt, ut Gen. 42, 38. 43, 6. Ex. 23, 8. Alii *iram hominis* accipiunt pro homine irato, abstracto posito pro concreto, sensumque faciunt hunc: reliqui mortales tunc tremuerunt et quieverunt (Vs. 10.), quoniam necesse est, ubi vis, omnes homines, quantumvis feroces et furentes, tibi cedere, tuam potentiam agnoscere et celebrare. שְׁאֵרִית חֲמֹת תַּחְגֹּר *Residuum irarum accingis.* Irae humanae opponit iras Dei graves atque multas, et quidem tales, quas adhuc nondum exscruit, sed in suis quasi armamentariis reservavit, unde nomen שְׁאֵרִית *residuum* usurpat. Sensus igitur erit hic, vanum hominum furorem irae Dei praebere tum ansam, tum celebrationis materiam, quando nimirum iste hominum furor efficit, ut Deus

instar herois ira succensi, residuum irarum apparatum, tanquam arma, producat, eodemque se gladio et pharetra accingat. Verbum enim חָגַר de armorum bellicorum apparatu dicitur, vid. 1 Reg. 20, 11. Jud. 18, 11. 16. 17. Ps. 45, 4. Veterum solus Symmachus verba hebraea accurate expressit: *ὅτι θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσει σοι, λείψανον θυμοῦ περιζώσεν.* Sed longius ab Hebraeo discedit Alexandrinus: *ὅτι ἐνθύμιον ἀνθρώπου ἐξομολογήσεταί σοι, καὶ ἐγκατάλειμμα ἐνθυμίου ἑορτάσει σοι.* Quae Vulgatus ita reddidit: *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.* חֵמַת nomen a verbo נָחַם *poenituit*, deductum putavit; nam et Gen. 6, 6. וַיִּנָּחֶם *ἐνεθυμήθη* transtulit Graecus interpres; pro תָּחֹג autem תָּחָגֹּר a verbo חָגַג intellexit. Sensum putavit esse hunc: poenitentia facti, quae hostium animis post acceptam cladem successit, tua laus est, et tuae potentiae confessio; ea vero poenitentia ducti, quod inde temere et audacter contra religionem cultumque tuum ab ipsis commissum est, tui nominis observantia, sacrificiorum oblatione atque donariis compensabunt. Syrus in prioris hemistichii interpretatione sequutus est Alexandrinum: *Propterea quod cogitatio filii hominis confitebitur tibi; et reliquum irae ejus abrumpet indignationem.*

12. נִדְרוּ וְשַׁלְּמוּ לַיהוָה אֱלֹהֵיכֶם *Vovete et persolvite* vota *Jovae Deo vestro.* Adhortatur non barbaras gentes, sed Israelitas (quorum proprie Deus erat Jova), atque hos quidem *vel* in mediis adhuc periculis constitutos, ut vota Deo concipiant, *vel* eosdem in libertatem jam asservatos; atque hac ratione Imperativus vim habebit loquutionis conditionatae, ut Luc. 10, 28. *fac hoc et vives*, i. e. si feceris hoc, vives. כָּל־סְבִיבָיו יוֹבִילוּ שַׁי לַמּוֹרָא *Omnes circuitus ejus afferant munus terribili* (i. e. Venerando), quae adhortatio spectare videtur ad populos finitimos, quod qui terrae Judaeae circumpositi habitabant, *in circuitu Jovae* esse dicuntur; quum enim habitet Deus in terra Israelitica, ejus regionis vicini sunt et Dei. Hos itaque monet, ut donis ac muneribus iram Dei placent, et si quid de illius honore cultuque detraxerint, his officiis cultuque restituant. Nomen סביביו non esse conjungendum cum verbis quae praecesserunt, נדרו, ושלמו, verum cum יובילו, docet accentus *Merca compositum* in אלהיכם, quippe quod sequenti Athnach suam adimit distinguendi potestatem, Versumque secat in duas partes.

13. יִבְצֹר רוּחַ נְגִידִים *Vindemiat spiritum principum.* Cohaerent haec cum iis, quae praecesserunt, hoc modo: *afferant munera numini*, quod cernunt principum fastum et superbiam, ubi visum est, vinitoris instar amputare. Alexandrinus: *καὶ ἀφαιρουμένῳ πνεύματα ἀρχόντων.* Verbum בָּצַר proprium est vindemiatorum, valetque *uvas a vitibus succidere, vindemiare*, ut constat ex Jer. 6, 9. 49, 9. Obad. Vs. 5. Lev. 25, 5. 11. Similis metaphora est Jud. 20, 46. וַיְעֹלְלֻהוּ *et racemaverunt eum* (Benjamin).

Cf. Apoc. 14, 18. 19. רוּחַ *Spiritum*, alii *vitam* interpretantur, quasi diceretur: suorum causa, ubi est opus, principibus ipsis vitam adimit; alii vero, rectius, fastum et superbiam, ut Job. 15, 13. Prov. 16, 28. — נוֹרָא לַמַּלְכֵי־אֶרֶץ *Formidabilis* ipsis etiam *regibus terrae.*

Ps. 77.

Prior carminis pars gravem continet querelam de calamitate, ut videtur, publica, altera vero parte contestatur vates, nihil sibi efficacius fuisse ad confirmandum trepidum et dubitantem animum, quam memoria temporum antiquorum, quibus populum suum Deus in summis periculis conservavit. Subito autem abrumpitur carmen, in media commemoratione rerum mirabilium, quas Deus olim in populi sui gratiam fecerat, nulla ad praesentia accommodatione diserta facta, ut in aliis hujusmodi Psalmis observatur. Id quod in hanc adducere nos posset suspicionem, hunc Psalmum esse longioris carminis particulam. Pareau (*Instit. interpr. V. T.* p. 330.) judicat, Psalmi hujus Versum ultimum Psalmi 80. initio aptissime jungi, et ex utriusque Psalmi conjunctione unum quoddam oriri carmen omnibus partibus cohaerens et absolutum. Temporis, quo editus sit Psalmus, indicia apparent nulla.

2. קוֹלִי אֶל־אֱלֹהִים *Vox mea ad Deum* directa est. וַהַאֲזִין אֵלַי *Et aures attendendo* se. *attendit ad me*, i. e. exaudiet me; subaudito Praeterito post Infinitivum, ut Prov. 12, 7. 2 Sam. 3, 18. Jer. 6, 11.

3. בְּיוֹם צָרָתִי אֲדֹנָי דָּרָשְׁתִּי *In die angustiae meae quaero Dominum*, i. e. opem ejus rogo. De דָּרַשׁ vid. ad 34, 5. et de צָרָה ad 25, 17. יָדִי לַיְלָה נִגְּרָה *Manus mea per noctem effusa*, quod amplius est, quam simpliciter extensa; significat enim, se tanta vi extendisse, ut coelum versus quasi effuderit, sicut aquae effusae dicuntur נִגָּרִים 2 Sam. 14, 14. Alii sic reddunt: *manus mea noctu perfusa*, referuntque ad copiam lachrymarum, quibus inter precandum manus perfundebatur. Ita Chaldaeus: *stillat oculus meus lachrymis.* Videtur ejus menti obversatus esse locus similis Thr. 3, 49. נִגְּרָה *defluit oculus meus absque requie.* Alexandrinus: *ταῖς χερσί μου νυκτὸς ἐναντίον αὐτοῦ*, quod Vulgatus sequutus: *manibus meis nocte contra eum.* Legit נָגְדָה pro נִגְּרָה. Syrus quoque pro Resch legit Daleth, sed alio omnino sensu: *manus ejus noctu me flagellavit*, ac si scriptum fuisset: יָדוֹ לַיְלָה נִגְּדַנִי, et apud Hebraeos idem significaret נָגַד, quod apud Syros, nempe *flagellare.* Recte vero Symmachus: *ἡ χείρ μου ἐκτεταμένη διηνεκῶς.* De verbo פּוּג vid. Ps. 38, 9. מֵאֲנָה הֻנָּחֵם נַפְשִׁי *Renuit consolationem admittere anima mea*, prae angustiarum vehementia, aditus solatio omnes veluti praecludente. Eadem verba dicuntur de Jacobi dolore, qui vix levari potuit, Gen. 37, 35., nec non de Rahele Jer. 31, 15.

4. אֶזְכְּרָה אֱלֹהִים *Recordor Dei*, gratiae, quam mihi praestitit, dum mihi faverct. וְאֶהֱמָיָה *Et perstrepo*, pro אֶהֱמֶה, ut אֲתָיוּ *venite*, pro אֲתוּ Jes. 21, 12. et ibid. בְּעָיוּ pro בְּעוּ *quaerite*; tertia radicalis He ante paragogen in Jod mutatur, et vocalis terminalis Camez pro Pathach substituitur; vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 429. וְתִתְעַטֵּף רוּחִי *Et deficit spiritus meus*, cf. Ps. 61, 3.

5. In verbis אָחַזְתָּ שְׁמֻרוֹת עֵינָי interpretationis discrepantiam creat nomen שְׁמֻרוֹת, quod alii significatione eum אַשְׁמֻרוֹת *vigiliae* (63, 7. 119, 148.) existimant convenire, et hinc, subaudito praefixo ב, ita sensum faciunt: *tenuisti oculos meos in vigiliis* nocturnis, ne somno frui potuerim. Alii vero שמרות interpretantur *palpebras*, quod eae veluti oculorum sunt *custodiae* (a שָׁמַר *custodivit*). Ita Chaldaeus aliique: *tenuisti palpebras oculorum meorum*, apertas intellige, ne clauderentur in dulcem somnum. Alexandrinus in codice Vaticano: προκατελάβοντο φυλακὰς πάντες οἱ ἐχθροί μου, scd in Complutensi atque Aldina: προκατελάβοντο φυλακὰς οἱ ὀφθαλμοί μου, et sic Vulgatus quoque: *anticipaverunt vigilias oculi mei*, ex 119, 148., hoc sensu: tantis curis et molestiis angebar, ut si maxime vellem somnum capere, nullo modo possem, neque ulla vigiliarum pars accederet, quin oculos apertos atque pervigiles inveniret. נְפַעֲמָתִי Alexandrinus ἐταράχθην, Vulgatus *turbatus sum*, et Chaldaeus *conturbatus sum*, reddidit, atque eodem modo iidem interpretes reddiderunt Gen. 41, 8., ubi de Pharaone post somnium evigilante dicitur וַתִּפָּעֶם רוּחוֹ, et in Hithpael eadem quoque loquutio de Nebucadnezare usurpatur Dan. 2, 11. Videtur esse verbum denominativum a פַּעַם *gressus*, quo animi irrequieti motus indicatur, placidae mentis tranquillitati oppositus. וְלֹא אֲדַבֵּר *Ut loqui* s. effari satis aerumnas meas *nequeam*. Particula Vau *ut* reddenda, quemadmodum Ps. 59, 1. 14.

6. *Cogito* s. supputo *dies ab antiquitate*, i. e. dies antiquos, *annos seculorum*, temporum pristinorum. Bene Chaldaeus: *Numeravi dies bonos inde ab antiquis temporibus, annos bonos inde a seculis.* Miseria mea tanto gravius accumulatur, quanto crebrius revolvo tempora pristina meliora. Cf. 143, 5. Deut. 32, 7.

7. אֶזְכְּרָה נְגִינָתִי *Recordor pulsationis meae*, carminum meorum pristinorum, quibus divina beneficia celebravi. בַּלַּיְלָה עִם־לְבָבִי אָשִׂיחָה *Noctu cum corde meo meditor.* Chaldaeus: *cum cogitationibus cordis mei colloquor.* וַיְחַפֵּשׂ רוּחִי *Et scrutatur spiritus meus*, eo nimirum modo, qui Vs. 8—11. sequitur.

8. הַלְעוֹלָמִים יִזְנַח אֲדֹנָי *Num perpetuo indignabitur Dominus?* Vid. de verbo זָנַח ad 43, 2. 60, 3.

9. הֶאָפֵס לָנֶצַח חַסְדּוֹ גָּמַר אֹמֶר לְדֹר וָדֹר *Num desiit in perpetuum gratia sua?* num (repetendum חַ ex hemistichio priore, ut 85, 6.) *finitum est verbum a generatione in generationem?* num irrita facta sunt promissa sua? אֹמֶר h. l. de *promisso* intelligendum videtur, ut 68, 12.

10. אִם קָפַץ בְּאַף רַחֲמָיו *Num praeclusit in ira miserationes suas?* Chaldaeus: *An cessavit in ira sua commoveri misericordia sua?*

11. Versus obscurus ob verborum חַלּוֹתִי et שְׁנוֹת ambiguitatem. Plerique חלותי *vulnerari meum* (a חָלַל *vulnerari*, 109, 22.) i. e. plaga, dolor meus, interpretantur, vel etiam *infirmare me* (Infinitiv. Piel verbi חָלָה Deut. 29, 21.), i. e. infirmatio mei, s. quod aegrum et infirmum tantum me reddit; שְׁנוֹת autem verbi שָׁנָה *mutavit*, Infinitivum existimant, utrumque Chaldaeo auctore, qui hunc Versum sic reddidit: *Et dixi: infirmitas mea haec; mutari* s. *mutatio ejus potentia dexterae excelsae.* Sensus est: mea plaga, quod istis cogitationibus inhaereo, et anxia praesentium calamitatum meditatione me discrucio, quam tristem rerum faciem nemo, praeter Deum, mutare poterit. Alii, iisdem verborum significationibus retentis, sensum faciunt hunc: dolor meus non aliunde venit, nisi quod mutata est dextera excelsi; quae enim prius confringebat inimicos, nunc conversa est retro ab illis expugnandis atque cohibita. Cum verbis וָאֹמַר חַלּוֹתִי הִיא comparant haec Jeremiae verba 10, 19. *vae mihi super contritione mea! dolorosa est plaga mea, et ego dixi:* אַךְ זֶה חֳלִי *profecto haec infirmitas mea est.*

12. 13. Doloris sui optimum remedium statuit hoc, ut recordetur pristinorum Dei operum, unde constare nequeat, posse omnino Deum miserum suum statum convertere in meliorem, quod quidem remedium quum placeret, sequitur Vs. 13. וְהָגִיתִי *meditatus igitur sum* etc. Pertinet ergo אֶזְכּוֹר ad ea, quae Vs. 11. coeperat secum dicere.

14. אֱלֹהִים בַּקֹּדֶשׁ דַּרְכֶּךָ *Deus in sanctitate est via tua*, i. e. sancta est, vel potius ipsa quasi sanctitas, sancta sunt et justa, quae facis, omnia. Emphatica construendi ratio, qua praedicatum suo subjecto non nude jungitur, sed praemissa particula ב *in*, quae interiorem rei aut personae naturam et conditionem clarius significet, ut Ex. 32, 22. *nosti hunc populum*, כִּי בָרַע הוּא *quod in malo est*, i. e. malus, vel, in conditione mali. Prov. 3, 26. *Jova erit* בְּכִסְלֶךָ *in fiducia tua*, i. e. ipsa tua fiducia. Cf. Prov. 16, 6. Jes. 40, 10. Chaldaeus: *sanctae sunt viae tuae.* מִי־אֵל גָּדוֹל כֵּאלֹהִים *Quis Deus magnus sicut Deus?* i. e. sicut tu, posterius nomen positum est loco pronominis. Chaldaeus: *sicut Deus Israelis*, non male, nam אֱלֹהִים non nisi de Deo vero, quem Israeliticus populus colit, usurpatur.

16. גָּאַלְתָּ בִזְרוֹעַ עַמֶּךָ *Redemisti brachio* scil. *tuo* (vid. ad 30, 13.) *populum tuum.* De זְרוֹעַ vid. ad 37, 17. Quando robore potentiae tuae liberasti populum tuum educendo ex Aegypto, ut mox dicitur, tum igitur ostendisti potentiam tuam omnibus populis (Vs. 15.). בְּנֵי־יַעֲקֹב וְיוֹסֵף *Filios Jacobi et Josephi.* Chaldaeus: *filios, quos genuit Jacobus, et nutrivit Josephus*, is enim susten-

tavit Israelitas in Aegypto, Gen. 45, 10. 11. Quum igitur Aegyptiacam historiam et vindicias celebret, quibus ex illa terra suos vindicavit Jova, ideo ex auctoribus generis sui Jacobum et Josephum nominat solos, quod per hos in Aegypto collecti sint. Alii ex Jacobitis reliquis omnibus solius Josephi mentionem factam existimant ideo, quod is instar primogeniti (1 Chr. 5, 6.) duplicem portionem hereditatis accepit, duasque in populo tribus constituit, Gen. 48, 5. 6. Certe tota Jacobi familia hoc *Josephi*, tanquam primogeniti, nomine et alias venit, ut Ps. 80, 2. 81, 6.

17. רָאוּךָ מַיִם אֱלֹהִים *Viderunt te aquae, Deus*, tuam praesentiam potentiamque senserunt. Significantur stupenda illa, populi sui ex Aegypto vindicandi atque in Cananaeam introducendi gratia a Jova patrata, tam in maris rubri, quam in Jordanis fluvii aquis; quae utraque simili figura conjunguntur 114, 3. 5.

18. Verba זֹרְמוּ מַיִם עָבוֹת Chaldaeus bene sic reddidit: *descendere fecerunt aquas nubes coeli.* זֹרְמוּ est Piel pro זֵרְמוּ, ut שֹׁרֵשׁ *radices egit*, pro שֵׁרֵשׁ, Jes. 40, 24.; et לְמִשְׁפְּטִי *judicanti me*, pro מְשַׁפְּטִי, Job. 9, 15. Alii Pyal putant, redduntque: *effusae sunt aquae e nubibus;* subaudito מִ ante עָבוֹת. — אַף־חִצֶּיךָ *etiam sagittae tuae discurrebant*, quibus *fulmina* significari, docet res ipsa, quum praecesserit, intonuisse aethera. חִצֶּיךָ idem valet quod חִצֶּךָ, vid. loca parallela Hab. 3, 11. Ps. 18, 15. Bene Chaldaeus: *Manipuli sagittarum tuarum discurrebant et flagrabant.* Referuntur haec ad Ex 14, 24. 25., ubi narratur, *prospexisse Jovam e nube ignea ad Aegyptiorum exercitum*, quod accipiunt de horrenda tempestate, qua Deus Aegyptios in mari perterrefecerit atque conturbaverit.

19. קוֹל רַעַמְךָ בַּגַּלְגַּל *Vox rugitus tui in turbine* sc. *audita est*, ut Chaldaeus addit. Nomen גלגל alias de *rota* dicitur, vid. Jer. 47, 3. Ez. 10, 2. 6. 13. 23, 24. 26, 10. Dan. 7, 9. Quam significationem et h. l. Alexandrinus expressit: *φωνὴ τῆς βροντῆς σου ἐν τῷ τροχῷ*, *vox tonitru tui in rota*, ut Vulgatus reddidit. Quod nec sensu caret, si *rotam* per synecdochen pro *curru* dictam accipias. Nam ita vates depinget Deum curru insidentem, tantoque impetu in Aegyptios invectum, ut de rotis divini currus ad terrendos Aegyptios quasi tonitrua ederentur. Nostro vero loco, quod in altero hemistichio תֵּבֵל et הָאָרֶץ memorantur, voluerunt quidam vel *orbem coelestem* sive *aethera*, vel omnem rerum creatarum ambitum et universitatem significari, quam et Jacobus 3, 6. *τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως* vocat, et nominis hebraei significationem propriam esse *orbem*, a verbo גָּלַל *circumvolvit*, nulla est dubitatio. Sed quum non aliunde constet, Hebraeos hunc orbem terrarum ut sphaeram sibi cogitasse, malim iis accedere, qui גַּלְגַּל h. l. *turbinem*, circularem, omnia in gyrum agitantem, interpretantur.

20. בַּיָּם דַּרְכֶּךָ *In mari via tua*, tu fuisti dux populi tui per medium mare. Sic Hab. 3, 15. *viam fecisti in mari equis*

tuis, in acervo aquarum multarum. Pro singulari שְׁבִילֶךָ, quod Masorethae legendum praecipiunt, et Chaldaeus etiam expressit, olim pluralis שְׁבִילֵיךָ exstitit, quem ipsum Alexandrinus et Syrus exhibent, et praeferendum censet Kimchi, ex collatione Ps. 136, 13., ubi cf. not. Verba וְעִקְּבוֹתֶיךָ לֹא נוֹדָעוּ *et vestigia tua non sunt cognita*, alii sic interpretantur: omnem captum humanae naturae superant; alii referunt ad aquas maris post transitum Israelitarum statim relapsas, ut nullum transitus vestigium relictum esset, Aegyptiique undis obruti submersique. Nos simpliciter invium iter intelligendum arbitramur, quod sine ductu Dei nemo possit ire aut sequi, ideoque et Aegyptii perierunt.

21. נָחִיתָ כַצֹּאן עַמֶּךָ *Duxisti ut gregem populum tuum*, tanta cura, quanta pastor gregem, ne ullum pateretur detrimentum. Cf. 23, 6. — בְּיַד־מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן *Per manum Mosis et Aaronis*, significatur ministerium et opera utriusque, qua Deus ad hanc rem usus fuerit, cf. Ex. 9, 35. 2 Reg. 8, 53. 17, 13.

Ps. 78.

Argumentum Psalmi potissimum in eo versatur, ut ostendatur, populum, ex quo in fidem et tutelam Jovae receptus sit, subinde temeritate sua atque inconstantia provocasse indignationem Numinis, non sine gravissimo suo incommodo detrimentoque. Exordio facto non nimis brevi (Vs. 1—8.) primo exemplo utitur vates sui aevi, omnibus tum familiari atque obvio (9—11.), dehinc altius descendit atque immittit se in pristinum aevum (12. sqq.), populique historiam inde ab initiis reipublicae usque ad suam fere aetatem persequitur. Consilium videtur duplex habuisse, primo, ut suos ad perseverantiam in fide et religione excitaret, deinde ut pungeret exagitaretque Ephraimitas ob secessionem a gente Davidica, ad quam solam jus summi imperii pertineat ex voluntate et decreto Jovae.

Carminis causam et originem ex domestico illo bello a Judaeis cum Israelitis gesto, Abia Jeroboamoque regibus, cujus historia 2 Chr. 13. habetur, esse repetendam, primus vidit Schnurrerus (in Dissertat. ad hunc Ps. *Tubing.* 1790., repet. in *Commentatt. theoll.* a Velthusenio et Kuinoelio editt. Vol. I. p. 76. sqq.), felicissimus hujus carminis interpres. Plura vid. ad Vs. 9.

1. תּוֹרָתִי h. l. *doctrinam meam*, non *legem meam*, reddendum esse, docet res ipsa. Significat nomen תּוֹרָה in genere omnem doctrinam, quaecunque illa sit, atque ita h. l. etiam praesentem, i. e. hujus Psalmi doctrinam, quam subjicit Versibus sequentibus Psalmographus. Eandem *doctrinae, disciplinae* notionem obtinet vox hebraea Prov. 1, 8. 3, 1. 13, 14.

2. Nominibus מָשָׁל atque חִידוֹת h. l. ut 49, 5. (ubi not. cf.) significantur *dicta singularia et exquisita*, nec non *memorabilia*,

in quibus cognoscendis operae pretium fiat. Verbum נָבַע (de quo vid. 59, 8.) h. l. ut 19, 3. — מִנִּי־קֶדֶם *Ab* (Jod paragogicum, ut Vs. 42.) s. *ex antiquitate* repetita, eloquia de rebus antiquis.

3. אֲשֶׁר referri potest tam ad חִידוֹת, quam ad ea, quae sequuntur, ita ut sensus absolvatur Vs. 4., hoc modo: illud *quod audivimus, non celabimus* etc., quod posterius magis probandum.

4. „Pro מִבְּנֵיהֶם dicere poterat auctor מִבְּנֵינוּ. Sed quod ad patres refert aequalium filios, videtur eo consilio fecisse, ut magis etiam patefieret, ad hos jure pertinere, quod sit ab illis profectum.“ Schnurrer. לְדוֹר אַחֲרוֹן מְסַפְּרִים *Generationi posterae enarrantes* scil. אֲנַחְנוּ *nos* sumus, תְּהִלּוֹת יְהוָה *laudes Jovae*, i. e. talia, quibus celebrentur laudes Jovae.

5. Hunc Versum recte sic transtulit Schnurrerus: *Nam constituit praeceptionem* (de עֵדוּת vid. 25, 10.) *apud Jacobitas, et legem proposuit apud Israelitas, qua jussit majores nota ea facere posteris suis*, hancque subdit observationem: „Haec non putamus intelligenda esse de legibus atque institutis universis ad ordinandam regendamque rempublicam Judaicam a Deo sancitis; neque enim huic sensui favet series et contextus orationis: sed, quod alii ad עֵדוּת et תּוֹרָה referunt, pronomen in לָהֳדִיעָם, nobis ad עֵדוּת et נִפְלָאוֹת pertinere videtur, ut sensus sit hic: constituisse Deum, praeclara, inde a primis populi initiis ab se edita, potentiae benevolentiaeque specimina ab his, qui testes ipsi interfuissent, prodenda esse filiis, atque omnino ad posteros transmittenda, ut futurorum etiam hominum proles intelligat, felicissime se agere, si tanto Numini sese committat, atque obsequio et observantia commendare se studeat. Exstat locus Deut. 4, 9., ubi gravissime monentur Israelitae, velint memoriam beneficiorum a Deo acceptorum et sibi sanctam servare, et liberis etiam posterisque commendare diligentissime.“

6. Ante יִוָּלֵדוּ subaud. אשר, ut 44, 2. 49, 13. 51, 10. Ante יָקֻמוּ repeti potest vel לְמַעַן *ut*, vel denuo subaudiri אשר, ut sit ulterior descriptio posterorum. קום enim, *surgere*, h. l. idem est ac *succrescere, emergere*, succedere aliis, ut Exod. 1, 8. Schnurrerus verba יָקֻמוּ וְיִסַּפְּרוּ לִבְנֵיהֶם sic reddidit: *atque hi deinceps narrarent filiis suis*, inque nota haec observavit: יָקֻמוּ ordinem hic, quo alii aliis sint successuri, significat, et cum modum rei describat, explet vicem Adverbii.

7. וְיָשִׂימוּ בֵאלֹהִים כִּסְלָם *Posuerunt in Deo spem suam.* De כֶּסֶל vid. 49, 14.

8. וְלֹא יִהְיוּ כַּאֲבוֹתָם *Nec similes essent patribus eorum*, significantur illi, qui ex Aegypto profecti in deserto Arabico diem suum obiere, Num. 14, 22. sqq. לֹא הֵכִין לִבּוֹ *Quorum inconstans erat animus.* לֵב נָכוֹן duplici sensu dicitur Hebraeis. Modo animum fortem et laetum significat, qui metu vel dolore concussus

non est, veluti 10, 17. 57, 8. 112, 7., modo eum, a quo abest levitas mutabilitasque consilii atque opinionum; qui usus hoc Versu cernitur, atque iterum Versu 37. Sed ad formulam לֹא הֵכִין אֶל־אֱלֹהִים לִבּוֹ subaud. אל־אלהים, is autem dicitur הֵכִין לִבּוֹ, qui neglectis numinibus fictis Jovam ut suae salutis verum ac certum auctorem unice colit et veneratur, 1 Sam. 7, 3. Recte Chaldaeus nostra verba reddidit: *nec composuit animum suum ad Dominum suum.* וְלֹא־נֵאֱמָנָה אֶת־אֵל רוּחוֹ *Cujus animus non firmus fuit cum Deo*, non Deo fuit addictus fideli atque firmo animo, fidem debitam constanter ei non praestitit, cf. infra Vs. 57.

9. Sicut *filii Ephraim armati, jaculatores arcu*, sagittarii, *verterunt se*, fugerunt, *in die proelii.* Ab exemplo majorum generaliori descendit vates ad speciale defectionis aut pervicaciae exemplum, ab Ephraimitis praebitum, ut proinde non incommode ex Vs. 8. repeti possit particula similitudinis; ut ne essent כַּאֲבוֹתָם, et כִּבְנֵי *sicut filii Ephraim*, cujusmodi exemplum subaudiendae particulae similitudinis adfuit 58, 9., cf. Coh. 8, 1. Integri Versus sententia igitur talis est: ne similes sint Ephraimitis, qui quamvis rei militaris peritissimi, instructi armis et arcubus nihil tamen profecerunt, sed praelio commisso in fugam conversi sunt. Alexandrinus נוֹשְׁקֵי־קֶשֶׁת reddidit ἐκτείνοντες, consentiente, praeter Vulgatum et Arabem, etiam Syro interprete. Nec desunt plane libri, qui scriptionem נוֹקְשֵׁי referant. Sed non videtur formula נוֹקֵשׁ־קֶשֶׁת in usu posita fuisse apud Hebraeos. Ceterum haec ad singulare aliquod factum respectum habere, dubium vix esse potest, quum, recte observante Schnurrero, causa non intelligatur, cur et Ephraimitae magis, quam alii, et cur hoc maxime loco commemorandi fuerint. Et ita quidem verba nostra sunt comparata, ut aliquam poetae aequalibus bene cognitam rem gestam innuere debeant. „Atque, quam locus hic carminis spectare possit, pugnam haud frustra requiras in annalibus Judaicis. 2 Chr. 13. legitur, bello Abiam inter, Judaeorum, et Jeroboamum, Israelitarum regem orto, illum fortissimorum hominum quadringenta millia in aciem eduxisse, hunc itidem lectissimorum fortissimorumque militum millia octingenta. Ille ex monte Zemaraïm in tractu Ephraimitico verba ad Israelitas facit, Jerobeamo perfidiam in regem a Deo constitutum, populo Sacrorum mutationem et a vero Numine defectionem exprobrat, contra se suosque in pristina religione et antiqua in Jovam fide perstitisse gloriatur; hoc, quem illi desernerint, se nunc duce et auspice uti, veri nominis sacerdotes, classicum mox canturos, se secum habere, Jovae ipsius scse causam agere; nolint igitur adversus Jovam facere, a majoribus ipsorum cultum, quod non possit non funestum eventum habere. Deinde cum vident Judaei, se insidiis circumventos esse, atque a fronte et a tergo urgeri, Jovae sui fidem implorant, sacerdotibus tubas inflantibus; mox hostes a Deo perculsi in fugam se conjiciunt, et horribilem

stragem caedemque patiuntur. Haec clades cum planissime dicatur consequuta esse ex defectione Israelitarum a Jova, habes omnino, quo respexisse putare possis vatem, perhibentem, Ephraimitas in fugam conjectos esse propterea, quod foedus cum Jova factum violarint, inque ejus fide permanere recusaverint. Quod autem *Ephraimitas* dicit poeta Israelitas, difficultatem non habet. Nam et Jerobeamus, auctor conditorque regni Israelitici, Ephraimita ortu fuit (1 Reg. 11, 26.), et copiarum, quas contra Abiam eduxit, potiorem partem ex Ephraimitica tribu, omnium, quibuscum juncta erat, numerosissima, collectam fuisse, credibile est ex eo, quod sedes belli esset in provincia Ephraimitica. Constat praeterea, post secessionem decem tribuum populique in duas civitates disjunctionem, usu sensim invaluisse, ut novum regnum non Israelis tantum, sed et, maxime in graviori dicendi genere, Ephraimi nomine designaretur, ducto illo ab ea tribu, quae reliquas et hominum multitudine, et vi atque auctoritate antecelleret. Et quod clades ipsa non copiosius fusiusque celebratur, sed paucissimis tantum verbis absolvitur, et quasi significatur magis, quam exponitur; credibile fit, ab illo aevo, quo res omnis, prouti gesta esset, in hominum memoria versaretur, omnibusque nota esset et pervulgata, remotum haud fuisse auctorem carminis."

10. Recte Chaldaeus Syrusque interpretes, ut significarent hunc Versum continere rationem praecedentis versiculi aut belli infelicis, interpretati sunt: *propterea quod non servarunt foedus Dei*, quod in Sinai monte cum Israelitis fecit, Ex. 19, 5. 24, 3. 7., et postea a Mose Deut. 29, 9. sqq. et a Josua Jos. 24, 24. est repetitum.

11. אֲשֶׁר הֶרְאָם *Quae eis ostendit;* „non potest hic usitato sensu intelligi: nam, ad quos pronomen pertinet, Ephraimitae, divinis illis factis, quae mox commemorantur, ipsi interfuisse dici non possunt. Sed quid vere velit auctor, ipse declarat, illico subjiciens (Vs. 12.), נֶגֶד אֲבוֹתָם עָשָׂה פֶלֶא *coram majoribus eorum mira patravit.* Itaque dum הֶרְאָם dicit, non הֶרְאָה אֶת־אֲבוֹתָם, sed *hoc* innuit: proxime quidem ad majores pertinuisse ea miracula, sed eadem posteris simul proposita esse, tanquam incitamenta religionis et in cultu divino constantiae." Schnurrer.

12. בְּאֶרֶץ מִצְרַיִם. Vid. Ex. cap. 7. sqq. שְׂדֵה In *agro* s. territorio, ut Gen. 14, 7. Ruth 1, 6. 1 Sam. 6, 6. Pro צֹעַן Alexandrinus Chaldaeusque interpretes ubique *Τάνις*, טָאנִיס, ponunt, quae urbs antiquissima (Num. 13, 23.), et regia Pharaonum sedes fuit, vid. Jes. 19, 11. 13. Ez. 30, 14. Innuit stupenda illa facta, quibus tunc effecit Deus, ut Pharao Israelitas tandem dimitteret.

13. Postea, quum eos Pharao armata manu in servitutem retrahere vellet, בָּקַע יָם *fidit mare*, sc. sinus Arabici, ut viam Israelitis tutam ac solidam faceret. וַיַּצֵּב־מַיִם כְּמוֹ נֵד *Et consistere fecit aquas* maris *tanquam cumulum* (de quo nomine vid.

ad 33, 7.), cf. Ex. 14, 22., ubi aqua Israelitis utrinque *instar muri* stetisse dicitur.

14. Cf. Exod. 13, 21.

15. Verba וַיַּשְׁקְ כִּתְהוֹמוֹת רַבָּה plerique sic interpretantur: *potavit eos* (subaudito אוֹתָם, ut vult Aben-Esra, simili omissione qualis 59, 14. 106, 7. 29.) *quasi voraginibus magnis*, ut per enallagen adjectivum singulare, רַבָּה, construatur cum substantivo plurali, ut 18, 15. בְּרָקִים רַב, cf. 68, 31. Jer. 51, 58. Alii adverbialiter accipiunt: *plurimum*, *copiose*, ut Ps. 62, 3. Sed rectius Schnurrerus hanc vocem pro nomine habet, quod significet eos, quibus aquatio parabatur, h. e. populi multitudinem universam. Ita non opus erit, quidquam subaudire. Pro כִּתְהוֹמוֹת in libris benc multis et scriptis et editis (vid. de Rossium ad h. l.) exstat בִּתְהֹמוֹת (quemadmodum 80, 6. וַתַּשְׁקֵמוֹ בִּדְמָעוֹת dicitur), quod praefert Schnurrerus, nam כ similitudinis, inquit, „nonnihil minuit sensum, quem amplissimum habere vult poeta, hoc dicens: ex rupe adeo eam promanasse aquae copiam, quae sufficeret universae multitudini non minus abundanter, ac si maris ipsius copia ac potestas facta illis esset.“ Legitur tamen et Vs. 16. כַּנְּהָרוֹת מַיִם.

16. Nomine נוֹזְלִים significantur aquae vivae et limpidae, oppositae aquis stagnantibus et putridis, ex imbribus collectis, quales cisternae in desertis illis continent. Vid. Num. 20, 8. sqq.

17. לַמְרוֹת pro לַהַמְרוֹת *ad instar rebellium exacerbandum*, Infinitiv. Hiphil verbi מָרָה *rebellare*, construitur hic cum Accusativo עֶלְיוֹן *excelsum*.

18. וַיְנַסּוּ־אֵל בְּלִבָּם *Tentarunt Deum in animo*, haud dubie intelligendum de animo sausio offensoque, qui primo quidem nonnihil se contineret, mox autem in querelas acerbosque sermones erumperet. לִשְׁאֹל *Petendo*, ל h. l. format Gerundium in *do*, ut in לֵאמֹר *dicendo*; לַעֲשׂוֹת *faciendo* (Coh. 2, 11.), לְבַקֵּשׁ *quaerendo* (ib. 8, 17.). לְנַפְשָׁם *Pro appetitu ipsorum*, h. e. non ad vitam, vel necessitatem, cui ad primum illorum petitum per Manna satis prospectum fuit, sed ad voluptatem; sic נֶפֶשׁ de *appetitu* dicitur Ps. 27, 22. 35, 25. Coh. 6, 2., quare Kimchi h. l. recte interpretatus est *pro cupiditate ipsorum*. Cf. Num. 11, 4. 6.

18. Verba וַיְדַבְּרוּ בֵאלֹהִים Chaldaeus bene reddidit: *et infremuerunt coram Domino*. Alexandrinus: καὶ κατελάλησαν τοῦ Θεοῦ, Vulgatus: *et male loquuti sunt de Deo*. הֲיוּכַל אֵל לַעֲרֹךְ שֻׁלְחָן *Num potest Deus adparare* (nobis) *mensam* scil. gratorum ciborum, Jes. 21, 5. Ps. 23, 5.

20. לֶחֶם *Panem* et cibum, qualem volumus, Num. 21, 5. אִם־יוּכַל שְׁאֵר לְעַמּוֹ *Num carnem suppeditare poterit populo suo?* Vid. ad Ps. 68, 11.

21. וְגַם־אַף עָלָה בְיִשְׂרָאֵל *Atque etiam ira* sc. Dei *ascendit*, exaestuavit *in Israelitas*. Similiter 2 Sam. 11, 20. תַּעֲלֶה חֲמַת חַמַּלְכָּ *ascendit fervor*, irae aestus, *regis*.

22. כִּי לֹא הֶאֱמִינוּ בֵּאלֹהִים *Quod non credidissent in Deum*, quod ipsos, etiam sine pane, conservare posset, cf. Deut. 8, 3.

23. וַיְצַו *Mandaverat*, s. *quum tamen mandasset*; recurrit enim pocta ad beneficium mannae, quod murmur illud modo memoratum praecesserat; unde in Plusquamperfecto reddendum esse verbum, agnovere etiam Kimchi et Aben-Esra, quorum hic exempla similia affert Gen. 2, 7. *et formaverat Deus;* et Ex. 19, 2. *profecti autem erant de Rephidim.* שְׁחָקִים *nubes*, commemorat poeta, non quod nubium hac in re aliquae partes fuerint, sed, quae coelo inhaerent, nubes, pro coelo ipso dicuntur. De coelo autem delapsam dum perhibet mannam, sequitur ipse vulgarem opinionem, quae mannam, ut rorem, ferebat ex coelo descendere; siquidem non Hebraeis modo, in plana etiam simplicique oratione, Ex. 16, 4. dicitur לֶחֶם מִן הַשָּׁמַיִם; sed et Arabicis adeo rerum naturalium scriptoribus audit *manna coeli.* Cf. not. ad Ex. 16, 4. וְדַלְתֵי שָׁמַיִם פָּתָח *Et januas coeli aperuit.* Kimchi: hoc indicat multitudinem Mannae quae descendit; coll. Gen. 7, 11. 2 Reg. 7, 2. 19. Mal. 3, 10.

24. דְּגַן־שָׁמַיִם *Frumentum* s. triticum *coeli* vocat manna, quod instar granorum colligebatur, nec e terra natum sed coelitus datum, et divina virtute in aëre paratum erat; Exod. 16, 4. Num. 11, 7.

25. Verba לֶחֶם אַבִּירִים אָכַל אִישׁ Chaldaeus sic reddidit: *nutrimentum, quod descendit de habitaculo angelorum, comederunt homines* (cf. Sap. 16, 20. ἀγγέλων τροφὴν ἐψωμισας τὸν λαόν σου). Sed אַבִּיר nusquam de *angelis*, verum semper de praecipuis primariisque hominibus usurpatur. Bene Schnurrerus: „אַבִּירִים non, quod veteribus placuit, de *angelis* intelligendum; quamquam et hoc ferri possit in poetico dicendi genere, sed de viris illustribus praepotentibusque, qui, cum exquisitiore, quam alii, cibo uti solcant; לֶחֶם אַבִּירִים dicitur pro cibo eximio et plane honorifico, ut sensus sit: cibum minime vulgarem ita communem factum esse, ut omnes omnium ordinum homines eodem sint potiti.“ צֵידָה quidam accipiunt de *coturnicibus*, quod ex צוּד *venando*, caperentur. Sed recte monuit Aben-Esra, nomen illud generatim de *viatico* usurpari, vid. Gen. 42, 45. 45, 21. Ex. 12, 39. Chaldaeus quoque h. l. *commeatum* reddidit.

26. Nec panem tantum, sed et carnem (Vs. 20.) facile, pro omnipotentia sua, illis dedit. Ideoque ad cogendas et advehendas volucres יַסַּע קָדִים בַּשָּׁמָיִם *excitavit in coelo ventum* vehementem et impetuosum, de quo nomen קָדִים h. l. ut 48, 8. (ubi cf. not.) dici, recte observavit Schnurrerus. Eum ventum autem *Africum* s. Austrum in altero hemistichio distinctius designat. Austrum vero dici ventum, quo advectae sint coturnices, est rei accommodatissimum. Etenim Austro spirante volant difficilius, et facilius capiuntur; quod docet Bochartus T. II. p. 665. Et Michaelis

refert in Notis ad Num. 11, 31., a Forskalio se accepisse, coturnices a trajecto mari fessas viribusque exhaustas in terram concidere. Hemistichium prius Alexandrinus ἀπῆρεν νότον ἐξ οὐρανοῦ reddidit, quod sequutus Hieronymus: *abstulit Eurum de coelo*, verbo נָסַע *transferendi*, *auferendi* significatione accepto, qua aliquoties occurrit, veluti Ps. 80, 9. 2 Reg. 4, 4. Eccles. 10, 9. Nec defuerunt ex recentioribus interpretibus, quibus idem placuit, inter quos RUDINGERUS, qui sensum hunc fecit: *repressis per aërem ab oriente ventis, a meridie potentia sua excitavit austrum.* Sed *ducendi* s. *adducendi* significatione verbum illud h. l. accipiendum esse, apparet ex eo, quod illi in altero hemistichio נָהַג respondet, atque eodem plane modo utrumque verbum infra Vs. 52. usurpatur, quo quidem loco verbum נָסַע *auferendi* notione nequaquam potest sumi.

27. Intenditur novo simili coturnicum copia, quod sicuti ventus in arenosis desertis pulverem concitat, ut omnem rerum obviarum superficiem plane contegat, ita et coturnicum vento advectarum ingenti multitudine castrorum superficies plane obtegebatur; vid. Num. 11, 31.

29. וַיִּשְׂבְּעוּ מְאֹד *Et valde saturati fuerunt;* respicit ad Ex. 16, 12. Num. 11, 19. 20.; cf. Deut. 8, 12. — וְתַאֲוָתָם יְבִיא לָהֶם *Et desiderium eorum*, i. e. rem desideratam (ut Ps. 21, 3.) *attulit eis*, optatis eorum satisfecit.

30. לֹא־זָרוּ מִתַּאֲוָתָם *Non remoti erant a desiderio ipsorum*, h. e. quum nondum absumta esset caro, quum adhuc rei tam desideratae inhaererent, ecce ira Dei in eos erupit (Vs. 31.). עוֹד אָכְלָם בְּפִיהֶם *Adhuc cibus eorum in ore ipsorum fuit*, quae formula ejusdem plane potestatis est cum Mosaica illa Num. 11, 33. הַבָּשָׂר עוֹדֶנּוּ בֵּין שִׁנֵּיהֶם *adhuc caro* desiderata *erat in dentibus ipsorum.* Igitur sensus est: diuturnam haud fuisse laetitiam, sed cibo novo gratoque etiamnum cupide utentibus diras et funestam luem supervenisse.

31. וַיַּהֲרֹג בְּמִשְׁמַנֵּיהֶם *Et occidit pinguedines eorum*, quibus non *principes* vel *nobiles* intelligendi, ut videtur interpretibus, sed homines pingues, nitidi, ab omni imbecillitate valetudinis immunes, quo sensu dicitur quoque Jud. 3, 29. כָּל־אִישׁ שָׁמֵן וְכָל־אִישׁ חָיִל. ב ante משמניהם inservit constructioni verbi, faciens h. l. Accusativum, ut 2 Reg. 17, 25. *et immisit contra eos leones*, et fuerunt הֹרְגִים בָּהֶם *interficientes ipsos;* cf. Esth. 9, 16. Versus verba postrema Chaldaeus sic transtulit: *juvenes Israelis prostravit.*

32. בְּכָל־זֹאת *In omni* tamen *hoc*, i. e. hoc nihil obstante, nihilominus tamen (cf. Jes. 5, 25. 9, 11. 16. 20. 10, 4.), vel poenis vel beneficiis divini non facti sunt cautiores, sed חָטְאוּ־עוֹד *peccarunt amplius*, nempe, ut Aben-Esra et Kimchi monent, in negotio exploratorum Num. 13. 14., item Corachi, Num. 16. 17.

et aquarum contentionis Num. 20. Quod comprobat Schnurrerus: „Respicitur maxime ad aegritudinem populi ortam ex renunciatione exploratorum, quae vim habebat, ut de expugnanda terra Israelitica prorsus desperaret, immemor rerum a Deo gestarum omnium, quibus et potentiam suam et fidem ipsis jamjam comprobasset luculentissime. Formula לֹא הֶאֱמִינוּ בְּנִפְלְאֹתָיו similima est illi, qua apud Mosen Num. 14, 11. Deus dicit: עַד־אָנָה לֹא־יַאֲמִינוּ בִי quando tandem multis meis miraculis id efficiam, ut salutem suam mihi rectissime committere se posse intelligat populus?“

33. *Et consumsit in vanitate dies eorum, et annos eorum in terrore.* Sensus: effecit Deus, ut et frustra aetatem consumerent, exclusi a novae patriae aditu, et incertam multoque metu perturbatam.

34. אִם־הָרָגָם וּדְרָשׁוּהוּ *Quum* sive *quando* (ut Ps. 50, 18. Num. 36, 4. Prov. 3, 24.) *interfecit eos*, immissa eis plaga (Vs. 31.), quae plurimos eorum absumsit, tum reliqui, vitae suae metuentes, *quaesiverunt* quidem eum, de gratia ipsius recuperanda erant solliciti.

36. וַיְפַתּוּהוּ בְּפִיהֶם *Et lactaverunt eum ore ipsorum*, q. d. verum haec ab animo eorum non proficiscebantur, sed ore tantum blandiebantur.

37. וְלִבָּם לֹא נָכוֹן *Sed animus eorum non firmus erat*, cf. not. ad Vs. 8. — עִמּוֹ, ut sincere et candide *cum eo* agerent, cf. Jud. 16, 15. 1 Reg. 8, 61. 15, 14. — וְלֹא נֶאֶמְנוּ בִּבְרִיתוֹ *Nec fidi* et constantes *erant in foedere ipsius*, ut facerent, quae illud requirebat, et ipsi toties repromiserant, vid. Vs. 10. coll. Jer. 31, 32.

38. וְהַרְבָּה לְהָשִׁיב אַפּוֹ *Multiplificavit retrahere iram suam*, i. e. multoties retraxit iram suam, s. eandem cohibuit, verbum prius cum sequenti Infinitivo adverbiascens, ut supra Vs. 17., cf. Ps. 51, 4. Jes. 55, 7. — וְלֹא־יָעִיר כָּל־חֲמָתוֹ *Nec concitavit omnem iram suam*, si etiam in eos animadverteret, quod Thren. 4, 11. et Ez. 6, 12. sic exprimitur: כִּלָּה אֶת־חֲמָתוֹ. Chaldaeus: *nec accelerabat in eos omnem iram suam.* Alexandrinus: *καὶ οὐχὶ ἐκκαύσει πᾶσαν τὴν ὀργὴν αὐτοῦ*, per transmutationem literarum gutturalium ע et א accepit יָעִיר pro יָאִיר, vel sensum tantummodo respexit.

39. כִּי־בָשָׂר הֵמָּה רוּחַ הוֹלֵךְ וְלֹא יָשׁוּב *Nam caro*, i. e. homines sunt, *spiritus abiens*, halitus, qui, si abierit, *non revertitur.* Hoc non eo consilio dictum est, ut sit quasi quaedam excusatio levitatis illius inconstantiaeque, ducta ex imbecillitato vel pravitate mentis humanae, quae tanta sit, ut moderatio adhibenda Deo visa fuerit in animadvertendo. Sensus potius videtur esse hic: in humano corpore tam parum firmitatis inesse et roboris, ut vix dignum Deo sit, impetum facere in talem aliquem, qui nullo certamine protinus spiritum emittat, nullo modo eum recuperaturus. Cf. Job. 7, 7. sqq.

40. כַּמָּה *Quot* sc. vicibus, i. e. quoties, cf. 2 Chr. 18, 15. Job. 21, 17. — יַמְרוּהוּ *Exacerbarunt eum*, rebellione sua ipsum ad iram provocando, cf. Vs. 17. Num. 14, 11. 17, 10. sqq. 21, 6. Deut. 1, 26. 43.

41. Hunc Versum optime sic transtulit Schnurrerus: *Subinde tentarunt Deum, fecerunt, ut ipsorum taederet Numen Israelis*, atque in nota haec subdidit: „Mirum, esse etiamnum interpretes, qui תְּחַוּ reddant *circumscripserunt*, *certis limitibus descripserunt*, cum rectior certiorque interpretatio in promtu sit. Syriace תְּוָא est *poenituit*, unde הַתְוָה אוֹתוֹ est, *fecit*, *ut eum poeniteret*. Sic fere Alexandrinus παῳώξυναν, Vulgatus *exacerbarunt*, Syrus *irritarunt*.“

42. לֹא זָכְרוּ אֶת־יָדוֹ *Non recordati sunt*, s. in animum sibi revocarunt *manum ipsius*, quae tam mirifica facinora patraverat; recte Chaldaeus: *miracula manus ejus;* cf. Ex. 7, 5. 13, 9. יוֹם אֲשֶׁר־פָּדָם מִנִּי־צָר *Diei*, temporis scil. non recordati sunt, *quo redemit*, liberavit, *eos ab hoste*.

45. עָרֹב alii insectorum omnis generis *colluviem* interpretantur, alii *muscam*, alii post Oedmannum (*Vermischte Sammll. a. d. Naturk.* Fasc. 2. cap. 7.) *blattam orientalem*. Tutissimum tamen fuerit, cum Graeco Alexandrino interprete κυνόμυιαν, *muscam caninam* intelligere; cf. not. ad Ex. 8, 17. Pluribus de hoc nomine egimus ad Bocharti *Hieroz.* Tom. III. p. 434. Verbum וַיֹּאכְלֵם non referendum est ad Deum, verum ad עָרֹב, quemadmodum in altero hemistichio dicitur: וּצְפַרְדֵּעַ וַתַּשְׁחִיתֵם *et ranas*, *quae perderent eos*, sordibus suis omnia commaculando; et deinde foetore suo aërem inficiendo, vid. Ex. 8, 2. 10. 20. Cf. *Hieroz.* T. III. p. 584.

46. De אַרְבֶּה et חָסִיל, quibus nominibus certae *locustarum* species designantur, vid. *Hieroz.* l. c. p. 252. 256. וְיִגִיעָם *Et laborem eorum*, h. e. quae magno ipsi labore plantaverant, severant, atque coluerant, Deut. 28, 33.

47. Chaldaeus bene reddidit: *decorticavit grandine vites eorum, et sycomoros grandine majori;* neque enim nomine חָנָמָל *locustae* speciem quandam significari, ut quibusdam visum est, sed aliquid *grandini*, בָּרָד, analogum, hemistichiorum suadet parallelismus. Plura de voce illa vide in *Hieroz.* l. c. p. 255. Verbum הָרַג poetice de grandine vites et sycomoros laedente et percutiente dictum, similem tropum vid. 2 Reg. 3, 19. Job. 14, 8. Historiam ipsam lege Ex. 9, 23.

48. Pro לַבָּרָד Codices quidam referunt לַדֶּבֶר. Quae lectio apta quidem sit ad notandam luem, quam omnis generis pecudes passae essent Exod. 9, 1—7. Sed quum nonnisi paucissimorum testium auctoritatem habeat, tenenda erit לַבָּרָד, ut sensus sit: eodem illo grandine tantam et pecoris copiam periisse, ut largissi-

mam inde praedam nanciscerentur aves carnivorae. De רְשָׁפִים vid. ad Ps. 76, 4. Chaldaeus h. l. reddidit *tela ignis*, i. e. fulmina, quod congruit eis, quae Ex. 9, 23. 24. leguntur.

49. Pro מִשְׁלַחַת מַלְאֲכֵי רָעִים Chaldaeus posuit; *quae immissa sunt eo tempere per nuntios malos*, quasi forma regiminis מַלְאֲכֵי per enallagen posita esset pro absoluta מַלְאָכִים, ut saepius, veluti 58, 5. חֲמַת לָמוֹ, et לְחַיַּת 74, 19., ubi not. vid. Alii explicant *angeli malorum*, i. e. angelorum pessimi, ut Num. 5, 19. 23. 24. מֵי הַמָּרִים *aquas amararum* aquarum, s. *amaritudinum* interpretantur amarissimas. Rectius haud dubie Schnurrerus transtulit *missis ministris malorum*, ad quae haec adnotavit: מַלְאֲכֵי רָעִים formula est ut מַלְאֲכֵי־מָוֶת Prov. 16, 14. Sed difficile fuerit dictu, propriene vates usus sit nomine מַלְאָכִים, ut in vexandis Aegyptiis coelestium ministrorum operam adhibitam fuisse innuat, an translatio sit, quae Dei jussu et voluntate eveniunt, mala, veluti pestis, fames, al., divinorum ministrorum officio fungi haud inepte fingi dicique possint, coll. Ps. 104, 4. Simili ratione mox, Versu proximo, mortis persona inducitur, dum inhiasse Aegyptios ipsos, ne jam amplius a Deo repressa esse fingitur, quo minus in eosdem irrueret, et cunctis viribus saeviret.

50. Verba יְפַלֵּס נָתִיב לְאַפּוֹ *direxit* s. *complanavit viam irae suae* Chaldaeus non male reddidit: *ambulare fecit in via strata iram suam*, et חַיָּתָם in altero hemistichio interpretatus est *jumenta eorum*, quae לַדֶּבֶר הִסְגִּיר *pestilentiae tradidit*, quod convenit cum Ex. 9, 3. Kimchius tamen nomen חַיָּה *vitae* significatione accipiendum putat; in quo consentientem habet Schnurrerum, qui, חַיָּתָם, inquit, „*vitam* vertimus, non *pecus*, maxime ob membrorum parallelismum, qui regnat in hoc carmine. Accedit, quod consilium vatis videtur esse hoc, ut significet Vs. 49. sqq., eo tandem rem pervenisse, ut non potuerit non Deus, postquam alia omnia frustra a se tentata essent, quasi ultima experiri, et hominum ipsorum, quibus adhuc temperasset, vitam nunc telis suis petere et ferire, coll. Ex. 9, 14. 15. Quae si vere ita se habeant, sponte consequitur, de pecudibus sermonem nunc non posse intervenire.“

51. רֵאשִׁית אוֹנִים *Primitias virium*, appellari *primogenitos*, non tantum docet h. l. res ipsa, atque parallelum בְּכוֹר, verum cognoscitur quoque ex locis Gen. 44, 3. Deut. 21, 17. Ps. 105, 36. בְּאָהֳלֵי־חָם *In tentoriis Cham*, i. e. in Aegypto; nomen חָם h. l., nec non Ps. 105, 23. 27. 106, 22. nomen Aegypti poeticum, non ductum a Chamo, Noachi filio, cujus nepos Mizraim, tot aliorum populorum communi progenitore, sed sumtum ex ipsa Aegyptiorum lingua, qua terrae Aegypti nomen proprium et usitatum est *Chami*.

54. וַיְבִיאֵם אֶל־גְּבוּל קָדְשׁוֹ *Perduxit eos ad terminum sanctitatis ejus*, i. e. ad terram suam sanctam, quippe per synecdochen partis *terminus* vel *limes* ponitur pro tota regione, limi-

tibus certis comprehensa, ut Ex. 10, 14. 19. 1 Reg. 1, 3., ferme sicut per *murum* intelligitur tota civitas, Amos. 1, 7. 10. 14.; per *portam* urbs, Gen. 22, 17. Ps. 87, 2. Nomen קָדְשׁוֹ *sanctitatis suae*, pro adjectivo *sanctus* positum, ut saepius, affixum vero tertiae personae masculinae pertinet ad nomen prius גְּבוּל, hoc modo: *ad terminum suum sanctum*, ut Ps. 2, 6. dicitur הַר קָדְשִׁי *mons meus sanctus*, nec non 15, 1. 51, 11. *Sanctam* appellat terram Cananaeam, quod a Jova destinata erat sedes populi sibi peculiaris, cultusque sui publici. הַר־זֶה קָנְתָה יְמִינוֹ *Ad montem hunc, quem adquisivit dextera sua;* „dubium, utrum הַר terram Cananaeam, a montibus, mediam eam pervadentibus, *montanam* dictam, Ex. 15, 17. Deut. 3, 25., an montem eumque primarium, *Zionem*, significet. Nos tamen illud malumus, quod, cum primum occuparetur terra, et per tribus distribueretur, mons ille cum arce ipsi imposita immunis maneret, et sero demum in potestatem Israelitarum transiret.“ SCHNURRER.

55. וַיְגָרֶשׁ מִפְּנֵיהֶם גּוֹיִם *Ejecit coram illis gentes*, septem illas, ut Aben-Esra notat, quae Ex. 33, 2. Deut. 7, 1. recensentur. „וַיַּפִּילֵם *distribuit eas* sc. gentes, dictum pro וַיַּפֵּיל לָהֶם אֶת־אַרְצָם, ut Jos. 13, 6. הַפִּלָּה pro הַפֵּיל אֶת־אַרְצָם, et 23, 4. itidem הִפַּלְתִּי לָכֶם אֶת־אֶרֶץ הַגּוֹיִם pro הִפַּלְתִּי לָכֶם אֶת־הַגּוֹיִם, ut exstat Ez. 45, 1. Ellipticum vero esse hunc usum verbi הַפִּיל, ex multa frequentatione formulae הַפִּיל גּוֹרָל [*sortem jecit*, 1 Chron. 26, 14. Neh. 11, 1.] ortum, vix est, quod moneamus.“ SCHNURRER. Sensus igitur: gentium illarum sedes Jova distribuit suis. בְּחֶבֶל נַחֲלָה *Fune hereditatis*, h. e. juxta funem, quo dimetiri solebant fundos hereditarios, aequaliter distribuendos, cf. Num. 34, 2. Deut. 32, 9. 1 Chr. 16, 18. Ps. 105, 11. — בְּאָהֳלֵיהֶם *In tentoriis eorum* populorum, h. e. in domiciliis, tam urbicis, quam paganis; nimirum antiquo more domus appellabantur *tentoria*, quia in tentoriis portatilibus habitare olim consueverant; cf. 1 Chr. 5, 10.

56. עֵדוֹתָיו *Testimonia*, h. e. statuta ejus, tam solenniter, cunctis illis testibus adstantibus, promulgata, vid. not. ad 35, 10.

57. נֶהְפְּכוּ כְּקֶשֶׁת רְמִיָּה *Conversi* h. e. mutati in pejus *sunt* (cf. 32, 4. Job. 28, 5.) *ut arcus remissus.* Alii interpretantur *ut arcus dolosus.* Sed *dolosum arcum* si vertas, haud facile intelligitur, in quo consistere possit comparatio. At potest רְמִיָּה esse *remissio*, ut כַּף רְמִיָּה Prov. 10, 4. *manum remissam* languidamque significat. *Remissus* vero *arcus* est, qui *sagittas excutit*, ut reddit Chaldaeus, h. e. laxus, intendi nescius, verbo: inutilis. Cf. not. ad Hos. 7, 16., ubi eadem similitudo.

58. וַיַּכְעִיסוּהוּ בְּבָמוֹתָם *Indignationem ejus provocabant excelsis suis*, exstruendo sibi passim contra expressum Dei interdictum fana aut sacella, vel plantando lucos in collibus ac montibus; aliarum gentium exemplo. Colebatur autem in *Excelsis*

illis vel Baal, aut alius fictitius Deus; vel Jova quidem, sed non eo modo, prout ipse instituerat, unde tam crebro in libris Regum dicitur, pium quidem fuisse hunc illumvé regem, *excelsa tamen non abrogasse ipsum*, ut 1 Reg. 15, 14. 22, 24. Cf. Lev. 26, 30. Deut. 12, 2.

60. וַיִּטֹּשׁ מִשְׁכַּן שִׁלֹה *Dereliquit habitaculum Silo*, s. Silunticum, i. e. tabernaculum sacrum, Silunte, urbe in tribus Ephraim ditione sita, collocatum, Jos. 18, 1. 1 Sam. 1, 3. 4, 4. 11. — אֹהֶל שָׁכַן בָּאָדָם *Tentorium*, quod *habitare fecerat inter homines*; „forma שְׁכֵן, etsi minus commoda quam שָׁכָן, ferri tamen potest et defendi. Nam quemadmodum dicere mos erat הָאָרֶץ תֵּשֵׁב *terra incolit*, pro: habet, qui ipsam incolant; vel עָלָה הַשָּׂדֶה *succrevit ager*, pro, erat in agro, quod inde succresceret; eadem ratione dici etiam poterat: שָׁכַן הָאֹהֶל *tentorium inhabitavit*, pro: habuit, a quo habitaretur, unde אֹהֶל אֲשֶׁר שָׁכַן est tentorium, quod voluit (se) habere habitatorem. Ceterum, ne quidquam suspicionis suboriretur, defendendae ab hostibus sedi suae imparem fuisse Jehovam, caute et judiciose dicitur excessisse tentorio, antequam in barbarorum potestatem illud veniret.“ Schnurrer.

61. וַיִּתֵּן לַשִּׁבְיָ עֻזּוֹ *Et permisit captivitati gloriam suam.* Suffixum nominis עֻזּוֹ non est referendum ad יִשְׂרָאֵל, sed ad eum, quem suffixum nominis עַמּוֹ respicit, Jehovam. Est vero עֻזּ־יְהוָה idem quod 2 Chr. 6, 41. עֻזּ־אֲרוֹן יְהוָה. At nomen עֹז accommodatius ad parallelismum, redditur *gloria*, ex usu arbici nominis עז.

63. בַּחוּרָיו *Juvenes ejus*, militiae aptos, fortissimos et lectissimos, qui adversus Philisthaeos exiverant. אָכְלָה־אֵשׁ *Comedit ignis*, qua alii *iram divinam* significari existimant, alii *gladios hostium*, sive bellum, quod et alias igni confertur, ut Num. 21, 28. Jer. 48, 44. Jes. 36, 11. Verba וּבְתוּלֹתָיו לֹא הוּלָּלוּ vertunt: *et virgines populi non laudatae*, celebratae, *sunt* epithalamiis, h. e. innuptae manserunt. Sed si inhaereas formae הוּלָּלוּ, alia ratio quaerenda est. Nempe ut Ez. 16, 4. Infinitivus femin. Hophal, בְּיוֹם הוּלֶּדֶת אוֹתָךְ *cum facta es nasci*, i. e. cum nata es, aeque postulat Practeritum הוּלַּד, ac ibid. Vs. 5. הֻלֶּדֶת requirit Practeritum הֻלַּד, utrumque dictum pro הוּלַּד a verbo וָלַד, ita et חוּלָּלוּ ducendum est a וָלַל, pro quo usu invaluit יָלַל et vertendum: *ejulare factae sunt*, i. e. ejularunt. Sic plane Alexandrinus: *καὶ αἱ παρθένοι αὐτῶν οὐκ ἐπενθήσαν*, Vulgatus: *et virgines eorum non sunt lamentatae.* Et gravissimo sensu negantur virgines deflevisse obitum juvenum, non quod ipse luctuosus non esset, sed quod alia jactura facta esset, multo gravior atque ad omnes pertinens, quae una lachrymas planetumque omnium deposceret, arcae sacrae a barbaris captae atque ex patria asportatae. Eodem modo et viduae negantur plorasse ob sacerdotes ab hoste caesos (Vs. 64.), quod et ipsis adeo arcae jactura multo deberet esse luctuosior, quam viduitas.“ Schnurrer.

64. Hujus Versus duplex servata est interpretatio Chaldaica, altera verbis Hebraeis adstricta, nisi quod pro simplici לֹא תִבְכֶּינָה habet: *non poterant flere;* altera uberior: *Quum captivam abducerent Philisthaei arcam Jovae, gladio ceciderunt sacerdotes Siluntis, Hophni et Pinehas* (1 Sam. 4, 11. 17.); *nec uxores, uti decebat, eos deflebant, mortuae enim sunt et illae uno die;* quod quidem de uxore Pinehasi narratur 1 Sam. 4, 19. 20. Sed redi ad not. ad Vs. 63.

65. וַיִּקַץ כְּיָשֵׁן אֲדֹנָי *Sed evigilavit Dominus instar dormientis*, i. e. instar ejus, qui e somno evigilat, cf. 35, 23. 44, 24. Hemistichii alterius, כְּגִבּוֹר מְתָרוֹנֵן מִיָּיִן, sensum Chaldaeus recte expressit: *sicut vir, qui aperitur a vino*, i. e. cui oculi aperiuntur, qui evigilat a vino. „Qui vertunt: *a vino jubilans*, vereor ut parallelismo satisfaciant membrorum. Nam qui somno satiatus tandem expergiscitur, vino si gravatus fuerit, liber nunc a vino, nec ad multam vociferationem proclivis reputandus est. מתרונן מיין potius is est, qui se a vino subigi obruique passus sit. Alexandrinus: *ὡς δυνατὸς κεκραιπαληκὼς ἐξ οἴνου.* Imago itaque ducta est inde, quod vir fortis et animosus, somno si gravatus fuerit vinoque, aliis nonnihil opportunitatis faciat, efferendi sese insolentius, at ubi ad se redierit, mox illos reprimat et compescat; quae ad Deum translata, audacior quidem est, nec vero a prisci aevi ingenio alicna.“ Schnurrer.

66. וַיַּךְ צָרָיו אָחוֹר *Et percussit hostes suos retro*, quod aliqui ad illam Philisthaeorum plagam referunt, de qua 1 Sam. 5, 6. sqq., Chaldaeo auctore, qui haec verba sic est interpretatus: *et percussit oppressores eorum mariscis in posterioribus.* Sed rectius Alexandrinus hebraeum אָחוֹר *εἰς τὰ ὀπίσω*, *retrorsum*, reddidit, quomodo vocula illa fere semper usurpatur, vid. Ps. 9, 4. 35, 4. 44, 11. 56, 10. 70, 3. Significatur igitur, ita percussos esse Philisthaeos, ut in fugam sese verterent ac terga darent; nam in praeliis a tergo percutiuntur, qui sunt fugaces, quum viri fortes adverso pectore vulnera omnia excipiant. חֶרְפַּת עוֹלָם נָתַן לָמוֹ *Opprobrium aeternum eis reddidit* pro insolentia illorum (1 Sam. 4, 9.), per dejectum et mutilatum illorum Deum et plagam in obscoenis locis, vid. 1 Sam. 5, 5. 7. 6, 4. 17.

67. Ita populum suum liberavit quidem ab hostibus, in poenam tamen eorum, qui tanti mali praecipua causa fuerant, וַיִּמְאַס בְּאֹהֶל יוֹסֵף *repudiavit Josephi tentorium*, quod vel collective intelligi potest, *tentoria Josephi*, ut Thr. 2, 4., vel, ut Chaldaeus habet: *rejecit tentorium, quod tetenderat in termino Josephi*, noluit arcam suam in Silo reduci, quae urbs ad Josephi filium, Ephraimum, seu posteros ejusdem, ut mox subjicitur, pertinebat. וּבְשֵׁבֶט אֶפְרַיִם לֹא בָחָר *Et tribum Ephraim*, cujus urbs erat Silo, Jos. 16, 6. 18, 1., *non* iterum *elegit*, ut ad eam arca reduceretur, aut eversa urbe Silo (Jer. 7, 12. 14.) tentorium illic refigeretur,

hoc enim postea Noben, arca vero Ciriath-Jearimum in tribum Judae venit, 1 Sam. 7, 1. 21, 1. 2.

68. וַיִּבְחַר אֶת־שֵׁבֶט יְהוּדָה *Elegit tribum Judae*, in qua habitaculum suum figeret, et in tribu Judae אֶת־הַר צִיּוֹן *montem Zion*, in quem tempore Davidis deserebatur arca, 2 Sam. 6.

69. In verborum וַיִּבֶן כִּמו־רָמִים מִקְדָּשׁוֹ interpretatione dissentiunt propter nominis רָמִים *πολυσημίαν*. Etenim quum saepe usurpetur de iis, qui in dignitate summa sunt conspicui, adeoque רָמִים opponantur egenis ac depressis, ut 2 Sam. 22, 28. Job. 21, 22.; sunt qui verba nostra sic reddant: *aedificavit sanctuarium suum sicut excelsi*, s. reges et principes, subaudiendo: sibi magnifica palatia exstruere solent. Alii aliter. Sed veram sententiam dixit haud dubie Jarchi, *coelos excelsos* significari, quod ipsum et Schnurrerus comprobavit, transtulit enim: *exstruxit ut coelum, sanctuarium suum.* „Parallelismum membrorum si sequaris, רָמִים non potest esse nisi adjectivum poeticum, dictum pro שָׁמַיִם, ut עֲלוֹת *lactantes*, Vs. 71., pro ovibus. Coelum autem, quod numquam loco movetur, et terra, firmissimis fundamentis superstructa (104, 5.), similitudinem hic exhibent constantiae et stabilitatis, ut sensus sit, voluisse Deum, ut, quod antea subinde migrasset, tabernaculum suum, dehinc stabilem locum in Zione haberet, cum nullo alio commutandum.“ כְּאֶרֶץ יְסָדָהּ לְעוֹלָם *Instar terrae, quam fundavit;* ellipsin hic iterum esse pronominis אֲשֶׁר, ut Vs. 60., docet affixum femininum ־הָ, quod sane non ad מִקְדָּשׁ, utpote *masculinum*, sed ad femininum אֶרֶץ est referendum. Plenus esset sermo hoc modo: *sicut terram* (exstruxit suum sanctuarium), אֲשֶׁר יְסָדָהּ *quam fundavit in aeternum*, ne loco suo moveretur, sicut de terra idem hoc יָסַד dicitur 24, 2. 89, 12. Jes. 48, 13.

70. וַיִּבְחַר בְּדָוִד עַבְדּוֹ וַיִּקָּחֵהוּ מִמִּכְלְאֹת צֹאן *Elegit Davidem servum suum, eumque adscivit de caulis ovium*, quibus custodiendis a patre erat praefectus. De מִכְלָאָה vid. 50, 9.

71. מֵאַחַר עָלוֹת Propr. *a post lactantes*, a tergo lactantium ovium vaccarumque, de quibus עָלוֹת dicitur Gen. 33, 13. 1 Sam. 6, 7. 10.

72. וַיִּרְעֵם כְּתֹם לְבָבוֹ *Et pavit*, regnavit, *eos secundum integritatem cordis sui*, animo recto et integro, cf. not. ad 26, 1. בִּתְבוּנוֹת כַּפָּיו *Cum intelligentiis manuum suarum*, consiliorum et actionum prudentia. *Manuum* meminit, quod pastor baculo et pedo oves regat et ducat. Prudentiam *manibus* tribuit, quae animi est, quod manus prudenter quodammodo agere videntur, dum animi judicium sequuntur; similiter Gen. 48, 14. dicitur שִׂכֵּל אֶת־יָדָיו.

Ps. 79.

Deflet templi profanationem et civitatis ruinam, oratque Jovam, ut iram suam a populo suo ad hostes convertat. Est hoc

carmen in multis similis Psalmo 74., unde, sicut illum, ita et nostrum alii ad vastationem urbis et templi per Nebucadnezarem referunt, alii ad funestas clades, quas insana Antiochi Epiphanis crudelitas Israelitis intulit; cui sententiae minime obstat, quod auctor libri 1 Maccabaeorum Cap. 7, 17. carminis nostri Vs. 3. citat, atque ad Alcimi crudelitatem et perfidiam accommodat, quando ille una die sexaginta sacerdotes occidit. Quod ipsum tantum octo annis, aut pluribus, post incensam urbem, atque mortem etiam Antiochi, et Demetrio regnante, factum est. Quare quum Psalmi nostri auctor priores illas Antiochicas (non Alcimicas) vexationes describere videatur, liber primus vero Maccabaeorum longe post ea tempora, quibus ea, quae in illo narrata sunt, gesta fuerunt, consignatus sit, nihil impedit, quo minus historiae ejus scriptor, carminis ipsis Antiochicis temporibus editi verba adducere posset.

1. בָּאוּ גוֹיִם בְּנַחֲלָתֶךָ *Venerunt gentes in hereditatem tuam*, irruperunt gentes exterae in terram tuam, s. peculium tuum, Ex. 15, 17. Ps. 74, 2. Cf. 1 Macc. 1, 38. 3, 45. טִמְּאוּ אֶת־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ *Polluerunt palatium sanctitatis tuae*, ἐμίαναν τὸν ναὸν τὸν ἅγιόν σου, ut Alexandrinus reddidit. Diserte autem *profanationis* tantum meminit, ut de Antiochicis temporibus accipienda haec intelligantur, quae requirebat sequutam ἐγκαίνωσιν, et non aedificationem novam. Primum autem spoliavit templum Antiochus, direpto omni auro et argento ejus; biennio post, idola etiam in hoc intulit, Jovis Olympii, et alia, et ut in altari iis sacrificaretur mandavit. Vid. 1 Macc. 1, 21—29. 37. 39. 46. 3, 51. 2 Macc. 8, 12. — שָׂמוּ אֶת־יְרוּשָׁלַיִם לְעִיִּים *Redegerunt Hierosolyma in rudera*. Antiochus urbem incendit, et domos ac moenia diruit, vid. 1 Macc. 1, 31. 2 Macc. 9, 14.

2. נָתְנוּ — הַשָּׁמַיִם *Dederunt cadavera* (nomen hebraeum collective accipiendum, ut Vs. 11. אָסִיר) *cultorum tuorum escam volucribus coeli*, בְּשַׂר חֲסִידֶיךָ לַחַיְתוֹ־אֶרֶץ *carnes dilectorum tuorum* feris *bestiis terrae*. Similem dictionem vid. Ez. 33, 27. De חַיְתוֹ vid. 50, 10. Possumus autem haec generaliter de caede magna interpretari, sicut in bellis non possunt omnia cadavera sepeliri; quomodo Homerus canit de Trojanis, quod Achilles fecerit eos ἕλώρια κυνέσσιν οἰωνοῖσί τε πᾶσι, possumus et de crudelitate hostium interpretari, qui non passi fuerint eos sepeliri.

3. וְאֵין קוֹבֵר *Nec fuit, qui occisos sepeliret* (cf. 2 Reg. 9, 10.), vid. 1 Macc. 7, 17. 2 Macc. 9, 15. Significatur multitudo cadaverum et penuria eorum, qui sepelire possent propter vastitatem factam.

4. Vid. 44, 14.

6. Hic Versus cum sequenti desumtus est ex Jer. 10, 25., nulla alia facta mutatione, nisi quod pro עַל־הַגּוֹיִם noster אֶל־הַגּוֹיִם, et pro עַל מִשְׁפָּחוֹת *super gentes*, quod est apud Jeremiam,

noster עַל מַמְלָכוֹת *super regna* posuit, denique pro כִּי־אָכְלוּ Jeremiae, Psaltes כִּי אָכַל. Verba אֲשֶׁר בְּשִׁמְךָ לֹא קָרָאוּ Alexandrinus αἳ τὸ ὄνομά σου οὐκ ἐπεκαλέσαντο reddidit, nec aliter Vulgatus: *quae nomen tuum non invocant*, ut Gen. 12, 8. 13, 4. Ps. 14, 4. Alii: *quae de nomine tuo se non nominant*, aut *nominantur*, neque hoc contra linguae usum; vid. Gen. 4, 26. Jes. 44, 5. 48, 1., et cf. ad Ps. 49, 12.

7. כִּי אָכַל *Quia devoravit* unaquacque istarum gentium vel regnorum (Vs. 6.), eadem figura Jer. 50, 17. 51, 34. Verbum singulare h. l. collective sive distributive accipiendum esse, docet res ipsa, et locus parallelus Jer. 10, 25., ubi pluralis אָכְלוּ exstat, quem ipsum hoc Psalmi loco et veteres interpretes expresserunt, et codices quidam a Kennicotto inspecti exhibent. וְאֶת־נָוֵהוּ recte Alexandrinus τὸν τόπον αὐτοῦ, *locum* s. *domicilium*, vel *caulam* ejus, Jacobi, instar ovis ab hostibus devorati, ut pergat poeta in allegoria. Cf. de nomine נָוֶה not. ad Ps. 23, 2. הֵשַׁמּוּ *Vastaverunt*; coll. 1 Macc. 3, 45. *Καὶ Ἰερουσαλὴμ ἦν ἀοίκητος ὡς ἔρημος.*

8. אַל תִּזְכָּר־לָנוּ *Ne memineris nobis*, ut in nobis animadvertas et punias, cf. Ez. 18, 22. Ps. 25, 7. — עֲוֹנוֹת רִאשֹׁנִים Alexandrinus: *ἀνομιῶν ἀρχαίων*, Vulgatus *peccatorum nostrorum antiquorum*, Chaldaeus *peccatorum a principio*, i. e. antiquorum, reddidit; ut nomen femininum עֲוֹנוֹת construatur cum adjectivo masculino רִאשֹׁנִים, quemadmodum illud ipsum cum adjectivo masculino מַבְהִילִים conjungitur Jes. 59, 2., atque cum verbo masculino יִלְכְּדוּ Prov. 5, 22. Alii: *iniquitas veterum*, subaudito vel יָמִים *dierum*, vel אָבוֹת *patrum*, i. e. majorum nostrorum. In verbis מַהֵר יְקַדְּמוּנוּ *festina*, *praeveniant*, i. e. occurrant, contingant *nobis* (Deut. 23, 5. Ps. 21, 4. 49, 11.), prius verbum adverbii vicem sustinet, quod recte Chaldaeus expressit, dum *festinanter* posuit. כִּי דַלּוֹנוּ מְאֹד *Nam exhausti*, s. attenuati *sumus vehementer*, Chaldaeus: *miserabiles facti sumus*; cf. Ps. 116, 6.

9. עַל־דְּבַר *Propter verbum*, s. *rationem*, pleonasmus, ut Gen. 12, 17. Num. 17, 14. כְּבוֹד־שְׁמֶךָ *Gloriam nominis tui*, quo Deus et salvator Israelis praedicaris; vid. not. ad 23, 3. coll. 29, 2. 66, 2. וְכַפֵּר עַל־חַטֹּאתֵינוּ *Et expiationem praesta peccatis nostris*, condona peccata nostra, eorum poenam tollendo. Vid. de hac loquendi formula not. ad Lev. 1, 4.

10. Verbum masculini generis יִוָּדַע construitur cum nomine feminino נְקָמָה *ultio*. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 720. Sic Coh. 7, 7. מַתָּנָה יְאַבֵּד, item cap. 10, 15. 11, 2. Sensus: demonstra publice (לְעֵינֵינוּ *coram oculis nostris*) nobis videntibus gentibus illis vindictam tuam ob profusum ab ipsis sanguinem famulorum tuorum; ne patiaris eum esse inultum. Cf. eandem loquutionem Deut. 32, 42.

11. תָּבוֹא לְפָנֶיךָ אֲנָקַת אָסִיר *Veniat in conspectum tuum gemitus captivorum*, eorum, qui duro imperio parent (singularis

collective accipiendus, ut Vs. 2. et in hac ipsa dictione 102, 21.). Sistitur Deus tanquam rex aliquis, qui, arduis occupatus, non curat, quid gemant vincti in carcere, proinde orat vates, ut paulisper ab aliis vacare, auremque ad flebiles captivorum voces arrigere velit. כְּגֹדֶל זְרוֹעֲךָ *Secundum magnitudinem brachii tui*, i. e. uti decet potentiam tuam. הוֹתֵר בְּנֵי תְמוּתָה *Residuos fac*, superstites conserva, *filios mortis*, eos, qui morti jam sunt mancipati ac destinati; cf. 102, 21. 1 Sam. 20, 31. 26, 16.

12. וְהָשֵׁב לִשְׁכֵנֵינוּ שִׁבְעָתַיִם *Et repende* (vid. ad 28, 4.) *vicinis nostris*, qui malis nostris laetantur, nobisque illudunt (Vs. 4.), cf. 1 Macc. 5, 1. sqq., *septuplum*, multipliciter, numerus certus pro incerto, ut Ps. 12, 7. Prov. 6, 31. — אֶל־חֵיקָם *In sinum ipsorum*, i. e. plena mensura; significatur poenarum abundantia, ubi non vola manus excipi, aut comprehendi potest, quod porrigitur, verum exporrigendus est *sinus*, in quam large profundantur res tradendae. Sic in bonam partem Luc. 6, 38. *mensuram refertam dabunt in sinum vestrum;* in malam vero Jes. 65, 6. Jer. 32, 18.

Ps. 80.

Continet preces ardentes pro populo Judaico, quum graviter premeretur atque etiam vastaretur ab externis hostibus. Commemorat autem beneficia, collata genti ab initio, in allegoria vitis, atque ita petit, ut conservet Jova opus suum, et perficiat benignitate opis suae id, quod tam praeclare coepit in illo populo, neque perire sinat illa ab antiquo collata beneficia. — Certa temporis, quo editum sit hoc carmen, indicia frustra quaeras.

2. נֹהֵג כַּצֹּאן יוֹסֵף *Tu qui ducis, instar gregis, Josephum*, respondet רֹעֵה יִשְׂרָאֵל τῷ in priori hemistichio, cujus generis parallelismus, quo voci communi vel generaliori subjungitur speciale, quod in isto genere prae reliquis eminet, saepius occurrit, veluti Jos. 2, 1. *inspicite terram istam et (potissimum) Jericho;* Hos. 7, 2. *Ephraim et Samaria;* Joel 4, 1. *Juda et Jerusalem;* Ps. 18, 1. *e manu omnium inimicorum, et e manu Sauli.* Cf. 77, 16. — יֹשֵׁב הַכְּרוּבִים *Qui Cherubes insides*, cf. ad 18, 11. — הוֹפִיעָה *Splende*, i. e. splendide te manifesta, opem illustrem ferendo, cf. Ps. 50, 2.

3. גְּבוּרָתֶךָ — לִפְנֵי *Coram Ephraim, Benjamin et Manasse exsere potentiam tuam;* universum populum Judaicum illarum tribuum mentione significari, res ipsa docet, non aliter, quam cum Josephidae, Jacobidae, Israelitae, Abrahamitae appellantur; *Benjamin* vero h. l. una cum Ephraimo et Manasse memoratur, quod horum patrem, *Josephum*, solum ex omnibus fratribus habet ὁμομήτριον, seu uterinum; nam Joseph et Benjamin soli sunt e Rachele, dilectissima Jacobi uxore, nati, ceteri ex Lea, Silpa et Bilha. וּלְכָה לִישֻׁעָתָה לָּנוּ *Ito ad salutem nobis*, succurre auxilio tuo.

לֵכָה h. l. est Imperativus verbi הָלַךְ, ut 1 Sam. 23, 27. Num. 22, 17. 23, 7.

4. הֲשִׁיבֵנוּ Chaldaeus *reducito nos ex exilio nostro* interpretatus est, quomodo verbum hebraeum Jer. 12, 15. 16, 15. 30, 3. dicitur. Alii: *recrea nos*, ut Ps. 23, 3., ubi not. vid. Alii: *reduc* s. *restitue nos*. Eadem verba recurrunt infra Vs. 8. et 20. Videntur a choro aut universo populo decantata fuisse. De formula הָאֵר פָּנֶיךָ vid. ad 31, 17.

5. Ante צְבָאוֹת subaud. nomen constructum אֱלֹהֵי, quod habes 2 Sam. 5, 10. 1 Reg. 19, 10. 14., collata simili ellipsi constructi post absolutum Jos. 3, 14. Ps. 59, 6. 2 Chron. 15, 8. — עַד־מָתַי עָשַׁנְתָּ בִּתְפִלַּת עַמֶּךָ *Quam diu fumabis contra preces populi tui?* i. e. quamdiu ardere sines incitatam et fumantem adversus nos iram tuam, quae non sinat preces nostras esse efficaces. *Fumus* sc. naris pro *ira*, vid. ad Ps. 18, 9. coll. 74, 1.

6. הֶאֱכַלְתָּם לֶחֶם דִּמְעָה *Cibasti eos*, i. e. populum tuum, *pane lachrymarum*, vid. ad 42, 4. וַתַּשְׁקֵמוֹ בִדְמָעוֹת שָׁלִישׁ *Et bibere eos fecisti lachrymis triental*, epotandum iis praebuisti triental lachrymis repletum. שָׁלִישׁ, praeter h. l. tantum Jes. 40, 12. obvium, mensurae speciem *tertiam* partem majoris alicujus liquidorum mensurae continentem, denotat.

7. תְּשִׂימֵנוּ מָדוֹן לִשְׁכֵנֵינוּ *Ponis nos contentionem vicinis nostris*, contentionis objectum et materiam, rixantur inter se hostes nostri de spoliis nostris. Alii: exposuisti nos vicinis nostris, quos certatim petant et vexent. וְאֹיְבֵינוּ יִלְעֲגוּ־לָמוֹ *Et hostes nostri deridebant sibi*, invicem, ludibrio nos eis sumus.

9. גֶּפֶן Chaldaeus recte interpretatus est *gentem Israeliticam viti similem*, qua eadem figura populum Judaicum et Jesajas inducit 5, 1—7. De נָסַע vid. 78, 26. תְּגָרֵשׁ גּוֹיִם *Expulisti* (fut. pro praeter. vid. 66, 6.) *gentes* sc. *e terra Israel*, ut Chaldaeus addidit. Cf. Ex. 23, 28. Ps. 78, 55. וַתִּטָּעֶהָ *Et plantasti eam*, Vs. 16. Cf. Ex. 15, 17.

10. פִּנִּיתָ לְפָנֶיהָ *Expurgasti coram ea*, s. *ante eam* (vitem), i. e. ad vel juxta scrobem singularum vitium, terram ibi repastinando, ut locus fiat in novella vinea palmitibus, unde excrescant, qua cultura perficitur, ut radix terrae accrescat, וַתַּשְׁרֵשׁ, ut apud nostrum sequitur, quod est *radicare* Plinio. Veteres non hunc figuratum, sed proprium sensum expresserunt. Alexandrinus ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς, *viam ante ipsam parasti*, impedimenta quaevis removendo, ut Mal. 3, 1. Vulgatus: *dux itineris fuisti*. Chaldaeus: *amovisti a conspectu eorum Cananaeos*. Verbum פָּנָה, quod proprie *vacuum facere* significat, quae notio Chaldaeis etiam usitata est, hinc de *expurgatione domus* (Gen. 24, 31. Lev. 14, 36.), nec non *viae* (Mal. 3, 1.) dicitur, tum in universum *removendi* sensu usurpatur, ut Zeph. 3, 15., hoc loco ad repastinationem

vinearum adhibetur, qua fit terra rarior, et aperitur malleolis vitium, quod ipsum et vinitores nostrates *räumen* vocant.

11. כָּסּוּ הָרִים צִלָּהּ *Tecti*, cooperti *sunt montes umbra sua*, subaudito ב ante צִלָּהּ, ut 2 Reg. 16, 8. Ez. 18, 7. 16. וַעֲנָפֶיהָ אַרְזֵי אֵל *Et rami* palmitum ejus fuerunt vel facti sunt instar *cedrorum Dei*, cedrorum procerissimarum instar in altum excreverunt, subaudiendum ante ארזי particula כ, ut Nah. 3, 12. *Cedri Dei* sunt tales, quales Deus plantavit et provida cura sua in maximam proceritatem excrescere fecit, cf. not. ad Ps. 36, 7.

12. תְּשַׁלַּח קְצִירֶיהָ עַד־יָם *Emisit* vitis *palmites suos usque ad mare*, i. e. ut Chaldaeus posuit, *ad mare magnum*, s. mediterraneum, qui terminus erat occidentalis terrae Israelitarum, vid. Ex. 23, 31. Deut. 11, 24. — וְאֶל־נָהָר *Et ad fluvium* sc. *Euphratem* (ut Chaldaeus addidit), qui *κατ' ἐξοχήν* sic dici solet, et terrae Israelitcae terminus euroseptentrionalis erat, vid. Gen. 15, 18. Deut. 11, 24. Jos. 1, 4. — יוֹנְקוֹתֶיהָ *Surculos et germina sua*, Hos. 14, 7. Job. 8, 16.

13. לָמָּה פָרַצְתָּ גְדֵרֶיהָ *Quare* igitur nunc *rupisti* et destruxisti *maceries* et sepimenta *ejus?* custodiam et protectionem tuam subtrahendo. וְאֹרוּהָ כָּל־עֹבְרֵי דָרֶךְ *Ut decerpant eam* vindemiando *quicunque transeunt in via* publica, Ps. 89, 42. Thr. 2, 15.

14. יְכַרְסְמֶנָּה חֲזִיר מִיָּעַר *Arrodit eam porcus e sylva*, h. e. sylvestris, aper. Copiose de hoc loco egit Bochartus in *Hieroz.* T. II. p. 372. sqq. Significatio verbi כִּרְסֵם petenda est ex Arab. كرسم *toto ore valide momordit.* Cognatum est Chaldaicum קַרְסֵם (permutatis ק et כ, ut in כּוֹבַע et קוֹבַע *galea*), *absumsit*, *arrodendo consumsit.* Literae ע suspensae in voce מִיָּעַר causas a variis varias allatas enumeravit Bochartus l. c. p. 374. Ipse putat, Judaeos veteres, sicut per *aprum* Nebucadnezarem intellexerunt, qui Cananaeam devastavit, et Judaeos in captivitatem Babylonicam deduxit, ita per *Ajin* suspensum annos septuaginta designari voluisse, quibus duravit illa captivitas; nam in numeris litera ע valet *septuaginta.* Magis placet Hilleri sententia in *Arcano Keri et Kethib* p. 186., transpositam vocem per lectionis varietatem hoc modo in codicibus quibusdam significari, sicut idem censet de Jud. 18, 30. Job. 38, 13. 15. De זְיז שָׁדַי vid. Ps. 50, 11.

15. שׁוּב־נָא *Redi* ab ira ad gratiam erga nos et pristinum favorem tuum; cf. ad 6, 4. הַבֵּט מִשָּׁמַיִם *Prospice de coelo*, vid. 13, 4. 14, 2. 33, 13.

16. כַּנָּה Aben-Esra recte *firmiter positam*, s. *plantatam*, i. e. plantam interpretatur, a verbo כָּנַן, quod significationem a כּוּן mutuatur, ut cognoscitur e nomine כֵּן *basis*, *locus quo stat aliquis*, Gen. 40, 13. Dan. 11, 7. Ita Alexandrinus, nisi quod is nostrum כַּנָּה pro Imperativo habuit: *καὶ κατάρτισαι αὐτὴν ἣν ἐφύτευσεν ἡ δεξιά σου*, consentiente Gesenio *Lehrgeb.* p. 365.

Syrus vero nomen סתא usurpavit, *stabile quid* significans a סתת *stabilivit.* Accusativus כַּנָּה pendet ab Imperativo פְּקֹד Vs. 15. Literam כ majusculam variantis vocalis indicium esse, conjicit Hillerus l. c. p. 167. Nomini כַּנָּה *planta*, in altero hemistichio respondet בֵּן *filius*, quod nomen collective intelligendum est de *Israelitis*, de quibus Deus Ex. 4, 22. *filius meus*, *primogenitus meus Israel;* et Hos. 11, 1. *et ex Aegypto vocavi filium meum.* Explicat allegoriam, et quid per vineam et plantam intellexerit. אִמַּצְתָּה לָּךְ Quem *corroborasti tibi*, i. e. quem adoptatum tot nexibus tibi obstrinxisti, atque asseruisti multis retro seculis.

17. כְּסוּחָה vulgo *excisam* interpretantur ex significatione Chaldaici כְּסַח *amputavit*, *succidit*, quo ipso verbo Chaldaeus interpres supra Vs. 13. hebraicum אֲרוּחָה expressit, hoc vero loco מְפָרְכָא usurpavit a verbo פָּרַךְ, quod et Jes. 24, 7. a Chaldaeo de vitibus fractis et dirutis dicitur. De spinis succisis, quae igne comburuntur, nostrum כְּסוּחָה occurrit Jes. 33, 12. Potest etiam nostro loco *excisa* reddi; est enim ὑστέρωσις, Hebraeis non infrequens. יֹאבֵדוּ *Pereunt* palmites et propagines, i. e. Israelitae per vitem significati. Alii in Optativo: *pereant* hostes, qui hanc vineam vastarunt. vide Cocceii versionem.

18. תְּהִי יָדְךָ עַל־אִישׁ יְמִינֶךָ *Sit manus tua* ad protegendum *super virum dexterae tuae*, Israeliticum populum intellige, quippe quem potentia sua redemit ac vindicavit olim Jova ex servitute Aegyptiorum, quique est planta illa Jovae dextera consita, Vs. 16. Paulo aliter MICHAELIS ad Lowthum (p. 219. ed. Gotting. sec., p. 511. ed. Lips.) „*Virum foedere tibi junctum;* jurabant Orientales per dextram. Sic Muhammedi Gabriel Sur. 48, 10. *Qui tibi jurant fidem*, *Deo jurant; manus Dei est supra manum ipsorum.* Hinc et Arabibus ימין est *jusjurandum.*“ In altero hemistichio dictionem בֶּן־אָדָם אִמַּצְתָּ לָּךְ collective interpretandam esse *homines quibus vires et auxilium contulisti*, atque de Israelitis accipiendam, res ipsa docet. Cf. et Vs. 16.

19. וְלֹא־נָסוֹג מִמֶּךָּ *Tum non recedemus a te*, a cultu tuo. תְּחַיֵּינוּ *Vivos non reddas*, restitue nos ex miseriis nostris, conserva nos, cf. not. ad 33, 19.

Ps. 81.

Hortatur ad obedientiam legibus et institutis divinis praestandam, praesertim in rite celebrandis festis diebus in memoriam beneficiorum divinorum, quorum populus saepe immemor fuerit. Carmen videtur solennitatibus mensis septimi *(Tisri)*, festi tubarum atque tabernaculorum, destinatum, vid. not. ad Vs. 4.

2. הָרִנִּינוּ לֵאלֹהִים עוּזֵּנוּ *Laudate Deum, fortitudinem nostram.* De רָנַן vid. ad 32, 11. Pro עוּזֵּנוּ Alexandrinus τῷ βοηθῷ ἡμῶν posuit. In aliis quoque pluribus locis verbum עָזַז et nomina

inde derivata per *βοηθέω*, *βοηθειαν*, et *βοηθὴν* transtulit, vid. e. c. Eccl. 7, 19. Ex. 15, 2. 28, 7. Jcs. 17, 10.

3. Verbis וְתְנוּ־תֹף *date*, edite, expromite *tympanum*, vel: date tympani sonum, alloquitur vates Levitas, instrumentorum musicorum custodes, ut expromere et apparare properent omnia, quae ad solennitatem gaudiumque facere quocunque modo possint. Cf. Ps. 68, 26. 149, 5. 1 Sam. 6, 5. — כִּנּוֹר נָעִים *Citharam amoenam*, i. c. pulchre sonantem.

4. תִּקְעוּ בַחֹדֶשׁ שׁוֹפָר *Clangite buccinam in mense*, vel *calendis mensis*, sc. septimi, ut diserte Chaldaeus addit, *Tisri*, juxta Lev. 23, 24., qui mensis prae reliquis totius anni plurimas comprehendebat festivitates, ita ut in diem primum incideret festum *tubarum*, in decimum *expiationis*, in decimum quintum festum *tabernaculorum*. Verborum בַּכֶּסֶה לְיוֹם חַגֵּנוּ varia est interpretatio. Alii כֶּסֶה referunt ad radicem כָּסַס *numeravit*, ut significet statum et numeratum tempus. Eo sensu plerique accipiunt. At sic deberet esse Dagesch in ס. Alii volunt esse a radice כָּסָה *texit*, ut significetur interlunium, quo luna adhuc tecta est; hinc Chaldaeus vertit: *in luna abscondita*. At tempus absconditae lunae non erat festum, sed apparentis; simulac enim luna esset *ἐν φάσει*, initium erat festi: non in interlunio, sed in novilunio. Fortasse lucem hic dabit lingua Syriaca, ubi כְּסָא significat *decimum quartum diem lunae*, *plenilunium*. Vult ergo poeta cani Deo, in novilunio et plenilunio, in initio mensis et medio, et potest hic specialiter per יוֹם חַגֵּנוּ, qui incidebat בַּכֶּסֶה in plenilunium, intelligi festum Paschatis, quod in 14. mensis Nisan incidebat, vel tabernaculorum intelligi festum, quippe quod passim absolute et *κατ' ἐξοχὴν* חַג Hebraeis dicitur. Intelligi festum tabernaculorum patet ex antecedentibus et sequentibus. Liquet etiam e libro precum Judaicarum, Versum hunc Psalmi recitari לראש השנה *primo die anni*, id est, Calendis Tisri, quia eo pertinet תִּקְעוּ בַחֹדֶשׁ שׁוֹפָר *clangite in Novilunio tuba;* erat enim initium anni festum tubarum, cui statim recte subjungitur הַכֶּסֶה, medium ejusdem mensis, in quod incidebat solemne illud festum tabernaculorum.

5. מִשְׁפָּט *Ritus*, *consuetudo*, ut Jer. 49, 12. Vel משפט ponitur pro *lege sancita*, quomodo Ps. 18, 23. חק et משפט pariter, ut hic, conjunguntur. לֵאלֹהֵי יַעֲקֹב *Deo Jacobi*, i. c. in honorem Dei Jacobitarum; Dativi enim, non Genitivi nota est ל.

6. עֵדוּת בִּיהוֹסֵף שָׂמוֹ *Testimonium* nempe illud facinorum suorum mirandorum atque beneficiorum suorum *in Josepho posuit illud* festum. *Josepho* universus populus Israeliticus, ut 77, 16. 78, 60. 80, 2. significatur. יְהוֹסֵף pro יוֹסֵף, ut יוֹנָדָב et יְהוֹנָדָב, יוֹחָנָן et יְהוֹחָנָן scribi solet. — בְּצֵאתוֹ עַל־אֶרֶץ מִצְרָיִם *Cum exiret contra terram Aegypti* sc. Deus ad Israelem liberandum, tanquam judex et vindex, coll. Ex. 11, 4. Hab. 3, 13. Alexandrinus, Syrus et Vulgatus מֵאֶרֶץ (quum exiret, sc. populus *e terra*

Aegypti) pro עַל־אֶרֶץ vel legerunt, vel intellexerunt. Verba שָׂפָה לֹא־יָדַעְתִּי אֶשְׁמַע subaudita ante שָׂפָה Particula composita אֲשֶׁר־שָׁם *ubi* (Ex. 20, 18.) plures sic interpretantur: ubi *labium*, sermonem, linguam (ut Gen. 11, 1.), *quam non noveram, audiebam*, ut sit periphrasis pro: ubi eram peregrinus, apud gentem scilicet extraneam, cujus linguam ignorabam, et quum nullum mihi erat linguae commercium, quod praecipuum est humanae societatis vinculum. Cf. 114, 1. Gentes barbarae et hostiles describuntur ut homines, quorum linguam ignoramus, vid. Deut. 28, 49. Jes. 33, 19., et post שפת pron. relat. אֲשֶׁר, quare forma constructa שְׂפַת posita est; nomina enim haud raro in forma statui regiminis propria ponuntur, ubi nomen rectum implicite continetur, eoque vel expresso, vel omisso, ut 1 Sam. 3, 13. בַּעֲוֹן אֲשֶׁר יָדַע *ob crimen* ejus rei, *quod noverit*. Jer. 48, 36. יִתְרַת עָשָׂה אָבָדוּ *residuum* ejus, quod *adquisiverat*, *interiit;* vid. et Thr. 1, 14. Ita et nostra verba explicanda sunt: *labium* ejus, quem *non noveram, audiebam.* Sermo a tertia persona mutatur in primam, ut 66, 6., per *κοινοποίησιν.* Aben-Esrà: ita dicit Psaltes in persona totius populi. Alii vero solum poetam suo ipsius nomine loqui putant: *linguam ignotam audivi*, Dei scilicet, cujus verba Versu proximo referuntur, quasi vates sese divino afflatu subito perculsum sentiat, et oraculum audire sibi persuadeat. Sed quam supra dedimus interpretationem commendat usus loquendi, ex quo *labium ignotum* semper de lingua peregrina dicitur. Oraculum divinum vates si indicare voluisset, vix dubium, eum קוֹל pro שְׂפַת usurpaturum fuisse. Quod Aegyptii describuntur tanquam ii, quorum linguam ignorabant Hebraei, referendum est ad pristinam suam inter illos servitutem, cum ad operas duriter adeo ab Aegyptiis alienae linguae hominibus urgerentur.

7. Enarrat nunc Vs. 7. 8. Deus beneficia, quibus Israeliticum populum affecit, et Vs. 9. admonitionem subjicit. הֲסִירוֹתִי מִסֶּבֶל שִׁכְמוֹ *Removi ab oneribus bajulandis humerum ejus* Israelis, liberavi humeros eorum oneribus. כַּפָּיו מִדּוּד תַּעֲבֹרְנָה *Manus ejus a cophino* luto lateribusve portandis aptato *transiverunt*, relictis illis servitii instrumentis liberae fiebant. Nomen דּוּד significat *vas concavum*, quo excipitur aliquid vel coquendum (ubi *olla* est intelligenda, ut 1 Sam. 2, 14. 2 Chr. 35, 13.), vel portandum, ut h. l. et 2 Reg. 10, 7. Jer. 24, 1. 2. Lateres et figulinae praecipuae Israelitarum operae in Aegypto (Ex. 1, 14.), ad quas pertinet etiam corbium et luti gestatio. Alii nomen דּוּד *ollae* significatione accipientes, *ollarum confectionem* s. figulinas, ad quas Israelitae adacti fuerunt, innui putant.

8. Pro בַּצָּרָה *in angustia*, Chaldaeus recte *in tempore adflictionis Aegypti* posuit. אֶעֱנְךָ בְּסֵתֶר רַעַם *Exaudivi te in latibulo tonitru*, i. e. latens in tonitru, quando tempestas obruit hostes tuos. Referenda enim haec sunt ad historiam transitus per mare

rubrum, quae praecedentibus jam est consequens, quando et maxime trepidarunt Israelitae, quum viderent insequentes Aegyptios mare jam ingressos esse, et tum etiam maxime ostendit eis potentiam suam Deus, quando excitata tempestate mari eos obruit, de qua et Ps. 77, 17. Per *latibulum tonitru*, significatur nubes illa obscura, in qua latens Jova pro Israelitis pugnabat, ejaculando fulmina cum tonitrubus in Aegyptios; vid. Ex. 14, 24. Chaldaeus: *in loco abscondito majestatis meae, personantibus coram me rotis igneis.* Minus probandi sunt, qui *in latibulo tonitru* sic interpretantur: ubi tutus eras a tonitru illo et horribili tempestate, collata simili constructione Jes. 28, 17. (סֵתֶר מַיִם *latebra aquarum*), et Jes. 32, 2. (סֵתֶר זֶרֶם, pro מִסְתּוֹר מִזֶּרֶם, ut 4, 6. habetur). אֶבְחָנְךָ Deinde *probabam, explorabam te* (de quo verbo vid. Ps. 11, 4.), utrum post evidentissimum illud potentiae meae documentum in fide mea perseveraturus esses. עַל־מֵי מְרִיבָה *Ad aquas contradictionis* s. rixae, in Rephidim, vid. Exod. 17, 7. coll. Num. 20, 13.

9. *Audi, populo mi, nam solenniter vos monebo.* De verbo עוּד vid. 50, 7. — אִם *Utinam, o si!* ut 139, 19. Quam *optandi* vim praesertim apud Aethiopes haec particula frequenter habet cum verbis conjuncta, cf. infra Vs. 14., ubi pro אִם aequipollens לוּ ponitur, et Graecorum εἰ, Luc. 19, 42. Alii cum sequentibus nectunt conditionaliter, ut Vulgatus: *si audiveris me, non erit in te* etc.

10. לֹא־יִהְיֶה בְךָ אֵל זָר *Non erit*, agnosci et coli debet *in te*, s. *inter vos*, ut recte Chaldaeus reddidit, *Deus alienus*, ita ut non ponas fiduciam tuam, nisi in me solo.

11. הַמַּעַלְךָ מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם *Qui adscendere te fecit*, eduxit *ex terra Aegypti* in Cananaeam. Quemadmodum qui ex Cananaea in Aegyptum tendunt, *descendere*, ita contra qui ex Aegypto in Cananaeam pergunt, *ascendere* dicuntur, cf. Gen. 44, 17, 45, 25. Nam qui ab austro ad aquilonem tendunt, Hebraeis ad editiorem terrae partem ascendere putantur. In הַמַּעַלְךָ est ה Articuli in Pron. relat. resolvendum cum Pron. suff. conjunctum, ut Ps. 103, 4. הַרְחֶב־פִּיךָ וַאֲמַלְאֵהוּ *Aperi os tuum et implebo illud*, copiosissime desideriis tuis satisfaciam. Chaldaeus: *aperi os tuum ad verba legis, tum implebo illud omni bono.* Alii coll. Ps. 119, 131. os apertum animum discendae voluntatis divinae cupidum designare putant, quod et alias mandata atque praecepta, quae Deus dat homini, comparantur cum cibo, quem Deus edendum illi porrigat, ut Ez. 2, 8. Jer. 15, 16. Et hic sensus ad reliquam orationem etiam h. l. est aptissimus. Est enim sermo de solemni foederis Sinaitici institutione, commemoratque Jova, se populo ex servitute Aegyptiaca a se exemto hanc legem proposuisse, ut ipsum solum pro Deo suo haberent colerentque. Qua conditione accepta quum necesse fuerit, omnem illius religionis modum ac rationem legibus

definire, aptissime in oratione subsequitur illa ad audiendas leges divinas invitatio.

13. וָאֲשַׁלְּחֵהוּ *Ideo dimisi eum*, velut animal sine frenis, indomitum, ut Job. 39, 3. verbum hebraeum usurpatur. Kimchi: custodiam meam ab iis abstuli et publici quasi juris eos hostibus feci. בִּשְׁרִירוּת לִבָּם Aben-Esra et Kimchi interpretantur *in obstinatione cordis eorum*, ex Aramaeo שְׁרַר *firmavit*, et שְׁרִיר *firmum;* Hieronymus: *in malitia cordis eorum*, ex Arab. שָׁרַר *malus et improbus fuit.* Sed Chaldaeus: *in cogitationibus* cordis *sui*, a *speculandi* significatione, quam verbum שָׁרַר cum שׁוּר communem videtur habuisse, cf. ad 5, 9. Quam *cogitationum* significationem commendat membrorum parallelismus h. l., quum in altero hemistichio בְּמוֹעֲצוֹתֵיהֶם (pro quo Chaldaeus recte posuit *in consiliis impietatum suarum*) respondeat. Apta quoque est locis Deut. 29, 18. Jer. 3, 17. Certum est, sensu malo tantummodo illud nomen usurpari.

15. כִּמְעַט *Brevi*, ut 2, 12. 94, 17. אַכְנִיעַ *Humiliarem* est reddendum, coll. Vs. 14. Vulgatus, qui Vs. praeced. transtulit: *utinam audivisset* etc., nostra verba *humiliassem* etc. reddit. וְעַל־צָרֵיהֶם אָשִׁיב יָדִי *Et adversus hostes eorum manum meam*, plagas meas (vid. 30, 4.) *converterem*, s. *convertissem.*

16. Etiam hic Versus pendet ab illo Vs. 14.: *Si populus meus audiret me.* מְשַׂנְאֵי יְהוָה *Osores*, inimici *Jovae.* Hostes sui populi hostes suos Deus vocat, ac de se loquitur in tertia persona: nisi forte quis velit haec dicta a poeta, quasi Dei verbis haec subjiceret. יְכַחֲשׁוּ־לוֹ *Mentirentur ei*, populo meo, hoc est, prae timore negarent se quicquam adversum illum molitos; vel, bello domiti simularent benevolentiam et voluntariam servitutem. Cf. not. ad 18, 45. — וְיהִי עִתָּם לְעוֹלָם *Essetque tempus eorum*, Israelitarum *in aeternum.* *Tempus* pro *tempore* statuque *felici* intelligendum, coll. Jes. 33, 6., quemadmodum *vita* pro *vita beata* Ps. 34, 13.

17. וַיַּאֲכִילֵהוּ *Et oibaret eum* scil. Jova (Vs. 16.) populum suum. מֵחֶלֶב חִטָּה *Ex adipe frumenti*, vid. ad 36, 9. וּמִצּוּר דְּבַשׁ אַשְׂבִּיעֲךָ *Et e petra melle satiarem te*, ego Jova; sermo a tertia persona ut supra Vs. 7. in primam, ita hic in secundam mutatur, ut 41, 3. Quod autem *mellis e petra* mentionem facit, eo pertinet, quod in Palaestina terrisque finitimis apes sylvestres in cavernis petrarum mellificare solent, unde postmodum, sole ceratas liquefaciente cellulas, mel ex illis profluit, vid. Bochart *Hieroz.* T. III. p. 379. ed. Lips. Cf. Deut. 32, 13. 1 Sam. 14, 25. 26.

Ps. 82.

Reprehenduntur judices injusti, muneris sui immemores et negligentes. Loquens introducitur Deus ut summus judex, qui

judices inferiores, quibus munus suum commiserit, visitet. Et hac occasione admonet cosdem graviter et luculente officii sui, ut judicia justa exerceant, et jus recte dicant et administrent; Deum etiam ipsum praesentem interesse judicum populi sui jurisdictioni et administrationi, et videre et cognoscere omnia. Additur (Vs. 7.) comminatio, moriendum eis esse non minus, quam ceteris hominibus, atque ita neque diuturnam esse potentiam ipsorum.

Tempus carminis scripti prorsus incertum est, neque de eo quaerere quidquam attinet, quum absque hoc plana sit sententia.

1. אֱלֹהִים נִצָּב בַּעֲדַת־אֵל *Deus constitutus est* (cf. Jes. 3, 13.) *in coetu Dei*, i. e. suo, in coetu ab ipso convocato; loco Pronominis repetitur nomen ipsum, ex priscae linguae simplicitate, ut Gen. 4, 23. Num. 27, 11. 1 Reg. 9, 1. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 741. *Coetu Dei* vero significatur populus Israeliticus, quem Jova in peculium sibi ex omnibus gentibus elegerat, ut Num. 27, 17. 31, 16. Jos. 22, 16. 17. Ps. 74, 2. Alexandrinus cum Vulgato, Arabico et Aethiopico interpretibus *in congregatione Deorum*, Syrus *in coetu angelorum* reddidit, singulari numero sumto collective, coll. Ps. 29, 1. (ubi not. vid.) et 89, 7. Exod. 15, 11. Id si adsciscas, de concilio coelestium, quale Job. 1, 6. 2, 1. 1 Reg. 22, 19. commemoratur, cui praesidet Deus, cogitandum erit. בְּקֶרֶב אֱלֹהִים יִשְׁפֹּט *In medio deorum jus dicit. Diis* Syrus iterum *angelos* intelligit, qui nonnumquam, veluti 97, 7., hoc nomine veniunt; sed h. l. rectius *judices* et *magistratus* intelliguntur, ut Ex. 21, 6. (ad quem loc. cf. not.), 22, 7. 8. 27.; vid. et not. ad Ps. 45, 7. Chaldaeus hoc modo transtulit: *Dei majestas habitat in concione justorum, praevalentium in lege, in medio judicum, ut aeque jus dicat.* Inter hunc autem et sequentem Versum subaudiendum est לֵאמֹר *dicendo*, ut Ps. 2, 2. 3. 30, 9. 10. 32, 7. 8. Sequuntur enim verba, quibus Deus, judicum consessibus adstans et intervenions, ut, quid faciant, examinet, illos increpet et compellat.

2. עַד־מָתַי תִּשְׁפְּטוּ־עָוֶל *Quousque judicabitis iniquitatem*, i. e., ut recte Aben-Esra notat, *judicium iniquitatis*, h. e. quousque exercebitis injusta judicia? Cf. Lev. 19, 15. וּפְנֵי רְשָׁעִים תִּשָּׂאוּ *Et faciem impiorum tolletis*, i. e. iis gratificabimini, habita personae, non causae ratione. שְׂאֵת פָּנִים *Tollere faciem alicujus* pro eum acceptum et gratum habere, aestimare aliquem, nullo causae ejus respectu habito, notum, cf. Lev. 19, 15. Prov. 18, 5. Job. 32, 21.

3. שִׁפְטוּ־דַל וְיָתוֹם *Judicate pauperem et orphanum*, administrate jus et justitiam egentibus et qui parentibus orbi sunt. עֲנִי וָרָשׁ הַצְדִּיקוּ *Miserum et pauperem justificate*, h. e. compotem juris sui facite, et quum justitia causae suae id poscit, justum pronunciate.

5. לֹא יָדְעוּ וְלֹא־יָבִינוּ Chaldaeus non male explicavit: *non intelligunt bonum facere, nec intelligunt legem.* Possit tamen hoc dirigi ad clausulam Versus hujus, de fundamentis terrae nutantibus, quod hoc scilicet non cogitent, neque intelligant, terram scilicet se evertere perversitate et incuria sua. בַּחֲשֵׁכָה יִתְהַלָּכוּ *In tenebris* inscitiae, incuriae et socordiae suae *ambulant*, Prov. 2, 13. — יִמּוֹטוּ כָּל־מוֹסְדֵי אֶרֶץ *Nutant*, concutiuntur *omnia fundamenta terrae*, sc. Israeliticae, de hujus enim judicibus h. l. agitur. Sensus est: ob injustitiam magistratuum ruinam minatur respublica universa, vacillantibus quippe legibus, quibus inniti solet. Chaldaeus recte *idcirco* hisce verbis praemisit.

6. *Ego dixi: Dii estis et filii Altissimi vos universi.* אֲנִי אָמַרְתִּי *Ego dixi*, solenniter promulgavi in publica magistratuum inauguratione, e. c. Exod. 22, 27. coll. Prov. 8, 15. 16. Quemadmodum ipsi magistratus אֱלֹהִים dicuntur (vid. Vs. 1.), ita iidem בְּנֵי עֶלְיוֹן *filiorum Dei* titulo insigniuntur, quo significatur, dignitatem eis a Deo collatam esse. Ne vero quid turbet dignatio haec nominis divini, ut homo *Deus* appelletur, statim cavetur Versu sequenti, qui dicit, eos esse mortales Deos, atque ita nomine esse deos, non re, et quod tanquam judices et magistratus munus divinum gerant in terra, sic appellari.

7. Chaldaeus: *Attamen in veritate sicut homines moriemini, et sicut unus principum cadetis.* Vocabulo אָדָם h. l. *plebejus* quivis designatur, ut 42, 9. Jes. 2, 9., opponitur enim in hemistichio altero כְּאַחַד הַשָּׂרִים *sicut unus principum*, i. e. ut unusquisque alius principum, qui quae ceteros mortales manet sorte non sunt exemti. Non est necesse, ut cum Aben-Esra שָׂרִים sensu malo sumamus de principibus violentis, qui se ipsos per vim et injuriam, quibus subditos oppresserunt, in perniciem detruserunt.

8. Nomine הָאָרֶץ *universam terram* (i. e. omnes incolas terrae) non *Israeliticam* tantummodo, ut nonnulli voluerunt, intelligendam esse, cognoscitur ex altero hemistichio: כִּי־אַתָּה תִּנְחַל בְּכָל־הַגּוֹיִם *nam tu jus hereditatis* et dominii *habes inter omnes populos*; tuae jurisdictioni subjecti sunt universi terrae populi; *hereditatis* nomine enim saepissime *peculium* significari, notum. Verbum נָחַל h. l. cum ב constructum, quum alias Num. 18, 20. 34, 29. Jud. 11, 2. cum Accusativo construatur.

Ps. 83.

Preces continet afflictae, vel graviter saltem periclitantis reipublicae, quae omnibus a partibus petitur ab hostibus, qui ad eam exstirpandam conjurant, et omnes opes suas ad hoc conferunt ac conjungunt. Recenset autem exempla ex veteribus historiis, opis ejus, quam Jova tulit suis; quibus et confirmat animos precantium ad similes eventus concipiendos in praesentibus periculis, et impre-

catur similem exitum et eandem fortunam ejus temporis hostibus, quam experti sint veteres illi antiquis temporibus. — Tempus carminis compositi incertum est. Commemoratio *Assyriorum* Vs. 9. movit Chaldaeum interpretem, ut ad Sanheribi tempus carmen referret.

2. אֱלֹהִים אַל־דֳּמִי־לָךְ *Deus, ne silentium tibi sit*, quasi conniventi ad nostras vexationes. Alexandrinus, eumque sequutus Vulgatus: ὁ *Θεὸς τίς ὁμοιωθήσεταί σοι; quis est, quis similis sit tibi?* Nomen דֳּמִי illi de *similitudine* et אל pro negativo accepisse videntur, atque ex negativa propositione interrogativam fecisse. At recte Chaldaeus: *ne sileas*, qui ipse et pro אַל־תֶּחֱרַשׁ *ne surdus sis* ad preces nostras (cf. 28, 1. 25, 22. 50, 21.) non male *ne sis remissus* posuit. וְאַל־תִּשְׁקֹט *Neque quietus sis*, quominus nobis succurras.

4. Chaldaeus: *Contra populum tuum machinantur secretum* consilium, secretas fraudes, *et consultant adversus eos, qui reconditi sunt in thesauris tuis*, quibus significari apparet illos, quos peculiariter dilectos atque sub sua protectione tutos esse Jova voluit, unde Alexandrinus pro עַל־צְפוּנֶיךָ *κατὰ τῶν ἁγίων σου* habet. Cf. Ps. 17, 8. 27, 5. 31, 21. Ez. 7, 22. Forma illa loquendi desumta videtur ex jure hospitii orientali.

5. מִגּוֹי — אָמְרוּ *Dixerunt: agite, perdamus eos, ne sint gens* amplius, vid. 74, 8. Eodem sensu Jer. 48, 2. וְנַכְרִיתֶנָּה מִגּוֹי legitur.

6. נוֹעֲצוּ לֵב *Consilia inter se ineunt corde*, i. e. non obiter aut perfunctorie, sed summo studio, *ex toto corde*, ut Chalaeus reddidit. עָלֶיךָ Et *contra te ipsum*, tanquam hostes tui (Vs. 3.), cujus cultum et rempublicam exstinguere volunt. בְּרִית יִכְרֹתוּ *Foedus pangunt*, vid. de solemni ritu in pangendo foedere, unde phrasis disumta not. ad Gen. 15, 10.

7. אָהֳלֵי *Tentoria*, h. e. metonymice, ut Zach. 12, 7., *incolae tentoriorum*, sive Idumaei et Israelitae, in tentoriis vel belli (ut Jud. 6, 5. 7, 13. 2 Reg. 7, 7.), vel pacis tempore degentes. Imo pro *habitaculis* ordinariis et aedibus etiam, ex vetusto usu, *tentoria* saepe adhibentur, veluti Jud. 7, 8. 1 Reg. 12, 16. Ps. 78, 55. — וְיִשְׁמְעֵאלִים *Et Ismaelitarum*, Gen. 37, 25. Jud. 8, 24., ab *Ismaele*, Abrahami ex Hagare filio descendentes, vid. Gen. 16, 10—12. 25, 12—18. Chaldaeus *Arabum* reddidit, qui et ipsi originem suam ad Ismaelem referunt. „הַגְרִים populi nomen est ad orientem Gileaditidis, cum quo tribus transjordanenses Sauli tempore bellum gesserunt, ob pascua, ut videtur, quibus ad Euphratem usque potiti sunt, 1 Chr. 5, 10. 19. 20. Vix dubium, quin idem sit, qui Arabico nomine iisdem literis הגר scribitur, ad sinum Persicum, ubi in d'Anvilliana Asiae delineatione gradum inter longitudinis 65 et 69 invenies *Heger, ou Baharain.* Nempe et tota regio Baharein alio nomine *Hegr* dicitur, eodemque et nomine urbem habet

primariam. Vid. Geograph. Nubiens. p. 122. vers. lat. Qualis nunc sit status urbis, satis florentis et regionis illius, disces ex Niebuhrii *Descriptione Arabiae*, p. 339 — 342." Haec J. D. MICHAELIS in *Supplemm. ad Lexx. Hebrr.* p. 498. sqq., qui et de aliis veterum et recentiorum sententiis de hoc nomine disputavit. Cf. *Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. III. p. 22.

8. גְּבָל alii pro *Gebalitis*, s. incolis urbis aut regionis Gebal in Phoenice et vicinia Tyri habent, ubi *Gebale promontorium* apud Plinium *Hist. Nat.* 5, 20., alii *Gebalenen*, i. e. montana trans Jordanem, RELANDO in *Palaest.* p. 82 — 85. descripta, intelligunt, cui sententiae favet vicinitas ceterorum populorum h. l. memoratorum, qui cuncti Judaeae ad austrum et euronotum siti erant. Cf. J. D. MICHAELIS in *Supplemm.* p. 253. sq., qui de hac regione ex Arabum Geographis retulit. עִם־יֹשְׁבֵי צוֹר *Cum incolis Tyri*, qui Davidis atque Salomonis temporibus amicitiam cum Israelitis coluerunt, unde quidam collegerunt, carmen nostrum Davide serius esse. Sed distingui poterunt tempora Davidis prima et ultima, et Hiramus, amicus Davidis et Salomonis, ab ejus antecessoribus.

9. Chaldaeus: *Etiam Sancherib*, *rex Assyriae*, *cum illis sese consociavit*, *sunt auxilio filiis Lot*, i. e. Ammonitis et Moabitis, Vs. 7.

10. עֲשֵׂה־לָהֶם כְּמִדְיָן Chaldaeus: *fac illis sicut fecisti Midianitis* per Gideonem, Jud. 7. et 8. כְּסִיסְרָא כְיָבִין *Sicut Siserae* duci cum exercitu, et *sicut Jabino*, Regi Cananaeorum, qui per Baracum et Deboram deleti fuerunt, Jud. 4. et 5. בְּנַחַל קִישׁוֹן *In valle*, s. *ad torrentem Kischon*, vid. Jud. 5, 21.

11. נִשְׁמְדוּ *Deleti sunt*, scil. Sisera et Cananaei, nec hoc referendum ad Midianitas, nam עֵין־דֹּאר *En-Dor*, quod noster statim nominat, in tribu Manassis (Jos. 17, 11.) situm erat, non procul a Taanach et Megiddo (Jud. 5, 19. coll. 1, 27. et Jos. 17, 11.), quae loca viciniora fuerunt borealibus Cananaeis, quam australibus Midianitis. הָיוּ דֹמֶן לָאֲדָמָה Chaldaeus: *facti fuerunt sicut stercus conculcatum ad terram.*

12. שִׁיתֵמוֹ נְדִיבֵמוֹ *Pone*, fac (ut 21, 7. 10.) *eos*, nimirum *principes eorum*, pleonasmus, qualis Ex. 2, 6. וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד. Alii: *fac eos* sc. hostes nostros Vs. 10. commemoratos, et *principes eorum*. כְּעֹרֵב וְכִזְאֵב *Sicut Orebum et Zeebum*, duces Midianitarum, Jud. 7, 25. וּכְזֶבַח וּכְצַלְמֻנָּע *Et sicut Zebach et Tsalmuna*, Midianitarum reges, Jud. 8, 5 — 10. 12. 18 — 21. כָּל־נְסִיכֵמוֹ *Omnes praefectos* s. duces *eorum*, hostium nostrorum.

13. נִירְשָׁה־לָּנוּ אֶת נְאוֹת אֱלֹהִים *Hereditate occupabimus nobis habitacula* (74, 20.) *Dei*, non sanctuarium tantummodo, et, secundum Syrum, *civitatem Dei*, Hierosolyma, sed et reliqua omnia loca terrae Israeliticae, quibus Deus colebatur. Ita Kimchi, coll. 2 Chr. 20, 10. 11. Sed Chaldaeus, qui *omnem ornatum Dei*

transtulit, quo pulcherrimum Dei templum intellexit, nomen נְאוֹת ad verbum נָאָה *pulcher fuit*, retulit, ut Alexandrinus Ps. 74, 20. (ubi vid. not.), qui hoc loco θυσιαστήριον τοῦ Θεοῦ posuit.

14. כַּגַּלְגַּל veteres omnes *sicut rotam* (cf. ad 77, 19.) transtulerunt, atque Chaldaeus hoc modo exposuit: *sicut rotam, quae volvitur, et movetur, nec quiescit in loco declivi.* Alii *rotationem*, sive *stipulae pulverisque vorticem*, intelligunt, collata simili imagine Jes. 17, 13. Pro לִפְנֵי רוּחַ Chaldaeus recte *coram turbine* posuit.

15. Post nomina אֵשׁ et לֶהָבָה pronomen relativum אֲשֶׁר est subaudiendum. הָרִים Chaldaeus *cincturas montium* reddidit, i. e. secundum Kimchium arbores et frutices in montibus, respondet enim שֹׂעִיר in priore hemistichio.

16. 18. De verbo בָּהַל vid. ad 2, 5.

19. Hic Versus cum Aben-Esra, subaudito ante שִׁמְךָ pronomine relativo אֲשֶׁר, sic interpretandus est: *scient*, te solum, cujus nomen est Jova, altissimum esse.

Ps. 84.

Describitur flagrantissimum pii hominis desiderium veniendi in sacrum coctum, et felicitas eorum, qui cultui divino vacare possunt, atque voluptas, quam ipsi ex eo percipiunt. Carmen simillimum Psalmo 42., itidem Coraitico, atque, sicut ille, Davidis, ob turbas civiles ab Absalomo concitatas, profugi, nomine, ut videtur, compositus. Cf. not. ad 42, 1.

2. Nomen מִשְׁכְּנֹתֶיךָ in plurali numero positum alii credunt propterea, quod plures essent tabernaculi partes, adytum, sanctum, sive atrium sacerdotum, et atrium populi; alii quod tabernaculum unum Mosis cum aeneo altari esset Gibeone; alterum cum arca foederis in monte Sion, coll. 2 Chr. 1, 3—6. Argutiae! Est numeri enallage saepius obvia, ut Ps. 46, 5. 132, 5. Nam Ps. 74, 7. Ex. 25, 9. Ez. 37, 27. de eodem tabernaculo sacro singularis numerus usurpatur.

3. Chaldaeus: *Concupiscit, atque etiam expetit anima mea atria Domini* (quae Vs. 2. *habitacula* ejus nominaverat), *cor meum et caro mea*, totus ego, anima et corpore, *jubilant Deo vivo*, de qua appellatione vid. not. ad 42, 3.

4. *Etiam avis*, s. *passer*, *invenit domum*, *et turtur*, s. hirundo, *nidum sibi*, *ubi reponat pullos suos*, *altaria tua*, *Domine*, etc. Ex Bochartı sententia (*Hieroz.* T. II. p. 592.) Psaltes sortem suam confert cum vilissimis avibus, passere puta et palumbo, quibus ad altare Dei non modo liber accessus, sed et ibi nidificare, et pullos excludere concessum; dum ipse vagus erat, et extorris et ab aede sacra remotus. *Altare* autem illi positum videtur pro *tabernaculo* vel pro *templo*, in cujus trabibus cedrinis aves nidi-

fieassent. Alii verba nostra coneise dicta existimant, pro eo quod plene essét: *etiam aviculis locus suus et nidus datur; concedas itaque et mihi tutum refugium*, nempe *altaria tua*, *Domine*. Sed simplicissimum videtur, verbum מָצְאָה, quod Versus initio in tertia feminina aderat, in posteriore Versus parte in persona prima repetere, ut hoc modo Versus sit interpretandus: *etiam passer reperit domum*, i. e. ubi habitet, et *hirundo nidum sibi*, *quo reponat pullos suos; altaria tua* se. mihi reperio, quae sint mea domus, mea sedes, ubi ego acquiesco. Vel possint subaudiri verba הֲלֹא אֲנִי אֶמְצָא, hoc sensu: *aves adeo ad nidos suos redeunt, nonne mihi etiam tandem ad tua altaria redire licuerit?* De צִפּוֹר, et *quasvis aves*, et speciatim *passerem* notante, vid. Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 729. דְּרוֹר alii *hirundinem*, alii *columbae ferae* speciem, sive *palumbum* esse putant, quam posteriorem sententiam firmant omnes veteres. Chaldaeus Versum reddidit hoc modo: *Etiam columba invenit domum, atque turtur nidum sibi, quod legitimi sint pulli ejus, ut offerantur super altari tuo.*

5. אַשְׁרֵי יוֹשְׁבֵי בֵיתֶךָ *Beati domestici tui*, Jer. 20, 6. Hoc perperam aliqui tantum de sacerdotibus et Levitis interpretantur, quum de omnibus Israelitis piis dicatur. עוֹד *Adhuc*, i. e. assidue et constanter, seu, ut Kimchi scribit, *omnibus diebus suis, et in perpetuum*, coll. Gen. 8, 22. Ps. 49, 19.

6. *Felicia hominis, cujus robur in te, in quorum corde semitae.* Quae Chaldaeus sic explicavit: *Beatitudo viri*, i. e. beatus ille, *cui robur in verbo tuo, in quorum animis fiducia* (nam in Chaldaeo, sicut in Hebraeo, subaudiendum est relativum אשר). Is igitur interpres מְסִלּוֹת *vias munitas*, accepit de *firmitate* et *fiducia* animi, apposite ad prius hemistichium, in quo עֹז respondet, neque similitudine incongrua, quum מְסִלָּה, *via exaggerata et munita*, lapidibus strata, opposita sit tramiti lubrico atque incerto, ut hoc dicat: quorum hominum corda sunt confirmata, viarum munitarum instar, nimirum te nitendo et tibi fidendo. Rectum vidisse Aben-Esram existimamus, cui *habere in corde vias* est: habere animum et studium iter ad domum Dei, sive sanctuarium, suscipiendi. Recentiores nonnulli interpretes cogitant de *viis Dei*, a Deo praescriptis, hoc sensu: qui toto animo id agunt, ut in viis tuis, s. secundum praecepta tua iter instituant; sine ratione idonea, quum Dei nomen non sit adjunctum. בִּלְבָבָם *In corde eorum*, pro בִּלְבָבוֹ *in corde ejus*, praecesserunt enim singularia, sed tamen collective accipienda, ideoque haud incongrua est haec enallage numeri.

7. עֹבְרֵי — יְשִׁיתוּהוּ *Transeuntes per vallem fletus*, per vallem aliquam luctuosam, *fontem ponent eam*, reddent eam riguam. Veteres omnes nomen בָּכָא significatione *fletus*, s. *luctus*, acceperunt, idque semel ita per א scriptum occurrere, notat Masora,

quum alioqui per ה in fine scribendum fuisset, ad formam שַׁוְא. Et notum est, א et ה saepe permutari. Sic רָפָה 2 Sam. 21, 16. 22. per *He*, in parallelo autem loco 1 Chr. 20, 4. 6. 8. רָפָא, per *Aleph*, scribitur. *Vallis fletus* vero est aspera et arida, qualis viatori est tristis. Loquitur vates de coetu euntium Hierosolymam, ad sedem arcae statis festivitatibus; his nihil defuturum dicit in tali itinere, quantumvis aspera sit via. מַעְיָן יְשִׁיתוּהוּ *Fontem ponent* s. facient *eam* sc. vallem, i. e. efficient, ut ea irrigua fiat fontibus, quos propter ipsos Deus excitabit, et hoc sensu viatoribus illis tribuitur, quod Dei est proprium, ut de effossis puteis aquae scaturiant. Alexandrinus reddidit εἰς τὸν τόπον ὃν ἔθετο, quasi מָעוֹן יְשִׁיתֻהוּ legisset. גַּם־בְּרָכוֹת יַעְטֶה מוֹרֶה *Imo etiam beneficiis amiciet* vallem illam *pluvia tempestiva* s. *autumnalis*, quae h. l. nomine מוֹרֶה (alias יוֹרֶה), significatur, ut Joel. 2, 23., quum מַעְיָן *scaturigo*, praeceedat. Sunt, qui יַעְטֶה hic significatu consoni Arabici (ultima *Vau*) *dedit*, *largitus est*, capiendum censent, ut vertendum sit: *imo etiam beneficia dabit pluvia tempestiva.* Alexandrinus posuit: δώσει, *dabit.* Veteres interpretes מוֹרֶה frequentiore *doctoris* significatione acceperunt, quo sensus minus aptus efficitur, nisi quis, post Chaldaeum, nomen illud de eo, *qui legis divinae studio operam dat*, intelligere, et in Accusativo positum sumere velit. Chaldaica vero Versus integri interpretatio est talis: *Improbi, qui transeunt per profundum Gehennae, flentes fletu, sicut fontem ponent illud; atqui beneficiis operiet* Deus *eos, qui immorantur in doctrina legis suae.* Quod sequutus Jarchi: Isti, qui transgrediuntur legem tuam, in valle Gehennae flebunt et ejulabunt, eamque fontem s. scaturiginem reddent lachrymis suis; celebrabunt vero Deum dicentque: justissime ille (Deus) nobiscum agit, et benedictionibus operitur ille, qui docuit nos, ut institueremus viam rectam, sed non auscultavimus ei.

8. יֵלְכוּ מֵחַיִל אֶל־חָיִל *Ibunt* illi, qui iter Hierosolymam suscipiunt (Vs. 7.), *a robore ad robur*, non fatigabuntur ambulando, sed valentiores semper et fortiores ipso itinere fient. Praepositiones מִן et אֶל sibi invicem subjunctae, et quidem ante idem nomen repetitum, indicare solent rei augmentum et continuationem, ut Jer. 9, 2. (3.) *quia* מרעה אל רעה *a malo ad malum prodeunt*, i. e. pejores fiunt, vid. et Ps. 144, 13. Locus hemistichio posteriori Versus praecedentis et primo hujus Versus similis est in *Corano* Sur. 11. Vs. 54. 55. edit. Hinckelm. *O populo! veniam petite a Domino vestro, tum convertimini ad eum, mittet coelum super vos pluviam copiose effundens, et augebit vobis robur ad robur vestrum.* Quum חַיִל quandoque metonymice de *exercitu* dicatur, ut Obad. Vs. 11. Jes. 43, 17. Zach. 4, 6., et h. l. Hebraeorum quidam nomini illi *turmae*, *cohortis* notionem tribuunt, ut verba ita sint transferenda: *ibunt de turma ad turmam*, i. e. turmae euntium Sionem, et ad sedem Jovae, magis magisque augebuntur,

et confluentibus undique populis agglomerabuntur. יֵרָאֶה אֶל־אֱלֹהִים *Conspicietur*, s. donec conspiciendus *compareat* quisque illorum, iter facientium *coram Deo*, alludit ad loca Ex. 23, 15. 34, 23. Deut. 16, 16. Similem constructionem vid. Ex. 4, 1. 5. Levit. 9, 4. 6. בְּצִיּוֹן, ubi arca saera et peculiari modo praesens Jova, 2 Sam. 6, 12. 17.

10. מָגִנֵּנוּ Alexandrinus, reliquique qui eum sequi solent, veteres, reete in Vocativo, *ὑπερασπιστὰ ἡμῶν*, *propugnator noster*, reddiderunt. Sic etiam Kimchi: *O Deus, qui clypeus es pro nobis.* וְהַבֵּט פְּנֵי מְשִׁיחֶךָ *Et intuere faciem uncti tui*, i. e. propitium te ei exhibeas. Ne avertas vultum tuum ab eo, quasi iratus.

11. כִּי plerique *nam* transferunt, ut vates rationem reddat desideriorum suorum Vs. 9. 10., sive, secundum Aben-Esram, ab initio quoque Psalmi Vs. 2. sqq. expressorum. Alii vero prius hoc hemistichium nectunt sequentibus hoc modo: *quia* una dies melior — — ideo *elegi* ete. מֵאֶלֶף *Prae mille* aliis diebus, cf. similem sententiam Ps. 27, 4. 73, 28. בָּחַרְתִּי *Elegi*, malo omnino, Ps. 119, 30. 2 Sam. 19, 39. Verbum הִסְתּוֹפֵף *in limine versari*, Alexandrinus *παραῤῥιπτεῖσθαι*, exque eo Vulgatus *abjectus esse*, Chaldaeus vero *adhaerere*, reddidit. Jarchi *ad limen sacrarii vigilare* explicavit, Aben-Esra vero et Kimchi *ad limen portae manere*, quod דּוּר שָׁם *commorari*, quod subjicitur, opponatur. E ceteris explicationibus Calvini adducere lubet interpretationem, quae Alexandrini mentem explicat: „Quia solis sacerdotibus fas erat templum ingredi, diserte exprimit, modo subsidere in atrio liceat, hac se sorte contentum fore. Malle se dicit in ipsis templi foribus subsistere, ac limen tenere, quam occupare tabernacula impietatis; q. d. se in vulgarem et ignobilem locum malle rejici, modo censeatur in Dei populo, quam primarium gradum tenere inter impios.“ Verum sicuti סַף *limen*, per synecdochen etiam pro *domo* dici potest, ita et verbum inde deductum h. l. simpliciter *in domo versari* significare videtur, ut respondeat דּוּר שָׁם, sine notione aliqua adjuncta, de qua nec Chaldaeus cogitavit.

12. שֶׁמֶשׁ *Solis* nomine Deus et Jes. 60, 19. 20. insignitur. לֹא־יִמְנַע־טוֹב לַהֹלְכִים בְּתָמִים *Non prohibet bonum ambulantibus in integritate.* Phrasis haud absimilis latinae figurae huic: *non patitur in se claudi eis ullum bonum* (vid. Terent. *Andr.* 3, 3, 41. *Eun.* 1, 2, 84. Cicero *de Offic.* 2, 15), i. e. non patitur eos egere ullo tempore.

Ps. 85.

Gratias agit Jovae, quod populum de exilio reduxerit, petitque ab eo pacem adeo tranquillam et imperturbatam, ut pristinae irae Dei nullae reliquiae supersint. Postremo firmiter se exauditum iri sperat, et de spe illa sua, tanquam de re certissima,

magnifice loquitur, dum quae ad statum felicem reipublicae pertinent, figuris pulchris et suavibus describit. Carmen ad illud tempus referendum, quod reditum ex Babylonico exilio proxime est consequutum. Toto enim isto tempore vicinarum gentium odio et assiduis incursionibus instauratae reipublicae felicitas saepe turbata est, nec modo cultura agrorum, sed etiam templi et urbis structura non semel est impedita.

2. רָצִיתָ יְהוָה אַרְצֶךָ *Propitius fuisti, o Jova, terrae tuae*, quam Abrahamo ejusque posteris dedisti, quamque populi et cultus tui sedem esse voluisti. שַׁבְתָּ שְׁבִית יַעֲקֹב *Reduxisti captivitatem*, i. e. captivos (ut 53, 7. Jer. 30, 18.), *Jacobi*, i. e., ut Chaldaeus reddidit, *familiae*, s. posterorum Jacobi, ut Ps. 78, 5. 21. 71. שְׁבִית ejusdem cum שְׁבוּת significationis, Num. 21, 29., et cum eo frequenter in Keri et Chethibh permutatum, ut Jer. 29, 14. 49, 20. Ez. 16, 53.

3. כָּסִיתָ כָל־חַטָּאתָם *Operuisti omnia peccata eorum*, e conspectu tuo removisti, ne ad ea punienda compellereris. Cf. ad 32, 1. coll. Neh. 3, 37.

4. אָסַפְתָּ *Collegisti*, et simul omnem *abstulisti*, quomodo verbum hoc et Jer. 10, 17. Gen. 30, 23. Jes. 4, 1. usurpatur. הֲשִׁיבוֹתָ *Convertisti te*, sic intransitive in Hiphil Ez. 14, 6. 18, 30. 32., ut הֲרְחִיב Ps. 25, 17. accipiunt.

5. שׁוֹבֵנוּ Chaldaeus recte *converte ad nos* reddidit, cf. Jes. 63, 17. Alexandrinus: ἐπίστρεψον ἡμᾶς, *converte*, i. e. restitue *nos*. וְהָפֵר כַּעַסְךָ עִמָּנוּ *Solve indignationem tuam contra nos*, tibi adversis, exercitam. Chaldaeus: *et irritam fac iram tuam a nobis*. Alexandrinus sensum magis expressit: ἀπόστρεφον τὸν θυμόν σου ἀφ' ἡμῶν, nec non Hieronymus: *et solve iram tuam adversum nos*. עִמָּנוּ *Nobiscum*, i. e. contra nos, vid. Ps. 51, 19.

6. *Num in aeternum nobis irasceris*, *num* הֲתִמְשֹׁךְ *continuabis iram tuam per plures aetates?* Verbum מָשַׁךְ h. l. ut 36, 11., ubi vid. not. *Num*, הֲ, est repetendum ex hemistichio priore, ut 77, 9.

7. הֲלֹא אַתָּה תָּשׁוּב תְּחַיֵּינוּ *Annon iterum nos vivificabis*, i. e. pristinam nobis felicitatem reddes? Eadem imago Jes. 26, 19. Hos. 6, 2., atque eadem cum verbo שׁוּב constructio Ps. 71, 20. — וְעַמְּךָ יִשְׂמְחוּ־בָךְ *Ut populus tuus laetetur de te?* Praefixum ו h. l. *ut*, quemadmodum 49, 10. 86, 17.

9. Fingit poeta se audire vocem Dei respondentis, et aperte testificantis, precationem populi sui sibi acceptam exstitisse: auscultabo igitur, inquit, quid loquatur Deus: אַל־יָשׁוּבוּ לְכִסְלָה *Ne vertant se retro ad stultitiam*, i. e. modo, saluti suae restituti, nihil deinceps per stultitiam committant iterum, neque in peccata relabantur, quae et alias *stultitia* nuncupantur, veluti Coh. 2, 14. 7, 25. Ps. 38, 6.

10. Nomine כָּבוֹד *gloriae*, h. l. significatur *arca sacra*, symbolum illud majestatis divinae, ut 63, 3. et 1 Sam. 4, 21. 22., integrique versiculi sensus est talis: certo praesto erit timentibus ipsum ope sua, ut recuperato statu pristino, et instaurato cultu vero, vetus gloria, veteraque ornamenta redeant terrae nostrae.

11. Chaldaeus: *benignitates et veritas invicem sibi occurrunt, justitia et pax conjunctae sunt.* Virtutes inter nos versabuntur et colentur conjunctim universae.

12. אֱמֶת מֵאֶרֶץ תִּצְמָח *Veritas e terra progerminabit.* Similiter Ps. 72, 3. *montes pacem proferre* dicuntur. Loco huic similis quoque est Jes. 45, 8. Pro eo, quod ibi est הַרְעִיפוּ שָׁמַיִם מִמַּעַל וּשְׁחָקִים יִזְּלוּ־צֶדֶק *stillent coeli desuper, et nubes fluant justitia*, noster וְצֶדֶק מִשָּׁמַיִם נִשְׁקָף *justitia de coelo prospicit*, dixit; recte itaque *prospectum e coelo* de pluvia interpretantur, quae inde decidens videndam se exhibet.

13. גַּם־יְהוָה יִתֵּן הַטּוּב *Imo etiam Dominus dabit bonum*, quod Hebraei de pluvia intelligunt, coll. Deut. 28, 12., et sequitur in altero hemistichio de proventu terrae. Alii in universum de hominibus omnino bonis, a Deo profectis, coll. Ps. 68, 10.

14. צֶדֶק לְפָנָיו יְהַלֵּךְ *Justitia ambulavit coram eo*, sc. Deo, cujus Versus 13. meminit, licet enim proxime praecesserit אֶרֶץ, ad eam tamen, ut feminei generis, referri nequit affixum masculinum ו, sed ad remotius יְהוָה, adeoque sic transferendum: *in conspectu Dei ambulabit justitia*, i. e. palam exercebitur, ita ut homines justitiae studeant non tantum coram hominibus, verum etiam coram Deo ipso. Aliqui suffixum collective s. distributive accipiunt, hoc modo: unusquisque piorum justitiae cultorum ambulare faciet ante se justitiam, id est, praestabit a se justitiam. וְיָשֵׂם לְדֶרֶךְ פְּעָמָיו *Et ponet ad viam* s in via *gressus suos*, i. e. justitia gressu libero et expedito incedet; non inhibetur ipsius cursus, non amplius pressa jacebit in terra, quomodo Jes. 59, 14. opposita habetur phrasis: *concidit in platea veritas, et aequitas non potuit ingredi;* item Amos 5, 7. *justitiam in terram reponunt*, vel proculcant. Hic contra justitia instar reginae libere obambulantis cunctaque pro arbitrio ordinantis introducitur.

Ps. 86.

Orat defensionem et victoriam adversus potentes hostes, cum quibus precatori sit pugnandum. Ad exsuscitandam autem fiduciam suam praemittit precibus suis persuasionem certam, quod Deus sit eum exauditurus; quibus postea addit celebrationem potentiae, fidelitatis et bonitatis Dei, quam saepe jam expertus sit, et experturus deinceps. Titulus Davidis has preces esse perhibet, neque est in iis quicquam a Davidica formula alienum. Videntur fusae esse quum a Saulo profugus vitam inopem vagamque atque

periculosam prosequeretur. Accuratius tempus editi carminis nequit finiri.

2. כִּי־חָסִיד אָנִי *Quia pius sum*, i. e. quia te colo et veneror, quia sum inter eos, qui tibi sunt consecrati, unde et statim subjungit: *conserva famulum tuum.* Aliqui sic interpretantur, ut sit sententia: quia expers sum omnis culpae et prorsus innocens; vel: deditus sum innocentiae et pietati, his studeo, sicut 26, 6.

4. אֵלֶיךָ נַפְשִׁי אֶשָּׂא *Ad te animam meam attollo*, te, auxiliumque a te profectum cupidissime exspecto, cf. not. ad 25, 1,

5. Chaldaeus: *Quoniam tu, Jova, bonus es erga justos, et parcens iis, qui convertuntur ad legem, atque multiplicans benignitatem omnibus orantibus coram te.*

8. Nomine אֱלֹהִים Chaldaeus *angelos* intelligit, alii aliarum gentium *deos*, ut haec sit poetae mens: inania sunt nomina eorum omnium, qui Dii nominantur ab aliis; non est ex hoc genere ullus tibi similis, qui possit facere quae tu praestas cultoribus tuis.

11. יַחֵד לְבָבִי לְיִרְאָה שְׁמֶךָ *Uni cor meum ad timendum nomen tuum*, i. e. collige dissipatos et distractos motus animi mei, ut in te et cultum tui solum uniantur; dirige omnes meas cogitationes eo, ut te timeam. Alexandrinus, qui transtulit: εὐφρανθήτω ἡ καρδία μου, יַחֵד ad verbum חָדָה *gavisus est* retulit. לִירְאָה est Infinitivus cum ה paragogico, ut Deut. 4, 10.

13. מִשְּׁאוֹל תַּחְתִּיָּה *Ex imo inferno*, quasi dicat, ex penetralibus mortis, ut significetur magnitudo periculi, et perturbationes animi maximae et mortiferae, quae eum tantum non exanimarint.

14. וְלֹא שָׂמוּךָ לְנֶגְדָּם *Nec posuerunt te coram se*, non curant te. Syrus: *nec recordati sunt tui.* Cf. 54, 5.

16. וְהוֹשִׁיעָה לְבֶן־אֲמָתֶךָ *Salutem praesta filio ancillae tuae*, i. e. vernae familiae tuae; coll. 116, 16. אֲנִי עַבְדְּךָ בֶּן־אֲמָתֶךָ.

17. עֲשֵׂה־עִמִּי אוֹת לְטוֹבָה *Fac mecum* s. erga me (ut Gen. 24, 12. Ps. 119, 124.) *signum*, argumentum, specimen, *in bonum*, ut bene mihi sit, i. e. documentum ede favoris tui in me eximium, ut cognoscant hostes mei, me tibi carum esse, et pudeat eos frustratorum conatuum suorum. וְיִרְאוּ *ut videant*, vid. ad 85, 7.

Ps. 87.

Laudes urbis Hierosolymitanae, sedis deliciarumque Jovae, quae ipsa communis quasi patria futura sit etiam aliis gentibus potentibus et opulentis, ut fiant cives ejusdem civitatis, vel etiam coloni ejusdem metropolis. Non improbabilis est Christ. Mulleri (*Satura Observatt.* p. 80. sqq.) conjectura, carmen Hiskiae regis actate scriptum esse, quod commemorantur in eo gentes exterae eae, quibuscum illis ipsis temporibus Israelitis vel societates vel

bella intercedebant. Praeter Aegyptios et Babylonios recensentur (Vs. 4.) *Philisthaei*, qui regnante patre Hiskiae, Achaso, Judaeam hostiliter invascrant, sed ab Hiskia iterum in fines suos redacti, firmam ex eo tempore amicitiam cum populo Judaico coluisse videntur (2 Chron. 28, 18. 2 Reg. 18, 8.). Philisthaeis junguntur *Cuschaei*, quorum rex Taracon Aegyptiis et Judaeis auxilium contra Senacheribum tulit. Inprimis huc facit quod Chronicorum scriptor (2 Chr. 32, 23.) tradit, missa a vicinis gentibus munera esse Jovae Hierosolymorum urbem, postquam grave illud bellum extinctum fuerat. Eadem, quae in hoc Psalmo regnat, sententia reperitur quoque Jes. 19, 25., aliisque pluribus Jesajanorum oraculorum locis.

1. יְסוֹדָתוֹ בְּהַרְרֵי־קֹדֶשׁ *Fundatio* s. *fundamentum ejus* sc. Zionis *in montibus sanctitatis*, sanctis, est. Suffixum nominis יסודתו referendum ad *Zionem* (Vs. 2.), nomen, etsi significatione femineum, terminatione tamen masculinum (cf. 2 Reg. 15, 16. Hos. 10, 7. Mich. 5, 1.). Pronomen vero haud raro non antecedens, sed consequens nomen spectat, ut Cant. 1, 2. Prov. 7, 8. Amos. 1, 4. sq. Vid. not. ad Ps. 28, 8. 29, 6. Alii, suffixo ad *Deum* (Vs. 3.) relato, sensum faciunt hunc: *fundatio ejus*, fundatoris scilicet Dei, est *in montibus sanctitatis*, i. e. Deus fundaturus sibi et cultui suo sedem, delegit sibi montes istos sanctos, *Zionem* videlicet, ubi tabernaculum pro sacra arca a Davide paratum (1 Sam. 6, 17. 1 Chr. 15, 1.), et *Moriam* montem, quo deinceps templum a Salomone conditum fuit, 2 Chr. 3, 1., vel etiam pluralem numerum usurpavit, quod *plures* circa Hierosolyma *montes* essent; Ps. 125, 2.

2. *Diligit Jehova* שַׁעֲרֵי צִיּוֹן *portas Sion*, i. e. totam urbem Hierosolymitanam, vid. not. ad 78, 54. coll. 9, 15. 122, 2. Jes. 60, 18. Sensus est, Jovam prae ceteris locis omnibus Hierosolymorum urbem elegisse, in qua sedem suam figeret.

3. נִכְבָּדוֹת מְדֻבָּר בָּךְ *Gloriosis*, i. e. admodum honorifice *dictum* est *de te*, multa atque insignia elogia in te conferuntur. נכבדות adverbialiter accipiendum (pro בִּנְכָבְדוֹת), saepe enim nomina pluralia, vel cum praepositione, vel in casu obliquo absolute usurpata, ita induere solent usum adverbialem, ut significationem intendant, et gradum quasi superlativum in adverbiis efficiant, ut 9, 9. *judicabit populos* בְּמֵישָׁרִים *aequitatibus*, i. e. aequissime, quod et, sine praepositione, מֵישָׁרִים, 58, 2. Ita נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתָ Ps. 139, 14. Participium passivum מְדֻבָּר neutraliter usurpatum, ut Jes. 26, 3. בְּךָ בָטוּחַ *in te confisum est*, i. e. posita est fiducia. De עִיר־אֱלֹהִים vid. ad Ps. 46, 5.

4. Sequuntur Jovae verba, ut apparet ex sequentis Participii suffixo, coll. Vs. 6. אַזְכִּיר רַהַב וּבָבֶל לְיֹדְעָי *Memorabo Rahab et Babel in noscentes me*, ut tales qui me noscant, ut ל sit denominativum effecti, coll. Gen. 2, 24. Zach. 14, 9. Ps. 7, 14. Sensus:

tanta Zionis erit celebritas, ut inter ejus incolas et cives relaturus etiam sim gentes celeberrimas, quae me Deum agnoscant. רַהַב *Aegypti* nomen proprium esse, cujus ratio et origo tamen ignota, non potest dubitari, vid. Jes. 30, 7. 51, 9. Ps. 89, 11. — הִנֵּה פְלֶשֶׁת וְצוֹר עִם־כּוּשׁ *Ecce Philisthaeam, Tyrumque cum Aethiopia* sc. memorabo tales, qui me agnoscant. זֶה יֻלַּד־שָׁם *Hic*, i. e. horum *quisque*, sive, *qui*, ut 74, 2., vel subaudiri potest לֵאמֹר post verbum: memorabo *dicens: qui* quoque *natus est illic*, in Zione, ut in Psalmis frequentissime, e. c. Ps. 32, 7. 8. 40, 4. 5. 82, 1. 2. Sensus: de illis gentibus, inimicissimis aliquando Israelitis, multi in consortium ipsorum annumerabuntur, et concives efficientur. Id Versus 5. et 6. indicant.

5. Nunc poeta iterum loquitur: וּלְצִיּוֹן יֵאָמַר *Unde Zioni dicetur.* Alii: Ideoque *de Zione* dicetur, coll. לְ Gen. 17, 20. Ps. 3, 3. אִישׁ וְאִישׁ יֻלַּד־בָּהּ *Vir et vir*, i. e. iste et ille, sive plures, *nati sunt in ea*, q. d. cujuscunque gentis homines, et undecunque nati sint vel oriundi, tamen cupient omnes scribi in catalogo civium Hierosolymitanorum. Natos hic non ponit pro indigenis, sed pro civibus, qui censentur esse Hierosolymitani. Geminatio nominis, ut h. l. איש ואיש, non tantum *distributionem* et *universitatem*, ut Lev. 17, 10. 13., sed et *multitudinem*, ut Gen. 14, 10. Ex. 8, 10., atque *diversitatem* indicat, coll. Ps. 12, 3. Deut. 25, 13. 14. — וְהוּא יְכוֹנְנֶהָ עֶלְיוֹן synchysis, pro וְהוּא עֶלְיוֹן יְכוֹנְנֶהָ, *et ipsemet Altissimus fundavit eam*, ut 1 Sam. 20, 29. *et ipse praecepit mihi frater meus*, pro, et ipse frater meus praecepit mihi.

6. Verbis יְהוָה יִסְפֹּר בִּכְתוֹב עַמִּים *Jova numerabit scribendo populos*, inducit Deum censum veluti agentem populorum sibi parentium, et in eo censo isti reperientur scripti cives Hierosolymitani. Ante verba זֶה יֻלַּד־שָׁם subaudiendum iterum, ut Vs. 4., לֵאמֹר; nam sequuntur Dei verba, quae et Versu proximo continuantur.

7. Laeta et hilaria sunt omnia in hac urbe. וְשָׁרִים כְּחוֹלְלִים *Et cantantes* (cf. verbum Ps. 7, 1. Ex. 15, 1. et participium Prov. 25, 20.) *sicut tripudiantes*, s. choreas in publico gaudio praecinentibus tibiis (1 Sam. 10, 5. 1 Reg. 1, 40.) ducentes, coll. Exod. 15, 20. Jud. 21, 21. 23. כָּל־מַעְיָנַי בָּךְ *Omnes fontes mei*, Jovae, sunt *in te*, omnia mea beneficia in te contuli. Quidam מעינים *adspectus* reddunt (quum עַיִן et *oculum* denotet), ac si dicat: semper oculos meos habebo in te conjectos, quicquid tibi accidat, o Zion, sive tristandum sit, sive gaudendum. In eum sensum cf. 137, 5. Sed praeferendus prior sensus. Hieronymus: *et cantores quasi in choris: omnes fontes mei in te.* Longe aliter vero hunc Versum cum eo, qui praecessit, interpretatus est Alexandrinus: *Κύριος διηγήσεται ἐν γραφῇ λαῶν καὶ ἀρχόντων τούτων τῶν γεγενημένων ἐν αὐτῇ. Ὡς εὐφραινομένων πάντων ἡ κατοικία ἐν σοί.*

Quod Vulgatus sic reddidit: *Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum, qui fuerunt in ea. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.* Apparet, Graecum interpretem pro שָׂרִים legisse שָׁרִים, quod ipsum etiamnum in codicibus nonnullis reperitur (eadem lectionis varietate, quae 68, 26.); nomen vero מְעֹנַי *habitationem* interpretatus est, ex מָעוֹן, neglecto pronomine. Praeterea singula hemistichia aliter distinxit, id quod unusquisque ipse conferendo Graeca cum Hebraeis intelliget.

Ps. 88.

Miserias suas aegrotus, jam paene in extremo salutis discrimine positus, singillatim enumerat, a quibus eripi se quasi acquissimum postulat, ut vivens Deum laudare, et de ejus beneficiis gratias illi agere possit. — Accensendus videtur hic Psalmus eorum numero (6. 12. 13. 22. 38. 39. 40.), in quibus populus Hebraeus exilii miseriis oppressus de iis, sub singuli hominis graviter afflicti persona conquestus inducitur.

1. De מַחֲלַת vid. Prolegg. p. 17., de מַשְׂכִּיל p. 20. et de *Hemane Esrachita* p. 5. sq.

2. נֶגְדֶּךָ *Coram te*, subaudi clamor meus, vel, אֲנִי *ego* clamans, cf. 16, 8. 38, 10. Chaldaeus: *Interdiu clamavi, noctu preces meae coram te.*

3. תָּבוֹא לְפָנֶיךָ תְּפִלָּתִי *Veniat in conspectum tuum oratio mea*, perveniant preces meas ad tuas aures.

4. וְחַיַּי לִשְׁאוֹל הִגִּיעוּ *Et vitae meae*, vires meae vitales (ut 31, 11.) *ad infernum pertigerunt*, sic verbum intransitive usurpatur Ez. 7, 12. Ps. 107, 18. Cant. 6, 14. Ea est malorum gravitas, ut de vita desperandum mihi sit. Jarchius: *De congregatione Israelitica loquitur, quae afflicta est castigationibus exilii*, ut ad Vs. 1. dicit.

5. נֶחְשַׁבְתִּי עִם־יוֹרְדֵי בוֹר *Reputatus sum cum*, i. e. accenscor *descendentibus in foveam* sepulchri, cf. 28, 1. 30, 4. Prov. 1, 12. — כְּגֶבֶר אֵין־אֵיָל *Instar viri* reputatus sum *sine robore*, vel subaudito pronomine relativo: *cui non est robur*, coll. simili constructione Jes. 40, 29. Dicit se tanta malorum gravitate esse obrutum, ut perdiderit quidquid antea virium et roboris habuerat. Nomen אַיָל, h. l. tantummodo occurrens, formae קְרָב *bellum*, ejusdem haud dubie significationis est cum אֵילוּת Ps. 22, 20.

6. Reputatus, inquam, sum בַּמֵּתִים *inter mortuos*. Quod sequitur, חָפְשִׁי, quum alias de *servo manumisso* dicatur, ut Ex. 21, 2. 5. Deut. 15, 12. 13. 18. Job. 3, 19., plerique h. l. *liberum* transtulerunt, atque vel, *ab omni numinis cura liberum et derelictum* interpretati sunt, vel talem, qui, cum rebus humanis sit exemtus, nemini quidquam officii debet, neque cui quidquam debetur. Verum adhibenda potius est significatio Arab. חפש *debilis*,

imbecillis, *infirmo corpore fuit*, unde substantivum *imbecillitas*, atque nomen adjectivum *imbecillis*. Qua ipsa notione nomen חָפְשִׁית 2 Chr. 26, 21. usurpatur, ubi de rege Usia: *Percussit Dominus regem*, *factusque est leprosus*, *habitavitque in* בֵּית הַחָפְשִׁית *domo infirmitatis (in einem Siechhause)*. Quod vero nomen חָפְשִׁי etiam de *liberto* dicitur, causa videtur esse haec, quod servo imbecilli, aut senectute debili immunitas ab operibus, quibus impar erat, concessa fuit. J. D. Michaeli (in *Supplemm.* p. 880.) a significatione *projiciendi*, *humi prosternendi*, quam Arabicum חפש in Conjug. secunda habet, nostrum חָפְשִׁי *prostratum* interpretari mallet. כְּמוֹ חֲלָלִים Chaldaeus *sicut gladio interfecti* reddidit. אֲשֶׁר לֹא זְכַרְתָּם עוֹד *Quorum non meministi*, curam habes *amplius*. וְהֵמָּה מִיָּדְךָ נִגְזָרוּ *Et qui e manu*, protectione *tua excisi sunt*.

7. *Posuisti me in foveam inferiorum locorum*, *in loca tenebricosa*, *in profunda*. שַׁתַּנִי *Posuisti* namque, instar severi judicis, *me*, velut reum mortis. Vid. de שָׁחַת ad 49, 15. בַּבּוֹר *In fovea*, qua Chaldaeus *carcerem* (coll. Jer. 38, 6.) intellexit: *in captivitate*, *quae similis est foveae*. Jarchi: *id est exilium*. תַּחְתִּיּוֹת *Infimorum*, sc. locorum aut mansionum (Jer. 37, 16.) in terra; vid. Ez. 26, 20. Ps. 63, 10. — בְּמִצֻלוֹת *In profundis*, s. profundissima aqua maris (Ex. 15, 5.), sine spe emergendi aut salutis, cf. Ps. 40, 3. 69, 3. 16.

8. עָלַי סָמְכָה חֲמָתֶךָ *Super me innititur*, incumbit mihi *furor tuus*, quae similitudo et 32, 4. 38, 3. — וְכָל־מִשְׁבָּרֶיךָ עִנִּיתָ *Et omnibus fluctibus* (vid. ad 42, 8.) *tuis afflixisti* scil. me, id quod totus clamat contextus, cf. 78, 28., ubi similis Accusativi post verbum defectus. Plene habetur 119, 75. עִנִּיתָנִי. Alii adscita notione Arabici ענא *produxit*, sic transferunt: *omnes fluctus tuos produxisti*, effudisti. Alii reddunt *operuerunt me*, quod verbum illud Arabicum inter alia etiam *descendit*, *et quasi coelitus accidit* alicui aliquid denotat. Sed *affligendi* sensu verbum עָנָה et 90, 15. 102, 24. occurrit.

9. הִרְחַקְתָּ מְיֻדָּעַי מִמֶּנִּי *Avertisti notos* s. familiares *meos a me*. Iis me affecisti plagis, ut abominationi sim familiaribus meis, qui a me fugiunt. שַׂתַּנִי תּוֹעֵבוֹת לָמוֹ *Posuisti*, dedisti, *me abominationes illis*, detestabilem me illis fecisti. Jarchi: *Populis illis*, *quibus ego* (congregatio Israelis) *honorata fui*, *nunc sum vilis* s. contemta. כָּלֻא וְלֹא אֵצֵא *Clausus sum*, *ut evadere non possim*, conclusus sum malis undique, neque patet mihi uspiam ex his exitus, nulla est evadendi facultas.

10. עֵינִי דָאֲבָה *Oculus meus contabuit*, dolore et miseriis species oris mei macie extabuit. De עַיִן vid. ad 73, 7. Vel: *oculus meus contabuit* multo fletu, ut 6, 8. 69, 4.

11. הֲלַמֵּתִים תַּעֲשֶׂה־פֶּלֶא *Num mortuis facies mirabile?* num edito miraculo mortuos revocabis ad vitam? אִם־רְפָאִים

יָקוּמוּ יוֹדוּךָ *Num mortui resurgent? te celebrabunt?* Petit sibi vitam produci et conservari hac de caussa, ut possit Deum celebrare; itaque haec tanquam ex absurdo cum Deo disserit precator, quasi diceret: tu vis, ut te celebremus, quare ergo vitam praecidis nobis ante tempus, qui hoc agimus? an sublatis vivis ad hanc rem revocabis in vitam mortuos? רְפָאִים, a רָפָה *defecit, desiit*, sunt omni vi vitali exuti. Chaldaeus: *corpora resoluta in pulvere.*

12. An in sepulcris etiam memoratur bonitas et clementia tua, et ab iis, qui morte absumti jacent, veritas et fides tua? בְּאֲבַדּוֹן *In interitu*, Chaldaeus: *in loco perditionis.* Kimchi: i. e. in sepulchro, ubi corpus interit.

13. הֲיִוָּדַע בַּחֹשֶׁךְ פִּלְאֶךָ *Num agnoscetur in tenebris* inferni (Chaldaeus: *in tenebris Gehennae*) *miraculum tuum?* numquid in tenebris etiam Orci apparere possunt et agnosci, quae facis mirabiliter, sicut inter vivos? וְצִדְקָתְךָ *Et justitia tua* sc. cognoscetur? an ibi etiam edentur documenta, aut experimenta erunt hujus? *Justitia* vero intelligenda est defensionis et liberationis a malis in genere. בְּאֶרֶץ נְשִׁיָּה *In terra oblivionis*, ubi nullius rei, quae ad hanc vitam pertinet, memoria est amplius. Ita poetis etiam exteris mortui potant oblivia in campis Lethaeis (λήθη, *oblivio*). Status mortuorum comparatur regioni, ubi mortui veluti congregati degunt, ut Job. 10, 21. 22.

16. עָנִי אֲנִי וְגוֹעַ *Miser ego sum et exspirans*, exerceor misere, et exhaustus viribus omnibus tantum non vita ipsa deficior. Quod autem sequitur, מִנֹּעַר, primum alii aliter distinguunt, dum aliqui ad praecedentia referunt, ut sit: *a juventute sum miser et calamitosus*, aliqui ad sequentia, ut sit: *a juventute usque perfero terrores tuos.* Deinde pro eo, quod est *a juventute*, quodque veteres omnes reddunt, quum nomen נַעַר et Prov. 29, 21. Job. 13, 25. 36, 14. *pueritiam* s. *adolescentiam* significet (pluribus locis non reperitur), aliqui faciunt *prae concussione* (ex significatione *excutiendi* verbi נָעַר, vid. Ps. 109, 23. Job. 38, 13. Neh. 5, 13.), i. e. propter summam afflictionem anhelus jaceo. Sed tutius est נַעַר *adolescentiae* significatu capere. אָפוּנָה Chaldaeus *onus super me*, interpretatus est, satis apposite quidem ad rem, modo illa notio Hebraeae, aut cognatarum dialectorum usu firmari possit. Sed rectius refertur ad Arabicum אפן *infirma mente et consilii inops fuit*, unde אפין et מאפון *ingenii et consilii expers*, nec absona est conjectura, פוּךְ et אָפַן communes habuisse significationes, ut et alia verba mediae radicalis quiescentis conveniunt cum similis soni verbis sed primae radicalis quiescentis. Patrocinatur huic sententiae Alexandrinus, qui ἐξηπορήθην posuit, quod Vulgatus *conturbatus sum* reddidit, sequutique etiam sunt Hieronymus et Syrus. Ita sensus erit talis: jam inde a juventute mea pertuli terrores mihi a te immissos, in quibus nunc etiam haerens animo anxio semper trepido, neque quo me vertam reperio.

17. Tertia radicalis verbi צִמְּתֻתוּנִי *exciderunt me*, Kimchio monente, geminata est, ad exaggerandam significationem, ut in שַׁאֲנַן, אַמְלַל, נִפְלַל Ez. 28, 23. Vid. et not. ad Ps. 35, 6. coll. 38, 11. 45, 3. Gesenio *Lehrgeb.* p. 252. est forma Pilpel, sed legendum existimat צִמְּתֻתֻנִי. Dagesch in מ est euphonicum.

18. De verbo הִקְרִיפוּ vid. not. ad 22, 17.

19. הִרְחַקְתָּ מֻמְנִי אֹהֵב וְרֵעַ *Elongasti a me amicum et socium*, fecisti ut a me recederent omnes amici et propinqui mei, non habeo quenquam ex meis, qui fidem mihi praestet. Cf. Vs. 9. Verba postrema, מְיֻדָּעַי מַחְשָׁךְ varii varie interpretantur. Alexandrinus Versum nostrum sic reddidit: ἐμάκρυνας ἀπ' ἐμοῦ φίλον καὶ πλησίον καὶ τοὺς γνωστούς μου ἀπὸ ταλαιπωρίας, pro מַחְשָׁךְ eum מֻחְשָׁךְ pronunciasse patet, atque *tenebras* pro miseria accepisse, ut sensus sit hic: abstraxisti familiares meos ab aerumnis meis, a me aerumnoso. Chaldaeus: *notis meis obscuratus sum in facie eorum*, mei sunt obliti. Alii aliter. Recte vero nostra verba interpretatus est Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 165. „Teneatur, inquit, verum ac proprium vocabuli מַחְשָׁךְ usum in co positum esse, ut inferiorum sedem denotet; quod intelligitur ex hujus Psalmi Vs. 7., nec non 143, 3. Thr. 3, 6., tum vero per totum carmen diffusum esse ac quasi dominari tristem illam cogitationem de praesentissimo mortis periculo, abituque ad inferos parando. Quibus observatis vix fieri potest, quin in mentem veniat accipere verba מידעי מחשך hoc modo, ut sensus sit, avulsis a me amicis sodalibusque omnibus, non superest, quo familiariter uti possim, praeter sepulchrum. Sic fere Jobus, 7, 14. *corruptionem compello patrem meum, matrem sororemque meam putredinem.*"

Ps. 89.

Preces anxiae pro conservatione regni Davidici, jam penitus afflicti, quae nituntur promissione facta Davidi a Nathane 2 Sam. 7., quae ipsa priore carminis parte (usque ad Vs. 38.) prolixe enarratur, atque nc dubitetur, posse Deum et velle facere, quod promiserat, initio celebratur gloriose potentia et clementia ejus. Ab illa vero promissione quum longissime recederet status tum praesens; in secunda carminis parte expostulatio est cum Deo, qui nimirum facile possit, quod pollicitus est, praestare, nec praestet tamen. Vel in ipsis fere regni Judaici extremis, vel sub exilii initiis factum esse carmen, arguunt Versus 39. 40. et sqq. Ibi tamen quum non dirutae urbis eversique templi fiat mentio, videtur ante expugnatam a Chaldaeis urbem compositum esse.

2. עוֹלָם positum esse pro לְעוֹלָם (omissa praepositione, ut Vs. 3. 38. Ps. 45, 7. et 66, 7.), docet *παράλληλον* לְדֹר וָדֹר in altero hemistichio. Dicit vates, ad omnem memoriam propagaturum se esse praedicatione sua clementiam Jovae immensam

(חֲסָדִי in plurali numero), et fidem veritatemque ejus in servandis promissis.

3. כִּי־אָמַרְתִּי *Nam dixi*, i. e. sic statuo in animo meo, ita persuasi mihi; nam hoc etiam est *dicere* Hebraeis, *cogitare* scilicet, et *statuere*, quasi pronunciata sententia, cf. 16, 2. 31, 15. 119, 57. 116, 11. Significat autem his, se non dubitare, quiequid in praesentia fiat de posteritate Davidica, praestiturum tamen Deum ei elementiam suam, et servaturum, quae promisit, quum fides et misericordia ejus aeterna sint, et non possint fallere. עוֹלָם חֶסֶד יִבָּנֶה *In aeternum* (cf. ad Vs. 2.) *gratia* tua (suffixum repetendum ex אמונתך in altero hemist.) *aedificabitur*, i. e. instar aedificii, solido fundamento superstrueti, consistet durabitque, nam verbum בָּנָה, ut *aedificare*, ita et *durare* significat, sicut aedificia firma durant. שָׁמַיִם תָּכִין אֱמוּנָתְךָ בָּהֶם *Coelos quod attinet stabilies* s. confirmabis *veritatem tuam cum eis*, i. e. instar coeli, quod a firmitate Homero est *χάλκεον*. Kimchi: Veritatem promissionis tuae Davidi et posteritati ejus ita confirmabis, ut non desinat, quamdiu coelum est duraturum, coll. Deut. 11, 21. Ad nexum cum Versu sequenti subaudiendum est לֵאמֹר, ut Ps. 2, 2. 3. 82, 1. 2. Kimchi: sic namque *dixisti* per Nathanem prophetam: *pepigi*, etc. Vs. 4.

4. 5. Respiciunt haec ad celebre illud promissum Davidi per Nathanem factum, 2 Sam. 7, 12. sqq. 1 Chr. 17, 11. sqq.

6. Promissa illa sua praestare potest Jova, quod maxime pollet potentia, quam et ipsi coelites agnoscunt, celebrantque. שָׁמַיִם *Coeli* h. l. per metonymiam sunt superi, coelestes spiritus, coll. 50, 6. 148, 1. 2. Alii ad coeli opus mirabile haec referunt, ut sit sicut illud Ps. 19, 2. *coeli enarrant gloriam tuam.* פִּלְאֲךָ *Miraculum tuum*, collective accipiendum, ut 77, 11. 88, 11. 13., res mirandas potentia tua effectas. In altero hemistichio *coetu sanctorum*, קְהַל קְדֹשִׁים, non est *populus piorum Jovae cultorum* intelligendus, qui 16, 3. 34, 10. קְדֹשִׁים appellantur; sed significantur illi ipsi coelestes spiritus, quos antea שָׁמַיִם vocavit, ut Job. 15, 15. Zach. 14, 5. et infra Vs. 8.

7. *Nam quis in nubibus*, s. in coelo, h. e. ut recte Kimchi notavit, in universo exercitu coelorum, *Jovae aequiparabitur* (de עָרַךְ vid. 40, 6.)? quis Jovae conferatur? *quis assimiletur Jovae* בִּבְנֵי אֵלִים *inter filios fortium*, i. e. *turbas angelorum*, ut recte Chaldaeus reddidit. Cf. not. ad 29, 1.

8. Est Jova אֵל נַעֲרָץ בְּסוֹד־קְדֹשִׁים רַבָּה *Deus formidabilis in concilio sanctorum*, i. e. angelorum *valde*; רַבָּה enim h. l. non est adjective accipiendum, neque סוֹד (nomini masculini generis) jungendum, sed adverbialiter usurpatum, ut Ps. 62, 3. 65, 10. — וְנוֹרָא עַל־כָּל־סְבִיבָיו *Et timendus*, venerandus, *super* i. e. magis quam *omnes circum eum*, qui cum ipso sunt, et tanquam in familia

ejus. Kimchius ad ministeria angelorum hoc refert, ut sit: qui stipant eum, quasi satellitio suo, coll. 1 Reg. 22, 19. Job. 1, 9. sicut *οἱ ἀμφὶ αὐτόν*, Graeca figura.

9. חָסִין *Robustus*, non est constructum, sed absolutum, formae עָזִיל, גִּבִּיר, יְדִיד, significatione convenit cum חָסוֹן Amos. 2, 9. — וֶאֱמוּנָתְךָ סְבִיבוֹתֶיךָ *Et veritas tua circa te*, h. e. circum te nihil aliud est, quam veritas, ut nusquam non te veracem ostendas, sed ubicunque es, etiam illa adsit tibi.

10. A rebus coelestibus jam transit ad ea, quae omnibus obvia sunt, ad mare videlicet, cujus superbiam et insanos fluctus Deum reprimere ait, quoties vult. אַתָּה מוֹשֵׁל בְּגֵאוּת הַיָּם *Tu dominaris in elationem maris*, tua potentia imperat insolentiae saevi maris, cf. Job. 26, 12. — בְּשׂוֹא גַלָּיו אַתָּה תְשַׁבְּחֵם *In efferendo*, cum sese extollunt *fluctus ejus*, *tu eos compescis*. Forma Infinitivi verbi נָשָׂא, שׂוֹא, hoc tantummodo loco occurrit, alias enim נְשׂא vel נָשׂא, et שְׂאֵת vel שֵׂאת dicitur, ut Jes. 1, 14. Ps. 28, 2. Jer. 10, 5.

11. דִּכְּאתָ *Contrivisti*, sic א pro י, ut in רִפְּאתִי *curavi*, 2 Reg. 2, 21., et in רִפְּאנוּ Jer. 51, 9. — כֶּחָלָל *Sicut confossum* et omnibus viribus jam destitutum, h. e. sine ullo labore aut negotio, cf. Ps. 88, 6. Thr. 2, 12. רָהַב quum *superbum* significet, de superbis hostibus in genere aliqui h. l. sunt interpretati. Sed quia Ps. 87, 4. Jes. 30, 7. nomine illo *Aegyptus* significatur, Chaldaeus nostra verba hoc modo explicavit: *Tu contrivisti*, *sicut occisum gladio*, *superbum*, *qui est Pharao impius*. Neque hoc prorsus est repudiandum; nam quum Versu, qui praecessit, dominatus Dei in mari meminisset, potuit hac occasione cladem illam Aegyptiorum in sinu Arabico ut omnium maximum memorabile documentum dominatus hujus attexere. Quod sequitur, בִּזְרוֹעַ עֻזֶּךָ פִּזַּרְתָּ אוֹיְבֶיךָ, *brachio roboris tui*, robore potentiae tuae, *dissipasti hostes tuos*, ἐπεξήγησις esse potest, si ad Aegyptum referatur, vidit enim populus Israeliticus Aegyptios jacentes in litore mortuos, a mari ejectos, vel etiam *γενικὸν*, ad omnes hostes Jovae et populi ejus, quos confecit.

12. לְךָ שָׁמַיִם אַף־לְךָ אָרֶץ *Tibi sunt coeli*, *imo etiam tibi terra*. Non caret hoc emphasi. Siquidem sensus est: non modo tuum est *coelum*, in quo peculiariter putaris dominari, verum etiam *terra*, a qua nimium in oculis hominum abesse videris. תֵּבֵל וּמְלֹאָהּ אַתָּה יְסַדְתָּם *Orbem terrarum fundasti* potentia tua *et quicquid hic complectitur*; metaphora ab aedificio, cf. 102, 26. 104, 5.

13. צָפוֹן וְיָמִין אַתָּה בְרָאתָם *Aquilonem et meridiem* quod attinet, *tu creasti illa*. יָמִין alias תֵּימָן, quasi *dextram plagam* dicercs, facie hominis e Palaestina קֶדֶם, *ad Orientem* conversa. תָּבוֹר וְחֶרְמוֹן בְּשִׁמְךָ יְרַנֵּנוּ *Tabor et Hermon in nomine tuo jubilant*, tc, statorem suum, celebrant. *Taboris* autem et *Hermonis*

mentione *ortum* et *occasum* significat, ut interpretatur Chaldaeus. Hic enim est situs horum montium, ut Tabor respectu Hermonis occidentalis sit Judaeae, et hic ad Orientem. *Tabor* in occidentali parte Galilaeae, vid. Jos. 19, 12. Jud. 4, 6. 12. De *Hermone*, qui etiam *Sirjon* et *Senir*, vid. Ps. 29, 6. 42, 7.

14. לְךָ זְרוֹעַ עִם גְּבוּרָה *Tibi brachium cum fortitudine*, validissimum. תָּרוּם יְמִינֶךָ *Alta est dextera tua*, nihil est tam arduum, ad quod non pertineat potentia tua.

15. צֶדֶק וּמִשְׁפָּט מְכוֹן כִּסְאֶךָ *Justitia et judicium* sunt *basis throni tui*, fundamentum solii tui, quo nititur ipsum, sunt jus et justitia, cf. Prov. 16, 12. 25, 5. Alii hoc sic interpretantur, quod totum solium et tribunal ejus sit de his virtutibus confectum, sicut aliorum regum ex auro aut alia pretiosa materia. משפט h. l. est jurisdictio et administratio judicii, quam aequissimam Jova exercet, cf. Ps. 33, 5. 101, 1. Poctice virtutes eas, quae in hoc rege sunt, tribuit solio et comitatui seu satellitio ipsius; subdit enim: חֶסֶד וֶאֱמֶת יְקַדְּמוּ פָּנֶיךָ *clementia et fides praecedunt faciem tuam*, sunt satellites et anteambulones tui. Cf. similem loquutionem Exod. 33, 19. Ps. 21, 4.

16. אַשְׁרֵי הָעָם יֹדְעֵי תְרוּעָה *O beatum populum, qui sciunt clangorem* sc. tubarum, quo ad festa Jovae celebranda convocantur, i. e. quos vocas ad cultum tuum, et qui te vocantem sequuntur. תְּרוּעָה h. l. pro תְּרוּעָה מִקְרָא־קֹדֶשׁ Lev. 23, 24. Clangore tubae populus ad sacros conventus convocari solebat. יְהוָה בְּאוֹר־פָּנֶיךָ יְהַלֵּכוּן *Jova! in lumine vultus tui ambulant*, te propitium habent, gratia tua fruuntur. De אור יהוה vid. Ps. 4, 7. 36, 10.

17. בְּצִדְקָתְךָ יָרוּמוּ *Clementia tua exaltabuntur*, i. e. beneficiis tuis jactare se possunt. Vel: beneficentia tua evehuntur et superiores aliis fiunt.

18. כִּי־תִפְאֶרֶת עֻזָּמוֹ אָתָּה *Nam decus roboris eorum* es *tu*, quicquid habent virium et roboris, id a te est, ut in te glorientur. וּבְרְצוֹנְךָ תָּרוּם קַרְנֵנוּ *Et per gratiam tuam exaltatur cornu nostrum*, quod si tu nobis faveas, evehetur dignitas et potentia nostra, ut superiores fiamus hostibus nostris, id enim significatur figura *cornu exaltati*, cf. infra Vs. 25. Ps. 75, 5. 6. 92, 11. 112, 9. 148, 14. Deut. 33, 17.

19. *Nam Jovae est clypeus noster, et sancto Israelis rex noster*, quod aliqui sic intelligunt: Jova est protector et rex noster, ut ל sit Nominativi nota, ut Jes. 32, 1. et 1 Chr. 3, 2. coll. 2 Sam. 3, 3., ad imitationem Aethiopicae dialecti. Aben-Esra vero et Kimchi recte notant, idem significari priori hemistichio ac posteriore, et per *clypeum* regem intelligendum esse, sicut Ps. 47, 10. reges et principes *scuta* terrae vocantur. Itaque haec sententia est hujus Versus, et quae rationem continet posterioris membri praecedentis versiculi: rex quippe noster Dei jussu et vo-

luntate electus est, David videlicet, Salomon, eorumque successores in regno Judae; quidni ergo speremus te, ubi visum fuerit, pristinas vires redditurum nosque regno restiturum? Dei est rex noster, igitur feliciter ac prospere aget, quotics Deo visum fuerit.

20. Post *δοξολογίαν* insertam persequitur, quae supra Vs. 3. et 4. de Davide dicere coepit. אָז *Tunc*, quando foedus pepigisti Davidi, Vs. 4. דִּבַּרְתָּ־בְחָזוֹן *Dixisti in viso*, intelligitur celebre illud promissum Davidi per Nathanem communicatum, 2 Sam. 7, 4. sqq., quod ipsum Vs. 17. ejus Cap. חָזוֹן vocatur; et Prophetae appellantur חֹזִים *videntes*, quod per visa eis voluntatem suam explicare soleret Deus, et per visa eis loqucretur. Dubium, לַחֲסִידֶךָ, unitatis numero, sit legendum, an לַחֲסִידֶיךָ pluralitatis numero. Posterius exhibent interpretes antiqui, et codices bene multi, a Kennicotto atque de Rossio enumerati. Qui hanc lectionem sequuntur, interpretantur de populo Israelitico universo, qui et alias nomine חֲסִידִים, i. e. vel *cultorum*, vel *beneficiariorum Dei* nomine significatur. Sed simplicius est, singularem assumere, et vel *Nathanem*, quo Jova usus est nuncio, cujus et ipsius prophetia (חָזוֹן) h. l. introducitur, vel *Davidem* intelligere, cui promissio illa est facta. Nam si חֲסִידִים universum populum intelligamus, sententia vera non est, quum promissum illud non omnibus Israelitis, verum soli Davidi ejusque posteris datum esse constet. שַׁוִּיתִי עֵזֶר עַל־גִּבּוֹר *Posui auxilium super heroa*, i. e. adjuvi eum, vid. similem constructionem Ps. 21, 6. Minus recte sensum alii faciunt hunc: *constitui qui opem ferat adversus robustum*, i. e. hostes potentes. הֲרִימוֹתִי בָחוּר מֵעָם *Exaltavi electum e populo*, quod dupliciter intelligunt. Aliqui sic, ut sit simpliciter, esse eum e populo Judaico, et non externum. Alii vero *populum* h. l. plebem faciunt, ut sit: ex infima plebe delegi eum, quippe e caula et ab ovibus abductum, et ex opilione regem factum.

21. Ille a me delectus est David, famulus meus, quem exquirendo nactus sum mihi, et unxi cum oleo sancto meo.

22. Hemistichii prioris verba ita sunt ordinanda: אֲשֶׁר עִמּוֹ יָדִי תִּכּוֹן, *quocum manus mea firma erit*. Sensus est: manus mea praesto ei erit constanter, numquam destituam eum auxilio meo.

23. לֹא־יַשִּׁיא אוֹיֵב בּוֹ *Non aget exactorem in eum hostis*, nihil juris aut potestatis, veluti creditor in debitorem, habebit adversarius in eum, non subiget eum sibi ullus hostium ipsius. יַשִּׁיא referendum ad rad. נָשָׁה, quemadmodum verba alia plura, quibus tertia radicalis est He quiescens, puncta vocalia et ultimam radicalem mutuantur a finitis in Aleph, ut לִירוֹא *ad jaculandum* 2 Chr. 26, 15.; יַפְלֵא *segregaverit* Lev. 27, 2. Sunt quidem, qui nostrum יַשִּׁיא ad נָשָׂא, quod in Hiphil *decepit* significat, referentes, haec verba interpretentur hoc modo: *non decipiet eum hostis*, nullus hostium fraude eum decipiet. Ita Chaldacus: *non seducet eum inimicus*. Alexandrinus: *οὐκ ὠφελήσει ἐχθρὸς ἐν*

αὐτῷ, *nihil proficiet inimicus in eo*, ut Vulgatus reddidit. Sed prior sententia veritati magis congrua; imposuerunt enim Davidi multi; subegit eum nemo. Praeterea verbum הִשִּׁיא *decepit*, cum Accusativo aut Davidi, praefixo לְ, nusquam vero cum בְּ constructum reperitur. Contra verbi הִשָּׁה *exactorem egit*, constructio eadem, quae h. l., est Deut. 24, 10. Quare recte Aben-Esra locum nostrum sic explicat: *non dominabitur ei exactor.* וּבֶן־עַוְלָה לֹא יְעַנֶּנּוּ *Et filius perversitatis*, homo perversus, ut 2 Sam. 3, 34. 7, 10. Hos. 10, 9., *non affliget eum*, nullius hominis vis et insolentia vertet eum.

25. וּבְשִׁמְי תָּרוּם קַרְנוֹ Aben-Esra sic explicat: propterea quod nominatur de nomine meo, i. e. cultorem meum se profitetur (Jes. 43, 7.), gloria ejus exaltabitur. Cf. Vs. 18.

26. Chaldaeus hunc Versum sic reddidit: *Et ponam in terminis maris dominationem ejus, et in incolis fluviorum potentiam dexterae ejus. Fluviorum* nomine *Euphrates* notatur, quum limites regni promissi sint Davidi ab ortu in occasum a mari rubro usque ad mare occidentale seu Palaestinum, et, a septentrione ad meridiem, ab ora deserti usque ad Euphratem: ut est Ex. 23, 31. Deut. 11, 24. Et Euphrates etiam alias *κατ' ἐξοχήν fluvius* nominatur, qui quum in multos alveos scindatur, etiam *fluviorum* nomen non est inconsentancum, de hoc interpretari; aut simpliciter est enallage numerorum poetica. Aliqui et ad hunc, et ad Syriae flumina referunt, quae David in expeditionibus suis superavit; subegit enim Palaestinos ad mare Palaestinum et Syros usque ad Euphratem, atque Mesopotamiam habuit tributariam, quae est inter Euphratem et Tigrim, unde nomen habet Mesopotamiae, q. d. interamnis, quam et *Syriam fluminum*, אֲרַם נַהֲרַיִם (1 Chr. 19, 6.), eodem modo appellarunt, ut *fluviorum* nomine h. l. intelligamus flumina terrae Euphrateae. Posset igitur sensus et hic esse: et usque ad Euphratem et flumina vicina et confinia. Aben-Esra: Quum supra Vs. 10. dixisset, Jovam dominium habere in fluctus maris, jam dicit, dedisse eum Davidi de potentia sua, ut dominaretur illis, qui navibus in mari et fluminibus itinera facerent.

28. אַף־אֲנִי בְּכוֹר אֶתְּנֵהוּ Sicut, inquit, me patrem vocabit, ita *vicissim ego primogenitum eum constituam*, adoptabo eum, qui sit primogenitus mihi, i. e. praecipuo loco apud me, et sic erunt quae sequuntur *ἐπεξήγησις* hujus. Vel *primogenitus* erit simpliciter *filius*, species pro genere; certe prophetia Nathanica 2 Sam. 7, 14. habet: *et erit mihi in filium.* עֶלְיוֹן לְמַלְכֵי־אֶרֶץ *Sublimiorem regibus terrae.* Cf. 1 Chr. 14, 17.

29. לְעוֹלָם אֶשְׁמָר־לוֹ חַסְדִּי *In aeternum servabo illi misericordiam meam*, per quam illum et posteros ejus regnum obtinere volo. וּבְרִיתִי נֶאֱמֶנֶת לוֹ *Et pactum meum* cum illo initum de conservando ipsi ejusque posteris jure regio *fidele* erit *ipsi.*

30. Exponit pactum, cujus modo facta est mentio. Chaldaeus hunc Versum sic reddidit: *Constituam in perpetuum filios ejus, et thronum ejus sicut dies, quibus coeli consistent*; similis est huic loquutio Deut. 11, 21. *sicut dies coeli super terram*, h. e. perpetuo, quamdiu coeli imminebunt terrae.

31. 32. Longius progreditur vates, inducitque nunc Deum pollicentem, etsi Davidis posteri peccarent, eaque committerent, propter quae jure ac merito regia potestas ipsis adimi posset; non tamen summo jure cum iis acturum, sed solum quasi patrem in filios animadversurum. Porro non levibus tantum delictis indulturum promittit, sed quibuscunque, etiam gravissimis, quod significare vult, quum tot loquendi genera eodem spectantia in his et sqq. Vss. simul congerit.

33. וּפָקַדְתִּי בְשֵׁבֶט פִּשְׁעָם *Animadvertam virga in peccata eorum*, quae Aben-Esra recte de castigatione paterna interpretatur, coll. Prov. 23, 13. *si percusseris eum* (filium) בְּשֵׁבֶט *virga, non morietur.* Et in prophetia Nathanica 2 Sam. 7, 14. diserte habetur: *ego ero ei pro patre, et ille mihi pro filio; et cum prave egerit, custigabo eum virga virorum atque plagis hominum;* supplicia humana enim, etiam capitalia, tamen non grassantur in familias totas et posteritatem universam.

34. וְחַסְדִּי לֹא אָפִיר מֵעִמּוֹ *Clementiam vero meam non irritam reddam ab eo*, castigabo posteros ejus quidem, si adversus leges meas peccaverint, non adeo tamen, ut, quam Davidi pollicitus sum, regni stabilitatem irritam faciam unquam, et fallam fidem datam. וְלֹא אֲשַׁקֵּר בֶּאֱמוּנָתִי *Neque mentiar*, s. fallam *in veritate mea*, nullo modo fallam fide mea. Cf. 2 Sam. 7, 15.

35. לֹא־אֲחַלֵּל בְּרִיתִי *Non profanabo*, violabo *pactum meum*, cf. Num. 30, 3. Ps. 55, 21. — וּמוֹצָא שְׂפָתַי *Et egressum labiorum meorum*, quod proloquutus est os meum, periphrasis sermonis, ut Num. 30, 13. Deut. 8, 3. 23, 24. — לֹא אָשַׁנֶּה *Non mutabo*, revocabo, cf. ad Ps. 34, 1.

36. אַחַת נִשְׁבַּעְתִּי בְקָדְשִׁי *Semel juravi per sanctitatem meam.* Aben-Esra: „Nomine קדשי vel *coelos* intelligit, ut haec verba respectum habeant ad gestum jurantium, qui sublatis ad coelum manibus eum fidei suae testem perpetuo duraturum facerent (Deut. 32, 40. Gen. 14, 22.); vel ipse *Deus* est intelligendus, ut קדשי sit i. q. קְדוּשָׁתִי. Vocula אַחַת vel significat, quod unum illud jusjurandum satis fuerit, vel hoc indicat, Deum alias numquam per suam sanctitatem jurasse, sed illud solum promissum de stirpis Davidicae perennitate tam solenni jurisjurandi formula confirmasse.“ אִם־לְדָוִד אֲכַזֵּב *Si Davidi mentiar*, i. e. nequaquam mentiar. Particula אִם *si*, jurejurando simpliciter adhibita, negat; tunc enim per aposiopesin reticetur mali imprecatio, quod capiti suo accersit jurans, si fallat. Vid. Num. 14, 23. 1 Sam. 24, 22. Jes. 22, 14. Sic solent dicere Latini: *Si sciens fallo.*

37. *Semen*, posteritas, *ejus in perpetuum erit*, stabilietur, *et thronus ejus sicut sol in conspectu meo*, i. e. sicut sol perpetuo durabit, cf. 72, 17. coll. Vs. 5.

38. כְּיָרֵחַ יִכּוֹן עוֹלָם *Sicut luna firmus erit* sc. thronus ejus *perpetuo*. עוֹלָם pro לְעוֹלָם, ut supra Vs. 2. וְעֵד בַּשַּׁחַק נֶאֱמָן *Et testis in nube*, in coelo, *fidus*. *Testem* hic aliqui intelligunt *Deum*, quod nonnumquam Deus etiam de se ipso in tertia persona loquatur; alii, subaudita ante עֵד similitudinis particula כ, *itidem*, quam Deus gratiae suae nec redituri unquam universalis diluvii signum fecit, Gen. 9, 9. 13—17. Rectius Aben-Esra: „*Luna* testis est fida posteritati Davidis, quia sic illi pollicitus est Deus, stirpem suam perpetuam fore, sicut est luna.“ Vel unitatis nomen, עֵד, per enallagen ad utrumque lumen, solem (Vs. 37.) et lunam accommodat, h. s.: uterque, sol et luna, testes sunt Davidi, quamdiu durabunt, tamdiu quoque ejus regnum durabit. Cf. similis sententia Jer. 33, 20. 21.

39. Altera pars carminis, quae expostulationem cum Deo continet. Ejusmodi autem est expostulatio, quae Deo irritam fidem, et inania promissa exprobrare videatur. Itaque multi Judaeorum mirantur, qui ausus sit vates, Deum sic alloqui. Et Aben-Esra observat, fuisse sapientem quendam et pium virum in Hispania, qui nec legere nec audire vellet hunc Psalmum. Aben-Esra vero ipse negat, quae sequuntur, verba esse Israelitarum, sed hostium esse ait, qui Deum mendacii et perfidiae arguant, atque idcirco dici postea (Vs. 51.): *memor esto opprobrii servorum tuorum*, i. e. quo te affecerunt homines tui. Sed recte monet Kimchi, haec et alia similia (Ex. 32, 13. Jes. 63, 17. 1 Reg. 18, 37.), quae minus digna Deo esse viderentur, ex solito loquendi more esse accipienda, atque similitudinis tantummodo gratia dicta. „Poeta (Kimchi verba sunt) miratus exilii prolongationem ita loquitur: numquid non tu jurejurando promisisti regni Davidici perennitatem? quomodo igitur fieri potest, ut penitus excisum esse regnum videatur? siquidem jam a tot annis Israelitae in exilio versantur, ut parum absit, quin de redemptione plane desperent.“ Post verba זָנַחְתָּ וַתִּמְאָס Aben-Esra מְשִׁיחֶךָ, ex altero hemistichio, subaudiendum monet. De verbo זָנַח vid. ad Ps. 60, 3.

40. נֵאַרְתָּה בְרִית עַבְדֶּךָ *Rejecisti*, irritum fecisti *foedus servi tui*, i. e. quod olim cum servo tuo pepigisti. Verbum נֵאַר, quod in V. T. praeter hunc locum semel tantummodo, Thr. 2, 7. occurrit, ibi respondet verbo זָנַח, unde similem cum eo significatum habere conjicere licet, qui nec huic loco ineptus est. Alexandrinus h. l. ἐκτινάσσειν, in Threnis ἀποτινάσσειν reddidit, Syrus utrobique *rejecit*, Chaldaeus nostro loco *mutavit*, in Threnis *conculcavit*. Hieronymus h. l. *attenuasti pactum servi tui;* in Threnis, ad אָרַר referens, *maledixit*. Hebraeorum alii *perdendi*, alii *detestandi* significatum verbo tribuunt. חִלַּלְתָּ לָאָרֶץ

נִזְרוֹ *Profanasti ad terram coronam*, diadema (vid. ad Ps. 45, 7.) *ejus*, violasti dignitatem regiam ejus coronam in solum abjiciendo חִלַּלְתָּ est verbum praegnans, ut 74, 7. (ubi cf. not.) Ez. 28, 16. coll. simili Ps. 73, 27. 74, 15.

41. פָּרַצְתָּ כָל־גְּדֵרֹתָיו *Diruisti omnes macerias ejus*, quibus eum et regnum ejus munieras, cf. Jes. 5, 5. Ps. 80, 13. Affixum referendum ad *regem*, de quo Vs. 39. שַׂמְתָּ מִבְצָרָיו מְחִתָּה *Posuisti munitiones ejus contritiones*, i. e. in ruinas convertisti. Nomen מְחִתָּה h. l. plerique *terrorem* interpretantur, quam notionem et Jes. 54, 14. Jer. 48, 39. 51, 56. habet. Sed quum verbum חָתַת non solum *terrere*, verum etiam *confringere* denotet, ut Jes. 9, 3., nomen מְחִתָּה h. l. magis apte eo, quo nos fecimus, modo transfertur. E veteribus ita Chaldaeus, qui *confractionem* reddidit, atque Syrus: *et diruisti munitiones ejus.*

42. שַׁסֻּהוּ כָּל־עֹבְרֵי דָרֶךְ *Diripuerunt eum omnes praetereuntes viam*, in via. Verbum שָׁסַס significat *diripuit* (i. q. שָׁסָה 44, 11.), ut Jes. 42, 24. Postquam sepibus et munimentis non amplius fuit a te protectus, diripuerunt eum omnes. הָיָה חֶרְפָּה לִשְׁכֵנָיו *Factus est opprobrium vicinis suis.* Kimchi: plane e contrario ejus, quod olim omnes vicini Davidi et Salomoni munera venerabundi afferrent, 2 Sam. 8, 2. 1 Reg. 5, 1.

43. הֲרִימוֹתָ יְמִין צָרָיו *Elevasti dextram hostium ejus*, ut ei praevaleant. Est enim *exaltare dextram* figura Hebraea *evehere, augere potentiam et robur*, ut ἐξ ὑπερτέρας χειρὸς, de validiore manu, feriant et invadant alios succumbentes, ut Graeci loquuntur, et nominant Germani *die Oberhand.* Recte vero monet Kimchi, oppositum hoc esse promisso illi, quod supra Vs. 22. legitur. הִשְׂמַחְתָּ כָל־אוֹיְבָיו *Laetitiam creasti omnibus hostibus ejus*, eladibus ipsius. Contrarium ejus quod scribitur 1 Chr. 14, 17., Jovam omnibus gentibus pavorem Israelitarum injecisse.

44. אַף־הֲשִׁיב צוּר חַרְבּוֹ *Imo retrorsum vertisti aciem gladii ejus*, opponuntur haec superiori promisso Vs. 24. וְלֹא הֲקִמוֹתוֹ בַּמִּלְחָמָה *Nec consistere fecisti eum in bello.* Non dedisti ei animum et vires, quibus hostibus suis obsistere valeret. Alexandrinus haud male: Ἀπέστρεψας τὴν βοήθειαν τῆς ῥομφαίας αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἀντελάβου αὐτοῦ ἐν τῷ πολέμῳ.

45. הִשְׁבַּתָּ מִטְהָרוֹ *Cessare fecisti munditiem*, nitorem *ejus*, i. e. sustulisti splendorem, decus et majestatem ejus. Literam מ in nomine מִטְהָר Aben-Esra et Kimchi pro *heemantica* habent, ut sit nomen formae מִשְׁפָּט, מִדְבָּר, מִקְדָּשׁ, Dagesch vero primae radicali ט impositum, sit euphonicum, ut in מִקְדָּשׁ Ex. 15, 17. Sed מ illud pro praepostione potest accipi, quod ipsum Alexandrinus fecit (*κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ αὐτὸν*), ut nomen sit טֹהַר, quod ipsum Ex. 24, 10. legitur. Et sic quidem praefixum מ vel inservit constructioni verbi שָׁבַת, quod pluribus locis ita solet

construi, vid. Gen. 2, 3. Ex. 5, 5. Ez. 16, 41., ut explicandum sit: fecisti, ut non amplius superesset splendor ejus; vel περίφρασις est Accusativi, ut ad literam ita sit reddendum: *cessare fecisti de splendore ejus*, sc. plurimum, i. e. splendorem ejus, sicuti 1 Reg. 12, 9. dicitur: הָקֵל מִן הָעֹל *Leva de jugo*, sc. quicquam, i. e. jugum, *quod pater tuus nobis imposuit*, nec non 1 Reg. 18, 5. וְלֹא נַכְרִית מֵהַבְּהֵמֹת *ut non exscindamus bestias* (propr. *de bestiis* sc. tantum non omnes), atque Mich. 4, 2. וְיוֹרֵנוּ מִדְּרָכָיו *ut doceat nos vias suas* (propr. *de viis suis* sc. aliquid). Cf. similes loquendi formulas Lev. 4, 2. Num. 5, 6. 1 Sam. 23, 23. Kimchi nostrum הִשְׁבַּתָּ מִטָּהֳרוֹ his verbis exponit: *cessare fecisti nitorem munditiemque ejus, atque splendorem regni ejus.* Cui sententiae concinit alterum hemistichium: וְכִסֵּאוֹ לָאָרֶץ מִגַּרְתָּה *et thronum ejus ad terram dejecisti*, verbum מִגֵּר *deturbavit, dejecit*, Chaldaeis magis usitatum, vid. e. c. Esr. 6, 12.

46. הִקְצַרְתָּ יְמֵי עֲלוּמָיו *Abbreviasti dies juventutis ejus*, quod non esse de aetate regis Davidis accipiendum, historia docet, quum nequaquam immatura aetate, sed octuagenarius mortuus sit. De *regno* igitur *Davidico* interpretandum, quum regnum Judae vix ad maturitatem aliquam perductum, et quasi in ipso flore exstinctum sit, neque enim ad quingentos annos pervenit Davidicae stirpis regnum. Cf. similem loquutionem de regno Israelis Hos. 7, 9. — הֶעֱטִיתָ עָלָיו בּוּשָׁה *Cooperuisti super eum* s. *indui ei fecisti ignominiam*, s. *pudorem*, ob promissum tuum irritum factum, obruisti cum frustrationis turpitudine.

47. תַּסְתִּיר *Abscondis te.* Kimchi: Videris enim tantas exilii nostri calamitates non videre. Ante תֶּחֱבַד repetenda est ex praecedente interrogatio עַד־מָה *quousque?*

48. זְכָר־אֲנִי מֶה־חָלֶד *Memento* quantum *ad me attinet*, s. habito ad me respectu, *quid sit aetas*, i. e. cogita, quantula sit vitae humanae duratio. Cf. 39, 6. אֲנִי est Nominativus absolutus, ita ut fecimus, explicandus, ut Gen. 24, 27. Coh. 2, 15. Vel est אֲנִי pro Accusativo capiendum, quasi זָכְרֵנִי positum esset, uti haud raro pronomen in casu recto nomini additum in casu obliquo est vertendum, vid. Gen. 4, 26. 10, 21. et ad h. l. not., et Gesenii *Lehrgeb.* p. 728. Chaldaeus: *memento, quod ego sum e pulvere creatus.* Kimchi: „Loquitur in persona alicujus ex Davidis posteris, qui in exilio positus dicat, se timere, ne mortem obeat, antequam liberationem videret, et ne forte non relinquat post se filium, sicque regnum penitus sit defuturum. עַל־מַה־שָּׁוְא בָּרָאתָ כָּל־בְּנֵי־אָדָם Recordare, *super quo vano*, i. e. quam vane *creaveris omnes homines*, quippe ad mortem illos condidisti, et vita eorum est vanitas. Nisi igitur opem tuam festines, in tanta vitae brevitate vix temporis satis suppetit, ad beneficentiam tuam experiendam.

49. *Quis vir vivet, et non videbit mortem? eripiet animam suam e manu inferni?* Moriendum est communiter omnibus,

quis enim est inter omnes homines, qui vivunt, qui mortem possit effugere? qui se aut vitam suam adversus sepulchri violentiam tueri, aut huic se eripere possit? Cf. 49, 16.

50. Ante נִשְׁבַּעְתָּ subaud. pron. relativum, ut 78, 6. 8. — בֶּאֱמוּנָתְךָ *Per fidem tuam.* Cf. 2 Sam. 7, 15. 16.

51. זְכֹר אֲדֹנָי חֶרְפַּת עֲבָדֶיךָ *Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum*, cogita probra, quibus afficiuntur famuli tui. Verba שְׂאֵתִי בְחֵיקִי כָּל־רַבִּים עַמִּים Chaldaeus bene sic reddidit: *portavi in sinu meo omnia convitia multorum populorum*, post כָּל־ enim repetendum est חֶרְפַּת ex priori hemistichio. Recte praeterea Kimchi monet, hoc dici ab unoquoque exulum. *In sinu meo porto*, i. e. intus animo meo devoranda et perferenda sunt, animo tolerante et obdurante ad tam gravia mala.

52. אֲשֶׁר חֵרְפוּ אוֹיְבֶיךָ יְהוָה *Quo* sc. opprobrio, חֶרְפָּה, Vs. praeced., s. *quod*, eo quod *conviciantur inimici tui, Jova! Convitiantur*, inquam, עִקְּבוֹת מְשִׁיחֶךָ *calcaneos*, vestigia, *uncti tui*, regis a te constituti, i. e. ridetur et probris petitur rex tuus, quacunque ingreditur, quidquid agit, coll. 77, 20. Cant. 1, 8.

53. *Δοξολογία*, qua tertius Psalmorum liber clauditur, qualis et 41, 14. et 72, 18. sub primi et secundi libri finem reperitur.

Ps. 90.

Prior carminis pars (Vs. 1—11.) humani generis miserias, ac potissimum vitae brevitatem queritur, quae mala ab irato numine ob hominum peccata dicit immissa esse; in altera parte vates primo petit a Deo, ut doceat homines brevitatem vitae suae serio animo reputare, quo ad pietatem et virtutem erudiantur, deinde, ut se erga populum suum placari patiatur, quo iisdem, quibus antehac, beneficiis et divinae benevolentiae testimoniis uti ac frui possint. Inscriptio hebraica *Mosi* hoc carmen tribuit; cui si relinquitur, tum eum fecisse hunc Psalmum verisimile fuerit, quando sub finem peregrinationis illius funestissimae quadraginta annorum in deserto videbat minas divinas abunde impletas, maximamque populi partem, quam ex Aegypto eduxerat, e medio sublatam. Cf. Num. 14. Ita Chaldaeus: *Oratio, quam oravit Moses, propheta Jovae; quum peccassent populus domus Israel in deserto, respondit Moses et sic dicit.* Cf. Prolegg. p. 4.

1. אִישׁ הָאֱלֹהִים *Viri Dei*, i. e. ministri divini, prophetae (Deut. 34, 10.), ut Chaldaeus reddidit. Cf. Deut. 33, 1. Jos. 14, 6. Jud. 13, 6. 1 Sam. 2, 27. — מָעוֹן *Habitaculum*, h. l. est receptus, habitaculum in periculis, refugium, ut Amos 3, 4. Nah. 2, 12. Cf. Deut. 33, 27. מְעֹנָה *perfugium est Deus aeternus.* בְּדֹר וָדֹר *In*, i. e. per *omnes generationes*, a rerum initiis, ex quibus homines esse coeperunt, semper ad te confugimus, quia tu es ab initio, et

ante initia rerum et hominis. Ita jam consequitur, et de hac mentione aeternitatis dependet Versus secundus.

2. Dieturus de humanae vitae brevitate, prius aeternitatem Dei commemorat, ut ex comparatione, quam nostra natura caduca esset appareret. בְּטֶרֶם *In nondum*, i. e. antequam, priusquam, Ps. 39, 14. 58, 10. הָרִים *Montium* meminit, quod ii consistunt s. in eadem statione semper manent, ac si aeterni essent, coll. Deut. 33, 15. (הַרְרֵי־קֶדֶם) et Habac. 3, 6. יִפָּדוּ *Nascerentur*, i. e. existerent, quasi ex terrae utero aut visceribus nati. Cf. similem verbi usum Job. 38, 28. 29., et similem locum quoad sensum Prov. 8, 24. 25. Verbum תְּחוֹלֵל (ante quod בְּטֶרֶם *priusquam*, repetendum est) Alexandrinus et Chaldaeus passive reddunt (*καὶ πλασθῆναι, et creata esset*), quasi Conjugatio Pyal sit, quae exstat Ps. 51, 7. Prov. 8, 24. 25. Quia tamen verbum per *Zere* terminatum Conjugationem Pilel activam refert, rectius alii in secunda persona masculina transferunt: *et antequam formasses terram.* Syrus autem in tertia pers. femin. *et antequam parturiret terra*, sc. quidquam, s. germina sua, ex Gen. 1, 11. 12., coll. verbo nostro in tertia feminini Prov. 25, 23. Quomodo Hebraei inter אֶרֶץ et תֵּבֵל distinguant, dictum est ad Ps. 24, 1. — וּמֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם אַתָּה אֵל *Jam ab aeterno usque ad aeternum tu* es *Deus*, exstitisti ante rerum omnium initia, nec umquam interiturus es; omnium primus et novissimus; Jes. 44, 6. 48, 12.

3. Tu es aeternus, nos vero mortales et caduci: תָּשֵׁב אֱנוֹשׁ עַד־דַּכָּא *Reverti facis hominem ad contritum*, ita ut per mortem in cineres et pulverem redigatur, i. e. tu enim celeriter circumacta fatali vitae conversione, redigis hominem in nihilum. Apte usurpavit vocem אֱנוֹשׁ, quae habet notionem *miseri;* cf. 8, 5. דַּכָּא vulgo pro adjectivo habent, *contritum* significante, quomodo 34, 19. Deut. 23, 2. Jes. 57, 15. occurrit; unde sic erit transferendum: *ut fiat contritus*, quod Hebraei de senectutis infirmitate intelligunt, alii vero rectius de corporis humani conversione in pulverem et cineres, et in minutissimas partes comminutione. Aliqui haec sic interpretantur, ut de successione nascentium haec accipiant, quasi dicatur hoc: et redite in lucem alii, ut significentur vices ortus et interitus. Quia tamen praecedentia ostendunt, de brevitate vitae et celeri interitu verba fieri, praeferendum duximus prius illud.

4. כִּי אֶלֶף — יַעֲבֹר *Nam mille anni in oculis tuis sicut dies hesternus*, *quando praeteriit*, quorum verborum sensus nexusque cum iis, quae praecesserunt, vix alius esse potest, nisi hic: tempore omnino brevissimo hominum vitam concludis, quantacunque etiam sit aetas eorum; nam etiamsi mille annos vivendo superet aliquis, mille anni illi, tibi, et aeternitatis tuae aestimatione, sunt instar diei hesternae praeteritae. בְּעֵינֶיךָ Chaldaeus recte *reputati sunt coram te* reddidit. Alterum כִּי, ante יַעֲבֹר, *quum, quando,*

significat, ut Ps. 37, 24. 41, 12. — וְאַשְׁמוּרָה בַּלָּיְלָה *Et* sicut *vigilia* (vid. not. ad 63, 7.) *in nocte*, i. e. nocturna, loco enim nostri adjectivi Hebraei saepe usurpant substantivum cum praepositione, ut עֲבוֹדָה בַּשָּׂדֶה *opus in agro*, i. e. agreste, Ex. 1, 14.

5. זְרַמְתָּם *Inundas eos* s. *abripis* homines ineluctabili vi mortis, *instar nimbi*, aut *violentae eluvionis*, obvia quaeque obruentis et secum abducentis. Praeterfertur aetas hominis, te abripiente, tanquam aquae ruentes in eluvionibus. *Effundendi* significatione verbum זָרַם 77, 18. usurpatum vidimus, atque de *aquarum eluvione* nomen זֶרֶם Habac. 3, 10. dicitur. Cf. similem comparationem vitae humanae brevitatis cum aquis effusis 2 Sam. 14, 14. שֵׁנָה יִהְיוּ *Somnus sunt*, instar somni, aut insomnii evanescunt. Ludere videtur similitudine nominum שֵׁנָה *somnus*, et שָׁנָה *annus*, q. d. שָׁנִים יִהְיוּ שֵׁנָה *anni sunt somnus*. Alexandrinus prius hoc hemistichium sic reddidit: *τὰ ἐξουδενώματα αὐτῶν ἔτη ἔσονται*, *quae pro nihilo habentur*, *eorum anni erunt*, ut Vulgatus posuit, cujus interpretationis sensum Agellius hunc facit: nihil aliud sunt anni, quam res, quas ipsi homines repudiant, ut stomachum facientes; nam cum in senectutem pervenerint, tot malis urgentur, ut plerumque et cos alii abominentur, et ipsi sibi minime placeant. Verba בַּבֹּקֶר כֶּחָצִיר יַחֲלֹף complures vertunt: *mane instar graminis transit*, i. e. interit, sc. homo. *Transeundi* significatum verbum חָלַף frequenter obtinere, notum. Sed hic et Vs. 6. *regerminandi*, *virescendi* notione capiendum est, quam consonum Arabicum et Syriacum verbum habet, et hebraicum quoque, sed alias in Hiphil, ut Job. 14, 7. 29, 20. Jes. 40, 31. 41, 1. Hic vero, ut Habac. 1, 11., forma *Cal* eodem significatu usurpatur.

6. Graminis instar, inquam, quod mane virct et floret, vespere autem demessum arescit, humana est vita. Sunt, qui et hoc Versu חָלַף *transit* vertant. Sed quum in priori Versus hemistichio quid *mane*, in posteriori quid *vespere* fieri soleat dicatur; חלף cognatae cum יָצִיץ *floret* significationis esse patet. Hinc Chaldaeus וְיִסְגֵּי, *et augescit*, i. e. *crescit*, reddidit; cf. not. ad Vs. 5. יְמוֹלֵל *Succidit* sc. succidens, i. e. succiditur, verbo activo impersonaliter posito, vid. ad 49, 12. coll. 1 Reg. 22, 38. 2 Reg. 21, 26. De verbo מָלַל vid. ad Ps. 37, 2.

7. Haec ab ira tua nobis accidunt universa, haec est, quae consumit nos, hujus magnitudine territi deficimus.

8. Tu enim ante oculos tuos statuis tibi peccata nostra, atque etiam occulta nostra latere non sinis, sed in lucem producis conspectus tui, ut poenis ea afficias. Kimchi: „Vera vocis שַׁתָּ forma esset שַׁתָּתָּה, cum duplici *Tau*, sicut קַמְתָּ, sed tertia radicalis ת syncope fit, quando aliud ת sequitur. Lectio vero marginalis *(Keri)* verbum exhibet cum ה paragogico, ut שַׁתָּה Ps. 8, 7.“ עֲלֻמֵנוּ *Occultum nostrum*, sc. delictum, id enim poscit hemistichium prius et in eo facta mentio *iniquitatum;* eadem significatione

nomen Job. 20, 11. occurrit. Possit Pluralis defective scriptus esse pro עֲלֻמֵינוּ, cf. נְסָתֵרוֹת supra 19, 13.

9. Hisce peccatis nostris ira tua irritata facit, ut tam simus miseri et evanidi, et tam celeriter abeant dies vitae nostrae. פָּנָה *Vertunt se*, abeuntes, i. e. transeunt; cf. not. ad Jer. 6, 4. Hemistichium posterius Chaldaeus hoc modo reddidit: *consumsimus dies vitae nostrae ut halitum oris in hyeme.* Quibus postremis verbis expressit Hebraici הֶגֶה sensum, a recentioribus fere neglectum, neque tamen prorsus repudiandum. Bis, praeter hunc locum, nomen illud occurrit, Job. 37, 2., ubi parum diversam a nomine קוֹל significationem habere, hemistichiorum ibi docet parallelismus, et Ez. 2, 10., ubi *gemitum* notat, quemadmodum et verbum הָגָה *gemere* significat (vid. Jes. 38, 14. 59, 11. Jer. 48, 31.). Videtur autem hoc ὀνοματοπεποιημένον esse, *suspirantis* anhelitum exprimens, unde non absona conjectura fuerit, הֶגֶה primo et proprie *anhelitum*, *halitum*que designare. Alii, nomine הֶגֶה eo, quem loco Jobiano habet, significatu accepto sensum faciunt hunc: praeterferuntur et evanescunt vitae nostrae dies sicut verbum emissum in aërem statim dissolvitur, neque revocari amplius potest. Alii, nomini הֶגֶה *cogitationis* notionem tribuentes (significat enim verbum הָגָה praeter alia et *meditari*), *sicut cogitatio* interpretantur. Et dicit etiam Homerus de magna celeritate ὡς ἤπτερον ἦε νόημα. Et in Hymno in Mercurium Vs. 43. ὡς δ' ὁπότ' ὠκὺ νόημα διὰ στέρνοιο περήσει ἀνέρος. Atque Theognis juventutis annos cogitationis instar fugere dicit hoc Versu: Αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἄγλαος ἥβη. In Alexandrina translatione Versus nostri verba postrema ita reddita leguntur: τὰ ἔτη ἡμῶν ὡς ἀράχνη ἐμελέτων, quae Vulgatus *anni nostri sicut aranea meditabuntur*, interpretatus est. „Lubricus," inquit Agellius, „est locus, et, ut puto, in LXX additione alterius interpretationis obscuratus, nam הֶגֶה, quod ἀράχνην, *araneam*, transtulerunt, et ἐμελέτων, *meditabuntur*, ejusdem dictionis Hebraicae sunt interpretationes, et interpretem, qui ἐμελέτων vertit, puto מַהֲגֶה legisse, et ἐμελέτων primae personae esse, quod clarius sic transferri posset: *anni nostri tanquam si meditarer;* itaque seorsim haec duo, et *aranea*, et *meditatio*, explicanda sunt, non in eandem sententiam cogenda et confundenda. Ut ergo in significatione *meditandi* Versum exponamus: anni nostri, inquit, tamquam syllaba et vox una prolata evanuerunt." Duas unius vocis הֶגֶה versiones librariorum incuria in hodierno textu Alexandrinae versionis coaluisse, ut jam Agellius conjicit, eo videtur confirmari, quod et Syrus interpres, qui et alias saepissime cum Alexandrino convenit, sic reddidit: *et defecerunt anni nostri sicut aranea.* Bochartus in *Hieroz.* T. III. p. 501. graecum interpretem pro כְּמוֹ, una litera addita, putat legisse כְּמוֹל *ut aranea*, quae Arabice מול et מולה vocatur.

10. יְמֵי־שְׁנוֹתֵינוּ בָהֶם שִׁבְעִים שָׁנָה *Dies annorum nostrorum*, quod attinet (Nominativus absolutus, ut 35, 13.), *in iis* sunt, vel continentur *septuaginta anni*, וְאִם בִּגְבוּרוֹת שְׁמוֹנִים שָׁנָה *si autem cum viribus*, i. c. si firmioris aliquanto vivaciorisque naturae est aliquis, *octoginta anni*, quem terminum longissimum vitae fecerunt etiam Pythagorici, ideo primi introduxerunt climactcrem novenarium, qui est hujus *πυθμὴν* seu radix. Dictionem וְרָהְבָם Alexandrinus *καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν*, Vulgatus *et amplius eorum*, Chaldaeus et Syrus *et plures* s. *maxima pars eorum* reddiderunt, ut sensus sit, horum ipsorum octoginta annorum majorem partem in labore et molestia transigi. Illos vero interpretes J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 2239. existimat ita transtulisse ac si רָהְבָם idem esset quod רָבָם, non quidem quod aliter legerint, sed quod ignotum sibi רהב ex רב interpretati sint. Melius tamen alii a verbi רָהַב *superbiendi* notione (vid. Jes. 3, 5. et nomen cognatum Ps. 40, 5.) dictionem nostram *τὸ superbire eorum*, i. e. quod maxime in iis (annis vitae) superbit, et excellentissimum est, interpretantur, ut horum verborum sensus sit talis: quodque in hac vita optimum habetur et praeclarissimum, et de quo maxime superbitur, id labor fuit et dolor. Verborum כִּי־גָז חִישׁ וַנָּעֻפָה sensum bene expressit Chaldaeus: *nam transeunt* (anni) *cum festinatione et avolant mane.* Verbum גָּז, cui Hebraei interpretes significationem *excisionis* tribuunt ex conjectura, quasi congruat cum גָּזַז *resecuit, totondit*, explicandum potius est Arabico גאז (pro גוז) *transivit.* Sensus est: nos et nostra omnia cito transeunt, quasi volatica sint, ita toti subito avolamus. Alexandrinus verba nostra hoc modo transtulit: *ὅτι ἐπῆλθε πραΰτης ἐφ' ἡμᾶς, καὶ παιδευθησόμεθα*, quae Vulgatus *quoniam supervenit mansuetudo et corripiemur* reddidit. „Vocem חִישׁ (inquit Agellius) quum LXX transtulerint *πραΰτης*, *mansuetudo*, videntur ab חָשָׁה deduxisse, quod est *silere, quiescere*, quod in senibus, motibus illis vehementioribus languescentibus, quies et silentium succedat, cum irasci et vehementi indignatione permoveri corporis imbecillitas non sinat. Pro *corripiemur* in Graeco est *παιδευθησόμεθα*, quod si ad vocem Hebraeam נָעֻפָה exquiramus, dicendum fuerat *πετασθησόμεθα*, et fortasse etiam LXX sic verterunt. גָּז Hebraei *excisionem* interpretantur, ut sensus sit: *quia excelsio properat et avolabimus*, unde Symmachus vertit: *τμηθέντες γὰρ ἄφνω ἐκπετανύμεθα, excisi subito avolamus*, videlicet ex metaphora tonsionis vellerum, quae cum tonsa sunt, nonnumquam vento rapiente avolant, aut ex metaphora messionis segetum, ut figuram herbarum retineat, quibus vitam hominis comparavit (Vs. 6.): messio, inquit, derepente venit, et tanquam demessae segetes avolamus.“ Aquilae interpretatio est talis: *ὅτι διεπέλασεν ἀνὴρ καὶ ἐπετάσθη.* חִישׁ idem quod אִישׁ valere existimavit, sensum vero verbi *διαπελάζω* ab eo usurpati ignoro. Syrus: *quoniam venit super nos humilitas et abrepti sumus.* Eum Alexandrini interpretis *πραΰτης* suo *humilitas*

expressisse patet, quod ipsum Syrus N. T. interpres ad Graecum *ταπείνωσις* exprimendum adhibere solet. Sensus tamen multo concinnior efficitur, si, Chaldaeo praeeunte, nomen חִישׁ ad verbum חוּשׁ *festinare*, referimus. Illud vero pro בְּחִישׁ, praepositione omissa, ut saepissime alias, h. l. positum esse, res ipsa docet.

11. Discrepant in dictionis כְּיִרְאָתֶךָ *secundum timorem tui*, sensu definiendo. Plerique illam sic explicant: pro timore te digno, ut sensus sit hic: quis poterit mente assequi irae tuae vim, perinde ut formidabilis tua potentia postulat eam intelligi: Alii sic explicant: quisnam est, qui norit potestatem vindictae tuae, quum *pro timore tuo*, h. e. pro eo atque te timent homines, sic in eos sit ira tua; ut quibus major inest nominis tui timor, in eis, si peccent, asperior et gravior tua ultio desaeviat. Rectius tamen, repetitis sub hemistichii posterioris initio vocibus מִי־יוֹדֵעַ, sententia hujus Versus constituitur talis: Sed quis intelligit hanc vehementiam tanquam irae tuae adversus humanum genus grassantis? quis satis, et ita, ut timor tui, i. e. pietas postulat, eam considerat? Ex qua interpretatione hic Versus cum eo, qui proxime sequitur, aptissime cohaeret. Veteres in alia omnia abeunt. Chaldaeus: *Quis est qui norit revocare vehementiam irae tuae, nisi justi, qui te timent, pacatum reddentes iram tuam?* Syrus particulam ב ante יִרְאָתֶךָ non expressit: *quis cognoscit fortitudinem irae tuae, et timorem irae tuae?* Alexandrinus denique, vocabulo לִמְנוֹת, quod proximum Versum inchoat, ad hunc tracto, sic transtulit: *τίς γινώσκει τὸ κράτος τῆς ὀργῆς σου, καὶ ἀπὸ τοῦ φόβου τοῦ θυμοῦ σου ἐξαριθμήσασθαι; quis novit potestatem irae tuae et prae timore tuo iram tuam dinumerare?* ut Vulgatus reddidit.

12. לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע *Numerare dies nostros sic notum fac* sc. nobis, i. e. doce nos numerare dies nostros *sic*, quod alii explicant *recte* et vere, ut sciamus quam exigui sint, alii: *sic, ita*, sc. eo modo, ut requirit pietas s. timor tui Vs. 11. Sunt, qui לִמְנוֹת יָמֵינוּ reddant *pro numero dierum nostrorum*, ut integri Versus sententia haec sit: pro brevitate vitae, quam nobis constituisti, sic doce nos, ut sicut illam exiguam esse voluisti, sic nobis cito saperc tribuas. וְנָבִא לְבַב חָכְמָה *Ut venire faciamus*, adducamus, i. e. acquiramus nobis *cor sapientiae*, sapiens, prudens (cf. לִקְנוֹת חָכְמָה Prov. 17, 16.), ut nihil nobis de hac vita magni promittentes pietatis studio animum intendamus.

13. שׁוּבָה יְהוָה עַד־מָתָי וְהִנָּחֵם עַל־עֲבָדֶיךָ *Converte te, Jova*, sc. ab ira tua (שׁוּב מֵחֲרוֹן אַפֶּךָ, ut Ex. 32, 12. plene dicitur), ad clementiam redi, et reconciliare nobis, *quo usque* scil. irasceris? (aposiopesis, ut Ps. 6, 4.) *poeniteat te* sc. malorum *erga servos tuos*, ut Ex. 32, 12. וְהִנָּחֵם עַל־הָרָעָה לְעַמֶּךָ. Cf. etiam Deut. 32, 36. Jon. 3, 10., qui quidem locus Chaldaici interpretis obversatus est menti, Versum nostrum sic reddentis: *converte te*,

Jova! quamdiu adfliges nos? a malo, quod dixisti facere servis tuis. Alexandrinus הִנָּחֵם παρακλήθητι, *exorabilem te praesta*, seu, ut Vulgatus reddidit, *deprecabilis esto*, interpretatus est.

14. שַׂבְּעֵנוּ בַבֹּקֶר חַסְדֶּךָ *Satia nos mane clementia tua*, maturato exsaturare et explere nos sensu beneficiorum gratiae et benignitatis tuae. *Mane*, i. e. mature et tempestive, ut 46, 6. 101, 8. 143, 8. Pro שַׂבְּעֵנוּ Alexandrinus שַׂבַּעְנוּ enunciavit, nam ἐνεπλήσθημεν, *repleti sumus*, reddidit.

15. שַׂמְּחֵנוּ כִּימוֹת עִנִּיתָנוּ *Laetifica nos secundum dies, quibus adflixisti nos*, sicut longo tempore afflixisti nos, ita nunc rursus longi temporis felicitate exhilara et bea nos, qua miseriarum illud tempus compenses. כ ante יְמוֹת est mensurae s. vicissitudinis, ut Thren. 1, 12.; ante עִנִּיתָנוּ vero subaud. pron. rel., quemadmodum in posteriore hemistichio ante רָאִינוּ, ut reddendum sit: *secundum annos*, s. pro numero annorum, quibus mala sumus experti.

16. יֵרָאֶה אֶל־עֲבָדֶיךָ פָּעֳלֶךָ *Ostendatur ad* nos, vel conspicuum fiat nobis *servis tuis* (ut saepius praecedens verbum רָאָה in passivo cum אֶל construitur, vid. Gen. 48, 3. Ex. 3, 16. 4, 1. 5.) *opus tuum* sc. auxilii (ut Ps. 44, 2. 95, 9.), i. e. ede ad famulos tuos evidenter virtutem efficacitatemque potentiae salutaris tuae. Alexandrinus: καὶ ἴδε ἐπὶ τοὺς δούλους σου, καὶ ἐπὶ τὰ ἔργα σου, quod Vulgatus, neglecta tamen copulandi particula, sic reddidit: *respice in servos tuos et in opera tua*, ut sensus esset: clementiae tuae obtutu respicias in servos tuos, qui sunt tuum opificium. וְהַדְרְךָ עַל־בְּנֵיהֶם *Et gloria tua* sc. יֵרָאֶה *conspicua fiat filiis eorum* (servorum tuorum), exhibeat se gloriosa benignitas et beneficentia tua tam ipsis, quam posteritati eorum.

17. וִיהִי נֹעַם אֲדֹנָי אֱלֹהֵינוּ עָלֵינוּ *Sitque suavitas*, benignitas, favor *Domini Dei nostri super nobis*, benigno suo favore nos prosequatur. וּמַעֲשֵׂה יָדֵינוּ כּוֹנְנָה עָלֵינוּ *Et opus manuum nostrarum confirma* s. stabile redde *nobis*, coeptis nostris adspires, ut exitum quem optamus, nostri conatus habeant. כּוֹנְנָה est Imperativus obsecrantis, cum He paragogico, ut 82, 8. 86, 2.

Ps. 91.

Docet vates, quam tutus vivat ab omni malo is, qui se totum firma fiducia Deo credit custodiendum in omnibus omnis generis periculis, et se suaque omnia ei committit et permittit. Aliqui ad pestilentiae Versu sexto mentionem ita accommodant omnia, quasi tempore eo, quo grassata haec fuit in populum, Deo immittente (propter superbam curiositatem Davidis, qui eum numeraverat), et contra eam factus sit Psalmus. Quia vero diserte opponuntur, per totum carmen, fraus, vis; nocturnum, diurnum; tenebrae, meridies; occultum, manifestum; magis haud dubie concinnum,

de periculis omnibus omnium in vita temporum, adversus quae universa tuti praestentur, qui sese Deo credant, Psalmum interpretari. Quamvis autem eis, qui certarum calamitatum tempore Psalmum factum existiment, non admodum repugnaverim; tamen, quia etiam sine inquisitione temporis et occasionis, qua scriptum sit, intelligi carmen potest, de his minus laborandum censeo. Ceterum monendum et hoc, personarum enallages esse in hoc Psalmo frequentiores, quam in ullo alio, quae et in unius Versus (veluti 9.) diversis membris variant. J. D. Michaelis (in Nott. ad *Lowthi* Praelect. 26. *de s. Hebr. poesi*, p. 584. edit. Lips.) duos per omnem Psalmum sibi respondere choros existimat, alterum Deo confidentium in adversis, alterum hos ad spem erigentium, eorumque admirantium felicitatem. Prior chorus loqui ei videtur Vs. 1. et 2., secundus respondere Vs. 3 — 8., denuo loqui primus in primo Versus noni hemistichio, atque inde usque ad finem Versus 13. secundus, tandem autem Deus interloquutor venire.

1. יֹשֵׁב בְּסֵתֶר עֶלְיוֹן בְּצֵל שַׁדַּי יִתְלוֹנָן *Sedens in abscondito altissimi in umbra omnipotentis pernoctabit*, s. tutus et salvus permanebit, vid. ad 25, 13. Sensus: qui concredens se fidei et custodiae Dei ita absconditur in latebris praesidii et protectionis ejus, is tutus est a malis et in periculis vitae omnibus et quasi in umbra degit omnipotentiae Dei. *Latebris* et *absconsione*, סֵתֶר, protectionem et praesidium significari, saepe vidimus, e. c. 27, 5. 31, 21. Michaelis sensum facit in hunc modum: „*quem in suam tutelam suscepit Deus, ejus curam numquam deponet. Semel in ejus domum admissus, noctu etiam, periculique tempore, hospitio ejus fruetur.* צֵל, *umbram* Dei, sub qua pii diversantur, interpretatus sum *hospitium*, ex usu vocis Gen. 19, 8. Jes. 34, 15. (noctis certe tempore, de quo et Psalmus loquitur et Lotus, non umbram desideraveris, sed hospitia). Noctem periculorum tempus intelligo; noctu nempe et latrones et ferae grassantur, ipsaque caligo horrida omnia et periculi plena facit. Cf. Ps. 104, 20 — 24.“

2. Tales vero qui sumus, nimirum ii sumus, ut certa fiducia sic statuere animis nostris possimus, et sic Jovae dicere audeamus: tu, Jova, es propugnaculum, munitio et receptus meus, tu es Deus meus, quo nitor. Quae quidem facillima videtur ratio hunc Versum cum eo qui praecessit, apte connectendi. Difficultatis enim aliquid inesse videtur verbo אֹמַר, quod interpretes bene multi pro Participio Benoni habent, quippe quod loco vocalis terminalis Zere, nonnumquam etiam Pathach admittat, ut אֹמַר Participio יֹשֵׁב in primo Versu respondeat, et ita sit transferendum: *dicens*, i. e. dicit, sc. is, qui sedet in latibulo Altissimi, sive: *is dicit: ad Jovam refugium meum* et quae sequuntur. Ita procul dubio Alexandrinus אמר accepit, quamvis per tertiam Futuri personam, ἐρεῖ, reddiderit. Sed recte Aben-Esra et Kimchi אֹמַר *primam Futuri personam* esse monent, quam forma haec per Pathach constanter

notat. Non ignoro, exempla Participii Benoni vocali Pathach (loco Zere) terminati adferri אֹבֵד Deut. 32, 28., נֹטֵעַ Ps. 94, 9., רוֹקֵעַ 136, 6. Quae tamen nihil faciunt ad rem, quum iis mutationem vocalis Zere in Pathach inferat status regiminis, qui hic locum non habet.

3. Ad eum, qui se divinae fidei commisit, sermonem poeta dirigit, et bono animo esse jubet, nam fore, ut ejus beneficio non modo apertis hostibus superiorem reddat, verum etiam insidiantium fraudibus, nam פַּח יָקוּשׁ, *laqueo aucupis*, insidias indicat. מִדֶּבֶר הַוּוֹת vulgo *a peste casuum*, *calamitatum*, i. e. subito ingruente, vel perniciosissima, solent transferre; Chaldaeus vero ἀσυνδέτως duo illa nomina posita putavit, quae sic reddidit: מִמּוֹתָא וְאִתְרַגּוּשְׁתָּא *a morte et tumultu*. Nomen דֶּבֶר *pestis* (a דָּבַר *perdidit*), Alexandrinus pro דבר *verbum* accepit, nam verba Hebraea καὶ ἀπὸ λόγου ταραχώδους, *a verbo aspero*, ut Vulgatus reddidit, est interpretatus.

4. Sub pennarum ejus latibulo et perfugio tutus accubabis, nihilque pertimesces: תָּחְסֶה — בְּאֶבְרָתוֹ *Pennis suis obumbrabit tibi*, i. e. ab adversis proteget te, *et sub alis ejus refugium habebis*, cf. de verbo חָסָה not. ad 2, 12. Nec solum in te defendendo avis alas expandentis, sed etiam armigeri, scuto praetento alium protegentis, munere fungetur: צִנָּה וְסֹחֵרָה אֲמִתּוֹ *scutum et clypeus veritas ejus*, veritas fidesque ejus te illi credentem et in eo sperantem tutabitur, ea enim in hoc versatur, ut quem defendendum suscepit, illius fidem ac spem minime frustretur. De nomine צִנָּה vid. ad 35, 2. סֹחֵרָה hoc tantummodo loco occurrens, *clypeum* ambientem et corpus tegentem explicant, Chaldaeo interprete auctore, qui עֲגִילָא reddidit, quod *scuti* est nomen, a *rotunditate*, עָגוֹל, uti videtur. Alii nomine Hebraeo *parmam* volunt notari, in omnes partes facile *circumagendam* aut vertendam, ex verbi סָחַר *circumeundi* significatu, vid. 38, 11. Alexandrinus סחרה pro Participio verbi סָחַר *circumdare*, habuit, reddidit enim, neglecta copulandi particula: ὅπλῳ κυκλώσει σε ἡ ἀλήθεια αὐτοῦ, hincque Vulgatus: *scuto circumdabit te veritas ejus*.

5. Jova protegente *non timebis a pavore noctis*, non terrebunt te terriculamenta ulla noctium, *a sagitta* quae (subaud. relat.) *volat interdiu*. Omnino casus omnes indicat, tam qui de nocte, quam qui interdiu eveniunt, vel qui provideri humano etiam consilio et vitari possunt, et qui secus. Alii propter *pestilentiae* mentionem Vs. 3. et proxime sequ. 6., *sagitta* intelligunt terribilem vim veneni pestilentis, et subitam infectionem tempore pestis; quemadmodum peste Graecos invadente Phoebum tela venenata spargere facit Homerus, *Iliad.* 1, 45—52.

6. *A peste*, quae *in caligine incedit*, *ab excidio*, quod *vastat in meridie*, tutus eris a peste, quae in tenebris, et a lue manifesta, quae in luce meridiana et aprico grassatur. Nomen

קֶטֶב *excidium, exitium* (radix קטב Arabibus est *secare*, Chaldaeis *caedere*, e. c. ligna, Deut. 19, 5.) eadem significatione habetur Deut. 32, 24. Jes. 28, 2. Hos. 13, 14., quo quidem ultimo loco (aliis vocalibus קֹטֶב scriptum), plane ut hic, cum דֶּבֶר, *peste*, jungitur. יָשׁוּד pro יָשַׁד (a שָׁדַד *irruit, vastavit*, cf. Ps. 17, 9.), ex forma quiescentium mediae radicalis, ut יָרוּץ, Jes. 42, 4. et יָרוּן Prov. 29, 6., sicut etiam נוּד et נָדַד significatione conveniunt. Alexandrinus hunc Versum sic transtulit: *ἀπὸ πράγματος διαπορευομένου ἐν σκότει, ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ, a negotio* (i. e. re) *perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano*, ut Vulgatus reddidit. Graecum interpretem iterum pro דֶּבֶר, ut Vs. 3., accepisse patet, יָשׁוּד vero pro וְשֵׁד (שֵׁדִים *daemonia* interpretari solent, Deut. 32, 17. Ps. 106, 37.). Suo autem *σύμπτωμα*, quod pro קֶטֶב posuit, Agellius recte monet eum non *incursum*, ut Vulgatus transtulit, sed morbi genus acutissimo dolore et morsu stimulantis indicare voluisse. Syrus: *a spiritu daemonis, qui est in meridie.* Chaldaeus sic integrum versiculum reddidit: *A morte, quae in caligine ambulat, ab agminibus Daemonum qui perdunt in meridie.* Daemones enim, sive spectra, horis meridianis haud secus ac media nocte oberrare credebantur, quod in Orientis terris illa diei tempestate ob molestissimum solis aestum homines somno se dare solent. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 99. Cujus interpretationis ratio cognoscitur ex his Kimchi verbis: „Allegoricarum expositionum auctores *pestem caliginis* et *excidium meridiei* interpretantur de daemonibus mala inferentibus. Verba quoque Versus sequentis de infestatione daemonum dicta esse volunt."

7. יִפֹּל מִצִּדְּךָ אֶלֶף *Quodsi a latere tuo mille cadant.* יִפֹּל *Cadet* chilias dicitur *καθ' ὑπόθεσιν*, per ellipsin particulae conditionalis אִם (ut 15, 4. 34, 6. 39, 12.), i. e. cadentibus mille in acie et belli impetu, aut a peste grassante. מצדך Chaldaeus recte *a latere sinistro tuo* reddidit, id quod antithesis sequentis *lateris dextri* docet. Ita etiam 1 Sam. 20, 25. צַד de *sinistro* latere dicitur. אֵלֶיךָ לֹא יִגַּשׁ *Ad te non appropinquabit*, ad nocendum. Vid. similem sententiam Ps. 3, 7. 27, 3. Kimchi: In bellis, quibus se mutuis certaminibus conficiunt homines, erit tibi via, qua inter utramque aciem salvus evadas, dum utrinque quamplurimos cadentes videas; aut loquitur de pestilentia, qua grassante multi homines exstinguuntur, ad te vero pestis non perveniet.

8. In malis illis repellendis non laborabis, Dei namque te protegentis hoc munus est; itaque nihil aliud facies, nisi ut spectator adsis, et de tuto loco stragem impiorum et vicem eorum sceleribus repensam adspicias, ut eo magis effugisse te de malis laeteris.

9. „In primo hujus Versus hemistichio interloquutio est hominis illius Deo confidentis, effectum laetae fiduciae egregie ex-

primens. Sed pergit statim in altero membro eadem illa persona in praedicanda securitate, quam Dei amor et cura suis cultoribus praestat.“ Dathe. Cf. Argument. Alii hunc Versum sic exponunt, ut nulla sit in hemistichio secundo nova personae mutatio, sed de Jova adhuc sermo sit: *quia in excelsis collocasti habitaculum tuum.* Ita Chaldaeus: *in habitatione excelsa posuisti domicilium majestatis tuae.* Sed recte Alexandrinus: τὸν ὕψιστον ἔθου καταφυγήν σου, et Vulgatus: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Vid. not. ad 40, 5.

10. לֹא־תְאֻנֶּה אֵלֶיךָ רָעָה *Non permittetur, ut obveniat ad te malum.* Verbum אָנָה, cujus prima conjugatio tamen non reperitur in V. T., conferendum est cum Arabum אני *advenit tempus*, hinc אִנָּה *occurrere, evenire fecit*; sed plerumque non de laetis, sed tristibus ponitur, ut Ex. 21, 13. Prov. 17, 21. et h. l., atque nomen derivatum אֲנִיָּה et תַּאֲנִיָּה *casus adversus* significat, Jes. 29, 1. Thr. 2, 5. — וְנֶגַע לֹא־יִקְרַב בְּאָהֳלֶךָ *Et plaga non appropinquabit tabernaculo tuo*, i. e. familiae tuae, nam אֹהֶל primo *tabernaculum*, tum homines, qui ad alicujus domum familiamque pertinent, significat, ut Job. 5, 24.

11. כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה־לָּךְ *Nam legatis suis mandabit de te.* ל *de*, vid. ad 35, 19. — לִשְׁמָרְךָ בְּכָל־דְּרָכֶיךָ *Ut custodient te in omnibus viis tuis*, quicquid facies aut suscipies rerum tuarum.

12. Persistit in metaphora Vs. 11. inchoata: *Super manibus te* instar infantium illi, ut nutrices, *portabunt*, *ne offendat in lapide pes tuus.* תִּגּוֹף est intransitive accipiendum, ut Prov. 3, 23. *pes tuus non* תִּגּוֹף *offendet.* Alii transitive: *ne ad lapidem allidas pedem tuum.* Chaldaeus: *Fortitudine sua portabunt te, ne impingat in concupiscentia mala, quae est similis lapidibus, pes tuus.*

13. *Super leonem et aspidem gradieris, conculcabis leonem juvenem et draconem.* Dependet hoc ex eo, quod Vs. 11. dixit, fore ut custodiant eum angeli, quaecunque ingrediatur; nulla autem esse potest via aut ingressio periculosior, quam super feris valentissimis, saevissimis et venenatissimis ingredi aut pedes ponere. Docet autem haec hyperbole potentiam praesidii seu protectionis divinae. Ceterum *ingressio* videtur opponi *gestationi*, q. d. et gestabunt te, atque gestando tibi tutam expeditamque viam praestabunt, et si ingredieris ipse, praesidio suo haec facient, quantumvis sint magna pericula et occulta et manifesta; si solum, quo ingrediendum tibi, quasi stratum esset leonibus et serpentibus, tamen praesidio Dei et Angelorum super illis ingredieris tutus. כְּפִיר et שָׁחַל omnibus, quibus occurrunt loeis, *leonum* sunt nomina. *Aspidis*, פֶּתֶן, imagine, quidam insidias volunt significari, ut apud veteres Onirocriticos in Suida: Ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει, *qui calcat angues, vitat insultum hostium.*

14. Jam Deus loquitur usque ad finem carminis. Fidem et spem in ipso positam, et caritatem, qua pius ipsi adhaeserit, esse causam dicit, propter quam eum protegat. Verba Hebraea, כִּי בִי חָשַׁק *quoniam mihi adhaesit*, Alexandrinus reddidit: ὅτι ἐπ᾽ ἐμὲ ἤλπισε, *quia in me speravit*, sensum paullo liberius exprimens. חָשַׁק proprie *amare*, tantundem hic valet, ac, *suaviter recumbere in Deum*, ejusque gratia oblectare. וַאֲפַלְּטֵהוּ *Ideo eripiam eum.* ו *ideo*, ut 51, 8. De verbo פָּלַט vid. ad 18, 3. 22, 5. coll. 17, 13. אֲשַׂגְּבֵהוּ כִּי־יָדַע שְׁמִי *Exaltabo eum, quoniam cognovit nomen meum*, i. e. me ipsum (cf. 9, 11. 20, 2.); quia me novit et colit, tutum eum praestabo. *Exaltatio* h. l. non est honoris et dignitatis, de qua sequens Versus diserte promittit, sed in editam et inaccessam munitionem collocatio, ubi tutus sit et praestetur aliquis, ut saepe alias in Psalmis, veluti 69, 30. Quare recte Alexandrinus, et post eum Vulgatus, *σκεπάσω αὐτὸν*, *protegam eum.*

15. Dependent haec de superioribus, et de mentione, quod noverit et colat nomen Dei. Erit igitur: *quia* יִקְרָאֵנִי וְאֶעֱנֵהוּ *invocat me*, ut Deum suum, *ideo exaudiam eum.* עִמּוֹ אָנֹכִי בְצָרָה *Cum eo ego in angustia*, praesto ei ero in periculis et angustiis omnibus.

16. *Longitudine dierum saturabo eum, et ostendam ei salutem meam*, producam ei dies vitae suae, ut exsaturetur vivendo, et exhibebo ei experiendam salutem, qua beo cultores meos.

Ps. 92.

Exhortatur pios ad celebrandam sapientiam divinae providentiae in gubernanda vita et rebus humanis, qua non sinit diuturnam esse felicitatem impiorum, et his eversis durabilem et constantem largitur iis, qui ipso freti sunt, et pie vivunt, quorum etiam senectus sit vegeta. Ita autem agit, ut per *ἀντίθεσιν* opponat piorum et impiorum eventus, et ex eo sibi etiam et impiis omnibus pollicetur statum florentem, cum impii in ipso flore suo concidant. Tempus et occasio scripti carminis definiri non potest.

1. שִׁיר לְיוֹם הַשַּׁבָּת *Carmen in diem Sabbathi.* Habebant olim singuli septimanae dies destinatos suos Psalmos. Locum ex Tractatu Talmudico קִדּוּשִׁים, quo carmina illa recensentur, attulit Ludov. de Dieu in *Crit. S.* ad h. l.

2. טוֹב *Bonum*, i. e. par est, celebrari Jovam laudibus nostris. Alii: praeclara res est; vel: jucundum et gratum.

3. Ut mane, vespere, noctu et interdiu praedicentur bonitas et benignitas, veritas et fidelitas tua. Sicut nos: *frühe und spät* de iis, quae continuantur.

4. De עָשׂוֹר et נֵבֶל vid. not. ad 32, 2. הִגָּיוֹן aliqui significationis non diversae ab הֶגְיוֹן *meditatio*, 19, 15. Thr. 3, 62., existimant, *meditationem* autem h. l. *carmen* esse, ut ergo הִגָּיוֹן

בְּכִנּוֹר significet *carmen cum cythara*, s. increpando cytharam; carmen, quod ad cytharam cecinit poeta. Ita Alexandrinus h. l. μετ' ᾠδῆς ἐν κιθάρᾳ, eodemque modo 9, 17. הִגָּיוֹן סֶלָה ᾠδὴ διαψάλματος reddidit. Chaldaeus nostra verba עֲלֵי רִנָּנַת כִּנָּרְיָא, *ad meditationem* s. cantum *cythararum*, transtulit. Sed quum הִגָּיוֹן medium inter instrumenta musica occupet locum, quum etiam eodem, ut illa, modo ante se habeat praepositionem עֲלֵי, satius omnino fuerit, pro organi musici nomine illud habere, quae jam Aben-Esrae fuerat sententia. Erit igitur: *ad sonum Higgaion cum cythara* juncti.

5. כִּי שִׂמַּחְתַּנִי יְהוָה בְּפָעֳלֶךָ *Quia laetificasti mē, Jova, operibus tuis*, quia voluptatem et laetitiam mihi creat contemplatio rerum tuarum in gubernandis rebus humanis. Neque enim ad naturae opera, ut multi volunt, referenda haec esse, docet reliqua carminis pars, quae tota in divina justitia et aequitate celebranda versatur. בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ אֲרַנֵּן *Exulto in consideratione eorum, quae efficiunt manus tuae*, dum piis et impiis hominibus justa rependis.

6. Quam eximia sunt et singularia, quae facis, Jova! Sapientia tua est inexhausta; et in abdito posita, ut investigari eorum ratio non possit, sunt consilia providentiae tuae in gubernatione rerum humanarum.

7. Quae genus illud stultum et profanum, humana tantum sapientium, non agnoscit neque intelligit. אִישׁ בַּעַר וּכְסִיל *virum stolidum et stultum* (vid. ad 49, 11. 73, 22.) vatem nominare eum, qui providentiae divinae gubernationem non intelligit, orationis contextus docet. Cohaerent autem inter se continente sententia Versus 7. 8. 9., et providentiam ac judicium Dei celebrant in evertendis impiis, sicut contra sequentes contrarium celebrant, quod conservat florentes pios; atque ita providentiam universi. Jarchius hunc Versum cum seqq. ita connectit: non penetrat hoc vir insipiens, improbos homines, etiamsi ad praesens floreant et vigere videantur, tandem perituros, Vs. 8.

8. *Cum efflorescunt impii instar herbae, et cum florent* (וְאֵם־יָצִיצוּ pro וַיָּצִיצוּ) *facinorosi homines*, florent *ut exscindantur in perpetuum* (ante לְהִשָּׁמְדָם repetendum יָצִיצוּ). Sensus: Cum speciose florent impii atque laeto germine luxuriant; minime hoc nomine beati sunt habendi illi, quum et nequaquam diuturnum hoc sit eis, et e florente statu medio suo in aeternum exitium abripiantur. Ideo comparat eos gramini et herbis luxuriantibus quidem, sed brevi etiam arescentibus, cf. 37, 2. 35. 36. Posteriora verba לְהִשָּׁמְדָם עֲדֵי־עַד aliqui sic interpretantur, quasi dicatur hoc: saginari impios bonis hujus vitae, non ut bene eis sit, sed ut mactentur, et fortunari cursum impietatis ipsorum, ut majores poenas sibi accersant. Sed praefixum ל non causaliter accipi necesse est, verum consequutive solum positum potest esse, ut

eventum exprimat fortunae blandientis, quemadmodum Ex. 17, 3. *quare eduxisti nos* לָהֲמִית *ut mors nostra consequatur?* cf. et Num. 32, 14.

9. וְאַתָּה מָרוֹם לְעוֹלָם יְהוָה *Tu vero*, Deus *excelse*, *aeternus es*, imperium tuum aeternum, non desinis gubernare res hominum. Alii sensum faciunt sic, ut haec dependeant a Vs. 7., hoc modo: neque cogitant, te, Deum excelsum aeternum esse, neque desinere gubernare res hominum. מָרוֹם vel adjective est accipiendum, ut Jer. 17, 12., vel pro אֱלֹהֵי מָרוֹם Mich. 6, 6., i. e. qui in excelso habitas, positum, coll. Jes. 32, 5. 57, 15. Ps. 73, 8.

10. Itaque aliter fieri non poterit, universos hostes tuos perituros esse, genus impium illud et facinorosum totum dissipabitur et evanescet; confirmat, quod supra Vs. 8. dixerat: יִתְפָּרְדוּ *Dispergentur*, tanquam glumae, a vento disjectae (Ps. 1, 4.), evanescent.

11. Jam loquitur poeta in persona uniuscujusque piorum: illi interibunt, וַתָּרֶם כִּרְאֵים קַרְנִי *meum vero cornu exaltabis ut orygis*, meum vero robur evehes et augebis, ut emineat sicut cornu orygis. De רְאֵם vid. ad 22, 22. Ad phrasin cf. 75, 5. 6. 89, 18. 25. — בַּלֹּתִי בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן *Madeo*, s. *humectus sum oleo viridi*, i. e. non marcido aut vetusto, sed mundissimo purissimoque; quasi oleo recenti delibutus, ita recreabor et exhilarabor. Similitudo petita vel inde, quod diebus festis et laetis capita oleo ungere olim solebant (cf. ad 23, 5.); vel ab unctione medica, ad confirmandas vires. Verbum בָּלַל Hebraeis tam transitive, quam intransitive s. reciproce usurpatur, quemadmodum consonum verbum Arab. et *madefecit*, *rigavit leviter adsperso humore*, *et madidus* s. *humidus fuit* significat. Fuere, qui בַּלֹּתִי ad verbum בָּלָה *veterascere*, referentes, verba nostra sic transferrent: *veterascere meum*, i. e. senectus mea, *in oleo viridi*, hoc sensu: mea senectus erit non exsanguis, sed viridis et florens vegetaque; nam *oleo* succum corporis vitalem, et *viridis*, רַעֲנָן, epitheto vigorem volunt indicari. Ita Alexandrinus: *καὶ τὸ γῆράς μου ἐν ἐλαίῳ πίονι*, et Symmachus: *καὶ ἡ παλαίωσίς μου ὡς ἐλαία εὐθαλής*. Sed ad בלה nostrum בלתי non patitur Dagesch forte, literae ל impositum, referre. Atque ad בלל recte retulit Syrus, etsi alias plerumque Graecorum interpretum vestigia persequutus: *et tinxisti me oleo suavi*. Chaldaeus: *unxisti me oleo unctionis recentis oleae viridis*.

12. וַתַּבֵּט עֵינִי בְּשׁוּרָי בַּקָּמִים עָלָי *Adspiciet oculus meus in hostes meos*, *in insurgentes contra me*, oculi mei ex hostibus meis, ex eis, qui mihi insidiantur, voluptatem percipient, adspectando in ipsis ea, quae cupio et expeto. De verbis *videndi* cum ב constructis vid. 22, 18. 27, 4. coll. 35, 21. 54, 9. שׁוּר hoc tantummodo loco occurrens, *hostem* denotat, ex verbi שׁוּר *insidiose observandi* significatione, vid. Hos. 13, 7. et cf. cognatum שׁוֹרֵר Ps. 5, 9. 54, 7., et ejusdem formae Adjectiva חוּשׁ *celer*

Num. 32, 17., atque סוּר *recedens* Jer. 17, 13. Aliud est שׁוּר *murus* Gen. 49, 22. Ps. 18, 30. מְרֵעִים תִּשְׁמַעְנָה אָזְנָי *Improbos audient aures meae*, i. e. audient suavia auditu nuncia de malevolentibus et malefacientibus mihi.

13. צַדִּיק כַּתָּמָר יִפְרָח *Pius ut palma florebit*, s. *germinabit*, i. e. germinatione constanti et durante, ut opponatur germinantibus et virentibus herbis (Vs. 8.), quarum fluxa est, et nequaquam diuturna viriditas, palmarum vero contra. Ita Aben-Esra: *pius similis est palmae, quae persistit plurimos annos.* Cui expositioni favent, quae sequuntur Vs. 15. De palmae longaevitate multa ex antiquioribus et recentioribus scriptoribus congessit Celsius in *Hierobot.* P. II. p. 335. sqq. כְּאֶרֶז בַּלְּבָנוֹן יִשְׂגֶּה *Sicut cedrus in Libano crescet* s. *augescet*, cedrus arbor procera, quae longe lateque ramos extendit, cf. not. ad 29, 5. 6. „Utramque autem arborem, *palmam* et *cedrum*, conjunxit, ut ad felicitatem designandam satis esset. Utraque arbor quidem diuturna est, utraque semper floret, sed palma fructifera est, cedrus infructifera; rursus haec ramis abundans, illa non item. Ergo florentis probi pulchritudinem et suavitatem palmae comparavit, generis et stirpis propagationem cedro Libani.“ Agellius.

14. Quae consitae adstant in domo Jovae, in atriis Dei nostri, eae stirpes florebunt semper. Quos praecedente Versu *pios* vocavit plane, hos nunc *stirpes* nominat, *consitas in domo Dei*, i. e. consortes templi ejus, et membra populi ejus. Hi, inquit, florent semper, numquam marcescunt.

15. Etiam ubi consenuerint, tamen adhuc germinabunt, succidi erunt, et vigebunt floridi. יְנוּבוּן *Proventum habebunt*, sc. plantati in domo Dei, Vs. 14. Chaldaeus: *Iterum ut patres eorum, procreabunt filios in senectute.* Verbum נוּב enim *proveniendi, fructum proferendi* habet significationem, reliquis quoque quibus occurrit locis, Ps. 62, 11. Prov. 10, 31. Zach. 9, 17., aptissimam, atque certam ex nominibus ab illo derivatis תְּנוּבָה et נִיב, quae de *proventu* agrorum, *fructibus*que dicuntur; vid. Deut. 32, 13. Ez. 36, 30. Mal. 1, 12. Quae vero plantae fructus producunt, eas succi plenas esse apparet, quod ipsum h. l. significatur, quum additum sit דְּשֵׁנִים *pingues*, i. e. succulenti, non marcidi, cf. not. ad Ps. 22, 30. Pro רַעֲנַנִּים Alexandrinus εὐπαθοῦντες posuit, quod Vulgatus *bene patientes* reddidit, i. e., ut Agellius explicat, „valentes, robusti; εὐπαθεῖν enim est σφριγᾶν, ἀκμάζειν, *valentem esse, vigere.*“

16. Vigor ille etiam propterea conservatur eis, ut testimonium dicant, quum in aetate longa hoc experti sint, quod Jova, petra mea, rectus sit, et nihil sit in ipso injustitiae, quae deserat bonos, et beet impios; id enim indicatur h. l. nomine עַלָּתָה, sive, ut in margine notatur legendum esse, עַוְלָתָה, eadem significatione.

Ps. 93.

Celebratur Deus Jova ut rex et defensor terrae suae, qui non patiatur, neque passurus sit, opprimi templum suum et veros consortes ejus, sed conservet hoc sanctum et inviolabile perpetuo. Temporis quo factum sit carmen notae in eo apparent nullae.

1. יְהוָה מָלָךְ גֵּאוּת לָבֵשׁ *Jova regnat, majestatem*, s. gloriam *induit*, exornatus est ornatu regali magnifice, majestas et gloria totum eum occupant; cf. Ps. 104, 1. לָבֵשׁ est Praeteritum formae אָהַב et יָרֵא. — לָבַשׁ יְהוָה *Indutus est Jova* majestate; anadiplosis, ut Vs. 3. Vid. ad 45, 5. עֹז הִתְאַזָּר *Fortitudine accinxit se* ad oppugnandos delendosque hostes suos: אַף־תִּכּוֹן תֵּבֵל בַּל־תִּמּוֹט *Etiam stabilis erit orbis, nec movebitur.* Jarchi: Dum Jova regnabit, laetabitur terra, adversus impetum fluctuum (Vs. 3.) ab eo firmata. Alii haec cum praecedentibus connectunt, hoc modo: armatus est Jova totus robore et potentia ea, qua orbem terrarum firmavit, ita ut loco non moveatur; non autem loco movetur terra, quamdiu durat. Ita תִּכּוֹן erit ἐναλλαγὴ futuri pro praeterito.

2. Ab omni aeternitate conditum est solium tuum, et manet firmum perpetuo, sicut tu es aeternus, expers originis et finis. מֵאָז *Ex nunc*, i. e. ab aeterno, nam quia *tunc* nullum certum tempus definit, idco positum *ex tunc*, pro, *ab aeterno*, cf. Prov. 18, 22.

3. *Elevarunt fluvii, o Jova, elevarunt fluvii vocem suam, elevarunt* (vid. de hac repetitione not. ad 37, 20.) *fluvii fragorem*, fremitum *suum.* Murmura aquarum horribilia sunt, flumina ruunt impetu vehementi cum fremitu. Significatur potentia impetusque horribilis hostium, ut saepe alias exercitus numerosi, omnia instar fluvii inundantes, fluminibus comparantur, veluti Jes. 8, 7. 8. 17, 12. 13. Jer. 46, 7. 8. דָּכִי, ἅπαξ λεγόμενον, propr. fluctuum colluctationem denotare videtur, ab Arab. دكا *tundere, trudere*, unde in Conj. 6. *truderunt compresseruntque se invicem.*

4. Quantumvis vero vehementer fremant et ruant aquarum et fluctuum i. e. hostium (cf. Vs. 3.) impetus horribiles, superat tamen longe vim et robur horum omne, potentia Dei excelsi, Jovae, quae longe est major et terribilior. Praefixum מ ante קֹלוֹת, quod et ante מִשְׁבְּרֵי־יָם est repetendum, h. l. *prae* est reddendum, et comparationem infert: *prae vocibus aquarum multarum et validarum, prae fluctibus maris, validus est in excelso Jova.*

5. עֵדֹתֶיךָ נֶאֶמְנוּ מְאֹד *Testimonia tua fida sunt valde*, i. e. quae testaris verbis tuis, quae promittis, ea verissima sunt omnia, neque fallunt aut frustrantur unquam. לְבֵיתְךָ וגו׳ *Domui tuae decet sanctitas, Jova, in longitudinem dierum*, domum tuam et populum tuum violare nemo impune debet, ullis saeculis, itaque speramus fore, ut deinceps arceas ab illa violationem et profana-

tionem omnem, ut integra conservetur perpetuo. קֹדֶשׁ *sanctum*, h. l. inviolatum et intactum significat, et quod violari non debet.

Ps. 94.

Sunt preces ardentes, ut Deus tandem justissimam vindictam suam exserat adversus eos, qui populum ejus tam impie, crudeliter, insolenter persequantur, et jus et justitiam omnem tollant et pervertant, de quo et miserabiliter queritur: refutat simul profanos et minatur eis iram Dei; se vero et alios hortatur ad toleranter exspectandam ultionem Dei, quam invocat, et certo istis impendere praedicit. Qua ipsa nixus exspectatione, tum etiam commentatione opis perpetuae divinae, quam expertus sit, et se et populum confirmat (de se enim uno loquitur, cum populi causam simul agat), inprimis vero justitiae Dei, qui sic judicet, ut non patiatur esse impunita facinora insolentis et crudelis impietatis. — Davidem, cui Alexandrinus interpres hunc Psalmum adscribit, aut alium quendam singularem hominem hoc carmine de suis miseriis conqueri quo minus statuamus, vetant Versus 5. et 14., qui populum universum ab improbis vexatum et adflictum sistunt; et describitur grassatio impiorum violenta et publica, usque ad neces et caedes, nulla status, sexus et actatis habita ratione (Vs. 5. 6.). Infligi haec vulnera populo a magistratibus iniquis et tyrannicis, haud obscure innuit Vs. 20. Pati denique haec omnia populum religionis et pietatis causa colligi potest ex *populi hereditatisque Dei*, et *justorum* atque *sanguinis innocui* titulis, quibus adflicti et vexati passim insigniuntur. Quae omnia apprime congruunt diris et funestis cladibus, quas Antiochi Epiphanis saeva impiaque tyrannis populo Judaico attulit. Babylonici exilii miseriis, de quibus forsan cogitare aliquis possit, Psalmus minus convenire videtur. Neque enim dispersi aut deportati populi ullum in eo indicium apparet, neque Chaldaei religionis causa populum Judaicum oppresserunt et everterunt.

1. אֵל נְקָמוֹת *Deus ultionum*, i. e. Deus ultor, vindex et punitor omnis impietatis. הוֹפִיעַ *Adfulge*, praebe te conspiciendum, specie illustri, exsere atque ostende justitiam et potentiam tuam. Est Imperativus, ut 80, 2. Sed Alexandrinus pro Praeterito (ut Deut. 33, 2. Ps. 50, 2.) accepit, et ἐπαῤῥησιάσατο transtulit, quod Vulgatus *libere egit* reddidit, „id est, tanquam severus justusque judex scelestorum occulta crimina detexit, et in apertum protulit, reosque convicit. Hebraei ad modum orantis accipiunt: *appare*, manifestare, tanquam sol exoriens, detege impiorum scelera, unde Aquila reddit ἐπιφάνηθι, *appare*.“ Agellius.

2. הִנָּשֵׂא *Effer te*, exsurge, de conscensu ad tribunal interpretandum, quae editiora esse solent, q. d. conscende tribunal sublime tuum, et repende superbis et violentis illis quod merctur superbia ipsorum.

3. Quamdiu permittes, ut impii tam sint elati et inflati, et ita se efferant, atque exsultent tam insolenter rebus secundis suis? Ultima hujus Versus verba Chaldaeus sic reddidit: *quousque mali sedebunt in tranquillitate?*

4. Videtur hic Versus interpretandus esse sic, ut dependeat de interrogante particula עַד־מָתַי *quousque*, in praeced. Vs., hoc modo: quamdiu feres protervas et praefractas voces crepare coctus illos impios et facinorosos? Alii tamen ut narrationem simplicem hunc etiam Versum interpretantur, ut sit sicut sequens 5. et 6. יַבִּיעוּ *Eructant*, ex imo pectore tanquam redundantia ex jugi fonte verba proferunt, non sine tumore quodam et sono vocis. Vid. de verbo נָבַע not. ad 59, 8. עָתָק *Durum*, s. collective *dura*, petulantes et fastuosos sermones indicat, et simul in pronunciando adversus bonos proterviam. Vid. ad 31, 19. Verbum יְתַאֲמְרוּ Alexandrinus et Vulgatus simpliciter *loquuntur* reddunt, Chaldaeus vero: *loquuntur verba ignominiae.* Proprie videtur notare, *se ipsos* vel *de se ipsis dicunt*, gloriantur de facinoribus suis. כֹּל etiam multitudinem et copiam significat, ideoque *coetus facinorosorum* videntur intelligendi.

5. Populum tuum opprimunt, et affligunt graviter peculium terrae tuae.

6. אַלְמָנָה וְגֵר יַהֲרֹגוּ *Viduas et hospites interficiunt* tam judiciorum, quam violentiae injuriis, hospites autem etiam in terra Israelis non minus, quam Israelitas; neutris enim pepercerunt magistratus illi.

7. Atque insuper dicere audent: Deus non videt haec, Deus Jacobicus non curat, neque scit, quid a nobis geratur.

8. At in vobis ipsis nihil est mentis et intelligentiae, qui haec dicitis. Audite ergo, doceri vos sinite. בַּעֲרִים *brutos*, et כְּסִילִים *stultos* vocat, qui rem omnibus ad intelligendum propositam, et indiciis tam certis exploratam, sua ipsi cupiditate ac furore coecati non intelligant, Deum omnia videre et intelligere. בְּעָרִים בָּעָם *Bruti in populo*, i. e. quibus in populo nullus est insipientior; stultissimi hominum, quomodo saepius exprimitur superlativus gradus, veluti Jos. 4, 15., similis constructio Jud. 5, 9., Prov. 30, 30.

9. *An qui plantavit aurem non audiat? an qui finxit oculum, non videat?* Num credibile est, auctorem horum ipsum carere sensibus iis, quos indidit aliis? Similem sententiam vid. 33, 15. הֲנֹטַע *Num plantans*, similis forma Participii constructi est 136, 6. Repetitur ה interrogativum ante לֹא, ut Vs. 10. Particula אִם *interrogative* significat, quoties *He interrogativo* succedit, 77, 10. 78, 20. Job. 6, 5.

10. הֲיֹסֵר גּוֹיִם הֲלֹא יוֹכִיחַ *An qui castigat gentes, nonne arguet*, vos profanos et violentos? An putatis impunitum permis-

surum in vobis aliquid cum, qui omnium populorum totius orbis faciuora uleiscitur et poenis persequitur? Aut nihil intelligere eum, הַמְלַמֵּד אָדָם דָּעַת *qui docet hominem scientiam* (aposiopesis, qualis 6, 4. 2 Sam. 5, 8. coll. 1 Chr. 11, 6.), qui solus docet homines sapere, a quo venit omnis intelligentia et sapientia.

11. Imo omnes etiam motus cordis humani introspicit et novit Jova, nullae cogitationes hominum latent eum. Neque novit tantum has, sed vanas etiam et inanes esse novit universas, et nihil posse prorsus. Alii verba כִּי־הֵמָּה הֶבֶל sic capiunt: *quod ipsi* sc. homines (est enim pronomen masculini generis) *vanitas* (cf. 39, 6. 12. 62, 10.), hae sententia: Deum non modo hominum cogitata nosse, sed etiam ipsum hominem vanum esse scire, qui saepenumero ea verset animo, quorum perficiendorum illi potestas ademta sit.

12. Beatus, quem tu castigas et instituis, quem tu doces intelligere sapientiam administrationis et providentiae tuae; id enim h. l. significari nomine תּוֹרָתְךָ *legis tuae*, colligi potest ex iis, quae proxime sequuntur.

13. *Ad quietem dandum ei*, i. e. ut quietem ei concedas *a diebus mali, donec fodiatur impiis fovea.* Sensus nexusque cum iis quae praecesserunt: beatus, quem tu docuisti, ut instructus a te scientia sanctorum sciat toleranter ferre miserias calamitosi temporis, et discat agnoscere, non esse perpetuas castigationes tuas, sed exspectet placide animoque tranquillo, donec poenae meritae et destinatae impios apprehendant et abripiant. לְהַשְׁקִיט Alexandrinus τοῦ πραΰναι αὐτῷ, et Vulgatus *ut mitiges ei*, reddidit, i. e. ut, cum res adversae undique tanquam venti et tempestates perstrepunt, illum summa animi quiete conserves. שַׁחַת, *foveam*, aliqui in genere interpretantur de insidiis, quibus capiatur poenis destinatus; haud scio tamen, an de *sepulchri fovea* interpretari sit commodius, quum *mors* etiam, et in medio quidem flore aetatis aut in mediis conatibus facinorum, sit una ex poenis destinatis impietati, ut docetur 45, 15. 50, 24.

14. Neque enim unquam Deus negliget suos, numquam ille prodet peculium suum, et populum eum, quem habet proprium et suum.

15. Explicat et confirmat, quod Vs. 14. dixerat: כִּי־עַד־ צֶדֶק יָשׁוּב מִשְׁפָּט *Quia ad justitiam revertetur judicium*, i. e. judicium tandem justum et rectum fiet, ut recreentur sancti, crepti violentiae, et puniantur tollanturque impii. וְאַחֲרָיו *Et post illud* sc. justum judicium, quod proxime praecedit. Alii: *et post illam*, justitiam. Subaud. verbum substantivum יִהְיוּ *erunt*, ut 1 Sam. 12, 14. 2 Sam. 2, 10., vel יֵלְכוּ *ibunt*, ut 1 Reg. 14, 8., h. e. illi adhaerebunt, idque sequentur et collaudabunt כָּל־יִשְׁרֵי־לֵב *omnes recti corde*, vid. Ps. 7, 11. 11, 2. 32, 11. Sensus: suo tempore justa judicia exercebuntur approbantibus bonis et piis omnibus.

16. מִי־יָקוּם לִי *Quis consurget mihi*, i. e. ut adsit mihi, est enim קוּם verbum praegnans, vid. 18, 46. 22, 22. 44, 4. לִי alii *pro me* reddunt, ut Ex. 14, 15. Jud. 6, 31. עִם־מְרֵעִים *Cum improbis* (quis stabit apud me, cui cum improbis certandum est), i. e. contra improbos, vid. not. ad 55, 19. Chaldaeus: *quis assurget mihi ad gerendum bellum cum sceleratis?* מִי־יְתִיצֵב וגו׳ *Quis consistet mihi contra operarios vanitatis?*

17. Respondet jam sibi ipsi vates ad exclamatoriam interrogationem Vs. 16. Nisi Deus adesset mihi ope sua, jam sane, amissa vita, aggregatus jacerem mortuis. כִּמְעַט שָׁכְנָה דוּמָה נַפְשִׁי *Parum abfuisset*, quin *habitaret* in *silentio anima mea*, i. e. jacerem jam silens inter mortuos, hi enim silent et quiescunt, nihil est motus in his, nihil soni aut vocis. Latini poetae de mortuis eadem figura utantur, et sunt *silentes umbrae* Virgilio, et *silentum consilium.*

18. Quando enim jamjam labi et concidere mihi videor, neque consistere me posse diutius existimo, tum tua me bonitas arreptum sustinet et fulcit. מָטָה רַגְלִי *Motus est pes meus*, actum de me nunc est; proverbialis loquutio, vid. Deut. 32, 35. Ps. 13, 5. 38, 17.

19. Quando animus meus curis perturbatur plurimis, in mediis aerumnis meis, te consolante recreor et exhilaror. Nomen שַׂרְעַפַּי, quod praeter hunc locum 139, 23. occurrit, Chaldaeus utrobique *cogitationes* reddidit. Alexandrinus h. l. ὀδύνας, et altero Psalmorum loco τρίβους posuit. Propria nominis significatio non potest definiri, quum ceterae dialecti eo careant.

20. Tu ergo, Deus, aderis innocenti mihi, deinceps etiam, et propulsabis a me injurias et vim impiorum. הֲיִחָבְרְךָ כִּסֵּא הַוּוֹת *Num* enim *consociabitur tibi solium perditionum*, i. e. quomodo enim fieri possit, ut conveniat tibi cum solio et tribunali perverso et iniquo, violentoque tali? num fas est, de te credi, quod cum iniquis principibus et judicibus societatem inieris, ut illis populum tuum vexare, diripere et perdere liceat te vidente atque nihil prohibente, perinde atque si cum illis foedus inieris, et eorum iniquae potestati faveas? Ad constructionem verbi cum suffixo Kimchi confert יִגָּרְךָ 5, 5. Est vero illud futurum *Pyal*, posito *Kamez chatuph* pro *Kibbuz*, ut כִּפְלָה 72, 20. Ante יֹצֵר עָמָל עָלַי־חֹק repetendum הֲיִחָבְרְךָ, num consociabitur tibi *fingens molestiam contra jus*, ut recte Symmachus: κατὰ προστάγματος, *contra legem.* Alii: *praeter statutum*, contra jus et fas, et contra legem Dei.

21. יָגוֹדּוּ עַל־נֶפֶשׁ צַדִּיק *Conglobantur*, turmatim exeunt et irruunt quasi milites et succenturiati (cf. verbum Gen. 49, 19. Jer. 5, 7. Mich. 4, 14.) *adversus animam justi;* judicia illa et congregationes ad deliberandum sunt concursationes violentorum, vim in his exercent, non jus et justitiam. וְדָם נָקִי יַרְשִׁיעוּ *Et sanguinem innoxium* per sanguinaria sua decreta *velut impium damnant*, Ps. 37, 33. Prov. 17, 15.

23. Rependet poenas meritas violentiae et injuriis, quas usurpant mali illi, perdet eos in facinoribus ipsorum, et eodem modo, quo ipsi alios; convertet in ipsos, quae scelerata struunt aliis; id enim significatur verbis וַיָּשֶׁב עֲלֵיהֶם אֶת־אוֹנָם *redire faciet super eos iniquitatem eorum.* וּבְרָעָתָם יַצְמִיתֵם *Et malo suo perdet eos: malum ipsorum* vocat, quod in bonos moliuntur, q. d. illis artibus peribunt, quibus justos perdere volebant. Alii: *propter malitiam eorum exscindet eos;* ב *propter*, ut Ps. 5, 11. 9, 15. 32, 3.

Ps. 95.

Invitatio est et exhortatio ad pios, ut declarent studium pietatis suum, in agendis gratiis, in adorando et celebrando Deo, et subjiciendo se potentiae ejus, monetque illos, ne adversus compellationem atque invitationem ejus contumaciter aut praefracte aliquid faciant. Quod et ne faecre velint, deterret eos Psalmus Dei ipsius voce, proposito exemplo poenae gravissimae, qua Deus usus fuerit adversus majores populi Judaici in solitudine, qui vocantem Deum contemserint, et ei obtrectarint, imo tentare etiam eum ausi fuerint, quibus propterea, a terra promissa exclusis, in locis desertis illis moriendum fuerit. Alexandrinus interpres Davidi hoc carmen tribuit, ex traditione haud dubie, quam ipsam epistolae ad Hebraeos scriptor 4, 7. sequutus est. Forsan initiis illis tabernaculi in Sionio exstructi, et areae in hoc introductae est consignatum. Certae tamen temporis, quo editum sit carmen, notae in illo apparent nullae.

1. De לָכוּ vid. 34, 12. נָרִיעָה לְצוּר יִשְׁעֵנוּ *Jubilemus petrae salutis nostrae*, i. e. ei, qui est propugnaculum nostrum, in quo tuti sumus.

2. נְקַדְּמָה פָנָיו *Veniamus ante faciem ejus*, compareamus coram eo, Jes. 37, 33. Mich. 6, 6. Alii, ut Vulgatus: *praeoccupemus faciem ejus*, quod interpretantur: maturemus, ne moremur. בְּתוֹדָה *Cum confessione*, i. e. celebratione et gratiarum actione. Kimchi: ut confiteamur ipsi bonum, quod fecit nobis. Vid. Ps. 26, 7. 42, 5. 5, 14.

3. מֶלֶךְ גָּדוֹל עַל־כָּל־אֱלֹהִים *Rex magnus super omnes Deos*, i. e. superans, qui pro Diis habentur, aut sic appellantur, universos.

4. *Cujus in manu*, potestate, sunt *pervestigationes terrae, et altitudines montium ipsi*, terrae imae et montium caeumina, infima et summa, abstrusa et eminentia omnia. מֶחְקְרֵי־אָרֶץ *Pervestigationes terrae* sunt abditissima terrae penetralia, et quae in intimis ejus recessibus continentur, quicquid investigando et scrutando e terra erui potest, cf. cognatum nomen חֵקֶר Job. 38, 16., item rem et verbum Jer. 31, 37. De nomine תּוֹעֲפוֹת vid. ad Num. 23, 22. et Job. 22, 25.

5. אֲשֶׁר־לוֹ הַיָּם וְהוּא עָשָׂהוּ *Cui est mare, nam ipse fecit hoc*, particula ו ante הוּא h. l. *αἰτιολογικὴ* videtur; ideo sunt ejus propria et in potestate ejus, quia ipse creavit et condidit; cf. Ps. 89, 11.

7. 8. עַם מַרְעִיתוֹ *Populus* s. grex *pascui ejus*, i. e. cui se pastorem praebet, cf. 80, 2. Jer. 23, 1. וְצֹאן יָדוֹ *Et oves manus ejus*, i. e. quos ducat et regat manu sua, cujus ipsemet curam habet, non mercenarius. Verba quae sequuntur, הַיּוֹם אִם־בְּקֹלוֹ תִשְׁמָעוּ, alii interpretantur hoc modo: *utinam hodie*, i. e. statim *voci ejus obediatis*, quemadmodum אִם *obsecrantis* particula est et Exod. 32, 32. 1 Chr. 4, 10.; alii vero, אִם pro *conditionali* particula accepta, conjungunt cum Versu 8., hoc pacto: quando igitur audieritis vocem pastoris hujus, hodie, et quamdiu sonat, vocantis, praecipientis, et ducentis vos, nolite ad hanc obdurare corda vestra, sicut olim factum fuit in solitudine deserta, et locis *Meriba* et *Massa* nominatis. מְרִיבָה et מַסָּה Alexandrinus non ut nomina, sed *προσηγορικῶς* interpretatus est *παραπικρασμόν*, et *πειρασμόν*. Sed docet historia, haec *προσηγορικὰ* Mosen indidisse illis locis, ut fierent illorum propria, vid. Ex. 17, 7. Num. 14, 22. Deut. 6, 16.

9. אֲשֶׁר *Ubi*, ut Num. 20, 13. Jes. 64, 10. Ps. 84, 4. — בְּחָנוּנִי גַּם־רָאוּ פָּעֳלִי *Explorarunt me* quid possem, *etiam viderunt opus meum*, i. e. quum vidissent tamen tam multa argumenta hujus rei, in iis, quae mirabiliter feceram eorum ipsis.

10. אַרְבָּעִים שָׁנָה אָקוּט בְּדוֹר *Quadraginta annis*, ab exitu ex Aegypto usque ad transitum per Jordanem (Num. 14, 32. 32, 13.) *fastidium habui in generatione* scil. patrum vestrorum (Vs. 9.), molestiam mihi attulerunt illius aetatis homines illi, quibus et propterea infensior fui, quod tam essent intractabiles, itaque וָאֹמַר עַם תֹּעֵי וגו׳ *dixi: populus errantes corde illi* sunt, *et illi non cognoscunt vias meas*, sic de iis statui, esse genus perversum et vecors; quod quid a me fieret, et quid postularem, non attenderet, nec vellet cognoscere. Epistola ad Hebraeos Cap. 3, 9. contra textum Hebraeum, et Graecam etiam translationem dirimit hoc comma a sequentibus, particula *διό* interposita, et ad praecedentia refert, ut sit: cum viderint per quadraginta annos mirabilia facta mea. Sed esse hoc mendum in epistola ad Hebraeos, cum vetera exempla demonstrant, tum, quod paulo post, 3, 19., ita ut in Hebraeo est, sententia refertur, et illa diremtio, tanquam correctione facta, tollitur.

11. Post אֲשֶׁר subaudiendum לָהֶם, *quibus iratus juravi.* אִם־יְבֹאוּן אֶל־מְנוּחָתִי *Non introibunt in requiem meam*, non pervenient ad loca quietis a me paratae, non videbunt terram promissam, in qua, sede facta, tandem acquiescerent. אִם *Si!* est h. l. jurantis per aposiopesin, et negantis, ut Num. 14, 30. Deut. 1, 35. Ps. 89, 36. et cf. not. ad Gen. 14, 23. Est hujus etiam Psalmi clausula ita abrupta, ut mutilus videri possit, sicut in Psalmis duobus aliis, 77. et 81. observavimus.

Ps. 96.

Hymnus hic, qui Jovae laudes celebrat, pars est carminis longioris, quod 1 Chr. 16, 8—36. legitur, et ibidem dicitur Davides composuisse, cum aream legis ex aedibus Obededomi solenni pompa deduceret, et in aree sua Sionitiea in sede ei parata collocaret. Particula, quae hunc Psalmum constituit, illic Vs. 23—34. continetur, nonnullis tamen hic illic mutatis. Pars prior carminis illius Psalmum 105. facit. Graeca Alexandrina interpretatio huic Psalmo praemittit, adhibitum illum fuisse in dedicatione templi secundi post reditum ex Babylonico exilio, ὅτε ὁ οἶκος ᾠκοδομεῖτο μετὰ τὴν αἰχμαλωσίαν, additurque: ᾠδὴ τῷ Δαυίδ, libri Chronicorum, uti videtur, auctoritate. Sed De Wette carmen quod in Chronicis habetur ab eorum scriptore ex utroque Psalmo, nostro et 105., compositum existimat, ideo potissimum, quod 1 Chron. 16, 35. verba: *recollige nos et libera nos e gentibus*, exilii Babylonici tempora arguunt.

1. שִׁיר חָדָשׁ *Carmen novum*, et exquisitum, cf. not. ad 33, 3.

5. Exterarum gentium dii non sunt dii, sed אֱלִילִים, *res nihili*, figmenta inania (ab אַל, negandi particula), quemadmodum Amos 5, 5. אָוֶן *vanitas*, et אֵל *deus verus* sibi invicem opponuntur.

6. Omnia ejus praeclara sunt et ornata, omnia potentiam arguentia et referentia בְּמִקְדָּשׁוֹ *in sede sancta ejus*, quod et de *coelo* et *mundo* verum est, quod opus κόσμον propterea primus appellavit Pythagoras, et de sacrario et sede areae, vel de templo secundo, ad quod Davidicum illud carmen accommodatum est, ut in Argumento monuimus. 1 Chron. 16, 27. pro וְתִפְאֶרֶת בְּמִקְדָּשׁוֹ legitur וְחֶדְוָה בִּמְקוֹמוֹ. Sed מִקְדָּשׁוֹ interpretamentum est τοῦ מְקוֹמוֹ, ab illo, qui Davidicum carmen accommodavit templo secundo.

7. Sicut supra Vs. 3. vates Israelitas commonuerat, ut veri Dei laudes inter omnes gentes disseminarent; ita nunc ipsas etiam gentes commonefactas exhortatur, ut promte id exsequantur.

8. שְׂאוּ־מִנְחָה *Ferte munus*, s. collective *munera*, cultus et obsequii vestri, more Orientalium, qui sine muneribus ad reges non solent admitti. Pro וּבֹאוּ לַחֲצֵרוֹתָיו *venite in atrium ejus*, scil. non sine muneribus, in Chronicis וּבֹאוּ לְפָנָיו *venite ante eum*, sistite vos oculis ejus.

9. הִשְׁתַּחֲווּ לַיהוָה בְּהַדְרַת־קֹדֶשׁ *Adorate Deum in ornatu sanctitatis*, vid. not. ad 29, 2.

10. אַף־תִּכּוֹן תֵּבֵל בַּל־תִּמּוֹט Vid. ad 93, 1. Docet, populum Israeliticum regem habere eum, qui terram in medio mundi, et aquis mediis ita fundarit, ut firma sit et maneat, i. e. omnino potentissimum. Hoc quoque Versu et eo, qui proxime sequitur, quaedam aliter sunt posita, quam in Chronicis.

11. 12. יָם וּמְלֹאוֹ *Mare et plenitudo ejus*, quid autem hac formula significetur, mox in Versu sequenti, tanquam ἐπεξη-

γητικῶς explicatur: שָׂדַי וְכָל־אֲשֶׁר־בּוֹ *ager et plenitudo ejus*, quod idem et cognoscitur ex 98, 7., ubi haec repetuntur.

13. בָּא לִשְׁפֹּט הָאָרֶץ *Venit ad judicandum terram*, i. e. ad regnandum, *judicare* enim figura hebraea *regnare* significat, quum praecipua pars imperii sit juris et judiciorum administratio. Verba ultima יִשְׁפֹּט וגו׳ in Chronicis non leguntur.

Ps. 97.

Ejusdem fere argumenti hic Psalmus est cum superiore: celebrat Dei potentiam et majestatem agnoscendam ab omnibus gentibus, quae, abjectis idolis, hunc unum verum Deum colere deberent et adorare. Piis omnibus, qui hunc Deum Sionium colant et venerentur, ab eo protectionem et gratiam promittit, et hoc nomine laetari eos jubet, et beneficentiam ejus celebrare.

Sicut praecedentes duos Psalmos, ita hunc etiam et sequentes aliquot, usque ad 101., occasione conserati templi secundi vel factos vel illi accommodatos esse suspicantur, ex Graeco titulo Psalmi 96. (cujus vid. Argum.), quum et similes sint argumento, et in hoc nullo ordine Psalmorum, conjuncti tamen continuo ordine legantur. In Graeca Alexandrina translatione huic Psalmo praescriptum est: *τῷ Δαυὶδ, ὅτε ἡ γῆ αὐτοῦ καθίσταται*, *ipsi David, quando terra ejus restituta est*, ut Vulgatus reddidit. „*Restitutam terram*,“ inquit AGELLIUS, „sic intelligendum puto, quando a fluctuatione et agitatione stabilita est atque firmata, sedatis bellis, quibus prius conentiebatur.“

1. De אִיִּים vid. not. ad 72, 10.

2. עָנָן וַעֲרָפֶל סְבִיבָיו *Nubes et caligo circa eum*, *ἐν διὰ δυοῖν*, nubibus caliginosis ab omnibus partibus circumfunditur, harum satellitio stipatur majestas ejus. Talis *εἰδωλοποιΐα* de densis nubibus, inter quas de coelo descenderit Deus, est et 18, 10. De verbis, quae proxime sequuntur, vid. ad Ps. 89, 15.

3. Antecedit eum flamma vastatrix, quae grassatur in hostes ipsius circumeirea, ut incendat et consumat eos. Huic simile est Ps. 18, 9.; etiam 29, 7. et saepe alias ab igne et fulmine, tonitru et tempestatibus demonstratur potentia Dei. Fulmina atque tonitrua tanquam antecursores et antesignani sistuntur Jovae expeditionem suscipientis.

6. הִגִּידוּ הַשָּׁמַיִם צִדְקוֹ *Annunciant coeli justitiam ejus*. *Coelis* alii intelligunt *coelites*, divinae justitiae praecones; alii significari hoc putant: justitia ejus opplet omnem rerum universitatem, coelum et terram; sicut hyperbole poetica: *fama super aethera notus*, et: *sublimi feriam vertice sidera.*

7. Pudeat ergo perversitatis suae omnes, qui idolis serviunt, qui sculptas imagines, res fictas et nihili, colant. De הֶבֶל vid. ad 34, 3.

8. Haec cum audit Zion dici de Deo suo et adventu ejus, laetatur hoc nuntio, et omnes terrae Judaicae urbes exsultant gaudio. De בְּנוֹת יְהוּדָה vid. ad 48, 12. Laetantur לְמַעַן מִשְׁפָּטֶיךָ *propter judicia tua*, i. e. amplitudine et justitia regni tui. *Judicia* pro *regno*, cf. ad 96, 13.

9. *Quia tu, Jova, excelsus es super universam terram,* מְאֹד נַעֲלֵיתָ *plurimum exaltatus es* (cf. 47, 10.) *super omnes Deos.*

10. אֹהֲבֵי יְהוָה שִׂנְאוּ־רָע Vos, *qui diligitis Jovam, odisse velitis pravum*, i. e. fugite deorum falsorum cultum; hoc enim peccatum, hanc impietatem h. l. generali mentione *pravi* indicari, cum ex Versu 7., tum vero ex toto argumento Psalmi cognoscitur. Apostrophe in oppositione ad cultores idolorum Vs. 7.

11. *Lux sata est justo, et rectis corde laetitia* sc. sata est, i. e. pios manet felicitas, rectosque et probos gaudium et laetitia. Quod in altero hemistichio שִׂמְחָה, idem in priore אוֹר vocatur, quo *res secundas* notari, vix monitu opus, vid. Esth. 8, 16. Ps. 112, 4. Jes. 59, 9. Alii *lumen* accipiunt h. l. de sereno vultu Dei, qui est gratiae et benignitatis ejus, quomodo et consequentur haec apte ad praecedentia, in quibus promisit piis defensionem adversus impios et liberationem a Deo. זָרֻעַ *Satum*, h. l. destinatum, paratum indicare videtur. Alii: *lux dispersa est justis*, quod *spargere* etiam de *radiis luminis* diei possit. Alexandrinus reddidit φῶς ἀνέτειλε, quod ipsum Vulgatus, Arabs et Syrus sequuti sunt. זָרֻעַ sumsit pro זָרֻחַ, quum literae homogeneae ע et ח pronunciando et audiendo facile inter se commutari potuerint.

Ps. 98.

Et hic Psalmus Jovam ut regem omnibus gentibus adorandum celebrat. Tanta est similitudo et sententiarum et elaborationis, et eorundem verborum etiam ex uno in alterum transcriptio et repetitio in his Psalmis aliquot, ut quod de unius argumento et occasione dicitur, aeque ad omnes videatur referendum. Ideo et hunc initiis et consecrationi templi secundi factum esse censemus.

1. הוֹשִׁיעָה־לּוֹ יְמִינוֹ וּזְרוֹעַ קָדְשׁוֹ *Salutem ipsi praestitit dextera sua et brachium suum sanctum*, dextera potente sola sua, suo solo brachio, non ullius alterius ope, salutem sibi peperit. Sibi autem salutem aliter non parit Deus, quam vincendo hostes suos et populi sui, qui sunt simul et ipsius hostes.

3. Ostendit se non esse oblitum affectionis benignae et misericordiae suae erga domum Israelicam, et qua gratia et fide eam complectatur.

7. יִרְעַם הַיָּם *Fremat mare*, marc assonet et admurmuret congratulando, et quicquid in hoc vitam degit, haec enim est מְלֹאוֹ *plenitudo ejus*, cf. 96, 11.

8. Quemadmodum 96, 12. *exultat ager et canunt arbores*, ita hic flumina exhortatur, ut יִמְחֲאוּ־כָף *ut applaudant manibus*, ad hominum exemplum, regibus recens creatis plaudentium, vid. 2 Reg. 11, 12. Cum nomine feminino נְהָרוֹת conjungitur verbum masculinum per Archaismum. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 716.

Ps. 99.

Celebratur et in hoc Psalmo, ut in superioribus, potentia Dei Israelici et Zionici, tum vero etiam justitia et misericordia ejus, quam praestet et praestiterit populo suo, quod semper preces ejus audiverit, et inter poenas etiam misericordiae tamen suae non consueverit oblivisci. Sunt, qui propter ea, quae leguntur a Versu 6. usque ad finem, difficilibus temporibus populi Psalmum factum putent, et exhortationem ad preces fieri eas, quibus petant se liberari. Nos tamen, propter similitudinem, quam habet cum Psalmo 96., et ceteris ejus generis, nihil de hoc faciendum censemus ab illis diversum, et referimus hunc etiam Psalmum inter eos, qui consecrationi templi secundi, et arcae in hoc introductioni, facti sunt. Neque vero caruerunt illa etiam laetitiae tempora suis difficultatibus, quare nec his aliena est illa ad preces exhortatio.

1. יְהוָה מָלָךְ יִרְגְּזוּ עַמִּים *Jova regnat*, hic rex est gloriosissimus et potentissimus noster, *contremiscant* ad majestatem ejus *gentes* omnes; hic rex יֹשֵׁב כְּרוּבִים *Cherubim* insidet et *invehitur*. Deus per aëra Cherubinis invehi dicitur, ubi potentia et majestas ejus describitur, vid. 18, 11. 80, 2.

2. וְרָם הוּא עַל־כָּל־הָעַמִּים *Et excelsus est super omnes populos*, omnes populos potentia et majestas ejus sibi subjectos habet.

3. „Verba קָדוֹשׁ הוּא *sanctus est*, Versu quinto et nono repetita, interloquutio sunt alterius chori. Quod ex initio Versus quarti apparet, in quo וְעֹז מֶלֶךְ pendet a verbo יוֹדוּ hujus Versus.“ Dathe.

4. וְעֹז מֶלֶךְ מִשְׁפָּט אָהֵב *Et robur*, i. e. potentiam *regis* sc. יוֹדוּ (ex Vs. 3. repetendum) *celebrent*, *jus diligentis*, cujus potentia nihil habet violenti. Dicitur hoc: hic idem rex et potentissimus est, et simul etiam justissimus et clementissimus: hic Deus est terribilis aliis, sed populo suo gratiosissimus et benignissimus. אַתָּה כוֹנַנְתָּ מֵישָׁרִים *Tu aequitatem constituis*; rectum justumque imperium usurpas constanter.

5. הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדֹם רַגְלָיו *Adorate ad scabellum pedum ejus*, i. e. convertite vos venerabundi versus locum arcae ejus (quae ipsa et 132, 7. Thr. 2, 1. 1 Chr. 28, 2. eo nomine indicari videtur), i. q. infra Vs. 9. הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר קָדְשׁוֹ, et 138, 2. אֶשְׁתַּחֲוֶה אֶל־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ. Quare et h. l. Chaldaeus sic reddidit: *procumbite ad domum Sanctuarii ejus*. Nihil tamen prohibet, hoc simpliciter de regio solio Dei, per εἰδωλοποιΐαν poeticam, intelligere.

6. *Moses et Aaron* בְּכֹהֲנָיו *in sacerdotibus ejus et Samuel* בְּקֹרְאֵי שְׁמוֹ *in invocantibus nomen ejus* (quod vulgo sic explicant: sacerdotes et invocatores Dei maxime fideles et eminentes), *inclamabunt eum, ipseque respondit eis*, exaudivit eos. Praepositionem ב ante כֹּהֲנָיו et קֹרְאֵי inservire volunt h. l. periphrasi superlativi, ut Ps. 94, 8., ubi not. cf. Rectius tamen praefixo ב h. l. simpliciter Nominativum exprimi statuitur, hoc modo: *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus*, i. e. *sacerdos ejus, et Samuel in invocantibus eum*, i. e. invocans eum, *clamabant ad Jovam* etc., quemadmodum 54, 6. dicitur אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי *Dominus est in sustentantibus me*, i. e. sustentans me. Vid. ibid. not. Quaerunt, quomodo Moses hic inter sacerdotes referatur, quum tamen illum sacerdotis munere numquam functum esse constet. Bene vero Aug. Pfeiffer in *Dubiis Vexatis* ad h. l. p. 622. observavit, uti altera periphrasis בְּקֹרְאֵי־שְׁמוֹ ad solum Samuelem spectat, cui additur, ita priorem illam de *sacerdotibus* ad solum pertinere Aaronem, cui adjecta est; Mosen vero praepositum esse sine periphrasi et absolute, utpote alias eminentissimum. Possumus autem haec, quod ad *συνεπείαν* attinet, sic concinnare, ut hic sextus Versus non dependeat a praecedente quinto, qui est tanquam intercalaris Versus, sicut et in fine repetitur, sed sit novum caput in commemoratione beneficiorum Dei, quae populo contulerit. Igitur sic continuabitur cum praecedentibus, ut interserantur hujus sententiae verba: ostendit et in precibus populi audiendis bonitatem et misericordiam suam.

7. בְּעַמּוּד עָנָן יְדַבֵּר אֲלֵיהֶם *In columna ignis* loquutus *est ad eos*, sc. Israelitas suos per Mosen. Columnari nube non tantum duxit populum Israeliticum in solitudine deserta; sed etiam Deus ipse, eadem specie, demisit se in tabernaculum, et hac ibi se conspiciendum populo praebuit, et cum Mose in hac imagine ibidem loquutus est, ut diserte scribitur Exod. 33, 9. Sylleptice autem אֲלֵיהֶם esse interpretandum, res ipsa docet. Nam ex columna neque ad populum, neque ad Aaronem loquutus est Deus, ad Samuelem multo minus, qui illis temporibus nullus adhuc fuit, quum in solitudine illa tantum hanc ostenderit populo; sed cum Mose solo, et per Mosen cum populo loquutus est. Cf. et Ex. 25, 22. 29, 42. Num. 7, 89. Nam etiamsi אֲלֵיהֶם ad קֹרְאֵי־שְׁמוֹ Vs. 6. subjicitur, *γενικῶς* referendo; sic tamen etiam non potest res ad alios, quam ad Mosen referri; cum Samuele enim Deus loquutus est quidem, sed non de columna, et per visa tantum, aut Urim etiam et Thummim. שָׁמְרוּ עֵדְתָיו וְחֹק נָתַן־לָמוֹ *Servabant foedus ejus, et statuta*, quae *dedit eis*, servabant religiose, quae sanxerat et mandaverat. Hoc alii dictum putant de Mose, Aarone et Samuele, alii non solum de tribus hisce viris, verum etiam de fidelibus invocatoribus in populo universis, illorum virorum temporibus, quod verum puto.

8. יְהוָה אֱלֹהֵינוּ אַתָּה עֲנִיתָם *Jova, Deus noster, tu exaudiebas eos*, illos fides tuos, qui te invocarunt, vid. ad Vs. praeced. אֵל נֹשֵׂא וגו׳ *Deus condonans eis fuisti et ulciscens in facta eorum*, sc. etiam si peccata eorum ulciscebaris. Sensus: parcebas eis, etiam quando culpam et peccata eorum ulciscebaris animadversione tua, temperando nimirum justitiam misericordia.

Ps. 100.

Exhortatur populum, ut conveniat in Zionio ad Deum adorandum et celebrandum. Etsi hebraeus titulus, מִזְמוֹר לְתוֹדָה, *laudatorium* facit hunc Psalmum, et gratiarum actionem (nam תּוֹדָה *confessio*, celebrationem etiam et gratiarum actionem significat, ut Vs. 4. 95, 2.), invitatio tamen potius est, et conclamatio ad celebrandum, quod in Zionio praestetur, quam celebratio, aut gratiarum actio ipsa, quales sunt in aliis Psalmis. Quia vero nomen תּוֹדָה etiam *sacrificium gratiarum actionis* significat (ut Lev. 7, 2. Jer. 17, 26. Ps. 56, 13.); sunt, qui hebraeam inscriptionem de sacrificio illo interpretentur, ad quod hunc Psalmum accinuerint. Ita Chaldaeus, qui *Psalmus pro sacrificio eucharistico* reddidit. Mihi vero tales inscriptiones et interpretationes non de occasione, qua poeta Psalmum fecerit, testari, neque argumentum indicare videntur, sed de usu tantum docere, ad quem posteritas eos Psalmos adhibuerit.

2. עִבְדוּ אֶת־יְהוָה בְּשִׂמְחָה *Colite Jovam cum laetitia*, i. e. praestate Jovae ministerium cultus vestri alacres et cum laetitia.

3. הוּא עָשָׂנוּ וְלוֹ אֲנַחְנוּ *Ipse fecit nos*, i. e. populum et rem publicam nos constituit (quomodo haec phrasis Deut. 32, 6. 15. usurpatur, et Jes. 29, 23. Israeliticus populus מַעֲשֵׂה *opus manuum Jovae* vocatur) *et ipsi*, s. *ipsius igitur sumus*, quod mox clarius explicat, dum addit: עַמּוֹ וְצֹאן מַרְעִיתוֹ, ut supra 95, 7. Quod pro לוֹ in textu legitur, לֹא, ejusdem voculae diversa tantummodo scribendi ratio est, qualis et Lev. 11, 21. 25, 30. Jes. 9, 2. observatur, quibus locis itidem לוֹ *ei*, in textu לֹא scriptum est. Ita promiscue scribitur פֹּא et פּוֹ *hic*, Job. 38, 11. Ez. 40, 10. 12., nec non אֶפֹא et אֶפוֹ *ubinam?* Gen. 27, 33. 43, 11. Job. 9, 24. 17, 15. Qui illud לֹא nostro loco pro negandi particula *non* accipiunt, frustra laborant, ut tolerabilem nostrorum verborum sensum exsculpent. Eorum alii: *ille fecit nos*, *non ipsi nos*, i. e. ipse fecit nos populum suum, nos ipsi non perfecimus hoc. Alii, auctore Jarchio: *ipse Deus nos fecit*, elegit, *dum adhuc non eramus*. Ex veteribus soli Chaldaeus et Hieronymus recte verba nostra interpretati sunt. Reliqui autem veteres, Alexandrinum (*καὶ οὐχ' ἡμεῖς*) sequuti, לֹא pro negandi particula male habuerunt.

Ps. 101.

Profitetur Davides primum, qualem se praestare velit regem populo, et deinde, qualem praestiturus sit familiam suam et subjectos etiam ditioni suae universos: ita se administraturum pollicetur regnum, ut nemini faciat injuriam, et foveat bonos, eisque benefaciat, repellat vero a se, et expellat impios. Carmen a Davide editum esse, statim atque regni duodecim tribuum administrationem auspicatus est, colligitur ex Versu 8., ubi exstirpaturum se ait ex *urbe Jovae*, per quam Hierosolymitana urbs videtur intelligenda, scelerates omnes. Illam vero urbem tum demum obtinuit Davides, postquam ei omnes tribus ex communi sententia regnum detulissent, 2 Sam. 5.

1. Primus hic Versus *πρόθεσις* totius Psalmi videtur, quae argumentum ejus proponat, ut sit sicut illud: *Aetna mihi carmen erit;* et: *Arma virumque cano.* Ita sententia talis erit: de recta et justa regni mei administratione canam, et hoc carmen tibi, Jova, pangam tibique haec voveo. חֶסֶד־וּמִשְׁפָּט indicabit, quomodo erga bonos, quomodo erga malos sese sit praestiturus, quae illis clementiae gratia, quae his poenae, a juris et judiciorum severitate, debeantur.

2. אַשְׂכִּילָה בְּדֶרֶךְ תָּמִים *Prudenter agam*, s. animum advertam *in via* s. *ad viam integrum* (ut 18, 33.), vel, ut alii, *ad viam integri*, coll. Prov. 2, 20. Gen. 17, 1. Prudentiam usurpabo necessariam, ut vitam degam cautam atque inculpatam. Verba מָתַי תָּבוֹא אֵלָי varie exercent interpretes. Aliqui ea sic transferunt: *quando*, quaeso, *venies ad me?* i. e. quando opem feres, ut recte et prudenter agere possim? Nimirum *venire Deum ad aliquem* dicunt tum, quum peculiari beneficio et documento gratiae se alicui quasi intuendum praebet, quando opem suam ei summittit, coll. Ex. 20, 21. Alii vero opem Dei ad regnum Davidi promissum referunt, atque particulam מָתַי non pro *interrogandi*, sed simpliciter pro temporis particula accipiunt, ut Davides profitcatur, quid facturus sit, *quum Deus ad ipsum venerit*, i. e. ad regnum eum evexerit. Mihi quidem simplicissimum videtur, particula מָתַי non interrogative accepta, haec verba: *quando ad me venies*, *πρότασιν* facere, hac integri Versus sententia: omni conatu hoc agam, ut praestem me integrum et inculpatum; *quando ad me venies, ambulabo in cordis mei integritate intra domum meam*, i. e. ut, quando ad me venies, visendi causa, qualis ego sim, et quo loco sint mea, reperias me talem sc. integrum et inculpatum; quasi dicat: ante oculos tuos ita versabor, ut numquam non reperiar talis. Ceterum מָתַי eadem, qua hic, ratione occurrit Prov. 23, 35. *quando expergiscar, denuo illud quaeram.* בְּקֶרֶב בֵּיתִי *In familia mea*, i. e. domi, q. d. publice privatimque.

3. Dixit, qualem se praestare velit; nunc deinceps de familia et populo promittit et profitetur, quales hos praestare velit.

לֹא־אָשִׁית לְנֶגֶד עֵינָי *Non ponam ante oculos meos*, non proponam mihi, ut finem, aut exemplar aliquot imitandum דְּבַר־בְּלִיָּעַל *res et factum malum*, vid. ad 18, 5. — עֲשֹׂה־סֵטִים שָׂנֵאתִי *Facere declinantium odi*, facinorosorum facinora impia odi. עֲשֹׂה *Facere*, Infinitivus nominascens, ut apud Latinos: *scire tuum nihil* est. Cf. Prov. 21, 3. Coh. 12, 12. — סֵטִים *Declinantium* a via integra, Vs. 2.; vel, quia nomen post talem Infinitivum non subjective, sed objective accipi solet: *facere declinationes*. Nomen praeter hunc locum semel tantummodo, Hos. 5, 2. occurrit, ubi tamen שָׂטִים scribitur. Cf. cognata nomina Num. 5, 19. Ps. 40, 5. — לֹא יִדְבַּק בִּי *Non adhaerebit mihi* sc. quod praecessit: *facere declinationes*, i. e. nihil haerebit in me facinorum illorum, non communicabo mecum horum quicquam. Sed qui סֵטִים *declinantes* transferunt, sic accipiunt: *non adhaerebit mihi* declinantium quisquam, non patiar facinorosos mecum esse.

4. Discedere a me jubeo, excludo ab omni usu mecum, qui est animo perverso et pravo. רַע לֹא אֵדָע *Malum non agnoscam*, i. e. nec malum hominem inter notos et amicos habiturus sum, cf. Jes. 58, 3. Ps. 1, 7. et ibi not.

5. מְלָשְׁנִי בַסֵּתֶר רֵעֵהוּ *Lingua proscindentem in occulto proximum suum.* Hebraeum לָשַׁן i. q. Arabicum لسن *incessivit, et proscidit lingua.* Chaldaeus: *loquentem lingua tertia* reddidit, qua formula Chaldaei *delatorem* significare solent. מְלָשְׁנִי juxta literas s. Chetibh est מְלוֹשְׁנִי, Participium Pihel, מְלוֹשֵׁן, ad formam מְשׁוֹפֵט Job. 9, 15., adhibito Cholem pro vocali brevi (Patach sub ל) et Dageseh; juxta puncta autem, s. Keri, Patach et Dagesch contracta sunt in Camez, pro מְלַשְּׁנִי. *Jod* in fine paragogicum est, ut in אֹסְרִי *ligans*, Gen. 49, 11. et חַמַּגְבִּיהִי *exaltans*, Ps. 113, 5. Vid. et 123, 1. — אוֹתוֹ אַצְמִית *Eum exterminabo*, poenis debitis perdam. גְּבַהּ־עֵינַיִם *Altum* s. *elatum oculis*, i. e. fastuosum et supercciliosum. Cf. Ps. 18, 28. Prov. 6, 17. 16, 5. 18. Coh. 7, 8. — וּרְחַב לֵבָב *Et latum corde*, i. e. insolentem et ambitiosum, neque ullis modestiae finibus et praescripto contentum, cf. Prov. 21, 4. 28, 25. אֹתוֹ לֹא אוּכַל *Eum non possum*, subaudi שְׂאֵת *ferre* (vid. ad Ps. 21, 12.), cum non sustinebo. Alexandrinus verba hebraea sic videtur pronunciasse: אֹתוֹ לֹא אוּכַל, transtulit enim: *τούτῳ οὐ συνήσθιον*, *cum hoc non edebam*, ut Vulgatus reddidit, quod et Syrus sequutus est. Chaldaeus: *cum eo non habitabo in mundo.*

6. עֵינַי *Oculi mei* sc. intenti sunt, circumspiciunt, cf. 34, 16. 66, 7. — בְּנֶאֱמְנֵי־אֶרֶץ *In fideles terrae*, in eos qui spectatae sunt fidei. Loquutio quasi superlativa, qualis רְגְעֵי־אֶרֶץ 35, 20., ubi not. vid. לָשֶׁבֶת עִמָּדִי *Ad habitandum mecum*, i. e. ut sedeant mecum ministri, aut consilii adsessores, coll. 113, 8. Sensus: circumspicio homines fidelissimos et veracissimos, ut tales mecum habeam, et in consessu consilii mei. הֹלֵךְ בְּדֶרֶךְ תָּמִים הוּא יְשָׁרְתֵנִי *Ambulans in via integra*, qui integrae est vitae, *is ministrabit*

mihi; non servilia ministeria, sed curationes politicas significari, res ipsa docet. Qui vitam degunt honestam et innocentem, ex iis gubernationis ministros mihi deligo, tales curabunt in regno mihi.

7. *Non sedebit in medio domi meae faciens fraudem; qui mendacia loquitur, non consistet coram oculis meis.* Genus subdolum et mendax, qui fraudes struunt et dolos, verbis et factis, tales non patiar locum reperire in familia mea, non patiar eos apud me sedem figere. Interpretantur enim ultima Versus nostri verba plerique: *non stabilietur coram oculis meis*, i. e. stabilem sedem non reperiet apud me, non aget radices in domo mea, etiamsi forte in familiam irrepserit. Alii verbo כּוּן *stabiliri*, *prosperari* intelligi existimant, ut sit: non succedet ei res, non crescet aut fortunabitur apud me, non promovebuntur a me res ejus. Chaldaeus: *non erit ei facultas comparandi coram oculis meis.*

8. לַבְּקָרִים *Singulis matutinis* (ל est distributivum, vid. ad 73, 14.), i. e. singulis diebus, assidue, quod alias כָּל־הַיּוֹם, veluti 102, 9. — מֵעִיר יְהוָה Chaldaeus recte *ex Hierosolyma*, *urbe Jovae*, reddidit. Cf. not. ad 46, 5. Alii collective pro עָרֵי יְהוָה *urbibus Jovae*, i. e. Israeliticis, cf. 2 Sam. 10, 12., accipiunt. Sensus: magno studio exstirpabo facinorosos et sceleratos omnes, ne civitas Jovae sacra, ejusque sedes, quicquam habeat talium hominum.

Ps. 102.

Populi Babylone captivi preces hoc Psalmo continentur, primo deplorantis suas aerumnas, deinde optantis et precantis, ut Jova tandem placatus Sionem restituat, et captivos liberet, ut gloria ejus celebretur. Carmen vel sub exilii finem, vel primo post reversionem tempore, et inter initia instaurationis, editum.

1. Inscriptio carminis. תְּפִלָּה לְעָנִי *Preces adflicti*, s. *miseri*, ל nota Genitivi, ut in formula מִזְמוֹר לְדָוִד. Sunt, qui transferant: *preces pro adflicto*, existimentque, hunc Psalmum ut precum formulam quandam praescriptam populo in exilio, a prophcta quodam inter conceptivos, qua uterentur pii intercxsules, quando angerentur desiderio liberationis, quod, ut fieri solet, tanto gravius eis factum est, qua proprior fuit terminus promissus. *Afflicto*, עָנִי, populum Israeliticum exilii miseriis adflictum intelligendum esse, recte monuit Kimchi. Monendum omnino, sicut in omnibus Psalmis posteriorum temporum, ita in hoc etiam, per enallagen personarum, de toto populo, ut de uno homine, verba fieri. כִּי־יַעֲטֹף *Quando tristitia obruitur*, vid. de hoc verbo not. ad 61, 3. — וְלִפְנֵי יְהוָה יִשְׁפֹּךְ שִׂיחוֹ *Et coram Jova effundit sollicitudinem*, s. querelam *suam*. De שִׂיחַ vid. not. ad 55, 3. De formula שָׁפַךְ נֶפֶשׁ vid. ad 42, 5.

3. אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ מִמֶּנִּי Cf. not. ad 22, 25. — בְּיוֹם צַר לִי *Die*, tempore, quo *angustia* est *mihi*, ellipsis relativi, ut 59, 17., et hemistichio proximo.

4. כִּי־כָלוּ בָעָשָׁן יָמָי *Nam consumti sunt fumi instar*, qui a vento dissipatus, disparet, et nullum vestigium relinquit, *dies* vitae *meae*. Pro בָּעָשָׁן legunt et hic codices plures כְּעָשָׁן, ut Ps. 37, 20., ubi cf. not. In altero hemistichio ambigitur de nomine מוֹקֵד, quod alii *materiam ignis*, s. *lignum igne adustum* interpretantur, Alexandrino auctore, qui φρύγιον reddidit, quod Vulgatus *cremium* reddidit; alii vero, post Kimchium, *focum*, (coll. feminino מוֹקָדָה, Lev. 6, 2.), quod si sumas, de *lapidibus foci* intelligendum erit, qui, quod perpetuo uruntur, ita consumuntur. Vel intelliguntur *lateres*, qui sunt et ipsi coctione usti, et quasi tosta saxa (ut hic idem dicatur, quod Ps. 22, 16. יָבֵשׁ כַּחֶרֶשׂ כֹּחִי). *Ossa mea*, עַצְמוֹתַי, i. e. vigor, et robur corporis mei universum, ut Ps. 31, 11. 51, 10.

5. הוּכָּה כָעֵשֶׂב וַיִּבַשׁ לִבִּי *Percussum est* sc. aestu solis (de quo verbum נָכָה *laesit*, *percussit*, et Jon. 4, 8. Hos. 9, 16. Ps. 121, 6. dicitur) *velut herba*, *et exaruit cor meum*, i. e. qualis herba sole adusta, sic ego miser aerumna contabui. *Percussum est cor meum*, pro: ego sum percussus. כִּי שָׁכַחְתִּי מֵאֲכֹל לַחְמִי *Nam* adeo moestus et infirmus sum, ut *oblitus sim* et per oblivionem desierim *a comedendo panem meum*, id quod evenire solet insigni animi perturbatione et tristitia perculsis, cf. 1 Sam. 1, 7. 8. 20, 34. 1 Reg. 21, 4. Dan. 6, 19. Job. 33, 20.

6. מִקּוֹל אַנְחָתִי דָּבְקָה עַצְמִי לִבְשָׂרִי *A voce gemitus mei*, a dolore, in gravissimos et clamosos gemitus erumpente, *adhaeret os meum cuti meae*, nam בָּשָׂר non solum *carnem*, verum et *cutem exteriorem* significat. Sic Plautus: *pellis et ossa sum macritudine*, carne scilicet interjecta consumta.

7. De קָאַת et כּוֹס vid. Bochartı *Hieroz.* T. III. p. 14. sqq. et 40. sqq., et not. ad Lev. 11, 17. 18. Verisimillima est *onocrotali* et *noctuae* s. *bubonis* interpretatio, quarum avium voces ejulatui similiores sunt, quam cantui. Et quemadmodum noctua Arabibus *mater ruderum* dicitur, ita et h. l. כּוֹס חֳרָבוֹת habetur, quod inter rudera et in solitudine degit. Sensus est: ejulando factus sum sicut una ex avibus, quae solitudines incolit; sicut onocrotalus aut bubo, nihil sono non triste et funestum.

8. שָׁקַדְתִּי *Vigilavi*, i. e. ita me curae et aerumnae exagitant, ut somnum capere non possim, numquam dormio. Verba וָאֶהְיֶה כְּצִפּוֹר בּוֹדֵד Hieronymus recte transtulit: *fui sicut avis solitaria*, etenim צִפּוֹר h. l. non *passerem* significat, sed *avem* in genere (cf. Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 721.). Et recte monuit Bochartus (p. 730.), intelligendam esse avem noctumam, veluti *noctuam*, vel *bubonem*. Eo enim primum pertinet, quod noctem insomnem se agere noster dicit; nocturnis vero avibus et lucifugis vigilias fere perpetuas tribuunt omnes scriptores. Deinde *avis solitaria* merito dicitur *bubo*, vel noctua, quia in desertis locis degit, ut Versu praecedente dictum. Sed et ideo bubo vocatur *avis solitaria*, quia

gregale non est animal, sed solivagum. Unde Virgil. *Aen.* 4, 462. *Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri, et longas in fletum ducere voces.* Cum quo Virgiliano loco noster etiam in eo convenit, quod solitariam suam avem Psaltes עַל־גָּג *supra tectum*, describit. Quamvis enim bubones et noctuae in desertis locis nidificent; noctu tamen ad urbes et ad loca culta nonnumquam se conferre, et ex aedium tectis et culminibus ferale suum carmen occentare, in more habent. Hinc Ovid. in *Ibin* Vs. 223. *Sed in adverso nocturnus culmine bubo.* Et Virgil. *Georgicc.* 1, 403. — — *de culmine summo Nequicquam seros exercet noctua cantus.* Pro בּוֹדֵד in codd. quibusdam Kennicotti et de Rossii נוֹדֵד *vagabunda*, reperitur. Quod ipsum et Syrus expressit: *sicut avis, quae volat super tecto.* Utramque lectionem combinavit Chaldaeus: *sicut avis, quae volat et vagatur solitaria.* Sed בּוֹדֵד requirit Masora impressa ad Jes. 14, 31. et Hos. 8, 9.

9. מְהוֹלָלַי *Insanientes in me*, insano modo mihi insultantes. Suffixum resolvi potest subaudita praepositione, ut 18, 40. קָמַי *insurgentes contra me.* בִּי נִשְׁבָּעוּ *Per me jurant*, dicendo: accidat mihi, quod Judaeis, si fallo. Sensus: a meis miseriis argumenta et exempla sumunt, si quid mali imprecari volunt, vel sibi, ut jurantes, vel alteri, ut maledicentes; exccrationum formula sum. Cf. Jes. 65, 15. Jer. 29, 22.

10. כִּי־אֵפֶר כַּלֶּחֶם אָכָלְתִּי *Nam cinerem instar panis manducavi*, i. e. luctus quippe pro victu mihi est. *Cinis* pro luctu, qui inter cineres, et in sacci veste et squalore in terra procumbentium usurpabatur, cf. 2 Sam. 13, 19. Jes. 65, 25. Ez. 27, 30. Job. 2, 8. 42, 6. Hoc igitur, dicit, est nunc cibus meus; nam cinere pro pane uti nemo potest. Ita autem hoc accipere, quod panem de cinere immundum comederint, mihi quidem minus videtur consentaneum. Sicut enim Ps. 42, 4. dicitur: *lachrymae mihi panis* s. cibus *sunt* (ad quem loc. not. cf.), ita haec etiam h. l. accipienda. Codd. aliquot בְּלֶחֶם *cum pane*, s. *pro pane*, exhibent.

11. Idque mihi evenit מִפְּנֵי־זַעְמֶךָ *propter indignationem tuam.* Verba נְשָׂאתַנִי וַתַּשְׁלִיכֵנִי *extulisti me et projecisti me*, duplici sententia accipiunt et interpretantur; primum de sublatione, quae fit inflictionis causa, hoc modo: quemadmodum qui vult rem aliquam majore cum impetu deorsum in terram projicere, illam prius in altum attollit, sic tu me sublimem extulisti, ut vi majore, et ex alto praecipitem dares. Extulisti me ad summum dignitatis et felicitatis fastigium, nunc vero in extremas miserias dejecisti. Cf. Thr. 2, 1. Secunda sententia est, verba sic esse accipienda: in ira tua velut turbine *sustulisti me* (Jes. 64, 5. Ez. 3, 14. Job. 27, 21.), *et projecisti*, similitudine desumta a vento rapido, qui obvia quaevis, etiam homines, abripit, tollit, et perdit.

12. יָמַי כְּצֵל נָטוּי *Dies mei sicut umbra extensa*, s. *inclinata*, quae scilicet sub vesperam continuo fit major et tenebris

propinquior, mox etiam evanida, discedente sole, cf. Jud. 19, 8. Jer. 6, 4. Ps. 109, 23.

13. וְאַתָּה יְהוָה לְעוֹלָם תֵּשֵׁב *Tu vero, Jova, in aeternum sedebis*, i. e. tui similis manes, et constans in aeternum miserando, etenim de misericordiae aeternitate, non essentiae Dei, ut Ps. 90., haec capienda esse, docet Versus, qui proxime sequitur. וְזִכְרְךָ לְדֹר וָדֹר *Et memoria tua per omnes generationes*, memor es foederis tui et promissionum tuarum in perpetuum. Pro זכרך in nonnullis codd. כִּסְאֲךָ *thronus tuus*, legitur, quod ipsum et Aben-Esra in suo codice reperit. Sed observavit jam Kimchi, mendum hoc esse, natum ex confusione nostri Versus cum simili Thr. 5, 19. Et זִכְרְךָ veteres omnes exprimunt.

14. Tu ergo exsurges tandem, quod certissime spero futurum, et misereberis Zionis, quando (כִּי) tempus miserendi advenerit. Alii: tempus *enim* adest miserationis promissae, venit tempus, quod tu praefiniisti, quo subvenias Zioni. Et certe *causalis* particulae כִּי significatio ob ea, quae sequuntur, praeferenda videtur. *Tempus praefinitum* s. *promissum*, מוֹעֵד, sc. a prophetis, maxime autem a Jeremia, 25, 11. 12. 29, 10.

15. כִּי־רָצוּ עֲבָדֶיךָ אֶת־אֲבָנֶיהָ *Nam volunt servi tui lapides ejus* (Zionis). Quidam *servos* intelligunt Cyrum et Darium, ut sensus sit hic: adest tempus Zionis restaurandae (Vs. 14.), nam quos ad hanc rem perficiendam tibi delegisti ministros, bene cupiunt illius ruinis. Usui tamen loquendi magis est consentaneum, *servis* s. *cultoribus Jovae* populum Israeliticum intelligere, qui, etsi deploret rudera Zionica, et lugeat moles vastas ejus, delectatur tamen iis saxis, quibus haec aliquando constitit, cujus ruinae ipsi sacrae sunt. וְאֶת־עֲפָרָהּ יְחֹנֵנוּ *Et pulveris ejus*, i. e. quod in ruinis illa jacent, *miserentur*. עָפָר, *pulverem* Zionis, aliqui solum ejus interpretantur, sed rectius alii *rudera* ejus significari censent, de quibus illud nomen et Neh. 3, 34. 4, 4. usurpatur; qua ratione etiam Seneca ait in Troade: *arx illa pollens oribus et muris Deûm, nunc pulvis altus.* Item Horatius de Troja: *Ilion fatalis incestusque judex et mulier peregrina vertit in pulverem.*

16. Tunc, quum Jova non praestabit, ut Zion instauretur (Vs. 17.), gentes exterae, et omnes reges terrae ejus gloriam submisse colent.

18. Hic Versus de Versu 16. pendere videtur: omnes reges terrae venerabuntur Jovam, quod respexerit ad preces etc. עַרְעָר, praeter hunc locum semel tantummodo, Jer. 17, 6. obvium, a verbo עָרַר, ejusdem cum עָרָה *nudavit*, significationis, *nudatissimum*, i. e. omni auxilio destitutum denotat. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 453. Quod ipsum Chaldaeus spectasse videtur, qui *desolatorum*, nec non Syrus, qui *pauperum* transtulit. Alexandrinus sensu generaliori

ταπεινούς reddidit. Jarchius *vociferantem*, *clamantem* explicat, ex significatione verbi יְעוֹעֲרוּ *vociferantur*, Jes. 15, 5. Alii עַרְעָר *moribundum* interpretantur ex Arabico ערער *reciprocare spiritum in gutture instar moribundi*. Cf. not. ad Jer. 17, 6. Magis proprie haec sententia exprimitur per בני־המונה Vs. 21.

19. Quae res postea literis mandabitur, atque ita memoria haec ad posteritatem propagabitur. Argumentando persuadere conatur Deo, ut impetret, quod petit. In altero hemistichio עַם נִבְרָא *populus creatus*, non est *recreatus*, ut aliqui volunt, sed: qui tum erit, et exstabit creatus, s. populus, qui successurus est aetati illi, qui adhuc nascendus est, i. q. דּוֹר אַחֲרוֹן, quod praecedit. Ita Chaldaeus: *populus qui in futurum creandus est.*

21. בְּנֵי תְמוּתָה *Morti destinati* (cf. 79, 11.), non a Deo, sed ab hominibus, i. e. qui numquam putabantur se recollecturi, ut fierent populus, atque etiam, ut servi, jam essent in manu hostium, qui de ipsis facere possent, quod vellent.

23. Tum, quando magno numero convenient Hierosolymis populi, et reges et regna multa, ad communem cultum serviendi Jovae.

24. דַּרְכּוֹ *Viam*, aliqui de variis exilii migrationibus interpretantur, Chaldaeo auctore, qui reddidit: *afflicta est a labore itineris exilii vis mea, abbreviati sunt dies mei.* Quod sequutus Aben-Esra: „poeta hoc dixit sub persona piorum, qui exules erunt in terra longius remota, quum venerit tempus salutis, quod morituri videantur in via, antequam Hierosolymam veniant. *Afflixit* sc. hostis *per viam virtutem meam*, i. e. itineris longitudine et vexatione demigrandi, diversaque loca et regiones commutandi; itaque accisis viribus absumtisque diebus vereor, ne me prius vita deserat, quam salutis et liberationis tempus adveniat.“ Magis consentaneum tamen videtur, *viam* h. l. de cursu vitae accipere, et nomen ad עַנָּה *Deum* intelligere, hoc sensu: exercet nos Deus in hoc cursu nostro, in praesente conditione nostra, graviter, et debilitat vires nostras; labore et dolore praecidit nobis de tempore vitae nostrae. Alexandrinus: Ἀπεκρίθη αὐτῷ ἐν ὁδῷ ἰσχύος αὐτοῦ, τὴν ὀλιγότητα τῶν ἡμερῶν μου ἀνάγγειλόν μοι, unde Vulgatus: *respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.* Pro עִנָּה *afflixit*, legit עַנָּה, pro כֹּחִי porro τὸ Chethibh, כֹּחוֹ, pro קִצַּר pronuntiavit קְצָר *abbreviatio*, ex Versu denique 25. desumsit duas voces אמר אלי, eas vero legit hunc in modum אֱמֹר אֵלַי *dic mihi* (quod ipsum et Syrus expressit), pro אֹמַר אֵלִי *dico: Deus mi.*

25. Verba אַל־תַּעֲלֵנִי Chaldaeus recte transtulit: *ne tollas*, s. *auferas me e mundo*, ne mori aut interire me sinas, ut verbum הַעֲלוֹת et Job. 36, 20. usurpatur. Integri hemistichii prioris sententia haec est: ideo (quod tam graviter afflicti sumus) querentes

dicimus: mi Deus, ne tollas me in medio cursu meo, pendente adhuc incompleta promissione tua. בְּדוֹר דּוֹרִים שְׁנוֹתֶיךָ *Per omnem aetatem permanent anni tui.* Quomodo allegetur aeternitatis mentio, hoc loco, clausula Psalmi (Vs. 29.) demonstrat; sic enim argumentatur: Deus aeternus est, et semper idem manebit, ideo nec promissa sua fallent, aut vicissitudini ac mutationi obnoxia erunt, nec populus ejus unquam peribit.

26. לְפָנִים *Antea, olim*, i. c. dudum ante nos, et Deut. 2, 12. 2 Chr. 9, 11. Chaldaeus: *a principio, quum crearentur omnes creaturae.* Alexandrinus κατ' ἀρχάς, Vulgatus *initio.* הָאָרֶץ יָסַדְתָּ *Terram fundasti*, et in basibus quasi suis eam constituisti, Jes. 48, 13. 51, 13. Ps. 24, 2. Recte Aben-Esra haec ad Versum praecedentem referenda observat, ut nihil dicatur aliud, quam hoc: ante coelum et terram, ante has creaturas tuas fuisti; tu es omnibus rerum initiis antiquior. וּמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ שָׁמָיִם Potente tua manu ipsum quoque coelum est conditum et firmatum.

27. הֵמָּה יֹאבֵדוּ *Ipsi* coeli et terra (Vs. 26.) *interibunt.* Sunt, qui hypothetice haec sumenda putent, hoc modo: *ipsi etiam coeli et terra perituri essent, si velles*, propter loca Jer. 31, 36. Ps. 148, 6. Coh. 1, 4., quae loca tamen non de aeterna, sed constanti hujus universi conservatione usque ad constitutum a Deo finem mundi loquuntur, nec alio sensu, quam promissio illa Gen. 8, 22. intelligenda sunt. Nam mundum hunc interiturum credidisse priscos Hebraeos, patet ex Jes. 51, 6. Job. 14, 12. Et vetus haec est opinio, inter plures aequitatis populos recepta. וְאַתָּה תַעֲמֹד *Tu autem stabis*, permanebis sine omni mutatione, fine aut interitu. וְכֻלָּם כַּבֶּגֶד יִבְלוּ *Et universitas eorum*, s. omnia illa *sicut vestis*, quae vetustate dissuitur et rumpitur, *veterascent.* כַּלְבוּשׁ תַּחֲלִיפֵם *Tanquam amictum mutabis eos, et mutabuntur*, i. e. mutabuntur sicut vestis, quae usu deteritur, quando tibi visum fuerit, mutare ea tollereque.

28. וְאַתָּה הוּא *Tu vero ipse idem es* et semper permanes immutabilis, etiam promissis et voluntate, Jes. 54, 9. 10. — וּשְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִתַּמּוּ *Et anni tui non absolventur* unquam aut finem habebunt. Sicut namque ante conditum mundum exstitisti (Vs. 26.), ita post eundem (Vs. 27.) exstiturus es.

29. Unde saltem בְּנֵי־עֲבָדֶיךָ *filii servorum tuorum*, tametsi, qui nunc vivimus, praesentia exspectatae salutis et liberationis nostrae ex hoc exilio non fruemur. יִשְׁכֹּונוּ *Habitabunt*, subaudiunt alii: Zionem instauratam; alii, post Chaldaeum et Syrum: terram patriam. Rectius tamen ex altero hemistichio repetitur לְפָנֶיךָ *coram te*, quod Alexandrinus bene εἰς τὸν αἰῶνα interpretatus est; nam quemadmodum 72, 5. *coram luna*, et ibid. Vs. 17. *coram sole*, significat: quamdiu luna et sol durabunt; ita h. l. *coram Jova* idem erit, quod: quamdiu Jova permanebit, i. e. perpetuo. Et similis dictio אֶת־פָּנֶיךָ 16, 11. in altero ibi hemistichio נֶצַח

semper explicatur. Sententia igitur haec erit: soboles servorum tuorum, populus tuus numquam peribit. Alii haec ut preces interpretantur, et non ut praedictionem.

Ps. 103.

Celebratio beneficiorum multiplicium Dei, quibus afficit populum suum privatim et publice; inprimis tamen celebrat gratiam et misericordiam Dei et paternam affectionem erga homines in ignoscendo et tolerando imbecillitatem ipsorum. Huic enim et describendae et celebrandae maximam partem Psalmi impendit, quibus attexit postea et de potentia Dei regia. Atque ita et homines omnes, et creaturas Dei universas, exhortatur et evocat ad societatem celebrandi tam beneficum et potentem Deum, et simul etiam angelos et coelestem exercitum, quorum munera Vs. 20. 31. luculente describit. — Hebraea inscriptio habet, esse *Davidis Psalmum.* Quod si ita est, sicut non videmur habere causas magnopere dubitandi, omnino laetis temporibus illum scripsisse apparet. Atque alii quidem post initia regni Israelici, pacato jam regno, aut bellis saltem interquiescentibus, factum carmen existimant; alii vero ad laetitiam illam initiorum Zionii, post introductam arcam, referunt. Sed quum diserte commemoret peccatorum remissionem (Vs. 2. et 8—10.), veri simillimum fuerit, tranquillata conscientia, post preces Psalmi 51. hanc gratiarum actionem a Davide editam esse, quando post mortem pueri ex Bathseba nati (2 Sam. 12, 20.) remissum sibi peccatum statuit.

1. בָּרְכִי אֶת־יְהוָה *Bene precare Jovae*, i. e. celebra Jovam. Verbum בָּרַךְ si de hominibus erga Deum dicitur, *celebrare* et *laudare* significat, atque *gratias agere;* vid. ad 26, 12. coll. 21, 4. Nomini נַפְשִׁי in altero hemistichio respondet כָּל־קְרָבַי *omnia interiora mea*, i. e. quicquid in me est facultatis et virium intimarum, id universum celebret numen sanctissimum.

2. גְּמוּלָיו *Retributiones ejus* h. l. pro *collationibus ejus*, i. e. beneficiis, quae contulit et confert, ut 116, 12. 2 Chr. 32, 25.

3. Suffixa feminina ad nomina עֲוֹנִים et תַּחֲלוּאִים ad nomen נֶפֶשׁ Vs. 2. referenda sunt. Pro ךְ positum est syllabicum כִּי, ut Vs. seq., 116, 19. 135, 9. Quod Participio סֹלֵחַ praepositum est, ה demonstrativum, h. l. per ellipsin pronominis relativi אשר, usum recipit relativum, ut Vs. seq. הַמְעַטְּרֵכִי, nec non Deut. 6, 8. Ps. 49, 7. 66, 9. Transferendum igitur: *qui condonat omnes iniquitates tuas*, ita ut nulla prorsus punienda reservetur. Cf. 32, 1—5. Nomine תַּחֲלוּאָיְכִי *infirmitates tuas*, plures interpretes non tam corporis, quam animi aegritudines intelligendas censent, propter suffixum ad נֶפֶשׁ referendum; et hoc modo nomen illud erit ἐπεξήγησις *peccatorum* in priore hemistichio. Haud scio tamen, an sequens Versus ostendat, de corporis potius quam

animi malis, atque de morbis, haec esse interpretanda, certe morbum esse minime excludendum. Si non errat conjectura supra proposita de tempore Psalmi, et quod post preces Psalmi 51., et occasione illa, hunc scripserit, nimirum summas animi aegritudines, propter peccatum, et ex sensu irae Dei, pertulerat, in quibus verisimile, etiam corporis morbum eum contraxisse; hoc quidem certum, in tantis animi aegritudinibus corpus etiam non potuisse bene esse affectum. Nomen vero נַפְשִׁי, ad quod suffixum pertinet, non solum *animum*, verum totam hominis personam comprehenderc, notissimum.

4. הַגּוֹאֵל מִשַּׁחַת חַיֶּיכִי *Qui redimit de fovea vitam tuam*, qui ab interitu et sepulchro vindicat vitam tuam. הַמְעַטְּרֵכִי חֶסֶד וְרַחֲמִים *Qui coronat te*, cingit et ornat omnibus a partibus *clementia et misericordia*, qui beneficiis misericordiae suae multiplicibus adest laboranti tibi.

5. עֶדְיֵךְ Chaldaeus recte interpretatus est *dies senectutis tuae*; nam appositum est נְעוּרִים, quod sequitur. Alias עדי *ornatum*, *ornamentum* significat, ut Exod. 33, 5. 2 Sam. 1, 24. Jes. 49, 18. Hinc Aben-Esra et Kimchi h. l. et Ps. 32, 9. nomen illud *genas*, *malas*, *maxillas* notarc conjecerunt, ab *ornatu* sic dictas, quod totam faciem ornent, eique venustatem concilient, quemadmodum et לְחִי *maxilla* est a radice Acthiopico לחי *venustus*, *formosus fuit*, in Conj. 6. *ornavit se*. Ita ad verbum transferendum esset: *qui satiat bono malas tuas*, i. e. qui victu bono satiat te largiter. Alii per metonymiam *genam* h. l. pro *ore* positam putant. Tale quid spectavit haud dubie Alexandrinus, qui ἐπιθυμίαν σου, atque Syrus, qui *corpus tuum* reddidit. Sunt etiam, qui *ornatu* h. l. *animam* significari existiment, ut noster locus conveniat cum 63, 6. *adipe et pinguedine satiatur anima mea*. In altero hemistichio verbum תִּתְחַדֵּשׁ aliqui pro secunda persona habent, transferuntque hoc modo: *ut renoveris, aquilae instar, pueritiâ tuâ*. Sed ita verbum illud ad *animam* pertineret, ut cum suffixo feminino ad נְעוּרַיִכִי etiam verbo feminino תִּתְחַדְּשִׁי dicendum fuisset. Melius itaque Alexandrinus et Vulgatus reddiderunt: ἀνακαινισθήσεται ὡς ἀετοῦ ἡ νεότης σου, *renovabitur ut aquilae juventus tua*; facta hic, ut alias passim, constructione non ad *numerum* aut *terminationem* masculinam nominis נְעוּרִים, sed ad *sensum* et cognatum נְעוּרָה, cujus Pluralis exstat Jer. 32, 20.; vel, quae Kimchii est sententia, subaudito ante nomen plurale נְעוּרַיִכִי alio singulari, תּוֹלֶדֶת *renascentia* s. *qualitate*. Similis generis ac numeri discrepantia reperitur Gen. 1, 14. יְהִי מְאֹרֹת, et Ps. 57, 2. יַעֲבֹר הַוּוֹת. Cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 720. כַּנֶּשֶׁר *Instar aquilae*, novis plumis indutae. Neque enim in aquila juventus renovatur aliter quam cum veteribus pennis novae succedunt; quomodo Romanis serpens *senectam exuere* dicitur, cum veterem pellem deponit. Conferendus locus Jes. 40, 31. *sperantibus in Dominum instaurabuntur*

vires, *succrescent pennae sicut aquilarum.* Loquitur propheta, haud aliter quam noster vates, de aquilarum plumis, quae post *ψίλωσιν* redintegrantur, unde fit, ut aquila vegetior, adeoque etiam junior esse videatur. Ceterum alii utrumque Versus hujus hemistichium connectunt hoc modo: qui bonis te satiat, et hoc modo instaurat aetatem tuam, ut conservetur vegeta et vigens, sicut aquilae, etiam in senecta tua. Alii vero ad praecedens colon posterius hoc non aggregant, sed ut *ἐπεξήγησιν* praecedentis interpretantur, ut sit: qui facit, ut semper maneas juvenis, nunquam senescere videaris, non multum discrepante sententia.

6. Qui jus et justitiam praestat iis, quibus injuria infertur, et qui vi aut fraude circumventi opprimuntur. עֲשׁוּקִים *Qui vim patiuntur;* nihil autem tam est contrarium juri, quam vis; complectitur vero haec h. l. utramque, et manifestam, et occultam, i. e. violentiam et dolos. Repetitur eadem sententia 146, 7.

7. יוֹדִיעַ דְּרָכָיו לְמֹשֶׁה *Notas fecit* (*Futurum* loco *Praeteriti* sicut Ex. 15, 1. Jos. 8, 30. Ps. 106, 19.) *vias suas Mosi*, patefecit sc et voluntatem suam Mosi, certiorem ejus notitiam petenti, Exod. 33, 13. sqq. לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל עֲלִילוֹתָיו *Israelitis facta sua* (nota fecit), potentiam suam Israelitis demonstravit admirabilibus factis suis.

8. אֶרֶךְ אַפַּיִם וְרַב־חֶסֶד *Tardus ad iram et multus gratia*, non est ad irascendum puniendumve proclivis, irritatus autem ad iram misericordia eam temperat, et superat in ipso bonitas et misericordia iram et vindictam.

9. Irritatus autem peccatis nostris, non tamen in acternum saevit puniendo, לֹא לָנֶצַח יָרִיב *non in perpetuum objurgabit*, s. *objurgare solet;* sicut autem *increpare*, sic etiam *rixari et objurgare* Dei, *punire* est, et *animadvertere;* nam *dicere* Dei *facere* est; cf. Jes. 3, 13. Jer. 2, 9. Hos. 4, 1. — וְלֹא לְעוֹלָם יִטּוֹר *Nec in aeternum servabit* sc. iram, אַף s. נָקָם; quomodo verbum נָטַר *servare*, per ellipsin saepe dicitur de eo, qui animum iratum diutius retinet, injuriaeque memoriam non facile deponit; vid. Lev. 19, 18. Jer. 3, 5. 12. Nah. 1, 2.

11. Immensa est misericordia ejus, et tanta, quanta est coeli supra terras eminentia, erga eos, qui timent coluntque eum religiose.

12. *Secundum elongari*, i. e. quanto intervallo distat *oriens ab occidente*, tam longe etiam *abstulit a nobis delicta nostra*, ut nihil apud nos reum, aut reatus, maneat, nobisve noceat, aut amori ejus erga nos obstet, aut officiat.

14. כִּי הוּא יָדַע יִצְרֵנוּ *Nam ipse novit fingi*, s. *figmentum nostrum*, quale opus simus, i. e. qualis massa, et tanquam testacei quidam, e terra et luto facti. Sensus est: non animadvertit in nos severius, sed rationem habet imbecillitatis et miseriae nostrae,

novit enim, quales simus et quam sit conditio nostra misera et infirma. Quam interpretationem commendat hemistichii sequentis parallelismus, quo itidem *fragilitatis* mentio est: *memor est, nos esse pulveris instar.*

16. Homo, et res humanae et vita aetasque ejus gramini similis est, floretque sicut flos in campis (Vs. 15.), qui, cum vento asperiore afflatur, concidit statim et perit, וְלֹא יַכִּירֶנּוּ עוֹד מְקוֹמוֹ *nec agnoscit eum amplius locus ejus*, i. e. ita ut locus, in quo excrescens constitit, non habeat amplius inquilinum suum. *Non agnoscere* h. l. idem quod non habere. Vel potest, subaudito Participio: *agnoscens* (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 797.) loquutio haec impersonaliter accipi, hoc modo: quo loco constiterit, non appareat amplius, aut agnoscatur.

18. לַעֲשׂוֹתָם *Ad faciendum ea*, i. e. qui mandatorum ejus sic meminerunt, ut praestent, quod illa postulant et jubent.

19. Vid. ad 47, 9.

20. לִשְׁמֹעַ בְּקוֹל דְּבָרוֹ *Obediendo voci verbi ejus*, promti ac parati ad capessenda jussa ipsius, simul ae nutu quasi voluntatem vobis significat. Infinitivus cum praefixo Lamed hic format Gerundium in *do*, ut לֵאמֹר *dicendo*, לְבַקֵּשׁ *quaerendo*, Coh. 8, 17. Cf. Deut. 26, 17. 30, 20.

21. *Praedicate Jovam omnes exercitus ejus*, vid. ad 24, 10.

22. בְּכָל־מְקוֹמוֹת מֶמְשַׁלְתּוֹ *In omnibus locis dominii ipsius*, non in una tantum terra Israelitica, aut urbe Hierosolymitana, coram arca foederis, sed quam late patet ipsius imperium, per universum orbem terrarum.

Ps. 104.

Celebrat potentiam, sapientiam et providentiam Dei in creatione universitatis rerum, in ordine atque conservatione rerum omnium conspicuam. Quodsi Davidicus sit Psalmus, quod quidem diserte dicit inscriptio Graecae versioni praescripta, Zionicorum initiorum fuerit. Magis tamen verisimile est, carmen hoc factum esse in laetitia instaurati templi secundi, quemadmodum qui sequitur Psalmus, 105., etiam ipse non est Davidicus, sed cento tantum ex Davidico, ut Zionio non possit factus videri. Ad Davidicum quidem praecedentem aggregati hic et sequens videntur tantum propter commune initium. Omnino vero illi Psalmi omnes, qui initiis templi secundi scripti sunt, aut videri possunt in ea laetitia publica facti esse, celebrant beneficia Dei, vel erga genus humanum in genere, vel erga populum Israeliticum.

3. הַמְקָרֶה בַמַּיִם עֲלִיּוֹתָיו *Qui contignat aquis superiora conclavia* s. coenacula *sua*. עֲלִיָּה idem est, quod Arabicum علية *coenaculum* in superiore parte aedium, a reliquis aedibus sejunctum,

et secessibus destinatum, licet januam versus illas habeat, plerumque clausam, coecam praeterea scalam, per quam descendi, et per peculiarem coenaculi portam exiri in plateam potest. Eadem significatione Hebraeum עֲלִיּוֹת Jer. 22, 13. 14. 1 Chr. 28, 11. 2 Chr. 3, 9. occurrit. Sic igitur et noster Deus tribuit sua coenacula, suos secretos a mortalibus secessus, aqua, glacie, nubibus, grandine contabulata. Arabibus etiam supremum coelum, sedes beatorum, tanquam propria poetis voce *coenaculum* dicitur. Chaldaeus: *Qui operit aquis instar structurae trabium porticus suas.*

4. Duplex est hujus Versus interpretatio, quum praedicata in subjectum, ut Dialectici appellant, et subjecta in praedicatum converti possint, et sint haec in Hebraeo *ἀμφίβολα*. Hebraei interpretantur sic, ventis Deum uti pro nunciis, et ignis etiam ministerio, atque ita ministris utrisque, ut ad occasionem mentionis de ventorum quasi aurigatione (Vs. 3.) in hoc insuper de ventis ignisque ministerio adjiciatur. Ita haec erit sententia: tui ministri sunt venti, turbines et tempestates, quos mittis, quo libet tibi; pro nunciis et legatis his uteris: ignis flamma flagrantis similiter ministra est tibi, utrisque imperas, utrique parent tibi, venti et ignis, fulmen et procellae. Sed epistola ad Hebraeos, Cap. 1, 7., eamque sequuti multi, et inter alios Lutherus, de iis spiritibus, qui Angeli a Theologis vocantur, haec interpretantur; et epistola quidem ad Hebraeos ideo ad angelos haec refert, ut hinc doceat, hos esse creaturas. Secundum hanc igitur interpretandus Versus sic erit: creat sibi spiritus, creat ignem flammeum, qui sint nuncii et ministri sui. *Spiritus* autem aut *ventos*, רוּחוֹת, nuncios illos appellatos volunt, quod sint expertes corporis, quum vento et spiritui nullum sit corpus, ut ita dicam, *ἀϋλώτερον*. Alii duplex praedicatum hujus Versus per comparationem Angelorum cum *ventis* et *igne flammante* de illorum velocitate et efficacia in agendo intelligunt. Ita Chaldaeus: *Qui facit nuncios suos veloces sicut ventum; ministros suos fortes sicut ignem flammantem.* Alii: *illos, qui sunt angeli, facit esse ventos*, vestiendo eos substantia venti, ut cum Salomo *valvas ligneas aurum* fecisse dicitur, quando eos substantia auri vestivit, 2 Chr. 4, 18. 22. Simplicissimum tamen videtur, haec, ut Hebraei faciunt, ad procellas et fulmina referre, quae alias etiam Deo ut ministros tribuunt Psalmi, v. c. 148, 8.

6. Nunc enumerat, inquit Kimchi, quomodo a creationis initio terra aquis contecta fuerit. Suffixum ad כְּסִיתוֹ referunt quidam ad *terram*, quae quamvis Vs. 5. praecesserit in genere femineo, rarius tamen etiam masculino genere occurrit, ut Gen. 13, 6. Jes. 9, 18. Ps. 105, 30. Ita verba hebraea sic erunt transferenda: *abysso tanquam veste operuisti eam* terram. Sed possumus suffixum illud masculinum etiam ad תְּהוֹם referre (quod aeque masculinum est, e. c. Jon. 2, 6. Hab. 3, 10. Ps. 42, 8.,

quam femininum, Gen 7, 11. Ez. 31, 4.), hoc modo: *ad abyssum quod attinet, velut amictum eam obduxeras*, aut *ut tegumentum imposueras terrae*, quomodo verbum כָּסָה et Deut. 13, 9. Ez. 24, 7. 31, 15. Hab. 2, 14. usurpatur. Sensus vix dubius esse potest: aquae operiebant terram totam, sicut vestis corpus tegit atque induit; mergebatur terra aquis ita, ut montes etiam aquae superarent, non minus quam diluvionis aquae, Gen. 7, 19. 20.

7. מִן־גַּעֲרָתְךָ *Ab increpatione tua*, h. e. a severo mandato, quasi cum interminatione conjuncta, ut Nah. 1, 4. Ps. 9, 6. 18, 16. De verbo חָפַז vid. 48, 6. מִן־קוֹל רַעַמְךָ A *voce tonitru tui*, i. e. a voce instar tonitru super illam voraginem edita. Etsi enim *tonitru* saepe nominatur in Psalmis *vox Dei* (cf. 29, 3.), hoc tamen loco non de tempestate ulla, de qua et nihil est in historia Mosaica, sed de voce mandantis Dei, ut εἰδωλοποιΐα poetica hoc accipiendum. Sensus est, ad vocem mandantis Dei, tanquam ad tonitru, terrefactas aquas concessisse statim quo juberentur, atque ita id elementum, quod est terrori omnibus, ad mandata creatoris sui trepidasse.

8. יַעֲלוּ הָרִים יֵרְדוּ בְקָעוֹת *Montes efferre se, et valles subsidere coeperunt.* Dicuntur haec sic, sicut de eluvionis aquis decrescentibus Ovid. *Metam.* 1, 344. *Flumina subsidunt, montes exire videntur.* Talem enim speciem res habet aspectantibus, quasi non aquae, sed montes, et fundus alvei moveatur, et hic fidat, illi vero surgant. Possumus et simpliciter interpretari: montes eminere, et vallium ima apparere coeperunt. Sed alterum, ut ποιητικώτερον, poemati magis congruit. Alii vero, Chaldaeo auctore, ad *aquas* haec referunt, hoc modo: conscenderunt montes, et petiverunt valles, sursum deorsum ruendo, ut pervenirent ad loca assignata alveorum suorum. Vel: praecipites per montes et valles ruebant, petebantque loca ima, eis assignata. אֶל־מָקוֹם זֶה יָסַדְתָּ לָהֶם *Ad locum, quem constituisti illis*, cf. Gen. 1, 10. Nomen מָקוֹם in statu construeto ponitur ante partieulam relativam, ut Gen. 39, 20. 40, 3. Lev. 4, 24. — זֶה *Istum, quem;* pronomen demonstrativum hic relative accipitur, vel saltem relativum includit, ut Vs. 26. Ps. 74, 2. Prov. 23, 22. Videtur hoc colon rectius referri ad solas aquas, quam ad montium et vallium loca, quae sedem suam numquam mutarunt, sed aquae jussae sunt cedere ex iis locis, quae in his, ante alveos suos, occuparunt, et sequitur sic commodius ad hoc Versus proximus. Secundum alios tamen esset: ita locum postea suum obtinuerunt singula, montes scilicet, valles et aquae, quem eis assignaras.

9. Limites suos pepigisti aquis, quos non transgrediantur, neque terram exstantem iterum obruant. Hi vero limites sunt mari litora, et ripae fluminibus, quibus intra alveos suos continentur.

10. Scaturire facis fontes, בַּנְּחָלִים *in torrentes*, i. e. de quibus rivi promanant, et flumina existunt, quae inter montes

labantur fluxu perenni. Priora Versus verba alii faciunt sic: scaturire facit fontes *in convallibus*, vel *per valles*, quum נַחַל et *torrentem*, seu *rivum*, atque ita fluvium, et *alveum* etiam horum, qui in vallibus est, atque ita etiam *valles* et *convalles* significet, vid. Gen. 26, 17. Jes. 57, 5. Videtur tamen etiam propter Versus 11. et 12. magis esse consentaneum, ut *torrentes* et *fluvios* interpretemur. Ita ante בֵּין relativum אשר erit subaudiendum. Qui vero *valles* reddunt, eos cum Alexandrino post יְהַלֵּכוּן subjectum, מַיִם, subaudire necesse est.

11. Sic יַשְׁקוּ *potum praebent* sc. *aquae*, inter montes decurrentes. De חַיְתוֹ cf. not. ad 50, 10. יִשְׁבְּרוּ צְמָאָם *Frangunt sitim suam*, i. e. restinguunt eam, unde nomen שֶׁבֶר *annonam* putant dictam esse, quod ea fames frangitur, Gen. 42, 1. — פְּרָאִים *Onagri* (vid. Bochartı *Hieroz.* T. II. p. 216.) pro silvarum feris (species pro genere), quae opponuntur bestiis in agris seu campis, חַיַּת שָׂדִי, et cicuribus. *Onagrum* vero h. l. ideo ponere voluit, quod quum valde fera bestia in extremis locis solitudinem versetur, sitim magnam ferre necesse habet. Laudat igitur Dei bonitatem, qui etiam solitudines aridas et montosas rigasset, ut haberent ferae, quod biberent.

13. מַשְׁקֶה הָרִים מֵעֲלִיּוֹתָיו *Qui rigat montes e coenaculis suis* (vid. ad Vs. 3.), desuper pluendo. *Montium* nomine plerique synecdochice intelligunt totam terram, atque ita simul agros et camporum aequora; eminent autem in terra montes, ut, hac consideratione, pars terrae haberi possint praecipua. Et sane non montes tantum, sed agri etiam, et hi quidem magis, a Deo fertiles redduntur. Alii tamen montium mentionem eo referunt, quod ubi flumina non sint, ibi pluviis opus sit. Quae sequuntur, מִפְּרִי מַעֲשֶׂיךָ תִּשְׂבַּע הָאָרֶץ *de fructu operum tuorum satiatur terra*, aliqui intelligunt de *arborum fructibus*, quibus satiatur homo, incola terrae. Quae metonymia tamen durior videtur. Recte vero Kimchi monet, idem, quod priori hemistichio, hic dici, sed aliis verbis. *Opera Dei* h. l. sunt *nubes*, quemadmodum *coeli* opera Dei nuncupantur 8, 4. 102, 26. Et respondet מעשיך ש עליותיו. *Fructus* vero *nubium* est *pluvia*, qua siticulosa *terra* rigatur et *saturatur*.

14. Nomen עֵשֶׂב h. l. omne genus herbarum complectitur, tam pharmacorum, quam ciborum. לַעֲבֹדַת הָאָדָם *In ministerium hominum*, quae usibus hominum inserviat, i. e. in usum victumque hominum, ut לַעֲבֹדַת בֵּית יְהוָה *in ministerium*, in usum, *domus Jovae*, 1 Chr. 23, 24. 28. 32. 26, 3. Infinitivus לְהוֹצִיא pro tempore finito ponitur, verbo substantivo הָיָה omisso, ut Hos. 9, 13. אֶפְרַיִם לְהוֹצִיא *Ephraim educturus est.* Cf. Prov. 19, 8. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 782., et cf. not. ad Ps. 62, 10. Itaque haec verba sic erunt transferenda: *producere solet* Deus *panem e terra.* Alii post עֵשֶׂב distinguunt, ut referatur ad praecedens membrum,

atque ad pecorum pabulum; verba vero לעבדת האדם interpretantur *ad operam hominis*, i. e. ad agriculturam (ut Vs. 23. Gen. 2, 5. 3, 23. 1 Chr. 27, 26.), quomodo לְהוֹצִיא Infinitivi significationem retinebit: *ad producendum* s. ut producatur panis etc. Ita haec erit Versus integri sententia: producis gramina herbasque ad pabulum pecori et jumentis, quorum opera ministerioque utentes ad agriculturam homines sibi etiam e terra victum producant.

15. וְיַיִן יְשַׂמַּח *Et vinum* scil. e terra producis (Vs. 14.), quod *laetificat* cor hominis. Subaudiendum est pronom. relativum. לְהַצְהִיל פָּנִים מִשָּׁמֶן *Ad exhilarandum faciem magis quam oleo.* לְהַצְהִיל propr. *ad jubilare faciendum* (cf. Kal, Jes. 54, 1.). Sed Chaldaeus, qui reddidit: *ad illustrandum faciem prae oleo*, verbum צָהַל sumsit significatione *lucendi*, ut conveniat cum צָהַר, quemadmodum ל et ר saepe invicem permutantur. Sic מַזָּלוֹת et מַזָּרוֹת, Job. 38, 32. idem significat. Et ל pro ר poni volunt in מְפַלְּשֵׁי pro מְפָרְשֵׁי Job. 37, 16. Mens poetae est: Deus quoque e terra vinum producit, cujus beneficio cor hominis sic recreatur, ut et facies, in qua laetitia cordis sese prodit, hilarior efficiatur, magisque splendescat, quam si oleo (vid. ad 45, 8.) esset peruncta. Alii verba להצהיל פנים משמן non conjungunt cum iis, quae proxime praecedunt, sed Infinitivum, ut Vs. 14. להוציא, pro tempore finito accipiunt, ut verba ita sint interpretanda: *faciem exhilarat ex oleo.* Ita Dathius: *ex oleo facies ejus splendet.* Quod ipsum et Grotio placuit, qui haec Plinii verba adduxit (*Hist. Nat.* 64, 22.): *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei.* Verbum יִסְעָד *fulcit*, i. e. corroborat, de pane dicitur et Gen. 18, 5. Jud. 19, 5. coll. Ps. 105, 16.

16. Verbum יִשְׂבְּעוּ *saturantur*, supra Vs. 13. de pluviae satietate seu copia usurpari manifestum, ut hoc etiam loco idem significare, non sit a veritate dissentaneum. עֲצֵי יְהוָה *Arbores Jovae*, h. l. non proceras et eximias interpretandas puto, ut 36, 7. *montes Dei* sunt altissimi, sed feras seu silvestres arbores, quae non cultura hominum allaborante, ut sativae, sed sua sponte de terra excrescunt, atque ita solo Deo curante, ut sint *arbores Dei* ferae illae etiam propterea, quod ipse eas conseverit, et nullus hortulanus. Quod ipsum docet alterum hemistichium. Hinc recte Chaldaeus: *arbores, quas creavit Dominus.*

17. חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ *Ciconiam quod attinet abietes domus ejus*, ciconiae in abietibus nidos sibi exstruunt. Ciconiae enim non solum in aedium fastigiis, verum etiam in summis arboribus nidulari solent. Vid. Bochartı *Hieroz.* T. III. p. 90.

18. De יְעֵלִים, *ibicibus*, vid. *Hieroz.* T. II. p. 289. sqq. et de שְׁפַנִּים, *muribus montanis*, ibid. p. 409. sqq.

19. עָשָׂה יָרֵחַ לְמוֹעֲדִים *Fecit lunam pro statis temporibus*, i. e. ut recte Chaldaeus explicavit, *ut per eam numerentur tem-*

pora et festa. Cf. Gen. 1, 14. 16. Verba שֶׁמֶשׁ יָדַע מְבוֹאוֹ aliqui sic capiunt: *Solem* quod attinet *novit* scil. Deus *occasum ejus*, cura sua efficit, ut, sicuti oriatur, ita etiam *occidat* sol, noctisque ac diei vicissitudines constanter durent. Ego vero adstipulor iis, qui sic interpretantur: *sol novit occasum suum*, s. locum et tempus occasus sui; prosopopoeia admodum elegans, qualis et Ps. 19, 5. 6. 7. Job. 38, 12.

22. יֵאָסֵפוּן *Colliguntur*, i. e. recipiunt sese ad lustra sua, quomodo verbum אָסַף et Deut. 22, 2. 2 Sam. 17, 13. Jer. 47, 6. usurpatur.

24. Plena est terra קִנְיָנֶיךָ *possessionibus tuis*, i. e. donis copiarum opulentiae tuae, quae penes te sunt.

25. Et non terra tantum, sed mare etiam ingens illud et vastum, quantumvis sit magnum, totum tamen scatet innumerabilibus animalium generibus. רַחַב יָדַיִם *Spatiosum manibus*, latissimum ex omni parte, vid. Gen. 34, 21. Jud. 18, 10. Jes. 22, 18.

27. בְּעִתּוֹ *Tempore suo*, i. e. opportuno, quando opus est eis.

29. תַּסְתִּיר פָּנֶיךָ יִבָּהֵלוּן *Avertis faciem tuam, perturbantur*, cum subtrahis eis adspectum benignum tuum, ne pascantur a te et conserventur amplius, tum perturbantur et dolent, in fame et penuria omnium. Alii non de pastu et esca haec accipiunt, sed de conservatione et fotu spiritus vitalis, de quo tamen dicit peculiariter hemistichium sequens, תֹּסֵף רוּחָם יִגְוָעוּן *aufers spiritum eorum* (animantium), *exanimantur.* Vid. not. ad 26, 9.

30. *Mittis spiritum tuum*, i. e. vitalem, qui a Deo prodit (Gen. 2, 7. Coh. 12, 7.), *creantur* nova animantia, *atque* ita, nova hac veluti regeneratione, *renovas faciem terrae.* Specierum propagatio, et ortus vices, post interitum, quasi novam terram, aut creationum novam hujus repraesentat. Animadvertere tamen licet, esse, qui non de propagatione specierum haec accipiant, sed de unis et iisdem, ut loquuntur, individuis, quae, Deo subtrahente vitalem spiritum, concidant et aegrotent, et mox inhalando ipso iterum, tanquam in vitam redeant et convalescant; quod tamen posterius Versus hemistichium refutare videtur.

31. יִשְׂמַח יְהוָה בְּמַעֲשָׂיו *Laetatur Jova de operibus suis*, sicut ab initio rerum, quum omnia condidisset, delectatus est iis, quod vidit ea bona esse, Gen. 1, 31.

32. Solo adspectu suo terram ejusque incolas terret, ut tremant; contactu tantum suo vaporem exprimit montibus, ut fument anxii prae timore. Existimant respici his ad ea, quae facta sunt in monte Sinaitico, et ad hunc, cum Deus eo descenderet, Exod. 19, 18. Sed videtur *γεννικῶς* de fulmine et terrae motu accipiendum, quibus terret terram et homines.

33. Contra vero tollantur tandem e medio profani omnes, qui non agnoscunt hunc Deum, et contemnunt opera ejus. Quod

accommodari potest conjecturae supra in Argumento propositae, de tempore et occasione scripti Psalmi. Si enim initiis templi secundi instaurati scriptum est carmen, multi adhuc eo tempore fuerunt hostes exteri populi Judaici et Dei Zionii, qui oppugnantes populum hunc, simul etiam Deum ejus oppugnarent. Coram horum igitur profanitatem ardor pietatis, de commemoratione hac potentiae et beneficiorum Dei in tota rerum natura incalescens, haec precatur.

Ps. 105.

Celebrantur beneficia, quae Deus genti Judaicae contulit, eaque percenset a tempore promissionis factae usque ad introductionem et occupationem terrae Canaaniticae, quae est historia annorum plurium, quam quadringentorum, cujus historiae est hic hymnus epitome quaedam, et maxime quomodo sint in Aegyptum deducti, et inde liberati. Instituitur autem haec narratio ad celebrandum beneficia Dei, ut de horum memoria excitetur pietatis studium in populo erga tam beneficum Deum, et ut servent mandata ejus, ut habet clausula Psalmi.

Hujus Psalmi Versus primi quindecim inchoant eum Psalmum, qui refertur 1 Chr. 16, 8—22., et ibi, post constitutos cantores novos, primum a Davide Asapho datus scribitur, qui post introductam aream in Zionio accineretur. Sed videtur illud carmen a Chronicorum auctore ex nostro et Psalmo 96. compositum; vid. Argument. ad Ps. 96. Quonam tempore et qua occasione factus sit hic Psalmus, vix quisque definiat.

1. קִרְאוּ בִשְׁמוֹ *Appellate* s. compellate *nomen ejus*, i. e. expresso nomine ejus, seu nominatim ei gratias agite, appellantes eum Jovam, quo nomine ipse sese indicat Mosi. Qua *celebrandi* significatione haec formula et Deut. 32, 3. occurrit; vid. not. ad Ps. 49, 12. הוֹדִיעוּ בָעַמִּים עֲלִילוֹתָיו *Nota facite inter gentes facinora ejus*, i. e. celebrate praeconiis vestris admirabiles res ejus, gestas ab eo nobiscum; ad omnes populos proclamate admirabilia facta ejus, ea enim nomine עֲלִילוֹתָיו indicantur, ut Ps. 9, 12. 66, 5. 103, 7.

2. שִׂיחוּ בְּכָל־נִפְלְאוֹתָיו *Exspectamini* (cf. not. ad 55, 3.) se. commentando *in omnibus mirabilibus ejus*, sonate verbis vestris universa, quae fecit nobiscum mirabiliter. Pro eo infra Vs. 5. זִכְרוּ נִפְלְאֹתָיו אֲשֶׁר עָשָׂה dicitur.

4. דִּרְשׁוּ יְהוָה וְעֻזּוֹ *Quaerite Jovam et potentiam ejus*, quo posteriore nomine alii *potens* illius *auxilium* intelligunt, alii vero *arcam sacram*, praesentiae potentissimae Jovanae symbolum, quae ipsa nomine עֹז et Ps. 78, 61. 132, 8. 2 Chr. 6, 41. al. significatur. Sedes areae vero est locus cultui divino destinatus, ut sententia haec sit: convenite ad locum consecratum cultui ejus. Respondet

בַּקְּשׁוּ פָנָיו, quod h. l. proxime subjicitur, de cujus formulae sensu cf. not. ad 24, 6.

5. מִשְׁפְּטֵי־פִיו *Judiciorum oris sui* nomine alii sententiam poenae divinae adversus Pharaonem et Aegyptios pronunciatam, alii pronunciationem legis, et moralis, et Levitici cultus intelligunt. Sed quum vates Vs. 15. demum dicere incipiat de foedere, quod Jova cum Patriarchis pepigit; statuendum potius est, poetam in generalioribus hic adhuc haerere, atque adeo hoc Versu gentis suae historiam universe spectare.

6. בְּחִירָיו *Electi ejus*, quos ex ceteris nationibus omnibus in populum sibi peculiarem selegit.

7. בְּכָל־הָאָרֶץ מִשְׁפָּטָיו *In universa terra judicia ejus. Judicia* h. l. significant regnum metonymice, quum sint munus regni praecipuum. Sensus est: ipse regnat et dominatur, exercet judicia sua per orbem terrarum universum.

8. Numquam oblitus est foederis sui cum Abrahamo initi, et Isaaco atque Jacobo confirmati (Vs. 9.); semper ostendit se meminisse promissionis a se factae, quam durare voluit ad omnem posteritatem. דָּבָר צִוָּה *Verbum* quod *mandavit*, respondet צִוָּה בְּרִיתוֹ in priore hemistichio. Pro זָכַר 1 Chr. 16, 15. exstat זִכְרוּ *commemorate*, celebrate, ut excitetur populus ad celebranda beneficia insignia, quibus Jova Israelitas ornavit. Sed praeferendum videtur quod nostro loco legitur, ut pergat vates in enarratione beneficiorum divinorum.

10. וַיַּעֲמִידֶהָ לְיַעֲקֹב לְחֹק *Et constituit illud* foedus, ratum firmumque fecit repetendo *Jacobo in statutum*, i. e. ut decreti instar fieret immutabilis, quo se astringeret.

11. חֶבֶל נַחֲלַתְכֶם *Funem hereditatis vestrae*, i. e. tanquam portionem hereditariam, quasi fune mensorio (Zach. 2, 5.) vobis adsignatam. Vid. de nomine חֶבֶל not. ad Ps. 16. 6.

12. Idque promisit בִּהְיוֹתָם מְתֵי מִסְפָּר *quum* adhuc *essent homines numeri*, i. e. numero pauci, faciles numeratu, quod sit de paucis; ut Gen. 34, 30. Deut. 4, 27. Jer. 44, 28., et e contrario infra Vs. 34. Sic et Horatius dicit: *nos numerus sumus*. Pro בִּהְיוֹתָם 1 Chr. 16, 19. בִּהְיוֹתְכֶם legitur, quod ipsum et h. l. in pluribus codd. exstat, et Chaldaeus etiam ac Syrus exhibent. Quae lectio etiam, tanquam difficilior, praeferenda videtur. כִּמְעַט *Tanquam parum aliquid* et vilis conditionis, coll. Prov. 10, 20. Alii כ h. l. non putant esse similitudinis, sed confirmationis, *vere*, *plane* exprimendum, ut 1 Sam. 10, 27. 2 Sam. 3, 34. וְגָרִים בָּהּ *Ac* praeterea *advenae*, aut *peregrini in ea*, terra Canaanis, Vs. 11. 23. Gen. 23, 4. Promisit illis se daturum terram Cananaeam, eo tempore, quo familiae eorum paucis adhuc constarent hominibus, qui in ea regione tanquam hospites peregrinabantur, nulla cognatione, affinitate aut amicitia muniti. Cf. Gen. 15, 2. sqq.

13. וַיִּתְהַלְּכוּ *Et ambulaverunt*, vagati sunt patres nostri, ut hospites et peregrini, מִגּוֹי אֶל־גּוֹי *de* una *gente ad aliam*, quarum in una etiam terra Cananaea plures erant, Gen. 15, 19—21. Deut. 7, 1. Alii haec verba ad vitam pastoritiam Patriarcharum spectare existimant, coll. Hebr. 11, 9. — מִמַּמְלָכָה *De* uno *regno*, e. c. Philisthaeorum, אֶל־עַם אַחֵר *ad populum alium*, veluti Aegyptiorum, Gen. 12, 10. 42, 23., ut vita eorum, in libro Geneseos a Cap. 12. usque ad finem libri descripta, pluribus testatur, e. c. Gen. 12, 1. 8. 13, 18. 20, 1. 23, 4. Una eademque sententia tribus hisce versiculis 12. 13. 14. continuatur.

14. Non tamen passus est Deus, ut quisquam quicquam damni aut mali eis inferret, imo in reges quosdam, ipsorum causa, animadvertit, veluti in Pharaonem, Gen. 12, 17., et Abimelechum 20, 3. 7. 18., testatus ita, singulariter illos sibi delectos esse. Ante Versum, qui sequitur, subaudiendum est לֵאמֹר.

15. אַל־תִּגְּעוּ בִּמְשִׁיחָי *Ne tangatis*, laedetis (Gen. 20, 7. 26, 11. 29. 2 Sam. 14, 10. Ruth 2, 9.) *unctos meos*, i. e. insignite mihi dicatos consecratosque. *Unctos* vocat poeta patriarchas ex more aetatis suae, non temporis ipsorum, qui numquam uncti fuerunt. Sed quoniam tempore Davidis ungebantur sacerdotes et prophetae (vid. 1 Reg. 19, 16.), quum vellet dicere patriarchas sacerdotes fuisse veri Dei, ac proinde sacrosanctos fuisse habendos, vocat eos *unctos*, et in altero hemistichio, *prophetas* etiam, quomodo et Abrahamus Gen. 20, 7. diserte dicitur. Hebraeorum haud pauci per *unctos* h. l. principes et magnos viros intelligi volunt, quod patriarchae illi apud reges illius temporis et ipsi principes reputati fuissent, quomodo Abrahamo dixerunt Hethitae: *princeps Dei es in medio nostri*, Gen. 23, 6. *Prophetas* vero dictos existimant, quod futura praedixissent, ut Isaacus (Gen. 27, 27.) et Jacobus (Gen. 49.) morientes fata suorum praedixerunt. Hactenus exstat hic Psalmus in eo qui habetur 1 Chr. 16.

16. Aggreditur narrare occasionem, qua Jacobus in Aegyptum migravit, transitque ad describenda breviter historiae Josephi praecipua capita, atque adeo ad celebranda beneficia, quae Deus genti Israeliticae Josephi opera praestitit. וַיִּקְרָא רָעָב עַל־הָאָרֶץ *Vocavit famem super terram* Canaan, vicinasque ei regiones (Gen. 41, 54. sqq. 42, 1. sqq.), hoc est, ejus jussu et mandato fames invasit terram. Plena est haec loquutio 2 Reg. 8, 1. *vocavit Jova famem et venit.* Cf. Ez. 36, 30. *vocavi frumentum idque multiplicavi.* כָּל־מַטֵּה־לָחֶם Vulgatus *omne firmamentum panis* reddidit, h. e. panem, quo vita hominis sustentatur, sicut qui *scipioni* innititur. Nam מַטֶּה proprie *baculus* est s. *scipio*, cui innitimur, v. c. Ex. 4, 2, coll. synonymo Ex. 21, 19. Zach. 8, 4., quod per metaphoram, de pane, quo vita sustentatur, etiam dicitur, vid. Lev. 26, 26. Jes. 3, 1. Ez. 4, 16. coll. Ps. 104, 15. Sub finem hujus Versus subaudiendum est: haec res eos ex Cananaea terra in Aegyptum expulit.

17. שָׁלַח לִפְנֵיהֶם *Misit ante eos*, Kimchi: „sc. ante Jacobum et filios. Deus enim per immissa Josepho somnia rem ita providentia sua direxit, ut invidia moti fratres eum in Aegyptum venderent, quo habitationem et victum illis pararet, quod ipsum dicit Josephus Gen. 45, 5.“ אִישׁ *Virum*, i. e. unum; quod tamen alii κατ᾽ ἐξοχήν interpretantur *praestantem virum*, quomodo אִישׁ alias saepe accipiendum, vid. not. ad Ps. 4, 2. — לְעֶבֶד *In servum*, quomodo ל et Esth. 7, 4. usurpatur: *utinam* לַעֲבָדִים וְלִשְׁפָחוֹת נִמָּכַרְנוּ *in servos et ancillas venderemur*.

18. עִנּוּ בַכֶּבֶל רַגְלָיו *Afflixerunt* Aegyptii *compede pedes ejus*, in compedibus captus detinebatur. Cf. Gen. 39, 20. 40, 15., etsi ibi non dicitur, quali carcere detentus Josephus fuerit. Lectio marginalis, רַגְלוֹ, collective accipienda est. בַּרְזֶל בָּאָה *In ferrum intravit*, i. e. ferreas catenas, vincula durissima subiit, ut Ps. 107, 10. 16., subaudito praefixo ב, quocum verbum alias construitur, ut 66, 12. — נַפְשׁוֹ *Anima ejus*, i. e. ipse, cf. Jes. 46, 2. Ps. 57, 5. 94, 17.

19. In eo carcere vinctus fuit עַד־עֵת בֹּא־דְבָרוֹ *usque ad tempus venire verbum ejus* sc. Josephi, i. e. donec venit, et re ipsa impletum fuit verbum Josephi, quo regiis ministris somnia in carcere interpretatus erat; donec interpretatio somniorum, quae illi duo principes in carcere viderant, exitum habuit, et conjectoris veritas re ipsa comprobata est, vid. Gen. 41, 12. 13. Quamvis enim non illico liberatus e carcere fuerit (vid. Gen. 41, 7.), tamen illa interpretatio causa potissima fuit, propter quam liberatus est; nam exitu rei comprobata verborum ejus fide, a rege ad sui somnii interpretationem est accitus, et summa secundum regiam dignitate ac potestate ab eo est donatus. Phrasis *venire verbum* de praedictionibus eventu comprobatis usurpatur etiam Jud. 13, 12. 17. 1 Sam. 9, 6. Jer. 17, 15. Suffixum nominis דְבָרוֹ aliqui ad *Deum* referunt, ut sit: *usque ad tempus, quo evenit*, et ipso eventu comprobatum fuit *verbum Dei*, quo Joscpho summam dignitatem et eminentiam inter fraudes per insomnia praedixerat, Gen. 37, 5—10. In altero hemistichio אִמְרַת יְהוָה *sermo Jovae*, facultatem divinandi, Josepho divinitus concessam, videtur significare, haec enim ostendit, qui esset Josephus; verbum צָרַף autem (de quo vid. Ps. 12, 7. 26, 2.) h. l. ad nominis et celebritatis claritatem transferri, non potest haberi inconsentaneum. Sensus est: praedictiones divinationis, a Jova ei concessae, nomen ei et claritatem conciliabant.

20. Tunc שָׁלַח מֶלֶךְ *misit* Pharao, *rex* Aegypti, nuntios suos cum mandato, וַיְּתִּירֵהוּ *et solvit eum* a vinculis, Ps. 146, 7. מֹשֵׁל עַמִּים *Dominator gentium* Aegyptiarum, et vicinarum ei subjectarum *misit*, quod e priori hemistichio repetendum. וַיְפַתְּחֵהוּ *Et* a vinculis et carcere *exsolvit*, vel, ut Vulgatus habet, *dimisit eum*, aperto carcere et vinculis detractis Jes. 14, 17. Jer. 40, 4. Ps. 102, 21.

21. שָׂמוֹ אָדוֹן *Posuit*, constituit *eum dominum*, gubernatorem, qui mancipium fuerat Vs. 17., cf. Gen. 42, 30. 33. — לְבֵיתוֹ *Domui suae*, aulae et ministris suis, ut illius administrationem ipse ordinaret, vid. Gen. 41, 40. 45, 8. — וּמֹשֵׁל *Et dominatorem*, Vulgatus: *et principem*, h. e. *supremum* sub ipso tamen rege (Vs. 20.) *administratorem*, quomodo idem nomen et Gen. 24, 2. usurpatur. בְּכָל־קִנְיָנוֹ *In omnem possessionem suam*, ut eam ita gubernaret, ut potestati, Josepho concessae, ad summum imperium nihil omnino, praeter thronum, deesset, vid. Gen. 41, 41—49.

22. לֶאְסֹר שָׂרָיו *Ad vinciendum principes ejus*, *ut* is, qui durissime vinctus fuerat (Vs. 18.), nunc *vinciret*, i. e. auctoritate et imperio, vel legibus suis eos constringeret, vel ad obsequium, vel ad poenas et carcerem, cf. 149, 8. Job. 12, 18., et ad rem Gen. 41, 44. — שָׂרָיו *Principes ejus*, i. e. praecipuos aulae ministros, et militiae ac provinciarum rectores. *Cthibb* hujus vocis, defectivum (שרו), aliqui, a Kimchio memorati, tanquam singularem numerum, de *Potiphare* intelligendum putarunt. Sed pro singulari si habeas שָׂרוֹ, collective est accipiendum. בְּנַפְשׁוֹ *Pro anima sua*, i. e. pro lubitu et arbitrio suo, *sicut vellet*, ut Syrus reddidit; cf. Gen. 41, 40. — וְזִקְנָיו *Et seniores ejus*, i. e. senatores et consiliarios Pharaonis, proceres regni, quomodo idem nomen et Gen. 50, 7. occurrit, et respondet h. l. τῷ σῷ. יְחַכֵּם *Sapientiam docuit* sc. politicam, nam sapientior et prudentior ceteris omnibus repertus fuisse dicitur Gen. 41, 38. 39.

23. וַיָּבֹא יִשְׂרָאֵל מִצְרָיִם *Israel in Aegyptum venit*, Jacobus est h. l. intelligendus, cujus Israel fuit cognomentum, ut sequens membrum sit ἐπεξήγησις praecedentis, aliter quam supra Vs. 10. De populo enim interpretari ideo non licet, quod eo tempore nondum fuerit populus, neque ultra sexaginta sex Jacobi familia tum habuerit, quam secum in Aegyptum adduxerit, quibus si annumeretur Josephus cum suis, universa domus ejus non habuit ultra septuaginta. De אֶרֶץ־חָם vid. ad 78, 51.

24. Illic vero וַיְפֶר *fructificare fecit*, s. *fructuosum* et admodum foecundum *reddidit*, *Deus*, cujus Vs. 19. mentio facta, et cujus benignitas per totum Psalmum celebratur. Verbum vero illud est *futurum* conjugationis *Hiphil*, per apocopen tertiae radicalis ה, ut וַיִּגֶל *captivum abduxit*, 2 Reg. 17, 6. 18, 11. וַיְעַצְּמֵהוּ מִצָּרָיו *Et robustiorem*, numero et viribus majorem *fecit eum prae inimicis suis*, Aegyptiis, qui illos servitute premebant. Intra annos 222 septuaginta illi homines domus Jacobeae excreverant ad 600,000 peditum, exceptis liberis et mulieribus, vid. Ex. 1, 7. 9. 20.

25. הָפַךְ לִבָּם *Vertit* s. *mutavit se*, vel *versum est cor eorum*. Ita verbum *intransitive* reddunt Chaldaeus et Arabs, quemadmodum et accipiendum est Lev. 13, 3. 4. 13. 20. 1 Sam. 25, 12. Ps. 78, 9., et Ex. 14, 5. in eadem phrasi *Niphal* usurpatur, וַיֵּהָפֵךְ

לֵבָב פָּרֹעָה. Qui vero *transitive* reddunt (coll. 1 Sam. 10, 9. וַיַּהֲפָךְ־לוֹ אֱלֹהִים לֵב, et infra Vs. 29. ipsum הָפַךְ ita occurrit), ii hunc Versum cum praecedente ita nectunt: *quum vero fructuosiorem redderet* Deus — — Vs. 25. *vertit* ita *cor eorum* etc. Grotius: Fecit autem hoc Deus multiplicando populum suum. לְשְׂנֹא עַמּוֹ *Ad odiendum populum ejus*, Dei, ut odisse inciperent eum populum, quem propter Josephum olim dilexerant. Cf. Ex. 1, 8. 9. לְהִתְנַכֵּל בַּעֲבָדָיו *Ut dolosos se gererent* (Chaldaeus: *ut mala excogitarent*) *in servos ejus*, ut fraudem et dolos, vimque et injurias adversus famulos ejus usurparent ad eos exstirpandos.

27. שָׂמוּ־בָם *Posuerunt*, ediderunt (cf. 78, 43. Ex. 10, 1. 2.), *inter eos*, Aegyptios, דִּבְרֵי אֹתוֹתָיו *verba signorum*, rerum mirabilium signa, *ejus*, i. e. prodigia a Deo ipsis mandata. Nomen דברי πλεονάζει, ut Ex. 4, 8. Ps. 65, 4. 145, 5.

28. שָׁלַח חֹשֶׁךְ *Misit tenebras* etiam, post alias calamitates (Ex. 10, 22. 23.), neque enim hic, aut Psalmo 78. poeta singula prodigia eo ordine refert, quo facta sunt, sed quo in mentem ipsi venit. וַיַּחְשִׁיךְ *et tenebras obduxit* iis sc. Deus, vel illa a Deo immissa obscuritas, coll. 139, 12. Verba וְלֹא מָרוּ אֶת־דְּבָרָיו ad Mosen et Aaronem referenda sint, an ad Aegyptios, dissentiunt. Qui ad hos referunt, vel subaudita particula עוֹד *amplius*, verba sic reddunt: *non amplius refragati sunt verbis Dei*, i. e. non amplius detrectarunt, populum dimittere, prodigiis illis adacti: vel particulam ו ante לֹא *interrogativam* existimant, quomodo et 2 Sam. 13, 26. 2 Reg. 5, 18. וְלֹא pro הֲלֹא dicitur, ut verba ita sint transferenda: *nonne refragati sunt mandatis ejus?* i. e. omnino refractarii fuerunt. Interrogatio haud raro pro asseveratione, ut Ex. 8, 22. Lev. 18, 28. 2 Sam. 19, 43., quibus locis etiam וְלֹא pro הֲלֹא. Eum sensum forsan Alexandrinus exprimere voluit, qui, omissa negandi particula, simplicem asseverationem posuit: καὶ παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Alii ad Mosen et Aaronem verba nostra referunt, hoc sensu: exsequebantur enim legati duo illi mandata Dei fideliter; quo eodem sensu phrasis Hebraea hic usurpata et 1 Sam. 12, 15. 1 Reg. 13, 21. 26. usurpatur.

30. שָׁרַץ אַרְצָם צְפַרְדְּעִים. Dupliciter intransitive verbum שָׁרַץ transferunt: *prorepere fecit* Deus *terram eorum ranas*, ut Syrus: *reptare fecit in terra eorum ranas*. At convenientius usui verbi Alexandrinus: ἐξῆρψεν ἡ γῆ αὐτῶν, *scatuit*, s. ebulliit, in maxima copia produxit terra eorum ranas, cf. Gen. 1, 20. 21. Nec obstat verbi masculini cum אֶרֶץ conjunctio; quum id nomen nonnunquam masculini sit generis, vid. ad Ps. 104, 6. Secunda haec calamitas fuit Aegyptiis immissa, vid. Ex. 7, 27. 28. 8, 1. בְּחַדְרֵי מַלְכֵיהֶם Reptantes etiam *in* ipsis *conclavibus regum eorum*, i. e. regis et filii successoris (Ex. 12, 29.) aliorumque principum regiorum; non enim fluminis tantum oras, et agros, sed pagos quoque, vicos et urbes, imo omnia, ranae repleverunt.

31. De עָרֹב *musca canina*, quarta calamitate, vid. ad Ex. 8, 17. De כִּנִּים vero (tertia plaga), quae sunt *culices*, s. *sciniphes*, vid. ad Ex. 8, 12 — 14. בְּכָל־גְּבוּלָם *Per omnem terminum*, s. ut Vulgatus: *in* omnibus finibus *eorum*, i. e. per omnem terram eorum. Cf. eandem phrasin Ex. 13, 7. Jud. 11, 22.

32. נָתַן גִּשְׁמֵיהֶם בָּרָד *Dedit* s. reddidit, fecit (Ps. 69, 12.) *pluvias eorum grandinem*, loco pluviarum grandinem immisit, quae septima calamitas fuit, Ex. 9, 22. 25. Ps. 78, 47. אֵשׁ לֶהָבוֹת *Ignem flammarum*, i. e. una cum igne et fulmine, grando venit cum fulmine et tonitru, Ex. 9, 23.; fuit igitur immissa cum tempestate.

33. וַיַּךְ גַּפְנָם Kimchi: *et* illa grando *percussit;* alii: *et* sic grandine illa (Vs. 32.) Deus percussit *vites eorum*, ut etiam 78, 47. dicitur. וְתְאֵנָתָם *Et ficus eorum*, pro quibus 78, 47. שִׁקְמוֹתָם, utroque loco arborum hortensium species pro genere earum. וַיְשַׁבֵּר עֵץ גְּבוּלָם *Et* grandinis fulminisque tactu (Vs. 32.) *confregit* etiam reliquas omnes *arbores termini eorum*, h. e. intra Aegyptiorum terminos.

34. Octava poena, locustarum calamitas, de qua vid. Ex. 10, 4 — 6. 12 — 15. Ps. 78, 46.

36. Poena decima et ultima: וַיַּךְ כָּל־בְּכוֹר *Percussit*, peremit *omnem primogenitum* hominum et animalium, una nocte, Ex. 12, 29. 30. — רֵאשִׁית לְכָל־אוֹנָם *Primitias omnis roboris eorum*, quod Syrus bene *primum quemque foetum eorum*, tam pecudum, quam hominum, reddidit, i. q. כָּל־בְּכוֹר proxime antea; cf. Gen. 49, 3. Ps. 78, 51.

37. וַיּוֹצִיאֵם בְּכֶסֶף וְזָהָב *Eduxit eos*, Israelitas, servos suos (Vs. 25.), *cum argento et auro*, h. e. cum argenteis et aureis vasis, quae Israelitarum quisque a vicino suo petierat, Ex. 12, 35. 36. — וְאֵין־בְּשִׁבְטֵיו כּוֹשֵׁל *Nec erat in tribubus ejus* populi *labens*, i. e. ἀσθενὴς, *infirmus*, ut Alexandrinus et Vulgatus reddiderunt; nullus, qui sequi agmen non posset, ut 2 Chr. 28, 15. Cf. de hac voce not. ad Ps. 27, 2. Nullus morbo vel infirmitate ab exitu impeditus erat, sed omnes viribus valentes et expediti iter suum alacriter ingressi sunt.

38. שָׂמַח מִצְרַיִם *Laetatus est* populus *Aegypti*, de quo nomen מצרים et Jes. 19, 2. 3. — כִּי־נָפַל פַּחְדָּם עֲלֵיהֶם *Quia ceciderat pavor*, metus *Israelitarum super eos*, Aegyptios, i. e. invaserat Aegyptios metus, quo metuebant Israelitas, propter ea, quae ipsorum causa eis accidcrant, unde exitum eorum non tantum impediebant amplius, sed etiam urgebant et promovebant, Exod. 12, 31 — 33.

39. Egressis vero Deus פָּרַשׂ עָנָן לְמָסָךְ *expandit nubem pro tegumento* (Ex. 26, 36. 2 Sam. 17, 19.), εἰς σκέπην αὐτοῖς, *in protectionem eorum*, ut Alexandrinus et Vulgatus transtulerunt,

cum a furore persequentis hostis, Ex. 14, 19. 20., tum ab aestu et ardore solis, quomodo עָנָן de *nube obumbrante* et Jes. 4, 5. dicitur, cf. Sap. 10, 17. 19, 7.

40. Ante שְׁאֵל Adverbium temporis כִּי, aut כַּאֲשֶׁר subaudiri potest, ut 104, 22. *Quum postularet* populus Israeliticus sc. *carnem*, ut Chaldaeus et Arabs addunt, vid. Ex. 16, 2. 3. — וַיָּבֵא שְׂלָו *Tum adduxit* Deus *coturnices*, vid. Ex. 16, 13. Num. 11, 31. 32. et ibi not., nec non Ps. 78, 27. 28. De לֶחֶם שָׁמַיִם vid. ad 78, 24. 25.

41. פָּתַח צוּר *Aperuit etiam*, instrumento usus Mosis baculo, *petram*, tam in Rephidim, Ex. 17, 6., quam in Cades, Num. 20, 11. הָלְכוּ בַּצִּיּוֹת *Permeabant* aquae (Ps. 104, 10.) *arida loca*, Jes. 41, 18. Ps. 78, 17. נָהָר Chaldaeus et Kimchi: *instar fluvii*, subaudita particula similitudinis; Aben-Esra vero ex priore hemistichio *aquas* repetit in statu constructo (מֵי־נָהָר), q. d. *aquae fluminis*, coll. simili constructione 2 Chr. 15, 8.

42. Et haec quidem omnia fecit Deus, quod non desineret meminisse promissionis sanctae suae, quam fecerat Abrahamo. Cf. Ex. 2, 24.

44. וַעֲמַל לְאֻמִּים יִרָשׁוּ *Et laborem populorum* quasi *hereditatem occupabant*, i. e. omnia ea, quae illi in eis terris excolendis elaborarunt; עמל enim non tantum agriculturae, sed culturae terrae omnis generis labores, ac partas iis opes significare videtur, ut recte complectamur simul oppida, pagos, aedificia, et agros cultos; vid. Deut. 6, 10. 11. Cf. synonymum יְגִיעָם Ps. 78, 46.

45. Haec omnia contulit iis בַּעֲבוּר יִשְׁמְרוּ חֻקָּיו *ideo ut mandata ejus servarent*, ut, quum gentes ceterae omnes falsos deos colerent, ipsi saltem populus esset pietatis et virtutis studiosus. Kimchi: hac sub conditione, ut observarent statuta et leges ipsius, eam terram eis concessit, coll. Deut. 31, 20. — הַלְלוּ־יָהּ Ergo, vos Abrahamidae, pro omnibus illis beneficiis celebrate Deum! Eadem est, quae praecedentis Psalmi, clausula; eademque initium et finis sequentis.

Ps. 106.

Celebrat et hic Psalmus beneficia Dei, exhibita patribus populi Judaici in solitudine deserta et initiis inquilinatus terrae Canaanicae, inprimis autem misericordiam ejus ingentem, qua ignoverit benignissime peccatis gravissimis ipsorum. Refert autem inprimis, quae omisit Ps. 78. et 105. Posterior carminis pars (inde a Vs. 41.) post reditum ex Babylonico exilio compositum, aut certe in eam, qua nunc comparet, formam redactum Psalmum arguit. Absoluto demum Babylonico exilio scriptum esse hunc Psalmum, censet etiam Schnurrerus in *Dissertatt.* p. 484. not. „Neque huic," inquit, „sententiae obstat illud, quod 1 Chron. 16, 34—36. verba,

quae Ps. 106. exhibet Versu primo et duobus extremis, dicuntur adhibita fuisse in sacris publicis, Davidis cura instauratis ordinatisque. Neutiquam enim certa ratione hinc efficitur, Psalmum, cui eadem verba insunt, universum vel ab ipso Davide profectum esse, vel certe ejus aetate in sacris adhibitum. Equidem putaverim potius, formulas 1 Chr. 16, 34. sqq. commemoratas, postquam in sacris adhiberi coepissent, abhinc ita usu receptas, et apud populum frequentatas fuisse, ut inferioris aetatis vati eaedem facillime potuerint occurrere, atque ab hoc in suo carmine usurpari."

2. מִי יְמַלֵּל גְּבוּרוֹת יְהוָה *Quis eloquetur*, verbis exprimere poterit, *potentias Jovae*, i. e. ingentes res, quas efficit summa et multiplex potentia ejus? Ante יַשְׁמִיעַ כָּל־תְּהִלָּתוֹ repetenda est particula interrogativa מִי: quis *audire faciet*, praedicare pro dignitate potest *omnes laudes ejus?*

3. אַשְׁרֵי שֹׁמְרֵי מִשְׁפָּט *Beatitudines custodientium* (vid. not. ad 1, 1.), i. e. beati *qui custodiunt jus*, qui, quod rectum et justum est, accurate et religiose observant. עֹשֵׂה צְדָקָה בְכָל־עֵת Quisquis, inquam, *facit justitiam*, qui integrum et innocentem se gerit *omni tempore*, constanter, 34, 2. 62, 9. Sunt, qui haec accipiant de studio Deum celebrandi; sed propositio potius est hic Versus sequentium, quam explicat Versus sextus.

4. זָכְרֵנִי *Memento mei.* Enallage est, usitata peculiariter omnibus Psalmis, qui posterioribus illis temporibus a diversis auctoribus facti sunt, ut precator in sua persona oret pro universo populo; debet igitur esse: memento nostri, vise ad nos. בִּרְצוֹן עַמֶּךָ *In benevolentia populi tui*, i. e. pro dilectione et gratia promissa, qua complecti tibi libuit populum tuum. Genitivus עַמֶּךָ h. l. est objectivus, ut 30, 1. 69, 10. — פָּקְדֵנִי בִישׁוּעָתֶךָ *Invise me* s. nos, *cum salute tua*, adesto nobis salutari ope tua, et conserva nos.

5. Contingat mihi haec voluptas, ut videam et experiar florentes res delectorum tuorum, et laetitia gentis tuae laetitiam pariat mihi, ut una cum populo proprio tuo jactem beneficia tua laudibus meis. עִם־נַחֲלָתֶךָ *Cum hereditate tua*, i. e. cum illis, quos tibi pro peculio hereditario adoptasti, quo populus Israeliticus significatur, vid Deut. 9, 29.

7. לֹא־הִשְׂכִּילוּ נִפְלְאוֹתֶיךָ *Non considerarunt mirabilia* facta *tua*, quae ipsorum gratia in Aegypto edidisti. וַיָּמְרוּ *Rebellarunt*, se. adversus te; cf. Jes. 63, 10. Ps. 78, 40. Neh. 9, 26. — עַל־יָם בְּיַם־סוּף *Ad mare, in mari algoso*, s. *ad mare, ad mare*, inquam, *algosum*, ante scilicet quam mare aperiretur, et se diduceret, et in alveum hujus descenderent, cum Mose vehementius expostularunt, vid. Ex. 14, 11. 12. De יַם־סוּף vid. ad Ex. 10, 19. Praefixum בְּ ante יָם alterum vel idem significat h. l. quod praecedens עַל, ut infra Vs. 19. et Ez. 10, 15. (ubi בְּנָהָר manifeste pro עַל־נָהָר, coll. 1, 1. 43, 3.); vel, si usitatiorem illius particulae notionem, *in*,

retineas, verba ita capienda erunt, non tantum antequam in maris se diducentis alveum descenderent murmurasse contra Jovam, verum etiam tum, quum jam essent in medio alveo illius, quod dubitarent, se vivos illud transituros. Alexandrinus pro verbis hebraeis עַל־יַם בּוּף־סוּף *ἀναβαίνοντες ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ* posuit, ac si עַל־יַם contracte עַלְיָם *ascendentes*, legisset.

9. וַיּוֹלִיכֵם בַּתְּהוֹמוֹת כַּמִּדְבָּר *Et deduxit eos per abyssos*, h. e. per profunda loca, sive fundum maris, altissimis alioquin aquis opertum, *sicut per desertum*, tanquam per solitudinem aliquam aridam et aquis carentem in terris mediis. In כמדבר particula ב subaudienda, ut 95, 8. כִּמְרִיבָה *sicut in Meribah.*

13. מִהֲרוּ שָׁכְחוּ *Festinarunt obliti sunt*, mox tamen obliti sunt, ut 102, 3. מַהֵר עֲנֵנִי. — לֹא־חִכּוּ לַעֲצָתוֹ *Non exspectarunt consilium ejus*, i. e. non respiciebant amplius ad eum, ut ab ipso penderent, et opem et consilium ejus peterent, aut placide illam exspectarent, haerentibus rebus ipsorum. Cf. 107, 11. De verbo חָכָה vid. ad 33, 20.

15. רָזוֹן, quod proprie *maciem*, *morborum emaciantem* denotat (vid. not. ad Jes. 10, 16.), h. l. in universum de morbis divinitus Israelitis immissis, multa uno die millia perimentibus dicitur, vid. Num. 11, 33—35. 33, 15. 16. Alexandrinus et Syrus h. l. *satietatem* interpretati sunt, apte quidem ad historiam, sed non expressa propria vi nominis hebraei. בְּנַפְשָׁם *In ipsos*, s. ipsis, ut Ps. 105, 18.

16. וַיְקַנְאוּ לְמֹשֶׁה *Mosi inviderunt* datam a Deo auctoritatem, vid. Num. 16, 3—13., et ad verbum Gen. 26, 14. 30, 1. Num. 5, 14. — בַּמַּחֲנֶה *In castris*, quae universa Korachus ad seditionem concitabat, Num. 16, 19. — לְאַהֲרֹן קְדוֹשׁ יְהוָה *In Aaronem*, *sanctum Jovae*, i. e. quem ipse Deus e toto coetu ad sacerdotium segregaverat. Aliqui quod de uno dicitur ad utrumque referendum autumant, hoc sensu: quos delegerat, ut praecessent eis.

19. בְּחֹרֵב *In* deserto ad montem *Horeb*, vid. Deut. 9, 8—12. coll. Ex. 32, 4.

20. וַיָּמִירוּ אֶת־כְּבוֹדָם *Commutarunt* ita *gloriam suam*, i. e. Jovam, Deum, decus et gloriam ipsorum, propter quem, ejusque cultum, populus Hebraeorum prae ceteris populis gloriosus erat, cf. Deut. 4, 6—8. 10, 21. Ps. 3, 4. De verbo מוּר vid. Ps. 46, 3.

23. לוּלֵי מֹשֶׁה בְחִירוֹ עָמַד בַּפֶּרֶץ לְפָנָיו *Nisi Moses*, *delectus*, carissimus *ejus intercessisset* precibus suis *coram eo*. Loquutio *stare in ruptura*, ab urbium oppugnationibus desumta videtur, ubi, si murus ariete aut ferreis glandibus concussus disjiciatur ac corruat, strenui milites objectis corporibus ruinam claudunt, ne hostis, qua parte stratus murus est, irruat. Cf. Ez. 13, 5. 22, 30.

24. Hoc Versu, et tribus, qui sequuntur, breviter tangit historiam exploratorum, quae copiose Num. 13. et 14. describitur. וַיִּמְאֲסוּ בְּאֶרֶץ חֶמְדָּה *Spreverunt terram desiderii*, i. e. audita exploratorum narratione abjiciebant omne studium occupandi terram optatissimam, Cananaeam, quae eodem nomine Jer. 3, 19. Zach. 7, 14. insignitur, cf. Exod. 3, 8. Deut. 11, 11—15. — לֹא־הֶאֱמִינוּ לִדְבָרוֹ *Non* enim *crediderunt verbo ipsius*, quo saepius, iterumque promisit, se eam illis daturum.

26. וַיִּשָּׂא יָדוֹ לָהֶם *Sustulit manum suam iis* sc. jurejurando, ut recte Chaldaeus addidit, i. e. minatus est eis, minasque jurejurando firmavit, illos non visuros esse terram patribus promissam. Vid. Num. 14, 28—30. *Elevare manum* i. q. jurare, loquendi formula ab hominibus depromta, qui jurantes manus ad coelum attollunt, tanquam monstrantes Deum, quem in testem vocant, vel judicem accersentes, si fallant, vid. Gen. 14, 22. Deut. 32, 40. Ez. 20, 5. 6. לְהַפִּיל אוֹתָם *Ut prosterneret eos*, Chaldaeus addit *interfectos*, vid. Num. 14, 29. 32. 37.

27. וּלְהַפִּיל זַרְעָם בַּגּוֹיִם *Et ut projiceret posteritatem eorum inter gentes.* Verbum הַפִּיל paullo aliter hic accipiendum, quam Versu praeced., respondet enim in altero hemistichio לְזָרוֹתָם *ut dispergeret eos*, et Ez. 20, 23., ubi integer hic versiculus repetitur, pro להפיל legitur לְהָפִיץ *ut dispergeret.* להפיל *projiciendi* significatu legitur Jer. 22, 7. Ps. 78, 28. 140, 11. Praeferendum tamen, quod apud Ezechielem legitur, לְהָפִיץ, quum loquutio לְהַפִּיל בַּגּוֹיִם nusquam alias occurrat. Ceterum cf. Lev. 26, 33. Deut. 4, 25. sqq.

28. Versibus his quatuor tangit historiam Num. 25. — וַיִּצָּמְדוּ לְבַעַל פְּעוֹר *Adjunxerunt se*, adhaeserunt *Baal-Peori*, qua phrasi significatur summum studium, quo Israelitae hujus idoli cultum prosequuti sunt. De *Baal-Peore* vid. not. ad Num. 25, 3. זִבְחֵי מֵתִים *Sacrificia mortuorum*, i. e. falsorum deorum, qui sunt vitae expertes, Deo vivo oppositi, Jer. 10, 10. Jes. 8, 19. Ps. 115, 5. sqq.

29. וַתִּפְרָץ־בָּם *Erupit in eos* subito et vehementi cum impetu, ceu aggere rupto. Alii: *rupturam in eis fecit*, coll. Ex. 19, 24. 2 Sam. 6, 8. מַגֵּפָה *Plaga* s. *strages*, ita ut 24000 virorum perirent, vid. Num. 25, 18. 19., et hoc nomen de pestilentia usurpatum 1 Sam. 6, 4. 2 Sam. 24, 21. 25. Aben-Esra: „dimidium illic periit de tribu Simeonis (ex qua etiam ille Simri fuit, a Pinehaso occisus Num. 25, 6. 8. 14.), quod ex illorum numero constat, collatis nimirum 59300 (qui altero post exitum anno numerati fuerunt Num. 1, 23.) cum 22200 post hanc stragem repertis, Num. 26, 14.“

30. וַיַּעֲמֹד *Stetit*, i. e. surrexit, ut in loco parallelo Num. 25, 7. dicitur. וַיִּפְלַּל Chaldaeus et Syrus *oravit* interpretati sunt, ex significatione Conjugationis Hiphil, quod ipsum forsan Alexan-

drinus et Vulgatus suo *placavit* spectarunt. Rectius Aben-Esra et Kimchi: *jus* s. *judicium exercuit* (coll. nomine פְּלִלִים *judices*, Ex. 21, 22. Job. 31, 11.), sc. puniendo, i. e. puniebat, vindicabat facinus. Alii: *arbitrum egit* vindicando, *composuit rem* inter Deum et populum.

31. וַתֵּחָשֶׁב לוֹ לִצְדָקָה Id quod *reputatum est pro justitia*, i. e. fuit ea res pietati et justitiae Pinehasi tributa a Deo, quam ornavit et compensavit in ipso perpetuo sacerdotio, tanquam praemio, Num. 25, 12. 13.

32. וַיַּקְצִיפוּ *Ad iram provocarunt* sc. Deum, ut Vs. 7. 29., cf. Deut. 9, 7. 8. 22. Zach. 8, 14. עַל־מֵי מְרִיבָה *Ad aquas Meriba*, vid. Num. 20, 3. 10. 13. Ps. 81, 8. 95, 8. coll. etiam Ex. 17, 2. 7. — וַיֵּרַע לְמֹשֶׁה Id quod *malum et noxium etiam Mosi fuit*, quo significatu verbum et 2 Sam. 20, 6. occurrit. בַּעֲבוּרָם *Propter eos*, sicut ipse indicat Deut. 1, 37. coll. Num. 20, 12.

33. כִּי־הִמְרוּ אֶת־רוּחוֹ *Nam* Israelitae *exacerbarunt* contumacia sua (Vs. 43. Ps. 78, 17. 40.) *spiritum*, i. e. animum *ejus*, sc. Mosis, de quo Vs. 32., et eodem modo nomen רוּחַ usurpatur Gen. 41, 8. Deut. 2, 30. Ps. 78, 8. al. וַיְבַטֵּא בִשְׂפָתָיו *Ut inconsiderate ageret labiis suis*, cf. not. ad Num. 20, 10.

34. Introducti vero in terram Cananaeam a Josua non exstirpabant populos illos, quos exscindi eis praeceperat Deus, vid. Ex. 23, 32. 33. 34, 11—15. et cf. Jud. 1, 27. 29. 2, 2.

36. וַיִּהְיוּ לָהֶם לְמוֹקֵשׁ *Et factae sunt eis* gentes earumque pravae mores et religiones *in laqueum*, i. e. omnium malorum causam, cf. Ex. 23, 33. Jud. 2, 3. 11—15.

37. שֵׁדִים *Daemonia* pro diis culta, cf. not. ad Deut. 32, 17.

39. Ipsi se polluebant facinoribus malis, scortabantur cum idolis, quorum cultus saepe scortatio vocatur, vid. Ex. 34, 15. 16. Lev. 17, 7. 20, 5. 6.

41. Tradebat eos in manus hostium, gentium exterarum, earumque dominatui ipsos subjiciebat, vid. Jud. 2, 14. 3, 12. 13. 10, 7—9.

43. וַיַּמְרוּ בַּעֲצָתָם *Exacerbaverunt eum consiliis suis* perditis, Deut. 32, 28. Jer. 7, 24. coll. Num. 15, 39. — וַיִּמַּכּוּ *Attenuati sunt*, vel, confecti in magna copia ab hostibus in acie, vel in servitute apud hos mortui, quod mox diserte dicitur Vs. 46. Aliqui simpliciter interpretantur, non quod conficerentur sublati e medio, sed de miseria, quod miseri et deformes, atque macilenti fierent in captivitate, et servirent servitutem miseram.

45. וַיִּזְכֹּר לָהֶם בְּרִיתוֹ *Recordatus est eis foederis sui*, i. e. ad salutem eorum cum ipsis initi.

47. Quae hoc Versu petitur recollectio populi, vix dubitari potest interpretandum esse de iis, qui in Babylonico exilio adhuc aberant, inter gentes dispersi. Quae ipsae preces exstant etiam

1 Chr. 16, 35. in eo Psalmo, quem per Asaphum Davides fecisse dicitur Zionio novo. Sed videtur ei carmini, quod in Paralipomenōn libro exstat, hoc additamentum ex nostro Psalmo adsutum esse.

48. Vid. ad 41, 14.

Ps. 107.

Hoc Psalmo *quinque* produci classes illorum, qui ex angustiis et periculis liberati ad gratias Deo agendas devineti sint, et *primo* quidem, qui, postquam sedibus suis expulsi summam cibi potusque penuriam passi essent, restituti sint a Deo in rem familiarem (Vs. 2 — 9.); *secundo*, qui ex carcere et vinculis in libertatem asserti (10 — 16.), *tertio*, qui ex morbo graviore liberati (17 — 22.), *quarto*, qui ex immani procella salvi in portum deducti (23 — 32.), quibus *denique* subjungitur imago terrae, quae, postquam vastata penitus incolisque orbata esset, receperit nunc colonos suos, atque ad pristinam culturam ubertatemque redierit, manifestum est, et pluribus jamdudum interpretibus observatum. Singularem vero partium illarum rationem et dispositionem primus perspexit Schnurrerus (in Dissertatt. p. 480. sqq.), qui praeclare monuit, quae primae strophae praemittitur, formulam יֹאמְרוּ וגו׳ (vid. ad Vs. 2.) etiam ad tres reliquas aeque pertinere, atque ad Vs. 10. 17. et 23. esse repetendam. „Etenim, quae primam subsequuntur, strophae, ad ejus exemplum ita sunt penitus conformatae, ut partibus suis singulis manifesto illi respondeant. Primo certum genus hominum producitur, deinde exponitur calamitatis magnitudo, sequitur auxilii divini, ejusque precibus efflagitati, commemoratio, et ad gratias Deo peragendes exhortatio subjungitur. Igitur, quum plane eadem appareat stropharum omnium facies et forma, intelligitur, quod praecedit verbum יֹאמְרוּ non uni primae privum et peculiare, sed reliquis etiam commune esse debere. Praeterea, nisi repetatur formula haec, verbum, quo commode referantur, non habent nomina יֹשְׁבֵי חֹשֶׁךְ Vs. 10., אֱוִלִים Vs. 17.“ Argumentum carminis quod attinet, pleriique statuunt, continere illud generalem commendationem providentiae atque benignitatis divinae, quam poeta exemplis quibusdam demonstret, ex quibus singularis illa Dei benignitas, potentia et sapientia in gubernatione hujus universi cognosci possit. Verissime tamen observavit Schnurrerus, hunc locum si tractare in animo habuisset poeta, ut providam Numinis curam, quae omnes omnis generis homines complectatur, celebraret commendaretque, multo aliter scenam instructurum, atque ex infinita, quae praesto erat, multitudine exemplorum copia alia adhibiturum fuisse, quae ad eos, quibus proxime scribebat, propius pertinerent, atque ad animos eorum movendos certiorem vim habitura essent, quam c. c. fata navigantium (Vs. 23 — 32.). „Si vero primam carminis partem seorsim spectaveris (utor verbis

Schnurreri), commodissime potest ad reduces ab exilio Babylonico Judacos referri: non quod eo usque redacti fuerint, ut in vasta solitudine oberrandum illis esset, et cum fame sitique conflictandum; sed poterant certe, ad illustrandam ex superioris conditionis miseria divini beneficii magnitudinem, comparari cum illis, qui domibus ejecti, versarentur in summa rerum omnium inopia atque egestate. Hoc autem si detur, nihil profecto adparet, quod impediat, quo minus et reliqua ad hanc ipsam rationem possint accommodari. Nobis igitur sic videtur, Psalmum hunc compositum fuisse tum demum, postquam Judaei ex Babylonia primum, deinde et aliunde ex variis regionibus, velut ex Aegypto, Arabia etc., quo olim, turbato reipublicae statu, vel ultro profugissent, vel per vim hostium abducti essent, reduces in patriam facti, rem suam publicam et familiarem atque domesticam feliciter instaurare coepissent. Hos igitur esse, quos ad gratias Jovae persolvendas excitet auctor. Induci profugos, captivos, ex morbo languidos, nautas procellis agitatos, nonnisi eo consilio, ut recordationem et quasi multiplicem imaginem tristium laetorumque haberent, qui et ipsi nunc ab exilio in patriam, et quasi ex carceribus in libertatem, ex morbo ad incolumitatem, ex naufragio ad litus pervenissent. Maxime autem confirmatur haec sententia ex eo, quod pars carminis postrema nequaquam agit de regionum populorumque vicissitudinibus universe, sed separatim atque unice exhibet rerum omnium commutationem eam, quam ipsa respublica Judaica experta esset, gravissimam et prorsus singularem.“

2. „Ad verbum יֹאמְרוּ repetenda est vel omnis formula, quae Vs. 1. praecedit, הודו ליהוה וגו׳, ut est Jer. 33, 11., vel pars ejusdem, כִּי לְעוֹלָם חַסְדּוֹ, ut Ps. 118, 3. 4.“ Schnurrer. גְּאוּלֵי יְהוָה *Vos qui liberati estis a Jova*, cf. Jes. 62, 12. Verba מִיַּד־צָר plerique *e manu hostis* reddunt, quem significatum nomen צָר et Ps. 74, 10. 78, 42. obtinet. Aben-Esra vero et Kimchi idem h. l. significare putant quod femininum צָרָה *angustia*, quomodo certe occurrit infra Vs. 6. 13. et 106, 44. Ita מִיַּד pro simplici מִן positum erit.

3. מִצָּפוֹן וּמִיָּם *A septentrione et a mari*, i. e. docente contextu et oppositione, *a meridie*, sive, ut Chaldaeus habet, *de mari australi*, h. e. ab oris maris rubri s. Arabici, quod meridiem versus protenditur, coll. Ex. 23, 31. et Ps. 72, 8., nec non 114, 3. 5., ubi itidem *mare* absolute pro *mari rubro* dicitur. Eadem, qua noster utitur, formula, *septentrio et meridies* et Jes. 49, 12. signatur.

4. Duas voces בִּישִׁימוֹן דֶּרֶךְ quum accentus jungant, *in solitudine viae* reddi solent, quod inviam solitudinem interpretantur. Eam vero potius וְשִׁימוֹן לֹא דֶּרֶךְ, ut infra Vs. 40., dicendam fuisse, recte monuit Schnurrerus, simulque observavit, aptiorem esse Alexandrini interpretationem: *ὁδὸν πόλεως κατοικητηρίου οὐχ εὗρον*,

viam civitatis habitaculi non invenerunt, ut Vulgatus reddidit, nec non Syri, qui addita etiam copula *et viam urbis*, transtulit. Cui interpretationi favet Vs. 7., quo Deus dicitur eos duxisse recta via, quae ad urbem habitatam duceret. עִיר מוֹשָׁב *Urbis habitationis*, i. e. habitatae, qua vel recipi potuissent, vel commorari aliquantisper reficiendi sui causa, Vs. 7. 36.

5. נַפְשָׁם בָּהֶם תִּתְעַטָּף Ita ut *anima eorum in ipsis paene deficeret.* Verbum תִּתְעַטָּף de corde aut spiritu usurpatum, perturbationem vehementem significare, qua cor angitur, et paene deficit, vidimus ad 61, 3.

10. Ante hunc Versum repetenda est ex Vs. 2. formula יֹאמְרוּ וגו׳, vid. Argument. יֹשְׁבֵי חֹשֶׁךְ *Qui sedentes* fuerunt *in tenebris.* „יֹשְׁבֵי intelligendum est de praeterito tempore, ut עֹשֵׂה 106, 21. Etenim participia, quum proprie sint adjectiva verbalia, nullis diversorum temporum formis distincta, omnium temporum esse possunt. Itaque et אֲסִירֵי ad praeteritum tempus referendum est. *Caligo* dicitur pro carcere patro et tenebricoso, ut Jes. 42, 7. Similiter Virgil. *Aeneid.* 6, 734. *neque auras Respiciunt clausae tenebris, et carcere coeco.* In verbis עֳנִי וּבַרְזֶל est forma loquendi quae dici solet hendiadys, et nomen עֳנִי vicem adjectivi sustinet: *constricti ferro aerumnoso.*“ Schnurrer. De צַלְמָוֶת vid. not. ad Ps. 23, 4.

11. אִמְרֵי־אֵל עֲצַת עֶלְיוֹן *Consilium altissimi*, i. q. praecedens אִמְרֵי־אֵל, praecepta et mandata divina, quae docent, quid faciendum sit, quid omittendum.

16. „Formula haec omnis petita esse videtur ex Jes. 45, 2. Usurpatur verbum גִּדַּע de caedendis dejiciendisque rebus iis, quae erectae sint, veluti cornibus, arboribus, statuis. Igitur et hic intelligendi obices ferrei, non transversi illi, sed qui erecti foribus clausis obstent obnitanturque extrinsecus.“ Schnurrer.

17. אֱוִלִים, adjectivum, putamus participii usum hic habere, atque, ut illud אֲסִירֵי Vs. 10. ad praeteritum tempus referendum esse. *Stultus* autem Hebraeis dicitur quoque, qui improbam vitam agit, quapropter Alexandrinus Ps. 119, 113. vocem סֵעֲפִים, quae ex usu arabici verbi שעף *mente turbatos*, *insanos* significat, bene reddidit *παρανόμους*. Ante vocem מִדֶּרֶךְ supplendum est pronomen אשר. Praefixum מ significat *propter*, ut Vs. 34. in formula מֵרָעַת יוֹשְׁבֵי בָהּ. Verbum הִתְעַנּוּ ex usu, quem in Pihel habet, potest esse, afflictum semet reddidit, mala atque incommoda sibi concitavit.“ Schnurrer.

20. יִשְׁלַח דְּבָרוֹ וַיִּרְפָּאֵם *Misit verbum suum et sanavit eos*, i. e. voluit et mandavit, ut convalescerent, וַיְמַלֵּט מִשְּׁחִיתוֹתָם *atque* ita *eripuit* eos *e foveis* s. sepulchris *eorum*, i. e. ab interitu eos liberavit. Cf. 104, 4.

23. יוֹרְדֵי הַיָּם בָּאֳנִיּוֹת *Qui descendunt in mare navibus*, i. e. navigantes. *Descendere* dicuntur, qui mari se committunt,

vel quod, ut vult Kimchi, terra exstet super litus maris, quamvis alioquin, inquit, mare absolute terra sit altius, vel quod, ut vult Josephus Kimchi, navis profunda sit, et in illam descendatur, unde de Jona 1, 3. dicitur: *invenit navem et descendit in eam.* Grotius: hoc autem ideo, quia moles altae sunt ad portus, ex quibus in naves descenditur. עֹשֵׂי מְלָאכָה בְּמַיִם רַבִּים *Facientes opus in aquis multis*, intelligenda sunt opera navalia remigando, vela dando, et explicando, rursus contrahendo, gubernando; significantur itaque his verbis simpliciter navigantes.

24. *Illi viderunt*, i. e. experti sunt *opera Jovae, et mira ejus facta in profundo.* „Haec non putem intelligenda esse de multis variisque, quae in mari navigantibus se offerant, rebus insolitis mirandisque, ex quibus certe perspicitur potentia ac sapientia Dei, a quo condita sunt omnia, sed redeunt potius ad mirificum Dei auxilium, quo usos se esse persuaderc sibi debeant, qui ex horrenda tempestate salvi eluctentur; ferc ut Germanicc de eo, qui extremum aliquod discrimen feliciter evasit, dicimus: *er kann von Wundern sagen*, miram ipse bonitatis et potentiae divinae vim expertus est.“ SCHNURRER.

25. *Dixit* tantum, i. e. voluit et jussit, *et adstare* s. oriri fecit, suscitavit (quomodo וַיַּעֲמֵד et הֶעֱמִיד et 2 Chron. 19, 5. 8. 20, 21. dicitur) *ventum turbinis* s. *procellae, sustulitque in altum* sc. ventus illc (nam verbum feminei generis וַתְּרוֹמֵם convenit cum nomine ejusdem generis רוּחַ) *fluctus ejus*, maris. Alexandrinus prius hemistichium sic reddidit: εἶπε, καὶ ἔστη πνεῦμα καταιγίδος, quod Vulgatus sequutus: *dixit, et stetit spiritus procellae*, i. e. tanquam expeditus ad obsequendum servus praesto fuit turbo. Sensus bonus; eum vero si poeta exprimerc voluisset, dicendum ei fuerat תַּעֲמֵד.

26. *Ascenderunt in coelum* sc. fluctus marini, et cum illis navigantes (Vs. 23. 25.), rursusque *descenderunt in abyssos* seu intima maris, *anima eorum in malo*, in tanto discrimine, tota veluti *colliquescebat* ac dissolvebatur prae metu.

27. *Circumvagabantur* (יָחוֹגּוּ enim ad nomen חוּג est referendum, quod Chaldaice et Syriace significationem habet *gyri orbisque*) *et titubarunt sicut ebrius*, vertigine quasi correpti, quod eorum est, qui perculsi stupefactique consilii inopia laborant, *et omnis sapientia eorum absorpta est*, evanuit, adversus vim ventorum ars navigandi et peritia eorum nihil quicquam proderat. Imaginibus haud multum diversis tempestatem depinxit Ovidius *Trist.* 1. Eleg. 2.

29. יָקֵם *Stare* s. *consistere fecit*, i. e. ut recte Syrus: *sedavit*, *cessare fecit.* לִדְמָמָה Alexandrinus et Vulgatus recte εἰς αὔραν, *in auram* transtulerunt, neque enim *silentium venti (Windstille)* intelligendum esse, docet tam res ipsa, quum nihil

nautis sit terribilius, quam post procellam omnino ventos conticescere, quod graviorem procellam praesagit, quam loca 1 Reg. 19, 12. Job. 4, 16., quibus *lenis aurae sibilum* intelligere flagitat contextus. Virgilii verbis dicere possimus: *aequatae spirant aurae.* Ceterum est hic, recte monente Schnurrero, constructio verbi, quae praegnans dicitur, pro: וַיָּקֶם סְעָרָה וַיַּעֲשֶׂהָ לְדְמָמָה *sedavit tempestatem, eamque convertit in auram.* גַּלֵּיהֶם *Fluctus eorum*, sc. marium s. aquarum, Vs. 24.

32. מוֹשַׁב זְקֵנִים *Consessus seniorum*, est forum, et locus, ubi magistratus, qui ex scnioribus constabat, conveniebat.

33. יָשֶׂם נְהָרוֹת לְמִדְבָּר *Posuit*, fecit, convertit *flumina*, i. e. loca fluviorum aquis antea rigata *in desertum.* Verbum in futuro positum, יָשֶׂם, h. l. accipiendum esse de praeterito tempore, recte docuit Schnurrerus apparere ex eo, quod continuo sequuntur futura, quae, praefixo Vav conversivo, vim habent praeteritorum; quae vero sequuntur inde ab hoc Versu usque ad Vs. 42. referenda esse ad mirabilem illam terrae Judaicae conversionem, qua factum est, ut primum, deductis in Babyloniam incolis, vasta atque inculta relinqueretur, deinceps, redditis colonis, novam faciem induerct. Certe loeus Jes. 41, 18. 19., ex quo noster ductus esse videtur, nonnisi hanc ipsam rcm spectare ccnsendus est. Cf. Chaldaei interpretationem Vs. seq. De מוֹצָא vid. ad 65, 9.

34. Verbis propriis enunciat, quae antea figurate dixerat. אֶרֶץ פְּרִי *Terram fructus*, i. e. foecundam ac frugiferam, sicut עֵץ פְּרִי *arbor fructus*, est fructifera, Gen. 1, 11.; נְאוֹת דֶּשֶׁא *pascua herbae*, herbida, graminosa, Ps. 23, 2. — לְמִלֵּחָה *In salsuginem*, i. e. in falsam et sterilem terram convertit, ut neque sereretur, nec germen ferret. Sicut post eversionem Sodomae et Gomorrhae ex terra fertilissima et amoenissima factus est *lacus salis*, Gen. 13, 10. 14, 3. coll. Deut. 29, 22. Plin. *Hist Nat.* 31, 7. *Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit.* Cf. Virgil. *Georg.* 2, 238. Hinc Jud. 9, 45. legimus Abimelechum Sichem urbem a se expugnatam solo aequasse saleque consevisse. Fuit hoc in more apud veteres, ut cum locum aliquem damnare vellent solitudinis, ac prorsus in vastitatem redigere, eum sale conspergerent. Chaldaeus: *Terram Israeliticam, quae fructum ferebat, vastavit sicut Sodomam, quae eversa est propter malitiam habitantium in ea.* Sic Vs. 35. *Quando autem conversi sunt ad legem, mutavit desertum* etc. Et Vs. 39. *Sed quum peccassent, imminuti fuerunt* etc.

35. יָשֶׂם מִדְבָּר לַאֲגַם־מַיִם *Convertit solitudinem in stagnum* quasi et copiosam abundantiam *aquarum.* Cf. Jes. 41, 18. Intelligendum hoc de terra Israelitica, quae incolis destituta et inculta rursus ad priorem statum rediit, incolis reversis, Vs. 36. seq.

36. וַיּוֹשֶׁב שָׁם רְעֵבִים *Habitare fecit*, collocavit *illic esurientes*, omnibus vitae commodis antea destitutos. וַיְכוֹנְנוּ עִיר

מוֹשָׁב Ita ut *erigerent urbem habitationis*, i. e. urbes quas habitarent, vel, ut alii volunt, urbes populosissimas.

37. Verbum וַיִּטָּעוּ aliqui referunt ad novos terrae colonos, de quibus Vs. 36., qui *compararent* et colligerent פְּרִי תְבוּאָה, *fructum* annui *proventus* (Lev. 25, 20. 22. Deut. 22, 9.), quomodo verbum עָשָׂה de *opum comparatione* dicitur Gen. 12, 5. Deut. 8, 17. Sed עֲשׂוֹת פְּרִי quum non *homines* dicantur, verum *agri*, *vineae*, *arbores*, vid. Gen. 1, 11. 12. 2 Reg. 19, 30. Hab. 3, 17., verbum illud h. l. rectius ad praecedens כְּרָמִים trahitur, ut sensus sit talis: *plantarunt vineas, quae redderent fructum proventus.* Sic 2 Sam. 11, 13. unam in seriem connectuntur verba plura ejusdem personae, generis et numeri, quae tamen referenda sunt ad diversa subjecta, partim ad Davidem, partim ad Uriam.

39. Quae hoc et Vs. sq. leguntur, aliqui de hostibus Israelitarum, non de Israelitis ipsis putarunt accipienda. „Sed (inquit Schnurrerus) hoc certe negari nequit, in oratione ipsa nihil prorsus esse, quod lectorem moneat, de aliis iisque diversis hominibus nunc esse subito cogitandum. Et potius oratio ipsa sic comparata, ut non possis non in eam sententiam adduci, quod ad eosdem referenda sint omnia. Nos putamus, praeterita haec, וַיִּמְעֲטוּ וַיִּשְׁחוּ nec non Participium שֹׁפֵךְ (Vs. 40.), quod ob sequens וַיַּתְעֵם positum esse debet pro שָׁפַךְ vel וַיִּשְׁפֹּךְ, dicta esse in relatione ad res praeteritas ante commemoratas, adeoque reddenda esse in Plusquamperfecto: quo facto planissime progreditur omnis oratio. Etenim, cum diceret vates, auctum nunc iterum esse divino beneficio civium numerum, fere non poterat non succurrere memoria pristinae calamitatis, qua factum erat, ut ad exilem numerum redigeretur populus.“ Transferendum igitur: *ad paucitatem redacti fuerant et depressi*, *ab oppressione mali et moeroris*, i. e. calamitatibus et moerore oppressi. Alii per asyndeton, *ab oppressione*, *et malo et moerore.*

40. שֹׁפֵךְ בּוּז עַל־נְדִיבִים *Effuderat* (vid. not. ad Vs. 39.) *contemtum* in *principes* (verba ex Job. 12, 21. petita). „Quum clades illa non in plebe sola se contineret, sed latissime ad omnes omnium ordinum homines pateret, addit: ne principibus adeo viris pepercisse Deum, quin contemtim eos ab hostibus haberi permitteret.“ Schnurrer. וַיַּתְעֵם בְּתֹהוּ לֹא־דָרֶךְ *Vagari fecerat eos in vastitate* ubi *non* est *via*, i. e. in summa mentis et consilii inopia, quae ipsa verba et Job. 12, 24. Quae formula inde orta est, quod sint in Oriente deserta, tota obtecta arenis, vento mobilibus, aestuque ardentibus, in quae qui incidit, nisi habeat itineris ducem gnarum et bene exercitatum, non potest non miserrime perire.

41. וַיָּשֶׂם כַּצֹּאן מִשְׁפָּחוֹת *Posuit Deus sicut oves familias*, i. e. effecit Deus, ut nunc singulae etiam familiae gregis instar numerosae evadant. Cf. Ez. 36, 38.

42. וְכָל־עַוְלָה קָפְצָה פִיהָ *Omnis autem perversitas*, i. e. improbi et scelerati homines, *occludit* tandem *os suum*, tacere cogetur, nec ultra mutire audebit. Eadem verba et sententia Job. 5, 16. In priori hemistichio Schnurrerus יְשָׁרִים monet Judaeos esse, a Jova iterum in gratiam tutelamque receptos: „Qui contra confusi nunc esse dicuntur, ut ne hiscere quidem audeant, putem Idumaeos esse, Philisthaeos, aliosque olim infensiores accolas, quos Judaeis, quum in Babyloniorum potestatem venirent, proterve illusisse, atque adeo patrii numinis vel negligentiam, vel virium, quae vindicando populo suo pares essent, inopiam exprobasse, ex multis prophetarum loeis certo constat."

43. *Quisquis sapiens est, is observet*, considcret *haec* omnia superius dicta, *intelligant* singuli et quisque eorum *multiplicem Jovae benignitatem!* „Extrema haec pars carminis non est ad Judaeos solos referenda, sed latissime patet, atque ad omnes omnino illius aevi homines pertinet. Habuit enim populi Judaici restitutio hunc quoquc usum plane eximium, ut inter exteras etiam gentes multorum animi excitarentur ad intelligendum, quam pracclare et mirabiliter actum fuerit cum Judacis, 126, 2." Schnurrer.

Ps. 108.

Carmen hoc ex duobus Davidicis est contextum; atque initium quidem transscriptum est ferme iisdem verbis ex Psalmo 57. usque ad Versum scxtum; reliqua omnia usque ad finem deprompta sunt ex Ps. 60, 7. sqq. De hujusmodi repetitionibus vid. quae Psalmo 14. praemisimus.

Ps. 109.

Adversus homines impios, qui innocentem ipsum persequerentur, et mala pro bcneficiis redderent, dirae exsecrationes pronunciat, atque mala multa capiti illorum dicit. In calumniatorcs Davidis apud Saulem, inprimis in Doëgum, Idumaeum, Psalmum factum Kimchi putat; Grotius vero contra Ahitophclem, hominem perfidiosissimum, amicum quondam Davidis, carmen directum arbitratur. Ad facinus Simei, cujus historia legitur 2 Sam. 16, 5—13. Psalmum, potissimum Vcrsus 16. 17. refert Dathius.

1. אֱלֹהֵי תְהִלָּתִי *Deus laudis meae!* quem laudibus celebro Vs. 30. Ps. 22, 26. 71, 6. — אַל־תֶּחֱרַשׁ *Ne* quasi surdus et mutus *taceas* (28, 1. 35, 22. 50, 3.), nimirum ad ea, quae faciunt mihi impii, sed proterviam adversariorum reprimas, et justam de eis vindictam sumas.

2. Rationes sequuntur vindictae, Vs. 1. postulatae, et Vs. 6. et sqq. ejusdem expositio s. descriptio habetur. כִּי פִי רָשָׁע וּפִי־ מִרְמָה עָלַי פָּתָחוּ *Quoniam os impii*, i. e. impiissimum, *et os* ipsius quasi *fraudis*, i. e. fraudulentum, doli plenissimum (ut

שִׂפְתֵי מִרְמָה 17, 1.) *contra me aperuerunt.* Verba פָּתְחוּ et דִּבְּרוּ, hemistichio altero, *impersonaliter* ponuntur, vel subaudiendum est: *inimici*, vel *adversarii mei*, cf. 68, 25. 75, 2.

3. וְדִבְרֵי שִׂנְאָה *Et verbis odii*, i. e. odiosissimis, ex mero odio profectis, nec nisi odium spirantibus. Omissum est praefixum ב ante דברי, ut Ex. 20, 11., eademque cum verbo סָבַב constructio 1 Reg. 5, 17. — סִבְבוּנִי *Circumdederunt me*, undiquaque adgressi sunt me, ut Hos. 12, 1.

4. וַאֲנִי תְפִלָּה *et ego oratio*, pro אֲנִי אִישׁ תְּפִלָּה *ego tamen vir precum*, cf. not. ad Vs. 2., et add. 120, 7. et Dan. 9, 23., ubi חֲמֻדוֹת אָתָּה dictum esse pro אִישׁ־חֲמֻדוֹת patet ex cap. 10, 11. 19. Alexandrinus: ἐγὼ δὲ προσηυχόμην, Vulgatus: *ego autem orabam.* Aben-Esra et Kimchi monent subaudiendum esse לָהֶם *pro iis*, coll. Ps. 35, 13., ut sensus sit: *quum ego tamen* semper *precibus meis pro illis intercesserim.* Syrus: *et ego oraveram pro ipsis.* Sed hoc potius dici videtur: ego vero oro, ad preces confugio, nitor solis ad Deum precibus meis.

6. Quare הַפְקֵד עָלָיו רָשָׁע *Praefice super eum impium*, i. e. in poenam hosti meo immitte hominem impium, qui eum perpetuo exerceat. Loquendi formula הִפְקִיד עַל פְּלֹנִי *praeficere* s. constituere *super aliquem aliquid* de malis alicui immissis, quae instar severi alicujus domini aut exactoris eum continuo vexent exagitentque, occurrit etiam Lev. 26, 16. Transit hoc Versu oratio a plurali (Vs. 2—5.) ad singularem, usque ad Vs. 19., quod alii *distributive* accipiunt, ut עָלָיו sit interpretandum: *super unumquemque* adversariorum, alii *collective* de universa illorum turba intelligunt. Kimchi suffixum singulare vocis עָלָיו ad antesignanum adversariorum Davidis, Doëgum Idumaeum, refert, Grotius ad Ahitophelem. וְשָׂטָן יַעֲמֹד עַל־יְמִינוֹ *Et adversarius stet ad dextram ejus*, ut reum peragat in judicio tuo, causamque obtineat ad ejus condemnationem. Nomine שָׂטָן Kimchi *angelum Satanam* intelligendum existimat h. l. ut Job. 1, 6—9. 2, 1—7., minime concinne ad rem praesentem. Recte vero Aben-Esra *hominem adversarium* significari observat, ut 1 Sam. 29, 4. 2 Sam. 19, 23. 1 Reg. 11, 14. 23. Sunt, qui verba *stat ad dexteram ejus*, interpretentur: urgeat latus ejus, coll. Job. 30, 12. Aliis tamen rectius haec phrasis ex foro petita videtur, ubi accusatorem reo a dextra stetisse verisimile est ex Zach. 3, 1., quae sententia Versu proximo commendatur.

7. בְּהִשָּׁפְטוֹ *Quum judicabitur* sc. *coram te*, ut Jarchi addit. At Aben-Esra et Kimchi: *quum lite concertaverit* mecum, vel cum alio homine, quomodo verbum שָׁפַט in Niphal Ez. 20, 35. 36. dicitur. Hoc tamen loco praestat *passiva* significatio, collato Ps. 37, 33. — יֵצֵא רָשָׁע *Exeat*, discedat e judicio tanquam *impius*, criminibusque opertus et *reus*, ut recte Chaldaeus reddidit. Alexandrinus: καταδεδικασμένος, Vulgatus: *condemnatus*, quo

significatu רָשַׁע et Num. 35, 31. usurpatur, et usitatum est Aethiopibus. Benc. Syrus: *et quum judicantur, exeant rei.* וּתְפִלָּתוֹ הִהְיֶה לַחֲטָאָה *Et oratio ejus*, qua pro se orabit, *fiat in peccatum*, non misericordiam obtineat, aut veniam impetret, sed crimen potius augeat; preces ejus convertant ei in malum.

8. פְּקֻדָּתוֹ יִקַּח אַחֵר *Munus ejus accipiat alius*, e loco muneris, quod gessit, celeri monte abreptus, ita decedat, ut relinquat hoc invitus alteri. פְּקֻדָּה proprie *quod alicui administrandum demandatum est*, concreditum, commissum alicui munus. Aliis hic est *praefectura*, ut Num. 3, 32. 4, 16. coll. 30, 14. 2 Reg. 11, 13., quare Alexandrinus ἐπισκοπὴν reddidit. Chaldaeus: *numerum annorum ejus alius in hereditatem accipiat;* satis apposite ad hemistichium prius, modo certis argumentis constaret, פקדה Hebraeis *numerum annorum vitae* significare.

10. וְשֹׁאֲלוּ *Et petant*, sc. stipem. Vulgatus: *et mendicent;* cf. Thren. 4, 4. Prov. 20, 4. Ps. 37, 25. — וְדָרְשׁוּ *Et quaerant* sc. panem, victum. מֵחָרְבוֹתֵיהֶם *E vastatis suis locis* sc. egressi, vel ejecti. Ita Alexandrinus: ἐκβληθήτωσαν ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν, Vulg. *et ejiciantur de habitationibus suis.* In Syriaca translatione hic Versus desideratur.

11. וְנֹקֵשׁ נוֹשֶׁה לְכָל־אֲשֶׁר־לוֹ *Irretiat*, laqueos injiciat, *foenerator omni quod est ipsi*, i. e. facultates ejus cedant foeneratoribus, creditoribus foenerariis, obstrictae et addictae. Alexandrinus: ἐξερευνησάτω δανειστὴς πάντα ὅσα ὑπάρχει αὐτῷ, et Vulgatus: *scrutetur foenerator omnem substantiam ejus.* Non quod pro וְנֹקֵשׁ in suo codice וְבֹקֵשׁ legit, sed quod נָקַשׁ aliquando idem existimavit significare, quod קָשַׁשׁ *quaerere, diligenter scrutari*, quemadmodum נָגַשׁ et גָּשַׁשׁ affines habent significationes; item נָדַח et דָּחָה. Chaldaeus etiam nostra verba *conquirat exactor omne quod ei* reddidit; suo גְּבָב vero constanter utitur ad exprimendum hebraicum קָשַׁשׁ. וְיָבְזוּ זָרִים יְגִיעוֹ *Diripiant alieni*, qui nihil ad eum vel consanguinitate, vel adfinitate attinent, vel, *barbari* et *extranei* hostes (ut Deut. 28, 43. 44. Jes. 1, 7.) *laborem ejus*, i. e. facultates labore sibi acquisitas, quomodo יְגִיעַ Ps. 78, 46. usurpatum vidimus.

12. אַל־יְהִי־לוֹ מֹשֵׁךְ חָסֶד *Non sit ei protrahens*, continuans *misericordiam*, sed cito quasi commiserationem omnem abrumpat, cognita extrema illius indignitate. De phrasi cf. not. ad 36, 11. וְאַל־יְהִי חוֹנֵן לִיתוֹמָיו *Nec sit, qui gratiam exerceat erga orphanos ipsius.* Talis exsecratio est: *Sis miser, et nulli miserabilis*, Ovid. *in Ibin.* Vs. 115.

13. יְהִי־אַחֲרִיתוֹ לְהַכְרִית *Fiat* quoad *posteritatem ejus qd exscindendum* sc. sit destinata; s. addicta, i. e. *ut exscindatur;* exscindatur posteritas ejus. Nomen אחרית Chaldaeus et Syrus de *fine* impii accipiunt, hoc sensu: *sit finis ejus, ut exscindatur.*

Sed recte Alexandrinus, Vulgatus, et Kimchius *posteros ejus* interpretantur, quomodo illud nomen saepe dicitur, veluti 37, 37., ubi not. cf. בְּדוֹר אַחֵר יִמַּח שְׁמָם *In generatione altera deleatur nomen eorum*, parentis non solum, verum et posterorum (אחריהו). *Generatione altera* intelligenda ad nepotes usque generis seu familiae propagatio. Sensus igitur est: neque in altera aetate exstet amplius nomen ipsorum, nihil ea de his sciat amplius, id est, ne perveniant ad aetatem alteram. *Nomen alicujus delere*, pro: funditus exstirpare, cf. Deut. 29, 19. Ps. 9, 6.

14. יִזָּכֵר עֲוֹן אֲבוֹתָיו אֶל־יְהוָה *In memoriam revocetur iniquitas patrum*, majorum, *suorum coram Deo*, ei in reatum et poenam imputetur. Cf. Ex. 20, 5. — וְחַטַּאת אִמּוֹ אַל־תִּמָּח *Et peccatum matris ipsius ne deleatur*, sed filio imputetur, ut illius poenas luat.

15. יִהְיוּ *Sint* peccata parentum, Vs. 14. Semper versentur peccata horum ante oculos Jovae, ne unquam obliviscatur vindicare ea, ut deleatur non tantum posteritas, sed nomen ejus prorsus ex omni memoria hominum.

17. Ita egit omnia, ut qui maledici sibi vellet a Deo, eveniat ergo ei, quod voluit. Altero hemistichio eadem sententia verbis oppositis exprimitur.

18. וַיִּלְבַּשׁ קְלָלָה כְּמַדּוֹ *Induat maledictionem ut vestimentum*, vid. not. ad 35, 26. Exsecratio et miseria tanquam vestis interna, quae propius corpus contingit, totum eum occupet, influat in intima viscera ejus, sicut aqua, quam quis potat, et sicut oleum, quo quis perungit corpus ad curandum, cujus quidem vis in ossa ipsa ac medullas penetrat.

21. עֲשֵׂה־אִתִּי *Fac mecum*, i. e. partes meas suscipe, tua me virtute defende, et auxilio mihi praesto sis, cf. 1 Sam. 14, 6. 45. Jer. 14, 7.; vel subaudiendum est nomen חֶסֶד *fac mecum misericordiam*, ut Gen. 21, 23. 40, 14. Ps. 86, 17.

22. וְלִבִּי חָלַל בְּקִרְבִּי *Et cor meum vulneratum*, saucium est aegritudine *intra me*.

23. כְּצַל כְּנָטוֹתוֹ *Sicut umbram*, *quum*, sole ad occasum inclinante, *inclinatur* s. *extenditur*, evanescentiae proxima est. Nam etsi vespertinae umbrae longiores fiunt, prope tamen tum tempus est, quod umbras tollit prorsus. Dicitur igitur hoc simpliciter: evanesco paulatim, sicut umbra. Cf. 102, 12. — נְנַעַרְתִּי כָּאַרְבֶּה *Excussus sum sicut locusta*, quod interpretandum de exagitationibus earum a ventis (coll. Ex. 10, 19. Nah. 3, 17.), aut hominibus, a quibus clamore sublato arcentur, vel musicorum instrumentorum fragore aliisque remediis prohibentur, quo minus in agris subsidant, vid. Niebuhrii *Descript. Arab.* p. 144. et Oedmanni *Vermischte Sammlungen aus der Naturk.* Fasc. 2. cap. 6. p. 104. sq. transl. german.

24. בִּרְכַּי כָּשְׁלוּ *Genua mea collabuntur* (vid. ad 27, 2.), Alexandrinus: ἠσθένησαν, Vulgatus: *infirmata sunt*, omnibus viribus destituta corruunt, Ps. 31, 11. — מִצּוֹם *A jejunio*, inedia. וּבְשָׂרִי כָּחַשׁ מִשֶּׁמֶן *Et caro mea mendax facta est*, i. e. defecit, destituta est, *a pinguedine*, sc. ita exhausta ac deficiente, ut instar testae nunc aream. Verbum כָּחַשׁ in Conjug. Cal hoc tantummodo loco occurrit; in Piel est *mentiri*, *fallere*, e. c. 1 Reg. 13, 18. Ps. 18, 45., item per metaphoram de arbore aut segete dicitur, quae *spem mentitur*, Hos. 9, 2. Hab. 3, 17., et de *macie corporis* nomen כַּחַשׁ Job. 16, 8. usurpatur.

25. יָנִיעוּן רֹאשָׁם *Movent caput suum*, per ludibrium, et contemtus causa, ut solent irridentes, cf. 22, 8.

27. וְיֵדְעוּ כִּי־יָדְךָ זֹאת *Ut cognoscant*, *quod manus tua* ejusque opus aut effectum *hoc* sit, cf. Ex. 8, 15. 14, 31. Kimchi: quod *haec salus* (Vs. 26.) a tua manu mihi obtigerit.

29. יִלְבְּשׁוּ שׂוֹטְנַי כְּלִמָּה *Induantur adversarii mei ignominia*, vid. not. ad 35, 26.

31. Adest misero propugnatione sua (ita *dextrae adstare* et Ps. 16, 8. 121, 5.; differt nostra phrasis ab ea, quae supra Vs. 6. usurpata, ibi enim verbum עָמַד construitur cum עַל *contra*, significatque *adversari*, hic vero constructum cum לְ *ad*, denotat *adesse alicui ad latus)*, et conservat cum adversus sententias et conatus eorum, qui morti eum adjudicant.

Ps. 110.

Regis, divinis summum imperium tenentis auspiciis, et cum regia dignitate conjungentis sacerdotalem, ad prisci illius Melchisedeci exemplum, celebrantur majestas, potentia et victoriae bellorum, quibus regni sui hostes omnes, divino auxilio adjutus, partim jam sibi subjecit, partim in posterum sit prostraturus. Regem hunc tantis celebratum laudibus qui Davidem esse statuunt interpretum recentiorum plerique, expugnato, Davidicis copiis, Hierosolymorum castello, factum esse carmen volunt in honorem regis, quod arguere ipsis videtur Versus quartus, quo rex divino decreto dicitur constitutus esse successor prisci illius venerandique Hierosolymorum regis Melchisedeci, cujus scilicet quondam sedem, Jebusaeis nunc ereptam, Davides futuram Israelitarum regiam declaravit. Eodem pertinere dicunt, quod Versu 2. rex *e Zione* sceptrum potentiae suae longe lateque prolaturus esse canitur. Aben-Esra vero carmen tum conscriptum esse autumat, cum Davides audaci certamine cum hoste pugnans, in vitae discrimen adductus, et Abisaei interventu aegre liberatus esset; vid. 2 Sam. 21, 15—17. Comites Davidis eo tempore narrantur jurasse, se non passuros, ut deinceps secum ad pugnam egrediatur, ne extinguatur lumen Israelitarum. Quo refert prima carminis hujus

verba, quae sic interpretatur: *remaneas* (יָשַׁב *manere*, *commorari*, *remanere*, 2 Reg. 2, 2. 4. 6. Jud. 6, 18. Hos. 3, 3., plane ut Graecorum καθίζειν, e. c. Luc. 24, 49. Act. 18, 11.) *in arce tua, Zione, securus fiducia auxilii mei; ne exeas ad proelia: hostes tuos, tibi etiam absenti, subjiciam.* Neque tamen probari potest haec explicatio, utpote usui formulae Hebraeae ibi usurpatae prorsus repugnans. Denique quid permoverit vatem, ut regem tam solenni formula Versu quarto Melchisedeci successorum a Jova declaratum canat, cogitari plane non potest, si carmen ad ea referas, quae 2 Sam. 21. commemorantur. Quod ipsum valet contra eorum sententiam, qui Psalmum de Abrahamo, vel de Salomone, vel de Hiskia exponunt. Praetermittimus alias conjecturas. Nos quidem, quum hic Psalmus cum secundo hoc habeat commune, quod utroque carmine profertur divinum oraculum, quo Jova regi a se constituto pollicetur, se ejus hostes penitus profligaturum, Psalmum secundum vero suo loco viderimus canere summum illum regem e stirpe Davidica oriundum, restitutorem gentis ac reipublicae Hebraeae, quem הַמָּשִׁיחַ *unctum*, ἐξόχως appellarunt; eundem et hoc Psalmo celebrari minime dubitamus. Veteres Hebraeos hanc spem fovisse, fore, ut Messias, perdomitis ac debellatis hostibus, ipsos ad summum potentiae et splendoris fastigium eveheret, omnibusque gentibus ac nationibus imperaret, quae supersunt vatum Hebraeorum oracula clarissime probant. Porro is, qui hoc carmine celebratur, cum regia dignitate sacerdotalem in se uno conjunctam habet, contra quam fas esset in Israelitica civitate, illamque aeternam et excellentiorem, quam qua Aaronitici sacerdotes orati erant. Quod nec de Davide dici potuit, nec de ullo alio rege terrestri, sed de solo Messia. Ad *Messiam* Judaeos actate Jesu carmen retulisse constat ex quaestione illa Pharisaeis a Domino proposita (Matth. 22, 41. Marc. 12, 35. Luc. 20, 41.); neque aliter persuasum fuisse videtur illi, qui carmen nostrum huic sacrorum cantuum syntagmati inseruit, Davidique auctori tribuit. Quodsi enim Davides hanc odam dixerit, non se ipsum, sed alium quendam, se superiorem, illa celebrasse necesse est. Ille vero quis alius, nisi Messias, fuerit? Nihil est, quod iis interpretibus, qui hoc carmine Messiam cani statuunt, opponit DE WETTE, victorias multo sanguine partas, quae regi hoc Psalmo celebrato tribuuntur, plane repugnare sanis, quae hominem Christianum decent, notionibus de Messia, atque adeo ad tuendum religionis et librorum sacrorum honorem illam interpretationem esse rejiciendam. Nam quis ignorat, carmina illa et prophetarum effata, quae Messiae splendidum imperium describunt, dijudicanda esse ex ingenio et cogitandi modo ejus aetatis, qua sunt edita?

1. Sunt, qui verba לְדָוִד מִזְמוֹר interpretentur: *Davidi* sc. dedicatum, s. *in Davidem Carmen*, quum dictio לְדָוִד, quae alias nomini מִזְמוֹר postponi solet, h. l. eidem praeposita sit. *Septies* ita nomen מִזְמוֹר nomini *Davidis* postpositum esse, monet Masora

ad Ps. 24, 1., sc. praeter eum ipsum locum et nostr., et Ps. 40, 1. 68, 1. 101, 1. 109, 1. 139, 1. Sed quum ל nomini proprio in carminum inscriptionibus praemissum auctorem indicare soleat, non dubitamus verba לדוד מזמור ita esse capienda: *Davidis* scil. poema, *Carmen.* — נְאֻם יְהוָה לַאדֹנִי *Dictum*, effatum *Jovae ad Dominum meum*, i. e. regem, qui ab inferioribus titulo אדני salutari solebat, vid. 1 Sam. 16, 16. 22, 12. 2 Sam. 2, 5. 8. 1 Reg. 1, 13. 17. 31. Sequitur oraculi (similis ejus quod Ps. 2, 6. 7. habetur) formula: שֵׁב לִימִינִי *Sede ad dextram meam*, i. e. regnum administra tibi a me delatum tanquam consors majestatis ac potentiae meae. Honor maximus erat, sedere regis ad dextram, quod quum ex more veterum et recentiorum populorum doceri potest, tum intelligitur ex loco 1 Reg. 2, 19., ubi Salomo Bathsebam matrem ad dextram suam sedere jubet. Neque honor solum ac dignitas, verum *societas* quoque *imperii* et *consortium in republica administranda*, sessione ad dextram principis nonnumquam indicatur; quod non est sic intelligendum, ut, qui regi dexter assideat, propterea ei per omnia aequalis habeatur, et par honore, loco atque auctoritate; sed tantum habet, quantum ipsi regis arbitrio conceditur, tametsi socius est et comes imperii. E quo genere sunt loca Matth. 20, 21. et Marc. 10, 37. Salome Jesum pro filiis, Jacobo et Joanne interpellans, *jube*, inquit, *sedeant hi duo filii mei, alter ad dextram tibi, alter ad laevam in regno tuo;* quibus verbis imperii societatem et locum a rege proximum postulari, e Vs. 25 — 28. planissime patet. Similia sunt, quae apud poetas Graecos de *σύνεδροις*, *πάρεδροις* et *σύνθρονοις* leguntur. Ita Pindarus Minervam dixit (referente Aristide, vid. *Carminum Pindaricorum fragmenta*, a J. G. Schneidero edita p. 55.): *δεξιὰν κατὰ χεῖρα τοῦ πατρὸς* (Jovis) *καθεζομένην, τὰς ἐντολὰς τοῖς θεοῖς ἀποδέχεσθαι*, quod ab Horatio (*Od.* 1, 12, 19.) sic expressum est: *proximos illi tamen occupavit Pallas honores.* Fuit autem Minerva, quae Aristidis observatio est, *ἀγγέλου μείζων.* — *τῶν ἀγγέλων ἄλλοις ἄλλα ἐπιτάττει, πρώτη παρὰ τοῦ πατρὸς παραλαμβάνουσα.* Et apud Callimachum *Hymn. in Apoll.* Vs. 28. 29. Apollo chorum, si grata cecinerit *τιμήσει*, *praemiis afficiet*, quod potest, *quia Jovi dexter sedet* (*δύναται γάρ, ἐπεὶ Διΐ δεξιὸς ἧσται*). Utroque loco, Pindari et Callimachi, patet sessione ad Jovis dextram non modo loci et dignitatis excellentiam indicari, verum potestatem etiam, auctoritatem, et quandam imperii societatem. Quod multo magis de nostro loco valet, quum formula שב לימיני h. l. idem significet, ac שֵׁב עַל כִּסְאִי לִימִינִי, *assidе dextrae meae in throno meo.* Metaphora est depromta a rege, filium secum regnaturum (ut Ex. 11, 5. 1 Reg. 1, 13. 17.) a dextris suis throno regio collocantem, ut David fecit Salomoni, 1 Reg. 1, 43 — 48. Sensu igitur noster locus prorsus convenit cum illo Ps. 2, 7. *tu es filius meus, hodie te genui*, i. e. imperii quasi socium te adoptavi, regem te constitui (cf. not. ad eum loc.), atque

rex ad dextram Jovae sedens is est, qui proximos Jovae occupavit honores, et qui in illa provincia, quam sibi Jova sedem imperii elegerat, in illa urbe, ubi residebat, vices ejus gerebat. Talis veteribus Arabum regibus, qui ante Mohammedem Hirae regnum tenebant, erat רדף (a verbo רָדַף *pone venit*, *successit*), quod nomen Golius explicat: *secundus a rege ejusque absentis locum tenens.* Accuratius vero ejus dignitatis ratio cognoscitur ex hoc *Ibn-Cotaibae* loco (in *Monumentis anquissimae Historiae Arabum* ab Eichhornio editis p. 220.), quem quia ad hunc nostri carminis locum illustrandum a nemine adhibitum video, hic apponere lubet: *Ridafat est dignitas juxta regem sedendi. Adsidet autem* Radaf (i. e. qui secundus a rege est) *a dextra ejus, et si bibit rex, bibit Radaf ante alios, et si in expeditionem egressus fuerit rex, sedet in loco ejus, et ejus vices gerit, donec redierit, et si excursionem susceperat legio regis, accipiebat Radaf quartam praedae partem.* — עַד־אָשִׁית אוֹיְבֶיךָ הֲדֹם לְרַגְלֶיךָ *Donec subjecero hostes tuos scabellum pedibus tuis*, i. e. quos calces et conculces ut scabellum; vel: conculcandos tanquam scabellum, quos habeas subjectissimos, idem quod alias simplicius dictum: *sub pedibus alicujus collocare*, ut Ps. 8, 7. coll. 18, 39. 47, 3. Nec obscura erit origo φράσεως, si meminerimus, *et* moris fuisse olim apud gentes barbaras, ut victores victos pedibus suis subjicerent, vid. Jos. 10, 24. 25., *et* verbum הדם apud Arabes etiam notare: *humi prosternere*, *subjicere*, unde הֲדֹם רַגְלַיִם id omne vocatur, *quod pedibus substernitur*, plane ut מְקוֹם רַגְלַיִם Jes. 60, 13. Particulam עַד non esse in hanc sententiam accipiendam, quasi subjugatis inimicis regnare sit desiturus, res ipsa docet; sed hoc ait, etiam eo tempore illum dominaturum, cum hostes adhuc, fractis licet viribus, tamen pugnant (cf. Vs. 2. רדה בקרב איביך); sive quod interim dum sedebit ad dextram Jovae, i. e. regnabit, subjecturus sit Jova inimicos ejus pedibus suis. Nam interdum particula עַד ita pertinet ad tempus praecedens, ut de futuro non inferat contrarium, e. c. Gen. 28, 15. *non deseram te, donec complevero universa, quae tibi dixi.* Deut. 7, 24. *nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos*, neque enim posteaquam contriti essent, repugnaturi erant. Cf. Ps. 112, 8. Huc igitur tota causa deducenda dicitur, qui hunc principem oppugnaverint, eumque de imperio dejicere voluerint, deturbati omnes *jaceant*, ipso contra *a dextra Dei sedente*, i. e. regnum obtinente, divinitus ipsi delatum. Henslerus עַד h. l. pro *interim dum*, ut Jud. 3, 26., accipiendum observat. Ceterum an exstiterit tale oraculum hisce verbis propositum, non est quod quaeramus. Placuit poetae, simplicem hanc sententiam: *Jova ipse dominum meum regem constituit, hostesque ejus universos ei subjiciet*, oraculi in modum proponere.

2. Jam, proposito Jovae oraculo, vates alloqui regem incipit. מַטֵּה עֻזְּךָ יִשְׁלַח יְהוָה מִצִּיּוֹן *Sceptrum potentiae tuae*, i. e. potens

et regium tuum sceptrum (coll. Jer. 48, 17. Ez. 19, 11. 14.) *emittet Jova e Zione*, i. e. ex arce hac regia tua jussa emittes, imperium exercebis in tuae ditionis populos. רְדֵה בְּקֶרֶב אוֹיְבֶיךָ (Subaud. לֵאמֹר) *Imperabis* (imperat. pro fut.) *in medio hostium tuorum.* Quasi dicat: hostes tuos non quidem protinus delebit Jova, sed tuae potentiae metu injecto continebit. Qui Davidem hac oda cani existimant, illi vicinos Palaestinae populos indicari volunt, hoc sensu: imperabis, quamvis circumcirca hostes, Philisthaei, Ammonitae, Moabitae, alii, sint; coll. 2 Sam. 3, 18. בְּקֶרֶב hic proprie *in medio*, i. e. medios inter hostes significat, ut sensus sit: quamvis terrarum orbis hostibus tuis repletus sit, non tamen hi impedire poterunt, quominus regnum tuum in eorum medio propagetur.

3. עַמְּךָ נְדָבֹת *Populus tuus* erit *promtitudines*, i. e. abstracto posito pro concreto (ut 109, 4. 119, 142. 172.), erit promtissimus, evocatus a te ad hostes (Vs. 2.) debellandos, sponte se tibi offeret. Messias, rex constitutus, proponitur ut bellicus imperator praeclaris victoriis regni fines amplificans, eumque in finem utens civibus tanquam militibus pro suo rege alacriter et magno numero pugnaturis. Quidam עמך נדבת concise dictum observant pro עַמְּךָ יִהְיֶה עַם נְדָבֹת, *populus tuus erit populus promtitudinum*, i. e. paratissimus atque promtissimus; eodem sensu. Cf. ad constructionem not. ad Ps. 60, 5. Quum נְדָבוֹת Ex. 35, 29. Lev. 22, 18. 21. Deut. 12, 6. Amos. 4, 5. de *oblationibus spontaneis* dicatur, sunt, qui h. l. post עַמְּךָ subaudito verbo יָבֹא, et ante נְדָבוֹת praefixo ב, sic interpretentur: *populus tuus aderit cum spontaneis oblationibus.* Sed quum nostro loco exercitus ad bellicam expeditionem evocatus describatur, נְדָבוֹת omnino *de animo promto alacrique* accipiendum (ut Hos. 14, 5.). נְדָבָה *ultro* denotat, et cf. Ps. 51, 14. (רוּחַ נְדִיבָה vid. ibi not.), et Jud. 5, 2. 9. Et Arabibus verbum נדב de milite *promtum sese praebente*, atque ad extrema quaeque subire parato. בְּיוֹם חֵילֶךָ *In die exercitus tui* colligendi et educendi adversus hostes. חַיִל *militia*, copiae militares, ut Deut. 11, 4. 2 Reg 6, 15. — בְּהַדְרֵי־קֹדֶשׁ *In decoribus sanctitatis*, i. e. pulcherrimo vestitu festoque ornatu (cf. Ps. 29, 2. 96, 9.) se sistent. Alii in *splendore bellico* s. *militari* interpretantur, quum tam nomen קֹדֶשׁ, quam verbum קָדַשׁ, de iis usurpetur, qui ad bellum electi, eique consecrati sunt, vid. Jes. 13, 3. (et cf. not. ad cum loc.), Jer. 6, 4. 51, 27. Pro בהדרי־קדש in libris bene multis, et manu et typis exaratis, exstat בְּהָרְרֵי־קֹדֶשׁ *in montibus sanctis* (ut 87, 1.), quibus montes Hierosolymitani intelligendi. Ita et in suo codice reperisse videtur Hieronymus, qui *in montibus sanctis* transtulit. Recepta lectione sensum multo elegantiorem prodire, quisque intelliget ipse. Verba quae sequuntur, מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ, resolvenda sunt hoc modo: טַל יַלְדֻתֶךָ יִהְיֶה לְךָ מִשַּׁל רֶחֶם מִשְׁחָר *ros juventutis tuae erit tibi prae rore*, s. magis quam ros *uteri aurorae;* cujusmodi

constructionis et ellipseos exempla vid. Ps. 4, 8. (7.) Jes. 10, 10. Job. 35, 2. Nomen יַלְדוּת *juventus* (Coh. 11, 9. 10.), h. l. metonymice pro *juvenibus*, sicut עוֹלָם *seculum*, pro hominibus in seculo viventibus, Ps. 12, 8., et יָמִים ac רֹב שָׁנִים *multitudo annorum*, pro viris senibus et annosis, Job. 32, 7.; nec non שֵׂיבָה *canities*, pro homine cano, Lev. 19, 32. — *Juvenes regis* h. l. esse juvenes ab ipso delectos conscriptosque ad bellicas expeditiones, contextus docet. *Rori* copiae militares numerosissimae etiam comparantur 2 Sam. 17, 11. 12.; vid. et Mich. 5, 6. *Ros* vero רֶחֶם מִשְׁחָר *uteri aurorae*, est ros aurorae innumeras roris guttulas per unam noctem collectas, quasi ex utero suo parientis, cf. similem imaginem Job. 38, 8. 29. Sensus: tibi ros juventae tuae, i. e. soboles nata juvenum tuorum, seu exercitus populi et delectorum tuorum, roris guttis par erit multitudine, i. e. innumerabilis quaedam. Alexandrinus hebraea nostra ita reddidit: *ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε*, hincque Vulgatus: *ex utero ante Luciferum genui te.* Patet, illum, omissis vocibus לְךָ טַל (quas nec Theodotion expressit), cetera vocabula sic enunciasse: מֵרֶחֶם מִשַּׁחַר יְלֻדְתֶּךָ; atque יְלֻדְתֶּיךָ quidem etiamnum reperitur in codicibus quibusdam, a de Rossio enumeratis. Vix dubitari potest, calami erroribus illud annumerandum esse.

4. נִשְׁבַּע יְהוָה וְלֹא יִנָּחֵם *Juravit Jova*, *nec* promissi *eum poenitebit*, numquam decretum suum mutabit; eadem phrasis Num. 23, 19. 1 Sam. 15, 29. Sequuntur jurisjurandi verba, ante quae לֵאמֹר (ut Vs. 2.) est subaudiendum: אַתָּה־כֹהֵן לְעוֹלָם עַל־דִּבְרָתִי מַלְכִּי־צֶדֶק *Tu sacerdos in perpetuum* eris *secundum rationem Melchisedeci*, prisci illius Hierosolymorum regis, qui solus, quantum memoriae proditum fuit, cum regia dignitate sacerdotalem conjunxerat (Gen. 14, 18.). Qui hac oda Davidem laudari existimant, haec verba eo referunt, quod quum rex ille Melchisedeci quondam sedem, Hierosolymorum castellum, jam expugnasset, eum vates in vetcris illius regis locum successisse canat; atque hoc quidem etiam propterea, quod eundem summum Deum, cujus Melchisedecus fuisset sacerdos, et Davides rex colebat. Sed longe aptius de Messia haec dicantur. Nomen כֹּהֵן Aben-Esra h. l. *ministri* significatione vult accipiendum, ut 2 Sam. 8, 18. Davidis filii vocantur כֹּהֲנִים, quod 1 Chr. 18, 17. sic explicatur, *fuisse illos primos ad manum regis.* Quare loci nostri sensum hunc facit: *Tu*, David, *minister* Dei eris *in perpetuum; ideoque decimas accipies, sicut ab Abrahamo Melchisedecus.* Quod quam sit jejunum, quisque sentiet ipse. Formula, *decretum Jovae est, quod numquam immutabit*, ita est comparata, ut quod proximis verbis dicitur, non possit non esse grande aliquid, eximium, singulare. Tale vero omnino hoc erat, quod Messias, ejusmodi regis, qui simul summi Dei sacerdos olim fuisset, successor futurus et ipse post longi temporis intervallum denuo regem simul et

sacerdotem sit repraesentaturus, quum hujus carminis editi tempore insolitum esset, sacerdotem fieri eum, qui non esset de tribu Levi. Quare addidit: *secundum rationem* s. *conditionem Melchisedeci*, q. d. non vulgaris quidam, quasi Aaronis, aut alius ex ejus posteris, Levitae, sed singularis plane et eximiae conditionis, scil. regiae, sacerdos. עַל־דִּבְרָתִי cum *Jod paragogico* (quale in sequenti מַלְכִּי־צֶדֶק, item in אֲדֹנִי־צֶדֶק Jos. 10, 1., אֲדֹנִי־בֶזֶק Jud. 1, 6., aliisque passim, e. c. Jes. 1, 21. Thr. 1, 1. 4.), pro עַל־מִנְהַג, propr. *pro ratione, secundum rationem*, ut Coh. 3, 18. 8, 2., quod Aben-Esra recte h. l. exponit עַל־דִּבְרַת *secundum morem* s. *consuetudinem*, et Syrus *in similitudine*, quomodo et epistolae ad Hebraeos scriptor 7, 15. *κατὰ τὴν ὁμοιότητα Μελχισεδέκ* dixit. Alexandrinus *κατὰ τὴν τάξιν*, Vulgatus *secundum ordinem*, qui significatus repeti potest ex verbi Arabici דבר notione, *pone fuit, sectatus fuit, successit*, unde דאבר *successor*; sic עַל־דִּבְרַת esset *secundum successionem*. לְעוֹלָם *In perpetuum*, quod qui ad Davidem Psalmum referunt, interpretantur: dum vives; notum enim, עולם *tempus perpetuum* notare, quatenus subjectae materiae *perpetuitas* convenire potest, ut Ex. 21, 6. Deut. 15, 17. de servo perpetuo, i. e. ad annum usque jubilaeum; cf. et 1 Sam. 1, 22. 1 Chr. 15, 2. Verum contra monuerunt alii, nihil tam eximii esse in eo promisso, fore eum, de quo hic agitur, sacerdotem per totam vitam, ut id tam gravi jurejurando sanciri debuerit. Videtur igitur vates de longiore aetate, quam quae vulgo esse hominum solet, cogitasse. Ceterum ad locum nostrum videtur adumbrata descriptio *regii sacerdotis* apud Zachariam vatem, 6, 13.

5. אֲדֹנָי עַל־יְמִינְךָ *Dominus ad dextram tuam*, o rex! ad eum enim, de quo Vs. 3. sermo fuerat, suffixum secundae personae nominis ימינך est referendum, et sub אדני *Jova* intelligendus, regis, hoc carmine celebrati, potentissimus defensor. Ita Chaldaeus: *majestas Jovae ad dextram tuam percutiet* etc. Imo exhibent codices septendecim Kennicotti יְהוָה pro אֲדֹנָי. *A dextra*, s. *ad dextram esse* alicui ex usu loquendi Hebraico est praesto esse, adesse, propugnare, vid. 16, 8. 109, 31. Recte Grotius hunc locum sic interpretatus est: *adjutor tibi est, et velut παραστάτης*. Dominus, i. e. Jova (neque enim de ullo alio, aut Deo, aut homine, usurpatur nomen אדני) semper ad latus tuum adversus hostes tuos pro te propugnans caedes reges, rel. Aliud quid igitur hic dicitur, quam supra Vs. 1., ubi Messias Jovae *ad dextram sedere*, i. e. pari cum eo potestate uti dicitur. Difficultatibus vix solvendis sese implicant, qui suffixum secundae personae vocis יְמִינְךָ ad Jovam referunt. Tribuitur vero hic Jovae, quod propric Messias est patraturus, cui eadem Ps. 2, 9. tribuuntur. Quod tamen eodem recidit, quum divino auxilio adjutus Messias insignes, de quibus hic agitur, victorias de suis hostibus reportabit. Atque ad Messiam reliqua carminis esse referenda, vix est quod moneamus. Praeteri-

tum מָחַץ, pro futuro, *contundet*, ut saepe in *vaticinatione*, v. c. Jes. 9, 1. Obad. 1. 2. Jer. 28, 2. — בְּיוֹם־אַפּוֹ *Die irae suae*, quando indignabundus supplicium sumet de gentibus rebellibus, cf. Ps. 2, 5. 12. Jes. 13, 9. 13. מְלָכִים *Reges* hostiles, quicunque demum sint.

6. Verba דָּן בַּגּוֹיִם מָלֵא גְוִיּוֹת Schnurrerus docet resolvenda hunc in modum: דָּן בַּגּוֹיִם יִהְיֶה כֹּל גִּוִּי מָלֵא גְוִיּוֹת *animadvertet in gentes* hostiles; *unaquaeque erit cadaveribus plena.* Aliis מָלֵא est verbum, quod, quamvis saepe *intransitive* occurrit, nonnunquam tamen, ut Ex. 40, 34. 1 Reg. 8, 10. 11. Ez. 10, 3. 43, 5. significatione activa usurpatur. Quo assumto transferendum erit: *implebit* scil. eas, gentes, vel, loca omnia, *cadaveribus.* Chaldaeus *terram* subaudit, verba ejus ita sonant: *implevit terram cadaveribus improborum occisorum.* מָחַץ רֹאשׁ *Conquaśsabit capita*, ut Ps. 68, 22. אלהים ימחץ ראש אויביו. — עַל־אֶרֶץ רַבָּה *Super terram magnam*, i. e. super campos late patentes, in quibus proelia fieri solent; ingentes hostium strages edet. Sunt, qui nomen רֹאשׁ significatu *principis*, *gubernatoris* accipientes (ut Num. 1, 4. 14, 4. Jud. 11, 8.), verba nostra sic interpretentur: *percutiet principem*, s. collective, *principes super terris multis*, i. e. ingentium terrarum principes (sic Lutherus: *er wird zerschmeissen das Haupt über grosse Lande).* Qui tamen hebraice רֹאשׁ אֶרֶץ רַבָּה, vel רֹאשׁ לְאֶרֶץ רַבָּה (cf. Num. 1, 4.) dicendi erant; iis enim locis, quibus particula עַל nomen רֹאשׁ sequitur, illa pendet a verbo נָתַן, et integra phrasis est: *aliquem aliis principem praeponere*, vid. Ex. 18, 25. Deut. 1, 15.

7. *E torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Quibus verbis plerique strenuum et alacrem bellatorem describi existimant, quem nulla res remoretur, quin summo ardore victoriam persequatur, „qui (sunt Grotii verba), dum hostis persequitur, non quaerit diversoria, ut vino se refoveat, sed aqua contentus est, quam obiter et raptim sumit ex quovis, quem reperit, non fluvio tantum, sed et torrente." Respici aliqui putant historiam Jud. 7, 5. 6., ubi Gideon narratur bonos milites explorasse aquae potu, eos solum retinens, qui manu haustam e flumine aquam lamberant, dimissis e castris, quotquot flexo poplite biberant, quod hos ignavos judicaret. Rectum vidit Schnurrerus, qui Versus sensum sic explicat: cum fatigatus fuerit caedc hostium, tamen haud remittet, sed potu aquae ex rivo obvio refectus novas vires exseret in hostilibus copiis profligandis.

Ps. 111.

Celebrat beneficia collata populo Judaico, quod superioribus Psalmis aliquot prolixe verboseque fit, in quibus sigillatim ea enarrantur, hoc autem brevi et sententiosa commemoratione comprehendit beneficia Jovae haec: alimentum in locis desertis; donum

terrae Canaanicae; potentiam, veritatem, justitiam Jovae; liberationem ex Aegypto; foedus Abrahamicum; ultimo religiose et sententiose celebrat studium pietatis et fructus ejus. Temporis quo sit editus, notas Psalmus prae se fert nullas, estque et illo ignorato satis per se planus.

Ordine alphabetico hic Psalmus conscriptus est (cf. Argum. Ps. 25. coll. 34. 37. al.), sed ita, ut in singulis Versibus binae reperiantur literae, in duobus postremis ternae, quod ipsum etiam factum Ps. 112. Cur sic cogantur literae, brevitatis causam Kimchi affirmat. Alii hujus rei rationem afferunt hanc, ut Psalmus denarium non excederet numerum, perfectum illum, et praeceptorum Decalogi numero parem.

Est hic Psalmus ex eorum numero, qui ab *Hallelu-Jah* incipiunt, quorum *decem* sunt numero, 106. 111 — 113. 135. 146 — 150., quemadmodum *quinque* ita finiunt, 104. 105. 115 — 117. Ex quibus utrisque sex, 113. 114. 116. 117. 135. 146., *magnum Hallel* Hebraeis dicti fuerunt. Horum usus in omnibus quidem festis, praecipue tamen in solennibus, *Paschae* et *Tabernaculorum* fuit, ita ut 113. et 114. ante Paschalem coenam, sequentes vero Psalmi, 115 — 118. post eandem cantati fuerint. Hisce vero hymnis prooemii loco nonnumquam praemissi putantur Psalmus noster et 112.

1. בְּסוֹד יְשָׁרִים *In conventu rectorum*, quibus Kimchi Israelitas intelligendos monet, coll. Num. 23, 10. וְעֵדָה Imo *in toto coetu*, coll. Lev. 8, 4. Recte Aben-Esra observat עֵדָה oppositum esse סוֹד, *secretiori conventui* (cf. not. ad Ps. 25, 14.), ut sensus sit: clam et palam, privatim et publice Jovam laudibus celebrabo. Kimchi post וְעֵדָה repetendum monet praecedentem genitivum ישרים; ita Arabicus interpres: *eorumque congregatione.*

2. גְּדוֹלִים מַעֲשֵׂי יְהוָה *Magna sunt*, omnem humanam virtutem superant, *opera Jovae.* Hoc Kimchi putat initium laudis esse, Vs. 1. indicatae; unde Aben-Esra etiam ante hunc versiculum subaudit לֵאמֹר, ut 110, 2. 4. Simplicius tamen videtur, hunc Versum cum superiore per causalem particulam *enim*, כִּי, connectere. דְּרוּשִׁים לְכָל־חֶפְצֵיהֶם *Quaesita*, s. *exquisita* (ut Vulgatus habet) sunt *secundum omnia desideria eorum*, sc. rectorum, i. e. magna sunt, quae fecit Jova, et omnino ejusmodi, qualia optare pii possunt, ita ut alia aut majora quaeri vel desiderari ab iis non possint. Dathius ita reddidit: *Amabilia omnibus, qui lubenter in ea inquirunt*, inque nota subdidit. „דרושים *amabilia* reddidi, ex idiotismo linguae, quo participia passiva nonnumquam respondent adjectivis in *bilis*, e. c. *desideratus* pro *desiderabilis* Prov. 21, 20.; *fractus* pro *fragilis*, 2 Reg. 18, 21. (vid. not. ad Ps. 46, 2.). Indicatur suavitas, quam diligentes operum divinorum in hoc suo labore sentiunt.“ Chaldaeus pro חפציהם posuit: omnibus *qui delectantur iis*, quod ipsum sequuti Syrus et Kimchi,

qui haec notat: „etsi quidem magna sint opera Jovae, sunt tamen *exquisita omnibus volentibus ea;* perinde ac si diceret: unicuique sunt explorata et inventa, qui illa studiose considerat et inquirit. חפציהם est nomen adjectivum, a singulari חֵפֶץ, cujus plurale חֲפָצִים, sicut a זָקֵן fit זְקֵנִים, et זְקֵנֵיהֶם." Simplicissimum et orationis serici aptissimum videtur, quod primo loco dedimus.

3. הוֹד־וְהָדָר פָּעֳלוֹ *Gloria et decor* est *opus ipsius*, gloriosa et magnifica sunt, quae facit, omnia.

4. זֵכֶר עָשָׂה לְנִפְלְאֹתָיו *Memoriam*, i. e. monumentum memoriae (ut זִכָּרוֹן Num. 17, 5.) *fecit mirabilibus suis*, i. e. monumentum sibi constituit nominis sui aeternum mirabilibus rebus iis, quas praestitit populo Israelitico. Aliqui de monumento esus Paschatos interpretantur, coll. Ex. 12, 14., ut sensus sit: instituit monumentum facinorum mirabilium suorum, pascha scilicet. Alii transitum per mare respici putant.

5. Nomine טֶרֶף aliqui *praedam* existimant significari Aegyptiis ereptam ab Israelitis demigrantibus, coll. Ex. 12, 36. Sed magis consentaneum est, טרף h. l. de *victu* accipere, ut Mal. 3, 10. Prov. 31, 15., atque de conservatione Israelitarum in solitudine, per quadraginta annos, hoc integri Versus sensu: pavit timentes eum, ut ostenderet se non oblivisci pacti sui cum majoribus initi, Gen. 15.

6. Verbum הִגִּיד quidam, Kimchium sequuti, *praedicendi* significatu sumunt, hac sententia: praenunciavit introductionem populi in terram Cananaeam, antequam fieret, ne deinde casu factum esse dicerent hostes, coll. Deut. 9, 28. Sed rectius verbum illud h. l. accipiunt non de ea, quae verbis sit, annunciatione, sed de rei ipsius praestatione, quemadmodum et Ps. 19, 2. הַגִּיד *demonstravit, declaravit* significat. Sensus: declaravit quid posset populo suo, dando (לָהֶת, cf. not. ad 103, 20.) ei gentium aliarum terras possidendas tanquam hereditatem, Deut. 9, 6.; quae enim hereditate accipimus, eorum sumus possessores justi et optimae fidei.

7. מַעֲשֵׂי יָדָיו אֱמֶת וּמִשְׁפָּט *Opera manuum ejus veritas et jus* ipsum, s. summae aequitatis, quicquid agit rerum omnium, in iis elucet fides ejus et justitia; sicut et in hac re (Vs. 6. indicata) se ostenderunt, fides quidem, praestando, quod promisit, justitia in expellendis impiis gentibus, (coll. Deut. 9, 4. 5.), et tribuendo ea loca populo ei, qui ipsum colebat.

9. Redimi curavit populum suum; significari liberationem a servitute Aegyptiaca educente Mose, dubium esse non potest. צִוָּה לְעוֹלָם בְּרִיתוֹ *Mandavit in perpetuum foedus ejus*, i. e. foedus cum suo populo fecit, quod duret perpetuo. *Mandare* (צִוָּה) h. l. i. q. facere, sicut *mandare benedictionem*, est curare eam et praestare Ps. 42, 9. 133, 4. Deut. 28, 8. Lev. 25, 12. Sunt, qui

ad legem Dei haec referant, hoc sensu: observare praecepit leges suas perpetuo; ut בְּרִית de praeceptis divinis Ps. 25, 10., ubi not. cf. קָדוֹשׁ וְנוֹרָא שְׁמוֹ *Sanctum et venerandum nomen ejus*, i. e. ipse, ut saepe nomen Dei pro Deo ipso, ut Deut. 28, 58. Ps. 8, 2. 99, 3. Accipiendum autem hoc ut epiphonema, quod non dependeat de praecedentibus.

10. רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָה *Initium* autem, prima quasi pars, s. *summa sapientiae*, id, in quo praecipue illa sapientia consistit, est *timor Jovae*, Prov. 1, 7. 9, 10. Adeoque שֵׂכֶל טוֹב לְכָל־עֹשֵׂיהֶם *intellectus bonus*, s. *intelligentia* vere *bona* est *omnibus* illis, qui *faciunt ea*, sc. *mandata Jovae*, de quibus Vs. 7. 8., aliud enim nomen non praecedit, quod cum suffixo masculino plurali conveniat: nec suffixa tertiae personae semper ad ea quae proxime praecedunt, sed nonnumquam ad remotiora referenda sunt; ut 2 Sam. 20, 6. אַחֲרֵיו *post eum*, non: *dominum tuum*, sed *rebellem adversarium*. Sic Ps. 105, 19. ubi not. vid. Ita et 34, 18. verbi subjectum non in proxime praeced. Vs. 17., sed in Vs. 16. quaerendum est. Quare non est opus, ut numerum et genus mutemus, et construamus: *facientibus eam*, sapientiam, cum Alexandrino; vel: *eum*, intellectum bonum, cum Vulgato. תְּהִלָּתוֹ Ideo etiam *laus* et gloria *ejus*, scil. Jovae. Alii: cujusque facientis mandata Jovae, collata simili discrepantia numeri distributiva Jos. 2, 4. Sed de Deo תְּהִלָּה longe plerumque dicitur, et illi soli competit quod subditur, עֹמֶדֶת לָעַד *durabit omni tempore*, Vs. 3.

Ps. 112.

Commemorat praemia pietatis, sicut Psalmus primus, et multi alii. Docet autem, solo pietatis studio, nullisque aliis rebus aut artibus humanis vitam beatam in terris comparari posse. Psalmus est alphabetibus eadem ratione, qua praecedens, constructus.

2. גִּבּוֹר בָּאָרֶץ יִהְיֶה זַרְעוֹ *Potens in terra erit semen ejus*, copiosa et potens atque honorata erit familia ejus in terris.

3. צִדְקָתוֹ *Justitiam ejus*, h. l. pro praemiis pietatis poni, ut respondeat עֹשֶׁר וְעוֹשֶׁר הוֹן־, hemistichiorum suadet parallelismus. Ita et Ez. 18, 20., ubi disjungitur nomen רִשְׁעָה, *improbitatis*, de *fructu* s. *poena improbitatis* metonymice dictum. Cf. עַוְלָתָה, Hos. 10, 13.

4. *Angustia* tenebris, חֹשֶׁךְ, ut Jes. 9, 1., et *salus* luci, אוֹר, comparantur, ut Mich. 7, 8. Sensus igitur est: res piorum adversae in prosperitatem convertuntur, חַנּוּן וְרַחוּם וְצַדִּיק, est enim Jova, quem pii colunt, Vs. 1., *gratiosus*, *misericors*, *et justus*. Sunt, qui haec nomina jungant praecedenti לַיְשָׁרִים, atque, repetita ante ea particula ל (quam excidisse conjiciunt propter alphabeti ordinem, quum hoc hemistichium cum ח incipere deberet), integrum Versum ita reddant: *lux oritur pio in tenebris*, *benigno*

(ut צַדִּיק non sit qui jus exercet, scd qui *eleemosynas* erogat, quae apud seriores Hebraeos צְדָקָה), *misericordi et justo.* Verum solet illis nominibus Jova nuncupari, veluti 78, 38. 111, 4.; nec praedicationis subjectum semper in proximis verbis exprimitur, vid. ad 111, 10. Alii, subaudita particula מ ante חַנּוּן, sic reddunt: oritur lux *a gratioso, misericorde et justo*, sc. Jova. Alii ad אוֹר, *lucem*, illa epitheta pertinere putant, q. d. *lux* sc. *gratiosa*, etc., ut exprimatur ita, quae sit lux illa, quae piis oritur, nempe *Deus ipse gratiosus et misericors*, coll. 27, 1.

5. Hunc Versum plures interpretes sic reddunt, ut טוֹב אִישׁ faciat subjectum, *vir bonus*, חוֹנֵן וּמַלְוֶה praedicatum. Quod non permittit linguae proprietas, qua in tali constructione substantivum adjectivo praeponitur; itaque dicendum fuerat אִישׁ טוֹב חוֹנֵן *vir bonus largitur* etc. Quare et Chaldaeus, quum eum sensum sequi vellet, ex proprietate linguae suae invertit ordinem, ac dixit: *vir bonus miseretur.* Melius Alexandrinus: χρηστὸς ἀνὴρ ὁ οἰκτείρων, et Vulgatus: *jucundus homo, qui miseretur.* טוֹב h. l. *beatum, felicem* significat, ut Jes. 3, 10. *dicite justo* כִּי טוֹב *quod beatus sit.* Ita et Jer. 44, 17. Sic et substantive טוֹב et טוּב pro *beatitate* interdum ponuntur, ut Ps. 25, 13. Ex. 33, 19. A qua sententia haud multum differt Kimchi, cui טוֹב h. l. est substantivum, et idem, quod supra Vs. 1. אַשְׁרֵי, q. d. *felicitas viri* est, qui *miseretur*, וּמַלְוֶה, *et mutuo dat* illis, quos indigentia premit; cf. Deut. 15, 8. Probat autem, virum beneficum esse beatum, verbis sequentibus, יְכַלְכֵּל דְּבָרָיו בְּמִשְׁפָּט, quae interpretes bene multi volunt esse descriptionem viri boni, qui *res suas cum judicio*, i. e. cum jure, juste, ex aequo et officio *moderatur.* Sed rectius alii descriptionem esse putant viri beati, ut et quae in sequentibus continentur Versibus, et sic vertenda: *sustentabit* s. *sustinebit* (quomodo verbum יְכַלְכֵּל Ps. 55, 23. Prov. 18, 14.) *res*, causas, *suas in judicio*, ut nullius unquam iniquitatis aut sceleris convinci possit.

6. Bene erit tali homini, כִּי־לְעוֹלָם לֹא־יִמּוֹט *numquam enim dimovebitur*, nihil eum evertet, loco movebit, nulla fortunae adversatio, quin potius לְזֵכֶר עוֹלָם יִהְיֶה צַדִּיק *memoriae aeternae erit justus*, apud homines florebit memoria ejus immortalis.

7. Non metuit sibi מִשְּׁמוּעָה רָעָה *ab auditione mala*, i. e. a tristi nuntio periculorum, ut 1 Sam. 4, 19. 2 Reg. 19, 7. Jer. 10, 22. Alii שְׁמוּעָה *de fama* intelligunt (ut Prov. 15, 30. שְׁמוּעָה טוֹבָה), hoc sensu: non curat obtrectationes aut calumnias ullas. נָכוֹן לִבּוֹ cf. ad Ps. 10, 17. 57, 8. 78, 8.

8. עַד אֲשֶׁר־יִרְאֶה בְצָרָיו *Dum spectet in inimicis suis* sc. quo delectetur, i. e. dum videat puniri eos; vid. saepius expositam phrasin Ps. 22, 18. 54, 9. 91, 8.

9. פִּזַּר *Dispergit* sc. *pecuniam suam*, ut Chaldaeus addidit, i. e. erogat, ut apparet ex addito נָתַן לָאֶבְיוֹנִים. De eleemosyna-

rum erogatione verbum פזר et Prov. 11, 24. dicitur. צִדְקָתוֹ *Pietatis ejus praemia*, ut supra Vs. 3. קַרְנוֹ תָּרוּם vid. Ps. 89, 18. — בְּכָבוֹד *Gloriose*, cf. 73, 24.

Ps. 113.

Exhortatio ad celebrandum Deum, quod tantum numen demittat se ad rerum terrenarum et humanarum inprimis respectum, atque mirabili sapientia, providentia, misericordia sua conservet et administret etiam in terris omnia.

5. הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת *Qui exaltavit* sc. se, vel locum habitationis suae, i. e. coelum, *ad sedendum*, i. e. qui extulit se in tam sublimem locum, ubi habitet et regnet. Praefixum ה ante participia habet vim relativi, vid. ad 103, 3. *Jod* autem in fine est paragogicum, ut in vocabulis pluribus aliis, quae Vs. 6—9. occurrunt; vid. et 103, 3—5.

6. Et tamen de tam excelsa sede sua respicit ad omnia, quae infra ipsum sunt in coelis et in terra; demittit se inde ad curam etiam rerum humanarum. הַמַּשְׁפִּילִי *Qui demittit*, sc. עֵינָיו *oculos suos*, quod et Chaldaeus addit, coll. 2 Sam. 22, 28.

7. אַשְׁפַּת proprie est *ollae sustentaculum tribus lapidibus fere aequalibus compositum*, ut Arabicum אתפיה. Materia ignis vero in terris istis, apud pauperes maxime, non est lignum, sed fimus siecatus, qui, quoniam inter lapides illos ignis accendendi causa poni solebat, אַשְׁפַּת et *fimi*, *stercoris* notionem videtur accepisse, quam veteres omnes exprimunt. Sunt, qui hac dictione respici putent ad Davidem, quippe qui dum gregum pastor fuisset, saepe istiusmodi ollae sustentaculo, etiamnum Arabibus Scenitis frequente, usus esset; e qua tamen humili conditione Deus ad honores et dignitatem regiam ipsum evexit.

8. Ita etiam, ut in principis solium eum, humilem, collocet, et sui quidem populi principem eum faciat. עִם־נְדִיבִים *Cum principibus*, s. inter principes, pari cum principibus loco aliquem facere, nihil videtur esse aliud, quam, principem facere.

9. Quin exhilarat feminam sterilem, ut laeta mater fiat. Celebratur foecunditas, ut donum Dei, etiam 107, 41. 127, 3. 128, 2. Cf. not. ad 68, 7. Ceterum hic etiam Psalmus abrumpi potius quam claudi videtur, quod de aliquot jam aliis monuimus.

Ps. 114.

Breviter enarrantur res mirae praecipuae, quas Deus edidit, quum Hebraeos ex Aegypto in terras Cananaeorum traduceret. Paschalis Psalmus (vid. Argument. Psalmi 111.), et ejus temporis festivitati aptissime accommodatus, etiamsi ab auctore ipso ei non sit factus.

1. 2. Horum duorum Versuum haec est sententia: quum Israelitae, Jacobi videlicet posteri, ex Aegypto et barbara gente excesserunt, tum illos Deus separatos ab aliis populis sibi consecravit, voluitque esse gentem, cui peculiariter dominaretur. Cf. Ex. 19, 3. sqq. עַם לֹעֵז *Populus peregrina lingua loquens* Aegyptiacus populus vocatur, qui sua lingua utebatur, valde diversa ab hebraea, cf. Gen. 42, 23. Ps. 81, 6. Deut. 28, 49.

2. In verbis הָיְתָה יְהוּדָה generis est enallage, quum masculinum יְהוּדָה jungatur verbo femineo הָיְתָה; subaudiendum est עֵדָה, Chaldaeo praeeunte, qui *coetus familiae Judae* posuit. Alii observant, nomina propria populorum construi nonnumquam ut singularia, quod nomina regionum, quae feminina esse solent, per metonymiam pro ipsis populis usurpentur, ut Job. 1, 15. Ceterum h. l. *Juda* per synecdochen pro toto populo ponitur, et mox per *Israelem* explicatur, ut Ps. 76, 2. Tribus enim illa inter ceteras principatum quendam jam tum obtinebat; nam cum per desertum sub signis castra moverent Israelitae, prima ceteras anteibat tribus Judae, vid. Num. 2, 9. 10, 14. — לְקָדְשׁוֹ *Sanctum* s. *sanctitas ejus*, i. e. populus ex ceteris omnibus selectus et Deo consecratus, coll. Ex. 21, 30. Lev. 12, 44. Suffixum hujus dictionis ad Jovam referendum esse, res ipsa docet; etsi mentio ejus non praecesserit, ut Num. 7, 89. Ps. 63, 10. 87, 1. — יִשְׂרָאֵל *Israelis* posteri, populus Israeliticus, ut Ps. 81, 5. 9. 12. — מַמְשְׁלוֹתָיו per duodecim tribus totidem quasi *regna* aut *dominia ipsius*, i. e. populus, cui ipse Jova peculiari ratione rex et dominus esset, eumque duceret ac tueretur, coll. Ex. 19, 5. Num. 23, 21. Jud. 8, 23.

3. *Mare vidit et fugit.* הַיָּם *Mare* sc. rubrum s. Arabicum, Ex. 14, 21. — רָאָה *Vidit* sc. eum (ut recte Syrus), praesentem populo suo Deum, vid. ad 77, 17. — וַיָּנֹס *Fugit* quasi prae formidine Jovae in partes scissum, et liberum populo transitum dedit, 66, 6. 77, 17. 78, 13. — הַיַּרְדֵּן יִסֹּב לְאָחוֹר *Jordanes flexit se retrorsum*, refluxit, etsi tunc supra ripas exundans esset, vid. Jos. 3, 13—16.

4. הֶהָרִים *Montes* Sinai et Horeb ac vicini, quum legem promulgaturus in illum descenderet Jova, vid. Ex. 19, 18. Hab. 3, 6. Ps. 68, 9. — רָקְדוּ *Saltarunt*, subsilierunt vehementibus terrae motibus, cf. 29, 6. — כְּאֵילִים *Sicut arietes*, saltatorium animal, qui ideo etiam כָּרִים Ps. 65, 14. a כָּרַכַר *salire*, 2 Sam. 6, 14. 16. dicti nonnullis putantur. גְּבָעוֹת *Colles* in vicinia puta montis Sinai, ut Kimchi putat.

5. *Quid tibi erat, o mare, ut fugeres? cur tu, Jordanes, vertisti te retrorsum?* Vid. ad 77, 17. הַיָּם *O mare! He* vocantis, ut in sequentibus. Similem apostrophen ad res inanimatas vid. Deut. 32, 1. 2 Sam. 1, 21. Jes. 1, 2.

7. מִלִּפְנֵי אָדוֹן חוּלִי אָרֶץ *A conspectu Domini contremisce, o terra!* Cf. Ps. 29, 8. 77, 17. Kimchi חוּלִי pro Infinitivo cum

Suffixo primae personae habet, quasi diceret ipsa terra: a conspectu Domini *tremere meum* factum est; atque haec sit responsio ad interrogationem Vs. 5. 6. Sed cogitandus est pocta respondere ad interrogationem terrae factam, et concisa est responsio, sic dilatanda: oportuit profecto, o terra, te sic contremiscere. Si verba in superioribus versiculis accipis in praesenti, plana est sententia: et vero habes, cur ad Domini conspectum contremiscas.

8. Quidni contremiscas, o terra, ad conspectum ejus, cujus tanta est vis et potentia, ut rerum naturas nullo negotio possit mutare, adeoque petras et rupes durissimas in stagna et fontes convertere? Respicit ad historias Ex. 17, 6. Num. 20, 8. 11., ut Ps. 78, 15, 20. Ceterum emphasin habet hoc: *qui convertit petram in stagnum aquarum*, quasi diceretur: qui fecit, ut rupes ipsae totae veluti in aquas liquefactae defluerent, non secus atque stagnum, essentque instar perennis cujusdam fontis. Plus est, quam si diceretur: qui e petra aquam elicuit.

Ps. 115.

Preces continet, ne Jova deserat populum, qui ipsum colat, sed opem ei ferat, et protectionem praestet, atque sic aliis gentibus, qui falsos deos colunt, occasionem praecidat, Deum Israelitarum ridendi, sicut cum ipsorum diis pocta facit, quos exquisitis insectationibus ridet et exagitat; hinc inducit Israelitas, se invicem excitantes, ut a Jova solo certo suo atque perpetuo propugnatore opem exspectent.

Psalmus difficilibus temporibus populi factus videtur. Quod enim vates Deum orat Versu 2., ne patiatur suum nomen ludibrio haberi inter alias gentes, illud argumento est, tunc temporis hostes Israelitici populi in armis fuisse, ac vehementer illi insultasse, praesertim quia in Jova spem poneret. Neque tamen hoc sufficit ad carminis facti tempus accuratius definiendum. Qui Davidicum existimant, vel Jebusaeorum insultationi ac gloriationi de ipsorum diis (2 Sam. 5, 6.) oppositum arbitrantur, vel preces existimant, quas Davides usurpaverit in exilio Absalonico, quum in Galilaea Peraea exularet, et in limite regni sui, ubi erat confinium cum idolorum cultoribus; ut *συγχρονὸς* sit hic Psalmus 42. Qui vero Davidicum esse non putant, eorum alii ad Hiskiae tempora referunt, et contra Rabsacis, Assyriorum ducis, impias insultationes dirigetum volunt maxime ob Versum 2., coll. cum 2 Reg. 18, 32. 33. 34.; alii Mardochaeo et Estherae tribuunt, quum Haman tollere Judaeorum gentem moliretur. Sed videtur serioribus post reditum ex Babylonia temporibus factus esse. Nam deorum vanitas eodem fere modo, quo in posteriore libri Jesajani parte describitur.

In Syriaca atque Graeca Alexandrina interpretatione, ad quam Vulgata Latina, Arabica et Aethiopica expressae sunt, hic Psalmus cum praecedente conjunctus est; et Kimchi monet, hunc Psalmum

in quibusdam libris partem esse praecedentis, quod ipsum et in Codd. 18 a Kennicotto, atque in Codd. 53 a de Rossio enumeratis observatum est. Argumenti tamen diversitas primo hujus Psalmi Versu novum carmen incipere suadet.

1. Sensus: eripe nos tyrannidi hostium, non gloriae nostri nominis, sed tui causa. Cf. Jes. 48, 11. Dan. 9, 18. — כִּי h. l. *sed*, pro כִּי־אִם, post negativam, ut Ps. 44, 4. 75, 8. — לְשִׁמְךָ תֵּן כָּבוֹד *Da gloriam nomini tuo*, i. e. salva nos, ut tuae potentiae laus celebretur; cf. 29, 1. 2. 79, 9. — עַל־אֲמִתֶּךָ *Propter fidem tuam*, qua praestare soles promissa; nobis autem opem toties pollicitus es.

2. Argumenta ede tuae potentiae, ne per ludibrium rogitent fictitiorum deorum cultores: *ubi nunc est Deus eorum?* de quo adeo multa et magnifica gloriati fuerunt; ut 42, 4. Joel 2, 17.

3. Responsio ad insultationem Vs. 2., q. d.: atqui stolidi homines non sentiunt, quantum inter Deum nostrum, et suos Deos discriminis intersit. וֵאלֹהֵינוּ בַשָּׁמָיִם *Deus noster in coelis*, quum ait, vult inferre occulta antithesi, aliarum gentium deos, de quibus dicturus est, non esse in coelo; itidem quum dicit: כֹּל אֲשֶׁר־חָפֵץ עָשָׂה *quaecunque voluerit, facit*, vult inferre, tantum abesse, ut illi possint, quae velint, ut etiam velle nihil possint, quippe qui tantum sint mera simulachra.

4. Hoc et tribus sequentibus Versibus graphice depingit deorum, in quibus gentes fiduciam collocabant, vanitatem. Atque primo quidem cum ait eos *ex argento et auro conflatos*, et quidem *hominum manibus*, significat illos non posse ullum beneficium in homines conferre, quippe qui toti eorum opera existunt.

7. יְדֵיהֶם *Manus eorum* adsunt quidem, vel, *manus illis sunt*, pro לָהֶם יָדִים; cf. similem constructionem Coh. 5, 16., et vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 730. Recte Vulgatus: *manus habent.* Aliis ידיהם est Nominativus absolutus: *manus eorum* quod attinet, non palpant. Praeferimus tamen prius. וְלֹא יְמִישׁוּן *Sed nihil tangunt, palpant*, aut contrectare possunt, multo minus quid dare aut praestare cultoribus suis. Forma verbi ex radice מוּשׁ, et significatio ex radice מָשַׁשׁ, cf. Ex. 10, 21. Gen. 27, 12.

8. Aben-Esra et Kimchi hunc Versum ut imprecationem volunt accipi, hoc sensu: idolorum artifices et cultores sensu priventur ac destituantur, ut similes sint diis ipsorum. Alii denunciative accipiunt, quasi diceretur: idolorum artifices et cultores non minus sunt stupidi, quam idola ipsa, omnis sensus expertes se probant.

9. Quae quum ita sint, confidant impiae gentes diis suis; at vos, o Israelitae, sperate atque exspectate opem a Jova, qui certus est Israelitarum propugnator. Sic se invicem adhortantur Israelitae, quos vates in toto Psalmo loquentes inducit. עֶזְרָם *Au-*

xilium, adjutor *eorum*, Israelitarum, subito mutata secunda persona in tertiam, ut saepissime. Potest hemistichium posterius, hic et deinceps, accipi tanquam generalis sententia, perinde quasi diceretur: Deus eorum, qui in ipso spem reponunt, certus clypeus est et propugnator. *Eorum*, sc. qui in ipso sperant. Relativum absque antecedente, ut 104, 2. coll. 125, 1. Pro Imperativis בְּטַח et בִּטְחוּ in hoc et duobus sequentibus Versibus interpretes veteres omnes expresserunt praeterita בָּטַח et בָּטְחוּ.

10. בֵּית אַהֲרֹן *Domus Aaron*, i. e. sacerdotes, qui soli ex omnibus nominatim compellantur, ut peculiariter Deo dicati et consecrati.

11. יִרְאֵי יְהוָה *Timentes Jovam*, i. e. et vos omnes peculiariter, qui erga Deum estis religiosi. Aben-Esra: ex quacunque natione vel gente. Jarchi: *proselyti*, qui etiam in Actis Apostolorum ita passim appellantur, ut 10, 1. 22. 13, 16. 26.

12. 13. Jova, qui adhuc nostri curam numquam abjecit, quae sua est misericordia, perget benefacere. Porro eadem rursus distributione utitur, qua antea, ac primo loco Israelitas omnes ponit, deinde seorsim sacerdotes atque Levitas, ac denique (Vs. 13.) pios omnes et religiosos Dei cultores, הַקְּטַנִּים עִם־הַגְּדֹלִים *parvos aeque ac magnos*, sine discrimine (ut Jer. 6, 13. 16, 6. 31, 34.), cujuscunque conditionis aut aetatis, tribus aut nationis fuerint; neminem, modo dignum, suorum beneficiorum expertem esse patitur.

14. Augebit, vel, augeat in dies magis ac magis suam beneficentiam erga vos et liberos vestros. Ad יֹסֶף *augebit*, subaud. *bona*, estque hoc, secundum Aben-Esram, explicatio praecedentis, quod *benedicere* augmentum boni, *maledicere* vero ejus diminutionem significat, cf. Gen. 30, 24. Deut. 1, 11. 2 Sam. 24, 3.

16. Quia *coeli* et *terrae* in proxime praecedente Versu mentio facta est, ideo nunc subdit: coelum Jova sibi retinuit, terram vero hominibus habitandam concessit, scilicet ut essent in terris, qui divinum numen venerarentur ejusque laudes praedicarent.

17. In coelis quidem numquam desunt, qui Jovam celebrent; sed voluit Deus celebrari gloriam suam non tantum in coelis, sed etiam in his terris; quod fieri non posset, si populus, qui ipsum colit, ab hostibus deleretur. Haec igitur sententia est hujus Versus: si permittis nos, gentem tuam, ab inimicis nationibus deleri, quis tuas laudes in terris praedicabit? An mortui nos te celebrabimus? Cf. 6, 10. 30, 10. — וְלֹא כָל־יֹרְדֵי דוּמָה *Nec* laudabunt te *omnes descendentes in silentium.*, i. e. sepulchrum, sic nominatum, quod ibi aeternum sit silentium. Hinc etiam Latini *silentes* pro mortuis dicunt. De דּוּמָה vid. 94, 17. coll. cognatis Jes. 62, 7. ac Ps. 22, 3., et ad rem Job. 3, 17. 18.

18. Sensus: at nos dum hac vita fruimur, erimus tuarum laudum assidui praecones in terris, nec cessabimus unquam, quod

vita suppetet, tuum nomen inter homines celebrare. Serva nos igitur non nostra, sed tui nominis causa. In his postremis Versibus latet atque includitur ejusmodi aliqua petitio, quae cum principio carminis conveniat.

Ps. 116.

Gratias agit Jovae, qui liberarit vel populum, vel auctorem Psalmi potius, et e morte ipsa, et e maximis et mortiferis periculis ac miseriis, quorum magnitudinem verbis exaggerat, ut magis agnoscatur beneficium Dei, quo gauderc se et laetari ostendit; et a Deo esse salutem omnem, hominem sine Deo, et opem ejus, nihil esse. Sed quo gratiam Deo rependat, dicit se nihil habere aliud, quam ut agat ei verbis, et contestetur beneficium, atque hoc se sacrificium laudis et celebrationis suae, una cum votis suis persoluturum esse.

Hunc Psalmum aliqui ad illam historiam referendum censent, quae describitur 1 Sam. 23., quando a Ziphaeis proditus David, parum abfuit, quin a Saulis exercitu comprehenderetur. Sed in extremo Versu mentio fit urbis Hierosolymitanae, quae tempore Saulis adhuc penes Jebusaeos erat, necdum Jovae consecratae. Alii igitur post superatas Absalonicae rebellionis pericula et perturbationes Psalmum hunc a Davide factum existimant, et quod restitutus tum regno haec vota persolverit. Alii hoc carmen tempore recens in Sionium deductae arcae, coram arca et populo deducente decantatum existimant, eoque gratias Jovae egisse Davidem pro omnibus ad illud tempus usque acceptis a Deo beneficiis; coll. 2 Sam. 7, 1. Cui sententiae maxime favet postremus Versus, quo atriorum domus Jovae, et Hierosolymitanae urbis fit mentio.

Graeca Alexandrina, et, quae hanc sequitur, Latina vetus interpretatio, nec non Arabica, dirimunt hoc carmen in duos distinctos Psalmos, quorum alter incipiat a Versu decimo, et hoc ne quid turbet in numero, qui est a Psalmo decimo, conjunxerunt Psalmum 114. et 115., ut in 146. rursus concurrat cum Hebraeis numeratio. Sed manifestum est, continuari inde a Versu 10. argumentum superioribus inchoatum, et Versus 9. ita cum 10. connexus est, ut unum idemque carmen esse convincat.

1. Post אֲהַבְתִּי alii subaudiunt יְהוָה, ex sequentibus assumendum, hoc prioris hemistichii sensu: diligo Jovam, quoniam ipse audit preces meas; aliis vero *diligo* h. l. idem est quod *delector*, ut Jes. 56, 10. Jer. 5, 31. Amos 4, 5., hoc sensu: *gratum est mihi, quod Jova me audit*, vel: summopere desideravi meis in periculis, ut Jova meas preces audiret. אֶת־קוֹלִי תַּחֲנוּנָי *Vocem meam*, et *deprecationes meas*, asyndeton, vel, ut alii volunt, appositio, *vocem meam, deprecationes meas*, quasi diceretur: vocem meam supplicem ac deprecativam. Aben-Esra: subaudito praefixo ב ante תחנוני transfert: vocem meam in *deprecationibus*

meis. Alii repetendum censent קוֹל in statu constructo, q. d. *vocem* inquam *precum mearum*, ut 140, 3. Alexandrinus et Vulgatus neglecto nominis קוֹלִי suffixo, vel, quod Jod pro paragogico habuit, ut et Hebraeorum quidam, sic reddiderunt: *εἰσακούσεται κύριος τῆς φωνῆς τῆς δεήσεώς μου, exaudiet vocem orationis meae.*

2. וּבְיָמַי *Ideo per dies meas*, i. e. per dies vitae meae, dum vivam, ut 2 Reg. 20, 19. Jes. 39, 8. Post אֶקְרָא subaud. suffixum *eum*, ut saepe accusativus objectivi non exprimitur, veluti Ps. 59, 5. 68, 3. 11.

3. De dictione אֲפָפוּנִי חֶבְלֵי־מָוֶת cf. not. ad 18, 5. Eundem sensum repetit his verbis: וּמְצָרֵי שְׁאוֹל מְצָאוּנִי *et angusta mortis invenerunt*, assequuti sunt me fugitantem. צָרָה וְיָגוֹן אֶמְצָא *Angustiam et dolorem inveni*, expertus sum. Alii: non solum me pericula comprehenderunt, sed haud semel etiam non cogitans quasi ultro me illis objeci; coll. Coh. 9, 12.

4. *Atque* tunc, quum essem in illis periculis, בְּשֵׁם־יְהוָה אֶקְרָא *Jovam invocavi*, his verbis (לֵאמֹר, quod subaudiendum): *ah Domine, eripe me!*

5. Hic Versus et qui proxime sequitur sic connectendus est cum praecedentibus: dicam igitur id, quod re ipsa in me nunquam non sum expertus, Deum vere clementem esse et justum, qui preces miserorum non respuat, nec sinat innocentes opprimi.

6. Nomine פְּתָאִים, *simplices*, Kimchi intelligendos observat tum eos, qui rerum imperiti nulla arte aut industria depellere possunt pericula, sed totos se Dei tutelae committunt, tum eos, qui, etsi prudentia et experientia valent, non tamen iis nituntur. Alexandrinus *νήπια*, Vulgatus *parvulos* reddidit; voluit haud dubie eos significare, qui toti a Deo pendent, quemadmodum pueri, adhuc per aetatem sibi consulere nondum valentes, a parentum cura. דַּלּוֹתִי Quum *exhaustus* plane *essem*, ut 79, 8. 142, 7. De יְהוֹשִׁיעַ vid. not. ad 28, 7.

7. שׁוּבִי נַפְשִׁי לְמְנוּחָיְכִי *Revertere, anima mea, ad quietes tuas!* Solenne est Davidi, animam suam alloqui, vel se ipsum ita excitare, vid. 42, 6. 12. 43, 5. 103, 1. 2. 22. Nomen מְנוּחִים recte Aben-Esra dictum esse monet in oppositione ad Vs. 3., et Kimchi: *dixi animae meae, revertere* ex angustia, in qua versaris, *ad requiem tuam*, ad Deum nimirum, qui requies tua erit. Jod est paragogicum, more Syrorum, ut infra Vs. 19. 103, 3—5. כִּי־יְהוָה גָּמַל עָלָיְכִי *Quia Jova retribuit tibi*, sc. bonum. Alexandrinus *εὐεργέτησέ σε*, Vulgatus: *benefecit tibi*, nec aliter Jarchius: *gratiam in te contulit;* verbum גָּמַל enim non semper significat par pari referre, sed etiam priorem conferre in aliquem, vel bonum, i. e. *benefacere*, vel malum, i. e. *malefacere*, ut observat Kimchi ad Joel. 3, 4. coll. Ps. 13, 6. 137, 8.

8. אֶת־רַגְלִי מִדֶּחִי *Pedem meum a lapsu* sc. חִלַּצְתָּ *eripuisti*, i. e. retinuisti, ne ruerem et succumberem, cf. 56, 14.

9. Deo igitur deinceps securus serviam ac ministrabo in hac vita, hoc enim significat *ambulare coram Jova*, cf. 56, 14. — בְּאַרְצוֹת הַחַיִּים *In terris viventium*, i. e. in his terris, ubi vitam agimus, vid. Ps. 27, 13.

10. הֶאֱמַנְתִּי *Credidi* sc. בַּיהוָה, ut Gen. 15, 6., i. c. non desii, in Jova fiduciam ponere, כִּי אֲדַבֵּר אֲנִי עָנִיתִי מְאֹד *quamvis dicerem*, etsi saepe cogitarem, *ego oppressus sum valde;* כִּי h. l. *etsi*, *quamvis*, ut Exod. 13, 17. Deut. 29, 18. Jos. 17, 18. Sed Alexandrinus particulam illam *διό (ideo dixi)* reddidit, quod et Paulus 2 Cor. 4, 13. sequutus est. Nec tamen certis et indubitatis argumentis probari potest, כִּי usquam *ideo*, *propterea* significare.

11. בְּחָפְזִי *In trepidatione mea*, vid. ad 31, 23. — כָּל־הָאָדָם כֹּזֵב *Omnis homo mentiens*, i. e. fallax, si quis in eo spem et fiduciam ponat; cf. 62, 10. Sensus: omnis spes in homine posita fallere potest, at quae in Deo posita est, nequit fallere; quod postremum ex opposito colligendum.

12. מָה־אָשִׁיב לַיהוָה כָּל־תַּגְמוּלוֹהִי עָלָי Haec verba nonnulli ita connectunt: *quid rependam Jovae* ob *omnia beneficia*, quae sunt *super me*, ut ante כָּל־ subaudiatur עַל s. תַּחַת *propter*, *pro*, et ante עָלַי cogitetur אֲשֶׁר. Sed potest utrumque Versus membrum seorsim capi, in hunc modum: *quid* igitur *rependam Jovae?* etenim non uno me sibi Deus modo obstrinxit, sed *universa ejus benefacta super me* sunt, velut beneficiorum cumulo me obruit. Suffixum תַּגְמוּלוֹהִי est Chaldaicum, ut Dan. 3, 19. 26. 28.

13. כּוֹס־יְשׁוּעוֹת אֶשָּׂא *Calicem salutis accipiam*, quae verba Kimchi sic explicat: „quum celebrabo convivium laetitiae, attollam calicem vini, gratias agens Deo publice pro salute mihi concessa.“ Solebant, qui ex gravi aliqua calamitate aut periculo emerserant, post victimas oblatas sacra celebrare convivia, in quibus gratias agebant Deo. Ita et Grotius: „*calicem salutis* vocat *calicem gratiarum actionis* pro accepta salute, quem paterfamilias solebat familiae suae propinare. Poculum benedictionis Matth. 26, 27.“ Sensus igitur est: solenniter Deo gratias agam in conventu sacro. וּבְשֵׁם יְהוָה אֶקְרָא *Et nomen Jovae invocabo*, i. e. Deum orabo, ut pergat favere, propitius adesse.

14. נְדָרַי *Vota mea*, quorum reus sum, et quae illi in periculis et exilio nuncupavi, si me salvum et incolumem domum reduceret. נֶגְדָה־נָּא לְכָל־עַמּוֹ *Coram omni populo ejus.* Particula נָא redundat, ut Jes. 5, 1. Ps. 122, 8. 124, 1.

15. Rationem affert, cur a Deo sit servatus, quod in se expertus sit, Deum non facile sinere perire illos, qui ipsum colunt; hoc enim significant verba יָקָר בְּעֵינֵי יְהוָה הַמָּוְתָה לַחֲסִידָיו *pretiosa est in oculis Jovae mors*, quae inferenda est, s. infertur (ut Chaldaeus addit) *piis ejus.* Cf. 72, 14. המותה cum ה para-

gogico, forma poetica, praefixo insuper ה articuli. Grotius: Sensus est: non facile Deus impiis concedit, ut pios occidant. Quae pretiosa sunt, non facile largimur.

16. אָנָּה יְהוָה *Obsecro* itaque *Jova!* clementer respice ad has preces et laudes meas. כִּי־אֲנִי עַבְדֶּךָ *Nam ego* sum *servus tuus*, qui totus a te pendet. בֶּן־אֲמָתֶךָ *Filius ancillae tuae*, verna tuus, ut Ps. 86, 16. פִּתַּחְתָּ לְמוֹסֵרָי *Aperuisti vincula mea*, liberasti et eripuisti me periculis, quibus veluti jam constrictus ad necem videbar, ut 1 Sam. 21, 13. 14. 23, 26. sqq. Nomen masculinum מוֹסֵרִים bis tantummodo praeter hunc locum occurrit, Jes. 28, 22. 52, 2. ל h. l. nota objecti, ut 2 Sam. 3, 30. 1 Chr. 3, 2.

17. *Tibi sacrificia laudis offeram, nomen Jovae invocabo.* Vid. ad 22, 26. Nomen יְהוָה pro suffixo secundae personae, ut 43, 4. 61, 7. 63, 12.

18. *Vota mea Jovae solvam, praesente populo ejus universo.*

19. בְּחַצְרוֹת בֵּית יְהוָה *In atriis domus Jovae*, adeoque in loco cultus sacri publico, 26, 8. 27, 4. Intelligitur sacrarii, in quo arca Hierosolymis erat (2 Sam. 6, 17.), atrium, ubi post sacrificia eucharistica oblata convivia celebrari solebant, coll. 1 Sam. 9, 12. 19. 22. sqq.

Ps. 117.

Exhortatur omnes orbis terrarum populos ad celebrandum Deum, propter misericordiam et fidem in servandis promissis. Brevitas Psalmi probabilem facit conjecturam, adhibitum illum fuisse vel ut ἐξιτήριον, quo populus finitis sacris dimitteretur; vel sub sacrorum initium, ante solennius canticum, populi excitandi causa, fuisse decantatum.

Ps. 118.

Carmen triumphale, quod in magna festivitate et frequentia populi comitantis accini principem et ducem curasse apparet, quando victor sacrarium adiit. Agit autem gratias Jovae, qui ipsum conservarit, et victorem gloriosum fecerit; atque insultans victis, simul orat, ut subjiciat ei hostes reliquos, et fortunet deinceps etiam res ducis et populi universi, acclamatione publica: Bene Regi! Bene populo! Vs. 25. 26. Dramaticus est hic Psalmus; nam usque ad Versum 2. princeps loquitur, posteriora sunt populi ac sacerdotum, bene ominantium regi.

Davidicum esse Psalmum, communis est sententia, sed ad quodnam ejus tempus sit referendum, conjecturae sunt variae. Aliqui tum existimant decantatum carmen, quum David, interfecto Isbosetho, Saulis filio, ab universa gente Israelitica rex inauguratus (2 Sam. 5, 1—5.), debellatisque Philisthaeis et aliis, qui tum novum regem oppressum atque oppugnatum venerant, magna et

frequenti gratulantium multitudine comitatus Tabernaculum adiit, ut Jovae gratias ageret. Tempori aliquanto seriori carmen assignat RUDINGERUS. „Philisthaci, ut habet sacra historia, primi fuere, ex Cananaeis gentibus, qui contra Davidem, postquam rex Israeliticus creatus fuit, exercitum eduxerunt, quum inter hos in exilio Saulico suo exulasset, paucis annis ante, apud regem Gathicum, qui et Gathae et Siclagae, ipsi et cohorti ejus sedem praebuit, et cum his, contra Saulem evocatus a rege Gathico, in expeditionem suos in castra Philisthaea eduxit, ut cum ipsis contra populares suos, contraque patriam et regem hujus, Saulem, militaret. Accessit ad haec, quod, cum in aula Saulis, militiae externae praefectus David esset, plurimum his damni inferret, neque cum ullis plus ei esset negotii. Itaque et veterem hostem et hospitem suum, regem jam factum, attentare voluerunt, pertinacius quam ullae gentes ex vicinis ceterae. Rex igitur jam Israeliticus David, sexies, ut puto, cum Philisthaeis pugnare necesse habuit, bis ante exstructum Zionium (2 Sam. 5.) et quater post introductam arcam; de quatuor quidem praeliis diserte scribitur 2 Sam. 21. Primo autem praelio ex his quatuor in periculum incidit Jesbibenobicum (2 Sam. 21, 16.), a quo interfectus fuisset, nisi succurrisset Abisaias. Post illam igitur victoriam, vel sequentes etiam aliquot vel universas quoque, et introducta jam hoc et epinicium, et gratulatoriae acclamationis carmen Psalmi hujus factum videtur populo." Sed vere monet VENEMA (*Commentar. in Pss.* Vol. VI. p. 130.), plura inesse huic Psalmo, quae Davidi aut ejus temporibus omnino non conveniant. Praeterquam enim quod nomen *Davidis*, tanquam auctoris, in fronte non gerat, nec ullum praeferat distinguens Davidis χαιτήριον, illud, quod populus Hebraeus in *Israelem*, *domum Aaronis*, et *timentes Jovam* distinctus Vs. 2. 3. 4. apparet, a temporibus Davidis, et aliorum, qui ipsum sequuti sunt, regum, plane alienum est. Neque Davidi congruit, quod Vs. 10. *omnes* gentes populum et ducem ejus invasisse et cinxisse dicuntur. David initio a solis Philisthaeis fuit petitus; ipse postea vicinas gentes bellis adortus est. Neque per ea bella Davides ad tantas angustias fuit redactus, quales hic Psalmus describit. Denique haud facile intelligitur, quo sensu Davides *lapis ab aedificatoribus spretus* et contra omnium exspectationem *caput anguli factus* recte dici possit Versu 22.; quum in oculis et animis populi semper fuerit, et a Saulo et aulicis magis ex metu, quam contemtu, infestatus, lapis haberetur ad cum usum destinatus et aptus. Ad Hiskiam, quem constat sub belli atrocissimi pericula lethali morbo prostratum, sed restitutum vota publica reddidisse Deo, in populi comitatu aedem Jovae salutasse, atque miraculi memoriam carminibus voluisse conservare (vid. Jes. 38, 19. 20.), carmen refert DOEDERLEIN. Sed Versum 22. nonnisi perquam coacte ad Hiskiam trahi, recte Dathius monuit. Quod enim Doederlein existimat, Hiskiam *rejectum ab aedificantibus lapidem* appellari potuisse, quod eum senatus populi Judaici ut

mortuum et improlem abjecerit, vix aliis arbitror placiturum. Alii in secundi templi laetitia publica Psalmum factum conjiciunt, ut simul esset epinicium pro superatis illis malis et periculis, in quibus aedificatum templum, inter Samaritanorum et vicinarum gentium oppugnationes. In ea tamen tempora plane non quadrat, quod in hoc carmine princeps celebratur, qui quum prius a sui populi proceribus contemtui habitus fuisset, nunc ad summam evectus dignitatem sistitur. Omnia vero hujus carminis apprime quadrare felicioribus Maccabaeorum temporibus, et potissimum illi temporis articulo, quo Simon, tertius fratrum Maccabaeorum, Juda et Jonathane occisis, plenissimam populo procuravit libertatem, hostes *Acra* ejecit, et hereditario cum jure solenniter electus et inauguratus est Ethnarcha et Pontifex (1 Macc. 13, 49. sqq. 14, 4—15.), recte vidit Venema. Huic tempori convenit, quod populus in Israelem, domum Aaronis et timentes Jovam distinguitur, nulla mentione regis, aut aliorum rectorum facta, argumento, summam rerum tunc penes Aaronidas, seu Pontifices et sacerdotes, fuisse. Satis verisimilis est Venemae sententia, carmen hoc destinatum fuisse, ut solenni et laetissimae Simonis, tanquam Ethnarchae et Pontificis perpetui et hereditarii, qui opus liberationis cum fratribus ineeptum perfecerat, inaugurationi, die festo post Aeram ab hostibus liberatam, omnibus sacrorum impedimentis sublatis, inter publicos plausus, et processionis ad modum faciendae, inserviret, eoque solenni actu publice accinerctur.

Olim ad Messiam Psalmum relatum fuisse, cognoscitur ex Matth. 21, 42. (Marc. 12, 10. Luc. 20, 17.) Act. 4, 11. Et Rabbinorum cum recentiorum tum veterum non pauci de Messia Psalmum hunc accipiunt; testaturque Hieronymus, illum apud veteres Judaeos de Messia fuisse explicatum, atque inter eas preces, quibus adventus ejus petebatur, relatum; id quod confirmatur laetis illis populi acclamationibus, ex hoc carmine (Vs. 25.) desumtis, quibus Christus ultimo in urbem Hierosolymitanam ingressu exceptus est, Matth. 21, 9.

In codicibus quibusdam a Kennicotto et de Rossio indicatis hoc carmen pars est praecedentis Psalmi; in aliis a Versu 5. novus incipit Psalmus, in aliis vero atque in multis libris precum, a Versu 25., in aliis denique a Versu 26.

1. Hortatur populum princeps, ut agnoscat et celebret beneficia in ipsum collata.

2. Peculiariter et seorsim nominat Aaronis familiam, quod summa rerum in politicis et sacris hoc tempore apud Pontifices fuit.

5. Exemplo suo probat, Jovam benignum esse et clementem. מִצַּר *Angustia*, a radice צָרַר Num. 25, 18. formae מָסַב (a סָבַב) 1 Reg. 6, 29. Cf. similes phrases Ps. 20, 2. 22, 12. — עָנָנִי בַמֶּרְחָב *Exaudivit me in latitudine*, i. e. exaudivit me ex angustiis educendo, et restituendo in libertatem, ac veluti statuendo in loco lato

et spatio, ubi jam libere respirare, et in quiete degere possum. Cf. not. ad Ps. 4, 2. *Exaudire in latitudine*, nihil est quam *educere in latitudinem*, vid. ad 22, 22., et cf. Coh. 5, 19., *exaudit* eum, et *largitur* ei *laetitiam cordis.*

6. Denunciat Princeps, se deinceps nullius hominis minas aut vires reformidaturum, quod expertus sit Deum habere propitium. יְהוָה לִי *Jova mihi*, pro me, a partibus meis est, ut 56, 10. Alexandrinus: κύριος ἐμοὶ βοηθός, et Vulgatus: *Dominus mihi adjutor.* מַה־יַּעֲשֶׂה לִי אָדָם Vid. 56, 5. 12.

7. יְהוָה לִי בְּעֹזְרָי *Jova est in adjutoribus meis*, quod alii sic explicant: adjuvat mea causa etiam adjutores meos, cum adjutoribus meis est, ut ב pro עִם dictum esset; alii: Jova est *inter* adjutores meos. Sed cf. Ps. 54, 6. et ibi not. אֶרְאֶה בְשֹׂנְאָי cf. not. ad 22, 18.

9. Tutius est, Jova niti, quam ullorum opibus aut potentia eminentium hominum, hi enim videntur h. l. appellari נְדִיבִים *principes.* Manifestum autem dici haec contra aliena auxilia et συμμάχους, quibus munire se solent suis viribus non freti. Cf. Ps. 146, 3.

10. Nunc, ut illustrior appareat liberatio, de qua agit, pericula, in quibus hactenus versatus fuerit, memorat, eaque talia fuisse ait, ex quibus, nisi ope divina, non fuerit eluctatus. כָּל־גּוֹיִם *Omnes gentes* quum ait, omnes intellige, quibus Judaei cingebantur סָבִיב, ut Zach. 12, 2. et alias saepe additur. Quod in tempora Maccabaica unice quadrat. Syro-Macedones primum, qui omnes illas gentes sibi subjectas habebant, dein reliqui populi vicini in perniciem Judaeorum conspirarunt, ut 1 Macc. 5, 1. traditur. Irruerunt non una vice et expeditione, sed pluribus, nec parva manu, sed magnis copiis atque iratis et exacerbatis animis; quo comparatio cum *apibus* Vs. 12. tendit. בְּשֵׁם יְהוָה כִּי אֲמִילַם Sed *in nomine Jovae* speravi, confisus sum, *quod exscinderem eos*, subaudiendum est ante כִּי verbum בָּטַחְתִּי, ex infinitivo בְּטַח, Versu, qui proxime antecedit. Ita Chaldaeus: *in nomine verbi Domini speravi, quod exscinderem eos.* Cf. 33, 21. Sunt, qui particulam כִּי metri causa transpositam putent, dictioni בְּשֵׁם praeponendam, *sed* interpretandam, ut alias saepe; ita futurum אֲמִילַם pro Praeterito positum erit. Suffixum ejus verbi h. l. pro *Zere* habet *Camez*, ut Ex. 29, 30. יִלְבַּשֶׁם. In quibusdam codd. exstat אֲמִילַם, cum *Patach*, cui geminum est Hab. 2, 17. יְחִיתֵן *terrefaciet eos*, pro יְחִיתֵן. מוּל, quod in Kal saepe de *circumcisione* s. *praeputii amputatione* dici constat, h. l. in Hiphil *penitus succidere* denotat, sicut succidi solet gramen vel herba, de qua usurpatum legitur in Pyhal Ps. 90, 6.

12. סַבּוּנִי כִדְבֹרִים *Circumdederunt me velut apes*, magno scilicet ardore, ac vehementi impetu, et summa vindictae cupiditate. Similis est comparatio Deut. 1, 44. et Jes. 7, 18. Et cf. Virgil.

Georg. 4, 235. sqq. דֹּעֲכוּ כְּאֵשׁ קוֹצִים *Extincti sunt* populi illi *sicut ignis spinarum*, qui etsi ingentem crepitum, majoresque flammas emittit, ut vicina quaeque consumturus videatur, tamen subito deflagrat, vix cineres relinquens. Ita illarum gentium conatus, quamvis initio acres, statim languerunt, atque incassum deflagrarunt. Alexandrinus ἐξεκαύθησαν, Vulgatus *exarserunt*, Chaldaeus *ardent* reddiderunt. Videntur illi verbum דָּעַךְ in conjugatione hac Pyhal contraria significatione accepisse, ita ut quod in Kal significat *extinguere*, in Pihel et Pyhal significet *ardere*, *comburi*. Praeterea si totam sententiam consideremus, sensus eodem redire videtur; videntur enim voluisse dicere: *exarserunt subito*, *adeoque extincti sunt*, *non secus atque spinarum ignis mox exardescit*, *ac deflagrat*, *seu extinguitur*.

13. דָּחֹה דְחִיתַנִי לִנְפֹּל *Impellendo impulisti me ad cadendum*. Cf. ad 35, 5. Tu hostis, omni conatu incurrens in me, voluisti me percellendo evertere, sed non successit tibi, quia Jova mihi affuit auxilio suo, et sustinuit me, ne caderem. De hostibus suis per numeri enallagen loquitur in singulari numero.

14. Nulli rei fortitudo, qua hostes superavi, adscribenda est, nisi Jovae, ideoque teneor illum carminibus celebrare. זִמְרָת Kimchi monet esse pro זִמְרָתִי *cantio mea*, nam Jod suffixum ob proxime sequens Jod exspirasse. Ejusdem formae nomen עֶזְרָת 60, 13. Cf. not. ad Ex. 15, 2. Jes. 12, 2., quibus locis haec ipsa formula.

15. קוֹל — צַדִּיקִים *Vox jubilationis et salutis in tentoriis piorum*, q. d. non solum ego illa Dei beneficia, per quae mihi salutem attulit, agnosco et celebro, sed etiam pii, quippe ad se illa pertinere arbitrantes suis in tabernaculis laeti mihi succinunt. Quum ait בְּאָהֳלֵי צַדִּיקִים *in tabernaculis*, domibus, *piorum*, vult significare, non publice tantum, sed etiam privatim a singulis, quod est argumentum magnae nec fictae laetitiae, illa beneficia celebrari. Posteriore hemistichio et sequente Versu continentur voces illae jubilantium et gratulantium salutem partam ab ope divina.

16. רוֹמֵמָה *Exaltata*, i. e. exserta, super omnes hostium vires potens, adjectivum צֹלֵעָה Mich. 4, 6. 7., זֹלֵלָה Thr. 1, 11., שׁוֹמֵמָה Thr. 1, 13.

17. Ad se redit, laetusque exclamat: לֹא־אָמוּת כִּי־אֶחְיֶה *Non moriar*, quod unum tanto impetu tot hostes moliti sunt, *sed vivam*, illis invitis, et contra eorum molitiones, nam satis apparet, insultari etiam his verbis hostibus. וַאֲסַפֵּר מַעֲשֵׂי יָהּ *Et narrabo opera Jovae*, numquam illorum obliviscar, perpetuo memor me ejus unius beneficio esse servatum, eque mortis faucibus extractum.

18. Ratio, cur lubens praedicaturus sit opera Jovae: quoniam illum agnosco, inquit, idcirco nos severe malis afflixisse, solum ut nos castigaret et corrigeret; cui rei argumento est, quod nos non passus est perire, sed ab interitu et exitio tandem liberavit.

19. Pontifex una cum reliquis sacerdotibus in Sacrarii vestibulo stans, jubet sibi recludi fores, ut ingressus Jovam possit celebrare. Similis acclamatio 24, 9. שַׁעֲרֵי־צֶדֶק *Portas pietatis* vocat Sacrarii portas, per quas quotidie pii intrant in Sacrarium, quemadmodum mox explicat.

20. Hoc canebant in ipso portae aditu; haec, inquiebat, porta, cujus limen nostris pedibus calcamus, porta est, per quam ad Jovam aditus patet, i. e. per quam intratur in Jovae Sacrarium.

21. Haec medium sacrarium ingressi cecinisse videntur.

22. Videntur haec esse verba populi, sacerdotibus succinentis, eum, qui antea tanquam lapis inutilis, et nulli aedificii, i. e. regni loco idoneus, *ab aedificantibus*, i. e. regni proceribus, rejectus sit, Jovae benignitate collocatum esse לְרֹאשׁ פִּנָּה *in caput anguli*, praecipuum operis et fabricae. Intelligitur domus Maccabaica in prima sua origine, et initio moliminum haud magni aestimata, sed nunc ad summam dignitatem evecta, quum Simon, dux supremus et Pontifex factus, rempublicam misere collapsam instauraret, ita ut ea, antea varie agitata et adflicta, libera et secura sit reddita. Proceres regni vocat הַבּוֹנִים *aedificantes*, quorum quippe labor omnis in conservando atque administrando reipublicae statu occupatus sit. Post אֲבֶן pronomen relativum est subaudiendum, ut 104, 9., et saepius metaphora *lapidis rejecti* petita ab architectis, qui repudiant et rejiciunt, quod non est aptum operi. Quae imago bene convenit Maccabaeis, cum quod studium legis et religionis, quo acti fuerunt, displicuit primoribus reipublicae, tum quod conamina et molimina eorum ad hostes reprimendos, et res instaurandas, per ipsos illos proceres, ut Menelaum (vid. 2 Macc. 4, 23. sqq.), Alcimum (1 Macc. 7, 5. sqq.), Pontifices, et alios magnates, *impios* in historia dictos, fuerint multismodis oppugnata. לְרֹאשׁ פִּנָּה *Caput anguli* autem fieri dicitur lapis, quando in eo loco ponitur, ubi totius aedificii commissuram sustinet. Eadem figura Jes. 38, 16. Zach. 4, 7. Sunt tamen, qui non lapidem in angulo inferiore collocatum intelligendum putent, sed *epistylium*, quum ex ruinis observetur, veteres Aegyptios, templa et aedificia majora columnis struentes, earum capitibus lapides ingentis longitudinis et crassitiei imposuisse, qui trabium primariarum loco inservierint, atque his dein transversim alios lapides, quibus structura contegeretur, instravisse. Magis apta tamen prior illa significatio videtur, ut rex comparetur lapidi, quo omnes substructionis partes nituntur, cf. Ephes. 2, 20. 21.

23. מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת *A Jova facta est haec* res, seu *factum est hoc*, quod Vs. praeced. dixit. הִיא נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ *Illa* res est *admirabilis in oculis nostris*, hoc ut maxime admirandum agnoscere debemus.

24. זֶה־הַיּוֹם עָשָׂה יְהוָה *Haec*, dicebat populus principi, sibique gratulans, *est dies, quam fecit* illustrem ac insignem *Jova*,

collato maximo beneficio principi et populo suo; quod tamen non est *τεκμήριον*, eo ipso die, quo haec decantata sunt, exstitisse ea, quae argumentum carmini dederint, quum praecedentes victoriae illam gratiarum actionis diem gloriosam effecerint. Verbum עָשָׂה h. l. pro *nobilem atque insignem facere* usurpatur, ut 1 Sam. 12, 6. *Jova qui fecit*, i. e. reddidit claros et nobiles *Mosen et Aaronem*.

25. אָנָּא הוֹשִׁיעָה נָּא *Eja, salutem affer!* fortuna! largire successus, secunda, ut bene succedant omnia. Laetae acclamationis formula, qualis apud Latinos *bene!* Sic Ovid. *Fast.* 2, 6. 36. *et bene nos! bene te, patriae pater, optime Caesar!* Hinc et ex sequente versiculo non dubium est, quod desumta sit fausta illa acclamatio, qua Christum ingredientem urbem Hierosolymitanam turbae, quae ad diem festum convenerant, et pueri in templo, tanquam Messiam, Davidis filium, prosequuti sunt, illa nimirum, quae legitur Matth. 21, 9. *Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυίδ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.* Nam *ὡσαννὰ* illud corruptum seu contractum ex Hebraeo hujus loci נָּא הוֹשִׁיעָה significat *salvum fac*, vel potius, quia regit dandi casum, *salutem affer* filio Davidis.

26. Hic et sequens Versus videntur dici a Sacerdotibus, qui populi acclamationi sua vota adjungant, novoque Pontifici et duci adventanti, aliisque, qui una cum eo venerant, fausta omnia precentur, et quidem מִבֵּית יְהוָה *e domo Jovae*, thesauro et promtuario omnis boni. Alii ante מִבֵּית subaudito pronomine אשר explicant vel: *nos, qui de domo Jovae*, i. e. sacerdotes, *sumus*; sacerdotum enim erat bene precari, ut constat ex Num. 6, 23. Deut. 10, 8.; vel: bene precamur vobis, *quotquot estis de domo*, i. e. familia, populo *Jovae*. Sed quum et aliis hanc bene precandi formulam usitatam fuisse constet ex Ps. 129, 8. coll. Ruth. 2, 4.; sunt, qui a choro, qui cetera accinuit, haec etiam dici putent. בֵּרַכְנוּכֶם יְהוָה vel referendum ad הַבָּא *qui venit*, hoc sensu: benedictus esto, qui divinitus constitutus et ordinatus est dux et Pontifex; vel ad בָּרוּךְ; tenebantur enim sacerdotes, cum benedicebant, adjungere *nomen Jovae*, ex Num. 6, 27. Deut. 21, 5. 2 Sam. 6, 18.

27. אֵל יְהוָה *Deus* solus et verus est *Jova;* alii: *fortis* est *Jova.* וַיָּאֶר לָנוּ *Illuxit nobis*, respexit nos benigne, depulsis tenebris, fortunat res nostras et exhilarat nos. *Lux* prosperitatis imago, ut Esth. 8, 16. *Judaeis* אוֹרָה *lux oriri visa est, et laetitia et gaudium et honor.* In verbis, quae sequuntur, nomen חַג *festum*, res ipsa docet *μετονυμικῶς* usurpari pro *sacrificio festo*, ut manifeste Exod. 23, 18. Mal. 2, 3. 2 Chr. 30, 22. *(comederunt festum*, i. e. victimas festi *septem diebus);* atque post אִסְרוּ subaudiendum esse וְהָבִיאוּ *adducite*, eadem loquendi formula, quae supra Vs. 5. *exaudivit* et collocavit *me in loco amplo*, ut haec sit sententia: in studio ergo pio gratiarum actionis vestro, adducite die hoc festo funibus vinctas pecudes vestras sacrificio offerendas per totum atrium ad altare, usque ad cornua ejus. Sic quoque

Chaldaeus: *ligate agnum in sacrificium festi catenis, donec sacrificaveritis eum, et insperseritis sanguinem ejus in cornua altaris.* Nomen עֲבֹתִים Chaldaeum apparet recte *funium* significatione accepisse, qua et Ps. 2, 3. Jud. 15, 13. Ez. 3, 25. occurrit. Alii vero, Alexandrino auctore, *ramos densos* intelligunt, de quibus עָבוֹת Ez. 19, 11. 20, 28. 31, 3. 10. 14. Atque hi quidem sensum faciunt hunc: *ligate*, i. e. redimite, ornate *festivitatem hanc frondibus* per atrium sacrarii *usque ad cornua altaris*, quale quid in festo tabernaculorum praecipitur Lev. 23, 40. coll. Neh. 8, 15. Hinc Lutheri interpretatio: *Schmücket das Fest mit Mayen.* Alii: exornate festum hunc diem *fasciculis frondium* agitandis *usque ad cornua altaris.* Sic enim in Cod. Talmudico *Succah: agitatio* s. quassatio *fasciculorum* fuit dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum, quum altare circumiverunt. Cui interpretationi recte opposuit Lackemacher in *Observatt. Philologg.* P. III. Observ. 1., primo quidem, verbum אָסַר *ligare*, non nisi coacte *exornare* explicari posse; deinde vero, vix dimidiam altaris altitudinem attingere potuisse circumeuntes ramis suis, sesquicubitum ut plurimum longis, nedum cornua, in summa parte collocata, nono a fundamento cubito. Ipse vero Lackemacher respiciendum putavit ad illum morem, quo *σκηνοπηγίας* festo perlongi salicum rami circum altare statuebantur, ipsam aram altitudine sua aequantes, si non superantes. *Ligare festum ramis* per hypallagen quandam dictum existimat pro: *ligare, alligare ramos in festo;* ut igitur haec sit nostri loci sententia: afferte, ut nihil desit solennitati, quam celebramus, ramos arborum densos altari alligandos, eosque tam proceros, ut ad altaris usque cornua pertingant. Mirandum est, Lackemacherum suae interpretationis patronum non attulisse Alexandrinum, qui verba nostra sic est interpretatus: *συστήσασθε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζουσιν* (sc. *κλάδοις*) *ἕως τῶν κεράτων τοῦ θυσιαστηρίου.* Sed *ligandi* verbo nihil aptius esse potest *funibus*, quae est nominis עֲבֹתִים significatio usitata. Commodum, ea adoptata, nostri loci sensum existere, supra vidimus.

Ps. 119.

In hunc Psalmum varia congesta sunt, quae ad pietatem alendam et confirmandam faciunt, hicque scopus est auctoris praecipuus, ut doceat, beatam vitam in observatione divinorum praeceptorum esse positam. Quare precatur Deum, ut animum ad obedientiam suis legibus plene perfecteque praestandam ipsi confirmet, atque adeo caveat, ut ne ullis malis et formidinibus, ullis illecebris et irritamentis ad transgrediendum eas impelli possit et incitari. Quibus continuae preces interseruntur, ut Deus eum conservet, eripiatque e conditione misera, in qua versetur. Quae dum precatur, testatur simul suam innocentiam et puritatem a criminibus, quorum ab adversariis accusatur, atque sese commendat

Dei favori et defensioni in omnibus vitae suae periculis, argumento saepe repetito ab amore et studio suo erga leges divinas, a vitae suae innocentia et pietate, hostium improbitate, Dei veracitate.

Qui *Davidis* existimant esse hoc carmen, ii vel tum, quum inter Philisthaeos exul degeret (1 Sam. 27.), ab illo factum conjiciunt; vel Davidem juvenem, necdum imperium regium adeptum, a Saulo reliquisque inimicis odio habitum atque oppressum, composuisse carmen autumant, id quod potissimum ex Vs. 9. 23. 46. 141. et 161. recte colligere sibi videntur. Rudingerus existimat carmen inter Antiochicae tyrannidis calamitates factum, cum usu templi careret populus, et multi ex populo ad hostes deficerent, multi etiam, vel plurimi potius, ab hostibus abducti, inter eos miserrime exularent (cf. Vs. 19.). Verum ita *γενικὰ* sunt omnia in hoc Psalmo, ut qua occasione et quo tempore sit compositus, certis indubitatisque argumentis vix possit evinci.

Structura hujus Psalmi singularis est, viginti duobus videlicet octostichis conscriptus, hac ratione, ut primi octo Versus omnes a prima alphabeti litera א incipiant, secundum octostichum a ב, tertiam a ג incipiat, et sic deinceps.

1. אַשְׁרֵי תְמִימֵי־דָרֶךְ *Felicia* (cf. not. ad 1, 1.) *integrorum viae*, beati qui vitam degunt rectam scelerisque puram.

2. De עֵדֹת vid. not. ad 25, 10. Kimchi docet hoc nomine significari doctrinam divinam, quatenus habet adjuncta *testimonia*, i. e. sacramenta et ritus, qualia sunt circumcisio, Sabbatum, septimus annus, Jubilaeus, et aliae id genus ceremoniae.

4. מְאֹד *Valde* h. l. valere summo studio et diligentia, res ipsa docet; ita etiam Deut. 6, 5. 2 Reg. 23, 25.

5. אַחֲלַי *Utinam!* Nomen plurale esse, cognoscitur ex 2 Reg. 5, 3., ubi אַחֲלֵי אֲדֹנִי pluralem constructum esse a singulari אֶחֶל vel אַחֲלֶה (formae אַרְבֶּה) observant Aben-Esra et Kimchi, quod a radice חִלָּה *rogavit*, *precatus est*, proprie notaret *vota*, *desideria*. Hinc אַחֲלַי esset cum suffixo primae personae: *vota mea*, i. e. utinam!

6. לֹא־אֵבוֹשׁ *Non erubescam*, plerique interpretantur: spes numquam me fallet, atque hujus Versus sensum faciunt hunc: tunc, cum vita mea ad legis tuae observationem fuerit composita, nihil non succedet, quodcunque e tuis praeceptis tentem atque aggrediar. Rectius Kimchi: „qui non observat praecepta, non potest non erubescere, quum illa respicit ac legit;“ ut igitur sensus sit: tunc, cum vitam recte instituam, non confundar cum perspexero vel oculis legens, vel animo pertractans mandata tua; neque enim teste conscientia pungar, aliud in factis meis habens, aliud in memoria retinens.

7. Promittit se tum demum rite et sincere celebraturum Deum, quum leges ejus, easque justissimas, bene fuerit edoctus.

8. Certum, inquit, mihi, tuam legem perpetuo servare, modo tu ne me unquam deserito, absque cujus ope ipse nihil possum. עַד־מְאֹד Aben-Esra recte notat conjungendum esse cum אַל־תַּעַזְבֵנִי, hoc sensu: *ne derelinquas me usque nimis*, penitus, hoc est, ea derelictione, ut non possim ea servare.

9. בַּמֶּה יְזַכֶּה־נַּעַר אֶת־אָרְחוֹ *Per quid?* quomodo (ut Jud. 16, 6. 1 Sam. 6, 2.) *mundabit*, puram et incontaminatam reddet *puer viam suam?* i. e. mores et actiones suas; quomodo puram inculpatamque praestabit vitam suam? Juvenilis actatis mentionem ad efficacitatem studii pietatis demonstrandum pertinere verisimile, ut significet, etiam effrenes animos et tumultuantes affectibus, quales sunt ejus aetatis, hoc studio compesci et molliri. Sic etiam Ps. 34, 12. admonitiones diriguntur ad aetatem juvenilem. לִשְׁמֹר *Ut custodiat*, vel *custodiendo eam*, sc. viam, vel secundum Aben-Esram, *statuta tua*, Vs. 4. 8. Ps. 17, 4. לְ formal Gerundium in *do;* ut לִשְׁאֹל 78, 18.; לִשְׁמֹעַ 103, 20. — כִּדְבָרֶךָ *Secundum verba*, praecepta *tua*. Masora notat hoc unum esse e tredecim quae amittunt Jod, pluralis numeri notam; sic et infra Vs. 37. דְּרָכֶךָ.

11. Haeret mihi semper in animo tua lex, ne unquam ab illa declinem, et qua in re te offendam. In verbo *abscondendi* (צָפַנְתִּי) metaphora latet ab iis sumta, qui thesaurum inventum abscondunt, ne pereat.

14. Tam mihi jucunda est legis tuae observatio, quam omnium divitiarum possessio.

16. אָשִׂיחָה Jarchi *respiciam*, meditabor, interpretatur, quasi a verbo שִׂיָּה, Ex. 5, 9., et sic infra Vs. 117. וְאֶשְׁעָה בְחֻקֶּיךָ. Rectius Kimchi aliique: *oblector*, quae notio et Ps. 94, 19. Jes. 11, 8. unice apta. Cf. nomen שַׁעֲשָׁעַי *deliciae meae*, infra Vs. 24.

17. Confer mihi hoc beneficium, ut vivam; quod sane a te non peto, nisi ut mandata tua exsequar, non ut genio indulgeam. גְּמֹל h. l. ut 116, 7. non est *beneficium reddere*, sed, ultro *dare*.

18. Imperativus גַּל pro גַּלֵּה, vid. ad 61, 8. — נִפְלָאוֹת non solum *admiranda*, sed etiam *arcana*, *occulta* significat, 131, 1. 139, 6. Jes. 28, 29. et infra Vs. 27. Sic h. l. intelliguntur secreta religionis, תּוֹרַת יְהוָה.

19. „Legis divinae praestantia eleganti comparatione demonstratur. Homo peregrinus multis periculis est expositus sine notitia eorum, quae facere, quae omittere debeat. Igitur magnum ei est beneficium, si amicum habet, qui eum de omnibus admoneat. Talis est homini amicus verbum Dei. Docet enim, quae in hac vitae suae peregrinatione facere, a quibus sibi cavere debeat.“ Dathe.

20. Animi mei vires omnes consumtae, ac veluti attritae sunt perpetuo cognoscendae legis tuae desiderio, et assidua ejus meditatione.

21. גָּעַרְתָּ *Increpasti*, i. e. increpare, severe animadvertere, et coercere soles, 9, 6. 68, 31. 106, 9. — זֵדִים *Superbos*, qui non curant tuam legem, cf. not. ad 19, 14.

22. גַּל Jarchi ad verbum גָּלַל refert, ut sit: *avolve a me opprobrium* (coll. Jos. 5, 9.), quo me superbi (Vs. 21.) adficiunt, quod mandata tua servem. Alii vero גַּל a גָּלָה sic explicant: *retege* (ut supra Vs. 18.), i. e. remove, aufer a me opprobrium. Arabibus *velum* figurat *pudorem gravem, qui vultum nubere cogat;* unde *retegere*, discutere *velum convicii*, item *retegere poenam ab aliquo* dicere solent. Sensus est: vindica me ab injuriis et contumeliis generis superbi et profani illius, quod me convitiis insectatur propter studium pietatis meum.

23. גַּם יָשְׁבוּ שָׂרִים בִּי נִדְבָּרוּ *Etiam principes sedent* in consessibus suis, et *adversum colloquuntur*, consilia contra me agitant, עַבְדְּךָ יָשִׂיחַ בְּחֻקֶּיךָ sed *servus tuus meditatur in tua praecepta* mentem intentam habens, i. e. de tuis praeceptis meditor. „Sensus hujus et sequentis Versus est hic: si hostes mei consilia inter se ineunt ad me perdendum, ego meditor et cogito legem tuam. Haec autem docet vitam meam ita instituere, ut ne hostis quidem habeat, quod in me reprehendere, aut in perniciem meam convertere possit.“ Dathe.

24. אַנְשֵׁי עֲצָתִי *Viri consilii mei*, consiliarii mei in rebus dubiis et difficilibus sunt mihi leges tuae.

25. עָפַר h. l. pro עָפַר־מָוֶת (22, 16.) dici arguit חַיֵּנִי *in vitam me restitue*, quod proxime sequitur; et עָפָר solum de *sepulchro* usurpari, vidimus 22, 30. Sensus est: vita mea morti proxima est, tu ergo recrea, conserva me כִּדְבָרֶךָ *secundum verba tua*, i. e. promissiones tuas.

26. דְּרָכַי *Vias meas*, i. e. negotia et instituta, itemque sortem et pericula mea, ut 37, 5. Sensus: semper ad te retuli de rebus et consiliis meis, a te pependi in difficultatibus et periculis, et tu exaudivisti invocantem, ut experirer opem tuam, itaque nunc etiam assis mihi et instrue me pietatis doctrina, praeceptisque, quibus docear, quid faciendum sit mihi.

28. דָּלְפָה נַפְשִׁי *Stillavit anima mea*, totus solvor in lachrymas; Job. 16, 20. דָּלְפָה עֵינִי *stillat oculus meus.* Quia vero sequitur קַיְּמֵנִי *erige me*, alii verbo דָּלַף h. l. notionem Arabici دلف tribuendum putant, quod de *incessu senis lento*, item de *jumento quod prae nimio onere vix pergere potest*, usurpari solet, ut verba nostra reddenda sint: *incurvus lente incedo prae dolore. Stillandi* tamen notio, quam verbum דָּלַף apud Syros Chaldaeosque habet, quum reliquis omnibus, quibus legitur, V. T. locis (Job. 16, 20. Prov. 19, 13. 27, 15. Coh. 10, 18.) unice sit apta, dubitamus, Arabicam illam significationem hoc solo loco verbo דלף recte tribui. קַיְּמֵנִי *Erige me*, qui jam prostratus jaceo, ex pulvere (Vs. 25.), recrea et conserva me.

29. דֶּרֶךְ־שֶׁקֶר הָסֵר מִמֶּנִּי *Viam falsitatis remove a me*, averte a me omnia, quae a veritate abducunt. וְתוֹרָתְךָ חָנֵּנִי *Et legem tuam gratiose concede mihi*, i. e. communica mecum benigne scientiam et intelligentiam legis tuae, ne errem uspiam. Verbum חָנַן eodem h. l. accipiendum significatu, qui Gen. 33, 5. 11. *gratiam* alicui *testari collatis in eum beneficiis*, *donis aliquem ornare (einen mit Geschenken begnadigen)*.

30. *Viam veritatis*, rectitudinis, viam veram, *elegi; tua statuta mihi servanda propono.* מִשְׁפָּטֶיךָ שִׁוִּיתִי *Judicia*, jura, decreta *tua posui*, subaud. ex 16, 8. לְנֶגְדִּי *ante me*, proposui oculis meis, quibus ii dirigantur.

31. אַל־תְּבִישֵׁנִי *Ne pudore me afficias*, ne sinas, ut frustrentur me preces meae; vel: ne committam aliquid tibi contrarium.

32. דֶּרֶךְ־מִצְוֹתֶיךָ אָרוּץ *Viam praeceptorum tuorum curram*, ad praecepta tua vitam meam instituam, כִּי תַרְחִיב לִבִּי *quia dilatasti cor meum*, i. e. mihi intelligentiam impertiisti; nam de intelligendi capacitate *dilatare cor* dicitur 1 Reg. 5, 9. (al. 4, 29.). Alii quum me liberaveris; nam latitudinem opponi aerumnarum angustiis, constat, vid. Ps. 4, 3. 18, 37. Jes. 60, 5. Per inversionem haec explicant sic: libera me ex angustiis meis, et tum decurram constanter alacriterque spatium hoc, ut vivam secundum ea, quae mandat lex tua. Sed prior ratio simplicior.

33. עֵקֶב Jarchi explicat *e vestigio*, i. e. in omnibus orbitis et vestigiis viarum ejus, coll. Cant. 1, 8. בְּעִקְבֵי הַצֹּאן *in vestigiis gregis*. Rectius alii: *usque ad extremum vitae meae.* Quod ipsum spectavit haud dubie Alexandrinus, qui διαπαντὸς reddidit, et Vulgatus *semper*, tota vita mea.

36. וְאַל אֶל־בָּצַע *Ne* sc. permittas ut flectatur cor meum *ad quaestum*, i. e. ad quaestus cupiditatem; speciem pro genere nominari autumant, avaritiam pro omni prava cupiditate. Qui vero simpliciter de avaritia interpretantur, ii haec referunt ad ea, quibus movebantur carminis hujus compositi tempore homines, ut deficerent ad falsae religionis cultum. Ita sensus erit hic: averte a me omnem avaritiam, ne quaestus ullius causa a te et lege tua deficiam.

37. הַעֲבֵר עֵינַי מֵרְאוֹת שָׁוְא *Praeterire fac*, averte oculos meos *a videndo vanum*, vanas res et doctrinas. בִּדְרָכֶךָ חַיֵּנִי *In via tua vivifica me.* Guberna sensus meos, ne convertant se ad res vanas et malas, quibus corrumpar, et corrobora me, ut sine impedimento alacriterque in iis spatiis decurrere possit vita mea, quae praefinit lex tua.

38. הָקֵם לְעַבְדְּךָ אִמְרָתְךָ אֲשֶׁר לְיִרְאָתֶךָ *Confirma* mihi, *famulo tuo verbum*, promissum *tuum* (oppos. נָפַל דָּבָר Jos. 21, 45. 23, 14.) *quod* datum est *timori tuo*, i. e. ei qui deditus est timori

tui. Optime Syrus: *confirma verbum tuum servo tuo, qui timet te.* Sensus: mihi, servo tuo, promissum serva, h. e. opem praesta, quam tui timenti pollicitus es.

39. הַעֲבֵר חֶרְפָּתִי אֲשֶׁר יָגֹרְתִּי *Praeterire fac ignominiam meam, quam timeo.* Averte a me ignominiam turpitudinemque omnem ab hostibus meis, in quorum insectationes incurrere solet pietatis studium, qui metus exercet me, qui studeo obedire tibi. Eadem sententia, quae supra Vs. 22. et infra Vs. 42. Quod autem sequitur: כִּי מִשְׁפָּטֶיךָ טוֹבִים *tua jura bona sunt et salutaria observanti*, sic videtur aptari praecedentibus, ut si dicat: et tamen propterea tua justa non desinunt bona esse et salutaria, quicquid obtrectent legi tuae, et studio hujus in cultoribus tuis, homines impii.

40. Tanta cupiditate quum ferar ad mandata tua exsequenda, vitam largire mihi בְּצִדְקָתֶךָ *pro justitia tua*, i. e. promissionum tuarum veracitate (ut 31, 2.), ut colam jura tua alacer vegetusque.

42. וְאֶעֱנֶה חֹרְפִי דָבָר *Ut respondeam conviciatori meo*, qui mihi insultat, quasi me inani spe lactassem, *verbum*, i. e. aliquid, rem; ut suppetat mihi, argumentum scilicet, quod respondeam.

43. וְאַל־תַּצֵּל מִפִּי דְבַר־אֱמֶת *Nec eripi*, auferri sinas *ex ore meo verbum veritatis*, i. e. hoc argumentum, in quo se occupet os meum commemorando, et cor s. animus meditando, mihi conserva; praesta, ne quid dicam aut cogitem tibi contrarium. Particula עַד מְאֹד conjungenda cum עַל, ut sit: *nullo modo* eripias. Alii dictioni דבר־אמת adstruunt, ut sit: *verbum veritatis admodum*, i. e. quod est verbum veritatis usque ad supremum gradum, maxime, coll. 2 Chr. 24, 24.

45. וְאֶתְהַלְּכָה בָרְחָבָה *Et ambulando in latitudine*, in lata via et libere, coll. 4, 2., sine anxietate, tranquillo animo cultui tuo vacabo, cf. Vs. 32. Chaldaeus: *in latitudine legis*, forsan ex Vs. 96.

46. Si Maccabaicis temporibus scriptus sit Psalmus, verisimile, hunc Versum referendum esse ad Antiochum, et satrapas ejus, per quos exstirpare religionem moliebatur. Qui vero Davidicum Psalmum existimant, ad Saulum hoc pertinere volunt.

48. וְאֶשָּׂא כַפַּי אֶל־מִצְוֹתֶיךָ *Tollam manus meas ad mandata tua* excipienda et facienda. Ambabus quasi manibus excipiam, et avide complectar praecepta tua.

49. עַל־אֲשֶׁר *Propterea quod*, ut Deut. 29, 24. 2 Sam. 3, 30. Alii: *super quo*, Vulgato auctore, qui habet: *in quo mihi spem dedisti.* Minus recte; sic enim עָלָיו אֲשֶׁר dici debuisset.

52. Consolor me recordatione eorum, quae de decretis legis tuae fecisti jam inde ab initio, et quae inde statuisti adversus violatores ejus.

53. זַלְעָפָה esse *eurum urentem*, *letiferum*, vidimus 11, 6. Cum eo comparat vates affectum indignationis summae et anxietatis, quem sentiebat ob vexationes impiorum.

54. *Carmina*, i. e. materia carminum *mihi* sunt *statuta tua in domo*, i. e. in loco *peregrinationum mearum*, in peregrinationibus meis, quod ii, qui Antiochicis temporibus Psalmum assignant, de vita misera et calamitosa interpretantur, quum de exilio simpliciter interpretari illius temporis historia non ferat. Certe *vitam* hanc, quam in his terris vivimus, מְגוּרִים vocat Jacobus Gen. 47, 9., ubi interrogatus a Pharaone, *quot sunt* יְמֵי שְׁנֵי חַיֶּיךָ, respondet יְמֵי שְׁנֵי מְגוּרַי *dies annorum peregrinationis mearum* 130 *anni*. Cf. 1 Chr. 29, 15. Qui vero Davidicum faciunt hoc carmen, hunc Versum exilii vel Saulici vel Absalonici tempora respicere putant.

57. חֶלְקִי יְהוָה *Portio mea*, peculium meum, quo nihil pluris faciendum, est *Jova*. אָמַרְתִּי *Dixi*, statui mecum, 31, 15. 140, 7.

59. חִשַּׁבְתִּי דְרָכָי *Supputavi vias meas*, examinare soleo vitam meam, et studia hujus, atque instituo haec omnia, huc contendo, ut vivam secundum legem tuam.

61. חֶבְלֵי רְשָׁעִים עִוְּדָנִי *Funes*, insidiae *improborum circumdant me*, quae est verbi עוד hoc tantummodo loco occurrentis significatio Aethiopibus usitata. Sensus est hic: neque tamen inter omnes vexationes improborum patior mihi eripi memoriam et studium legis tuae. Eadem sententia infra Vs. 110. Alii post Chaldaeum et Hieronymum חבלי רשעים interpretantur *coetus*, catervas *improborum*, quemadmodum 1 Sam. 10, 10. חֶבֶל־נְבִיאִים est *caterva prophetarum*.

66. טוּב טַעַם וָדַעַת לַמְּדֵנִי *Bonitatem judicii* (εὐγνωμοσύνην) *et scientiam doce me*. De טַעַם vid. not. ad 34, 1.

69. טָפְלוּ עָלַי שֶׁקֶר זֵדִים *Elaborarunt*, concinnarunt *contra me mendacium insolentes*, hominum profanorum insolentia crimina fingit adversus me, struunt calumnias.

70. טָפַשׁ *Obesum*, hoc solo loco legitur in V. T., sed Chaldaeis frequens ea significatione, ita Jes. 6, 10. Hebraeum הַשְׁמֵן לֵב a Chaldaco redditum est טַפֵּישׁ לִבֵּיהּ. Cf. not. ad hunc Jes. loc. כַּחֵלֶב *Sicut pinguedo*; quae sensu caret. Animos istorum stuporem contraxit cjusmodi, ut non sit idoneum, quod sentiat aut intelligat leges tuas.

75. Ante אֱמוּנָה subaudiendum est ב; dicitque vates hoc, Deum in afflictionibus immissis tamen pro fide sua egisse, ita ut promissa servaret.

81. כָּלְתָה לִתְשׁוּעָתְךָ נַפְשִׁי *Consumta* est, intenta *ad salutem tuam anima mea*, paene deficit animus meus prae desiderio ingenti opis tuae. לִדְבָרְךָ יִחָלְתִּי *Propter verbum tuum* quod *exspecto* (sc. deficit animus meus), i. e. qui tam cupide exspecto, quae complectitur et promittit verbum tuum; דבר metonymice pro *re*, *verbo* promissa, ut Vs. 25. 43. 74. 114. De verbo יָחַל vid. 31, 25.

82. Sicut oculi, hominum subventurorum adventum praestolantes, intentione continenti defatigantur tandem et deficiunt, ita

כָּלוּ עֵינַי לְאִמְרָתֶךָ *deficiunt oculi mei* intenti *ad sermonem tuum*, i. e. prospectando quando veniat auxilium sermone tuo promissum, cf. Vs. 81. infra Vs. 123. et Thr. 4, 17.

83. כִּי־הָיִיתִי *Si etiam fiam*, כִּי h. l. est hypotheticum, ut Jes. 54, 10. Ps. 27, 10. — כְּנֹאד בְּקִיטוֹר *Sicut uter in fumo*, i. e. si etiam miseriis corpus meum ita emacietur, ut sit instar corii utris vinariae, quae in aëre fumoso exsiccata, sua sponte corrugatur. Solebant enim veteres vina sua cadis utribusque injecta tabulatis includere fumo perviis, in editioribus domuum locis, quia experiendo didicerant, citius inveterascere, et crudum, qui in novis vinis deprehenditur, saporem deponere, si admisso fumo paulatim coquerentur. Galenus *de medic. simplic.* IV, 14. T. XIII. p. 100. edit. Chartr. *Καὶ παρ' ἡμῖν κατὰ τὴν Ἀσίαν οἶνον ἐν ὑπερῴοις οἰκήμασι, ὧν ἐν τοῖς κατωγέοις μέλλει καυθήσεσθαι φλὸξ πολλὴ κατατίθενται· ὃ γὰρ ἐν χρόνῳ πολλῷ τοῖς ἄλλοις, τοῦτο τοῖς θερμανθεῖσιν ἐν ἐλαχίστῳ περιγίγνεται.* Et mox: *Ἥλιος ἐκθερμαίνων καὶ φλογὲς πλησίον καιόμεναι πεπταίνουσι θᾶττον οἴνους* Columella *de re rust.* L. I. 6. 20. *Apothecae* (i. e. cellae vinariae) *recte superponentur his locis, unde plerumque fumus balnearum oritur, quoniam vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* Cf. Horat. *Od.* 3, 8. Martial. 10, 36. et 3, 57. Ovid. *Fast.* 5, 517. Cum tali igitur utre plane exsiccato vates Hebraeus sese comparans hoc dicit: etiamsi maximis conficiar miseriis, tamen non desinent mihi curae esse praecepta tua.

85. אֲשֶׁר לֹא כְתוֹרָתֶךָ *Quod*, sc. quod foveas fodiunt, *non* est *secundum legem tuam*, i. e. insolentes illi et facinorosi struunt mihi insidias contra jus et fas et legem tuam. Alii vero אשר trahunt ad זֵדִים *qui non sunt secundum legem tuam*, hoc sensu: superbi illi, qui nihil curant legem tuam, minimeque se huic conformant, insidias mihi struunt.

86. שֶׁקֶר pro בְּשֶׁקֶר *mendacio*, i. e. mendaciter, falso, sine causa, cf. Vs. 69. 78.

87. כִּמְעַט כִּלּוּנִי בָאָרֶץ *Fere confecerunt me in terra*, sc. prostratum, cf. 7, 6. 44, 26. 74, 7. 89, 40.

92. *Nisi lex tua fuisset oblectatio mea, jam dudum periissem in afflictione mea.* Cf. 27, 13.

94. Quia Deus meus es, et ego cultor tuus, sinito me percipere hunc fructum studii pietatis mei, ut experiar opem tuam in rebus difficilibus meis.

96. Nomen תִּכְלָה ἅπαξ λεγόμενον (formae תִּגְרָה Ps. 39, 11. a verbo כָּלָה) Alexandrinus συντέλειαν, Vulgatus et Syrus *consummationem* reddiderunt, Symmachus vero *πάσης κατασκευῆς*, et Arabs *omnis perfectionis*, quod quidem interpretationibus ceteris omnibus praeferendum videtur, cf. cognatum מְכֻלּוֹת זָהָב

perfectio auri, i. e. aurum optimum, 2 Chr. 4, 11., et aliam formam (תַּכְלִית) Job. 28, 3. Sensus: nihil video rerum humanarum omnium, tam plenum, perfectum et solidum, quod non deficiat tandem, et intercat, lex tua sola, et quae tu mandas et promittis, ita ampla sunt, et tam late patent, ut se extendant ad omnem aeternitatem, acterna sunt et immutabilia. Eadem sententia, quae in primo hujus octonarii Versu, 89. aderat.

98. מֵאֹיְבַי תְּחַכְּמֵנִי מִצְוֹתֶיךָ *Prae hostibus meis sapientem me faciunt praecepta tua*, per doctrinam legis tuae ita me instruxisti, ut superem sapientia hostes meos, et nihil proficiant illi adversus me profanis conatibus suis, quibus ab illa me abducant. Verbum *singulare* femininum תחכמני jungitur h. l. nomini *plurali* feminino, ut saepius, ubi nomen *rem*, non personam significat, ex Arabum more, vid. GESENII *Lehrgeb.* p. 719., qui plura alia hujusmodi constructionis exempla attulit. Veteres verbum illud pro secunda persona acceperunt hoc sensu: *redde*, vel: *reddidisti me sapientiorem hostibus meis mandatis tuis.* כִּי לְעוֹלָם הִוא־לִי *Nam perpetuo* est *mihi* scil. unumquodque praeceptorum tuorum ante oculos, perpetuo mentem meam occupant.

99. Verba מִכֹּל־מְלַמְּדַי הִשְׂכַּלְתִּי Aben-Esra recte sic explicavit: *magis sapui, quam informatores mei*, eo quod omnem meditationem meam impenderim legi tuae, quae ipsa plus me erudivit, quam illi. Alii hoc putant pertinere ad Antiochica tempora, quibus constat etiam ex sacerdotum ordine aliquos defecisse ad hostes. Eadem sententia Versu seq. verbis aliis exprimitur. *Seniorum*, זְקֵנִים, nomine ibi similiter *doctores publicos* aliqui intelligunt.

102. *A tuis sententiis non deflecto*, כִּי־אַתָּה הוֹרֵתָנִי *nam tu me instituisti*, non homines, quorum leges saepe adeo imperfectae sunt, ut non possint, nec debeant servari. Sed leges divinae perfectissimae sunt, et dignissimae, quae summa cura et diligentia serventur.

108. נִדְבוֹת פִּי רְצֵה־נָא *Spontaneas oblationes oris mei acceptas habe.* נדבות, *voluntaria*, ut Vulgatus reddidit, sunt talia sacrificia, quae neque ex lege, neque pro culpa, sed gratiarum actionis causa offeruntur, Deut. 23, 24. Significantur igitur laudes et gratiarum actiones.

109. נַפְשִׁי בְכַפִּי *Anima*, vita *mea in manu mea*, in maximo versor discrimine et vitae periculo, ubi summa opus est cautione et circumspectione. Phrasis petita videtur a gestatione rerum pretiosarum, quae in manu perquam periculose portantur, ut cum quis iter faciens per periculosa loca pecuniam portat in manu. Alii petitum putant a militibus, qui *vitam in manu* videntur *portare*, ut eam vel servent, pugnando fortiter; vel, si male pugnent, amittant; atque hoc modo etiam Graeci dicunt proverbio: *ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχει*, de eo, qui in summo versatur discrimine. Cf. Jud. 12, 3. 1 Sam. 19, 5. 28, 21. Job. 13, 14. Chaldaeus

verba nostra sic reddidit: *anima mea periclitatur in superficie manus meae.*

111. נָחַלְתִּי *Pro hereditate possideo*, hereditarii peculii instar mihi sunt leges tuae, ita curo eas, et in pretio habeo.

113. סֵעֲפִים Alexandrinus παρανόμους, Vulgatus *iniquos*, Syrus *perversos*, Chaldaeus *cogitantes cogitationes vanas*, reddiderunt. Recentiorum plerique *cogitationes anticipes*, ambiguas et inconstantes, coll. 1 Reg. 18, 21. Videntur intelligendi *homines effrenatis cupiditatibus*, qui leges omnes divinas et humanas susque deque habent, coll. arab. שעאף *insania*, *affectus vehementes et turbulenti*, et משעוף *demens*, *affectus amore*, *terrore et insania*. Recte vero Aben-Esra observavit, nomen esse *concretum*, s. *adjectivum*, quemadmodum et veteres omnes interpretati sunt; forma est ex Dagessatis, ut חֲרֵשׁ, פְּסֵחַ, ita et סֵעֵף.

118. סָלִיתָ Chaldaeus *pedibus calcasti*, transtulit; retulit ad verbum סָלַל, cui ex מְסִלָּה, *via strata*, *calcandi* notionem tribuit. Manifestum vero est, nostrum verbum pertinere ad radicem סלה, Syrorum סלא *rejecit*, quae significatio tam huic loco, quam Thr. 1, 15. est apta. Quam ipsam forsan et Alexandrinus ac Theodotion suo ἐξουδένωσας, *sprevisti*, reprobasti, exprimere voluerunt. כִּי שֶׁקֶר תַּרְמִיתָם *Quia mendacium* est *dolus eorum*, i. e. frustranei sunt omnes eorum conatus subdoli. Sensus est: tu reprobas omnes, qui deficiunt et exorbitant a praeceptis tuis: neque enim perficere huic generi a te conceditur, quod contra pietatem molitur; concidit in mediis conatibus. Posterius commatis nostri hemistichium Syrus ita reddidit: *quoniam improbitas est meditatio eorum.* „Vix dubitem," inquit Dathius ad Psalter. Syriac., „interpretem nostrum pro תרמיתם legisse תַּרְעִיתָם, quod est ejusdem significationis cum רַגְיָא, quo usus est. Ita quoque legerunt Alexandrinus: ὅτι ἄδικον τὸ ἐνθύμημα αὐτῶν, Theodotion et Quinta: τὸ ἐπιθύμημα, Vulgatus et Arabs: *quia injusta est cogitatio eorum.* Lectio, si sententiam spectes, facilior est; sed neque receptae lectioni desunt testes ex antiquis. Nam praeter Chaldaeum Aquila et Symmachus, quamquam de illo non satis certo constat. Utitur enim vocabulo ab ipso efficto, et quod ex etymologia ad utramque lectionem referri potest: ὅτι ψευδεῖς συνεπιθέσεις αὐτῶν. Symmachus vero: ματαία γὰρ πᾶσα ἡ δολιότης αὐτῶν.

119. סִיגִים הִשְׁבַּתָּ כָל־רִשְׁעֵי־אָרֶץ *Scorias removisti omnes improbos terrae*, i. e. scorias, quales sunt omnes improbi, s. improbos, scoriarum similes, removere soles. Similem imaginem reperies Jer. 6, 28. sqq. Pro השבת *cessare fecisti*, i. e. removisti (cf. Ps. 8, 3. 89, 45.), veteres omnes חָשַׁבְתָּ *reputasti* (scorias, s. scoriarum instar improbos omnes) exprimunt, sensu minime inepto. לָכֵן *Ideo*, ne impietatis et poenae illorum particeps fiam, amo, revereor tuas sententias.

120. Exhorresco toto corpore ad cogitationem sententiae severae tuae, qua uteris adversus eos, qui discedunt a decretis justis tuis. Prius Versus hemistichium Alexandrinus sic reddidit: *καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου*, et hinc Vulgatus: *clavis confige timore tuo carnes meas.* Enunciavit ille Imperativum סַמַּר; et Arabibus סמר in Conjug. 2. significat *clavis compegit confixitque.* Ab ea notione *horripilandi* significatio deducta videtur (quasi *clavorum instar comas erigere*), qua Hebraeum סָמַר Jer. 51, 27. Job. 4, 15. sumendum, quae ipsa et huic loco unice apta.

122. עֲרֹב עַבְדְּךָ לְטוֹב plerique, Jarchio auctore, sic explicant: *esto pro me sponsor* (ut Gen. 43, 9. 44, 32. Jer. 30, 21.), vindica me adversus malum, *in bonum*, i. e. ut bene mihi sit, ut Deut. 6, 24. 10, 13. Alii, Chaldaeum, Syrum, et Kimchium sequuti, *oblecta servum tuum*, ex significatione *dulcedinis, jucunditatis*, quam verbum עָרַב Prov. 13, 19. Jer. 31, 26. Prov. 3, 24. habet.

126. עֵת לַעֲשׂוֹת לַיהוָה *Tempus* est *faciendi Jovae* scil. מִשְׁפָּט *judicium*, quod et Jer. 18, 23. et aliis locis est subaudiendum. Sensus: tempus est, ut Jova judicium exerceat, et vindicet gloriam suam, neque enim salvam amplius patiuntur legem suam, sed contemnunt et violant eam. Alii, Chaldaeum sequuti *(tempus est faciendi voluntatem Domini)*, sensum hunc putant: tempus est, nobis, cultoribus Jovae, ei obtemperandi, et serviendi, siquidem ab impiis violatur et profanatur.

128. כָּל־פִּקּוּדֵי כֹל יִשָּׁרְתִּי *Omnia mandata omnis* sc. rei *recta* et bona *judico;* loquendi formula, qualis Ez. 44, 3. *primitiae omnium primitivorum omnis* rei, *et omnis oblatio omnis* rei. Significat, se absque ullo discrimine omnia omnino legis divinae mandata probare, neque facere, ut faciunt ii, qui ea duntaxat praecepta approbant, quae genio suo congruunt et placent, ceteras rejicientes, quae suae libidini adversantur.

129. פְּלָאוֹת *Mirabilia*, i. e. longe praestantissima, et legibus humanis ceteris omnibus perfectiora tua sunt praecepta. Cf. Deut. 4, 6. 7.

130. פֶּתַח quidam *apertionem, ostium, primum aditum* explicant, ut dicatur hoc, qui a limite saltem, et rudimentorum aliquid legis divinae percipiant, eos statim sapere incipere. Sed פֶּתַח *aperturam* potius, i. e. declarationem, expositionem videtur notare, hac sententia: cuicunque aperitur tuum verbum, is simul illuminari mentem suam deprehendet. Ita Alexandrinus: *ἡ δήλωσις τῶν λόγων σου φωτιεῖ καὶ συνετιεῖ νηπίους*, et Vulgatus: *declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.* פְּתָיִים vero sunt *simplices*, et imperiti rerum.

131. פִּי פָעַרְתִּי וְאֶשְׁאָפָה *Os meum distendi et avide anhelo*, ἤθος cupidorum et anhelantium. Sensus: summo desiderio teneor

doctrinae mandatorum tuorum. Vid. ad 81, 11. De verbo שָׂאַף vid. ad 56, 2.

132. כְּמִשְׁפָּט plerique de *consuetudine* agendi, quam Jova cum piis tenet, interpretantur, quo sensu nomen illud et Gen. 40, 13. Jos. 6, 15. et alias capiendum, ut dicatur hoc: pro tuo more et consuetudine erga eos, qui te colunt, miserere mei. Alii vero משפט *jus*, *aequitatem* interpretantur, ut כְּמִשְׁפָּט לְאֹהֲבֵי שְׁמֶךָ sit: *prout est jus erga amantes tui*, sicut fas est te esse eis, qui diligunt te et colunt.

133. פְּעָמַי הָכֵן בְּאִמְרָתֶךָ *Gressus meos dirige* s. *confirma in verbo tuo*, in semitis verbi tui, ne tanquam in lubrico hinc inde vacillem. וְאַל־תַּשְׁלֶט־בִּי כָל־אָוֶן *Nec dominari in me sinas ullam pravitatem*, i. e. neque potestatem da ulli in me iniquitati. Quod alii de pravis cupiditatibus intelligunt, quas petat ne dominium in se obtineant, alii de externa vi malorum hominum, quod iis quae sequuntur convenit.

134. פְּדֵנִי מֵעֹשֶׁק אָדָם *Redime me ab oppressione hominum* adversariorum, eripe me vi et injuria eorum, qui me opprimunt. וְאֶשְׁמְרָה פִּקֻּדֶיךָ *Et custodiam praecepta tua*, i. e. tum nihil omittam studii in exsequendis mandatis tuis, his omne meum otium impendam.

136. פַּלְגֵי־מַיִם יָרְדוּ עֵינָי *Rivos aquarum descendunt oculi mei*, i. e. quasi in lacrymarum rivos solvuntur, quemadmodum Arabes dicere solent הָעַיִן יָרְדָה הַבְכִי *oculus aquarum descendit in fletum*, pro: *multo flumine lacrymarum perfunditur*, lacrymarum veluti rivis immersum lavatur. Ita Thr. 3, 48. פַּלְגֵי מַיִם יָרְדָה עֵינִי *in rivos aquarum descendit oculus meus*. Cf. Ps. 6, 7. Jes. 17, 3. Jer. 9, 17. Vid. Gesenii *Lehrgeb.* p. 809. — עַל לֹא pro עַל־אֲשֶׁר לֹא *propterea quod non*, per ellipsin relativi. Sensus: summo afficior moerore, quod lex tua ita violatur et profanatur. Eadem sententia Vs. 139.

137. וְיָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *Rectum* s. rectitudo sunt *jura tua*, justa sunt omnia, quae decernit lex tua. Ad יָשָׁר subaudiendum est דָּבָר, vel nomen simile aliud, ut infra Vs. 155. רָחוֹק מֵרְשָׁעִים יְשׁוּעָה *Longinquum ab improbis* est *salus*, i. e. res longinqua. Qualia Latini per genus neutrum enunciant, ut: *triste lupus stabulis.*

138. צִוִּיתָ צֶדֶק עֵדְוֹתֶיךָ *Praecepisti justitiam testimonia*, i. e. statuta *tua*, i. e. statuta tua quae sunt justa. Vel: *praecepisti justitiam statutorum tuorum*, i. e. statuta tua justa, ut in illo *captivitas populi*, pro populus captivus, ut prius substantivum sit loco Adjectivi. אֱמוּנָה מְאֹד *Veritatem* praecepisti *valde*, i. e. prorsus verissimam. מְאֹד non est cum verbo צִוִּיתָ, sed cum nomine proxime praecedente jungendum.

139. צִמְּתַתְנִי קִנְאָתִי כִּי־שָׁכְחוּ דְבָרֶיךָ צָרָי *Succidit*, consumsit *me zelus meus*, *quod obliti sunt verborum tuorum hostes*

mei, i. e. paene conficior dolore et exanimor zelo, quo afficior, quod video oppressores meos adeo abjicere omnem curam respectumque tuorum praeceptorum.

141. צָעִיר *Parvus*, non aetatem, sed conditionem hic indicat, ut Jud. 6, 15., convenitque cum נִבְזֶה *contemtus*, quod proxime subjicitur.

144. צֶדֶק עֵדְוֹתֶיךָ לְעוֹלָם *Justitia statutorum in aeternum*, i. e. vere est aeterna justitia legis tuae, הֲבִינֵנִי *intelligere me fac* illa, statuta tua; largire mihi, ut illa intelligam et sequar, וְאֶחְיֶה *et vivam*, i. e. ut tranquille et beate vivam.

147. Anteverto lucem et diluculum inclamando te, fretus promissione tua, a qua pendet spes mea.

148. Antequam decedant vigiliae nocturnae, jam evigilant oculi mei, et doctrinam tuam commentari incipio. Vid. ad 63, 7.

152. קֶדֶם *Jam pridem* (propr. *ab antiquo*), ut 55, 20. 74, 2. Thren. 5. 21. — יָדַעְתִּי מֵעֵדְוֹתֶיךָ כִּי לְעוֹלָם יְסַדְתָּם *Intellexi ex testimoniis tuis*, statutis tuis, *quod in aeternum fundaveris ea*, sc. praecepta, statuta tua, Vs. 149. 150. 151. Sensus: jampridem hoc, et ex ipso verbo tuo, didici, ea, de quibus hoc testatur, ita esse firma, ut nullo unquam tempore, illiusve casibus convellantur, sed perpetuo immota consistant, ut igitur semper his sit tutum niti et fidere.

154. רִיבָה רִיבִי Vid. not. ad 35, 1.

155. Vid. ad Vs. 137.

157. Ἀπεκδοχή Psalmi 3, 3. 4.

158. אֶתְקוֹטָטָה *Summo fastidio affectus sum* facinorosis et perfidis illis hominibus (בֹּגְדִים), cf. Cal 95, 10., et Niphal Ez. 6, 9. 20, 43. Job. 10, 1. Alii, Chaldaeum et Kimchium sequuti: *certo*, litigo *cum eis*, oppono me illis contendendo, ex vicini verbi Chaldaici קָטַט significatione.

161. וּמִדְּבָרְךָ פָּחַד לִבִּי *Sed a verbo tuo* solo *timet cor meum*, nullam vim hostium meorum tam metuo, quam verbum tuum, ne quid committam huic contrarium.

164. שֶׁבַע *Septies*, i. e. iterum iterumque, aliquoties, ut 12, 7., ubi not. vid.

165. שָׁלוֹם h. l. de animi tranquillitate et conscientiae bonitate accipiendum videtur, hac sententia: animo sunt prorsus tranquillo et quieto, qui diligunt doctrinam tuam, neque perturbat aut offendit eos quidquam.

168. כָּל־דְּרָכַי נֶגְדֶּךָ *Omnes viae meae coram te*, tibi cognitae atque perspectae sunt, ut Ps. 38, 10. Sensus: quae tu mandas, observo; tu scis, me hoc agere, nihil enim te latet omnium, quae cogito et facio.

169. כִּדְבָרְךָ הֲבִינֵנִי *Secundum verbum tuum intelligentem me redde*, i. e. tuae legis intelligentiam mihi largire, ut faciam quae tua praecepta jubent.

171. De verbo נָבַע vid. not. ad 59, 8. coll. 19, 3.

172. תַּעַן h. l. non est *respondebit* interpretandum, sed *cantabit*, *resonabit*, ut Ex. 32, 18. עַנּוֹת גְּבוּרָה est *clamor victoriae*. Sensus: doctrina tua semper erit in ore mihi.

175. מִשְׁפָּטֶךָ יַעְזְרֵנִי *Judicia tua juvent me*, i. e. sententia justa tua, qua coerces et perdis impios.

176. Huc et illuc profugus oberro, sicut ovis perdita, ita require famulum tuum, et reducito me in caulam, securum me praesta. Sunt, qui hoc referant ad calamitatem Antiochici temporis, quo et dissipatus erat populus et conventus etiam sacri impediebantur, in templo quidem prorsus, quo ne accederc quidem licebat Judaeis uno toto anno. Qui vero Davidicum existimant Psalmum has preces tum fusas conjiciunt, cum Davides vel a Saulo, vel a filio regno pulsus, in peregrinis terris exul degeret.

Ps. 120.

Queritur de malignitate et calumniis hominum barbarorum et pacis inimicorum, inter quos versandum sibi sit; contra illos igitur Dei opem implorat, quam saepius antea sit expertus.

Psalmus hic, et quatuordecim, qui eum proxime continenterque sequuntur (120—134.), singuli שִׁיר הַמַּעֲלוֹת inscripti sunt. De cujus appellationis significatione et ratione diversorum diversae sunt conjecturae, quarum hoc loco unam tantum, alteramve, quae reliquis sint probabiliores, attulisse sufficiet. Primum igitur multi sunt, qui שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת interpretentur *carmina ascensionum*, hoc est, quae canerentur, quum populus in Hierosolymitanam urbem ascenderet, nimirum vel ad festa quotannis celebranda, vel tum, quum e Babylonico exilio reverteretur. Ea sane reversio dicitur הַמַּעֲלָה מִבָּבֶל *ascensio ex Babylone*, Esr. 7, 9. et revertentes vocantur הָעֹלִים *ascendentes*, Esr. 2, 9.; nam quia hic situs erat Israeliticae regionis, ut reliquis circumpositis altior esset; seu de Aegypto, seu de Babylone, ad eam tendentibus ascendendum erat. Ab iis igitur, qui de exilio in patriam redirent, decantata fuisse haec carmina, multi putarunt, hoc etiam argumento ducti, quod Esr. 2, 65. inter redeuntes ex Babylonia etiam narrantur fuisse cantatores et cantatrices numero 220., vel, ut Nch. 7, 67. habetur, 245., nimirum ad itinerum molestias molliendas, reducesque consolandos, et recreandos, atque ad Dei laudes celebrandas. Quod autem pluralis numerus, הַמַּעֲלוֹת, in illis titulis usurpatus sit, causam afferunt hanc, quod non una vice et tempore reversus est populus, sed variis; reversionum certe *duarum* expressa fit mentio apud Esram, *prioris*, primo Cyri anno Serubabele et Josua ducibus

(Esr. 1, 2.), *posterioris* anno septimo regis Arthasastae, ducente Esra (Esr. 7, 6. 7. et cap. 8.). Illi tamen conjecturae de horum carminum occasione et usu monuit jam AGELLIUS, esse aliqua in his Psalmis, quae refragari videantur, ut cum 122, 1. dicitur: *eamus ad aedem Jovae*, neque enim tum reparatum erat templum a Chaldaeis destructum. „Quamobrem," pergit Agellius, „varia quidem esse argumenta horum Psalmorum puto, sed in unum hos quindecim collectos, qui ascendentibus in templum ter in anno apte convenirent, quamvis alia de causa editi ab auctoribus fuerint. Illud etiam huic sententiae favet, quod ita dispositi videntur, ut in iis, qui deinceps sequuntur, propius ad terram Judae et ad templum accedi videatur, ut cum accederetur ad urbem Jerusalem, Psalmus 122. decantatus sit, cujus initium: *Vehementer laetor, cum mihi dicitur: eamus ad aedem Jovae;* cum jam perventum esset ad templum, tum ille (Ps. 134.): *Laudate Jovam omnes ejus ministri, qui in ejus aede ministeria peragitis;* populumque Israel, quum de diversis locis ter in anno juxta Domini praeceptum ad montana Judaeae et adorandum Dominum pergeret (Ex. 34, 24.), his Psalmis laborem itineris levare consuesse, ut *ascensiones* non absurde dici potuerint progressiones illae Israelitarum ad templum accedentium." Et nostra aetate HERDERUS (*vom Geist der Ebr. Poesie* P. II. p. 367.) hos Psalmos fasciculum esse carminum ab Israelitis in itinere ad dies festos cantatorum existimavit. Laetitiae vero illi publicae, qualis erat Israelitarum ad celebrandos dies festos proficiscentium, minime congruunt lamentationes et querelae illae, quae non primo tantummodo, verum et aliis pluribus horum Psalmorum insunt. Affertur igitur alia ratio nominis, sic appellatos esse a contentione vocis, ut hujus *ascensio* significetur, et *carmina ascensionum* dicta sint, quod elata sublimique voce accinerentur, ac per singulos quasi gradu uno vox attolleretur (quod ipsum voluit haud dubie Lutherus, qui transtulit: *ein Lied im höhern Chor*). Quam sententiam fulciri existimant 2 Chr. 20, 19., quo loco Levitas legimus laudasse Jovam בְּקוֹל גָּדוֹל לְמַעְלָה *voce magna in ascensum.* Ad rem musicam, vel metricam potius, illam appellationem spectare, J. D. MICHAELIS (in nota ad Lowthii *Praelectt.* etc. p. 581.) est conjectura, observantis, *scalae*, s. *gradus* nomen esse Syris quoque inter voces musicas et poeticas. Quae quidem sententia nec nobis improbanda videtur. Quum in Ps. 121. et 127. illa dictionis figura conspiciatur, quae Graecis κλίμαξ vocatur, Latinis *gradus*, *gradatio*, quae est ἀναδίπλωσις pluribus gradibus ita continuata, ut antecedentis sententiae nomen aut verbum praecipuum in sequentis principio subinde repetatur; inde hosce quindecim Psalmos nomen שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת nactos esse, conjecit GESENIUS in *Ephemeridd. literr. Halens.* anni 1812. no. 205. Sed quum non in cunctis Psalmis, qui ita sunt inscripti, et in paucis illis eorum subinde duntaxat ista figura sit adhibita, quae et in aliis V. et N. T. locis haud raro observatur (vid. e. c. Jes.

26, 1. sqq. et cf. Glassii *Phil. S.* p. 1331. edit. Dath.), illa de appellationis שִׁירֵי הַמַּעֲלוֹת ratione sententia parum est probabilis. Quicquid vero de nominis שיר המעלות significatione statuas, hoc sane apparet, hos Psalmos omnino peculiare aliquid habere, quod et sic continenter et tanquam uno fasciculo colligati collocatique leguntur, et peculiari insuper inscriptione notati sunt, qualem non habent ulli alii. Et in hoc quidem nullo Psalmorum ordine omnino externam causam et communem quandam esse oportet, qua hos ipsos Psalmos uno titulo comprehensos habemus. De quo conjectura est perquam probabilis Tilingii (*Disquisitio de ratione inscriptionis* 15 *Pss.*, *qui dicuntur* שירי המעלות, *seu Cantica Ascensionum, una cum succincta expositione eorundem.* Bremae, 1765.), hos Psalmos eo temporis intervallo, quod inde a primo reditu ex Babylonico exilio usque ad restauratam religionem et rempublicam Judaicam effluxit (quae jam Theodoreti aliorumque Patrum Graecorum erat sententia, quam et Syriacus Psalmorum interpres sequutus est, vid. Tilingius p. 57. et 59. sqq.), fuisse partim primum compositos, partim, si qui jam ante exstiterint, accommodatos ad res istius aevi, atque in unum fasciculum collectos ad usum publicum. Cui sententiae maxime favet horum Psalmorum argumentum. Plerique enim continent questus de odio et inimicitia vicinorum, de contemtu hostium potentum et superborum, de malis et miseriis gravissimis sustentatis, sed divino auxilio feliciter superatis. Vid. 120, 6. 7. 123, 3. 4. 124. tot. 129, 1—3. Quae omnia simul sumta reipublicae Judaicae statui unice temporibus illis congruunt, quae reditum ex Babylone proxime sunt sequuta. Atque hunc quidem Psalmum Tilingius recte statuit continere querelas populi, non amplius detenti in Chaldaca, sed reducti, de invidia et calumniis dolisque Samaritanorum atque populorum Judaeae confinium, qui Judaeis instaurationem cultus et reipublicae invidebant, atque aedificationem urbis et templi ut impedirent omnem movebant lapidem. Ab iis igitur pacis turbatoribus ut suum populum liberet Deus, precibus petit Psalmus.

1. Introducit poeta populum grato animo commemorantem divinam clementiam, qua antea semper preces illius exaudiverat: *Clamavi ad Jovam in angustia* quae fuit *mihi, et exaudivit me.* Quae verba respiciunt haud dubie illud tempus, quo Jova populum ex captivitate reduxit, et ad spem res suas in pristinum restitutas videndi erexit. Hic ergo idem breviter complexus est poeta, quod prolixius exsequitur Nehemias et explicatius in oratione sua cap. 9, 6. sqq.

2. Hac divina clementia et facilitate in audiendo fretus orat, velit nunc quoque Deus, quum novum immineret periculum a calumniatoribus, se liberare: *Libera, Jova, animam meam a labio mendaci, et a lingua subdola.* In לָשׁוֹן רְמִיָּה statuenda est vel enallage status absoluti pro constructo, vel hujus certe ellipsis post

absolutum, ut 60, 5., ubi not. vid.; vel substantivum emphatice pro adjectivo ponitur, q. d. *a lingua*, quae mera est *fraus* et *dolus*, ut 35, 6. דַּרְכָּם חֹשֶׁךְ *via eorum* sit *caligo*. Hisce obtrectatoribus intelligendos esse novas incolas regionis Samaritanae recte observat Tilingius (p. 68.). „Quibus illi machinationibus, quibus dolis falsisque criminationibus fuerint usi, ut Judaeos templo et urbe reaedificandis depellerent, multis relatum legimus in libris Esrae et Nehemiae. Modo apertis mendaciis et falsis criminationibus (quod per שִׁפַּת־שֶׁקֶר innuitur) regum Persarum animos in Judaeos accenderunt, effeceruntque, ut severis edictis prohiberent, quo minus templum reaedificarent, quod inprimis ab Arthasasta factum legimus Esr. 4.; modo tecta fraude et fucatis verbis (quod forsan spectat לָשׁוֹן רְמִיָּה) illos ab opere suscepto revocare illudque impedire studebant, Esr. 4, 1. 2. Atque paucis annis interjectis, sub Artaxerxe Mnemone, idem tentarunt, Judaeos a reficiendis moenibus urbis abstrahere conantes, nunc virulentis cavillis et sarcasmis, Neh. 3, 19. et 4, 1 — 5., nunc vi et armis, Neh. 4, 7. sqq., nunc iterum verbis ad dolum comparatis, aliisque fraudulentis mediis, Neh. 6. Variis tandem artibus rem eo deduxerunt, ut non solum quosdam ex principibus viris ad se pellexerint, uti nepotem Elischibi, Neh. 13, 28.; sed et ut dimidia pars Israelis, auctore *Abrahamo Zaccut*, ad Samaritanos defecerit."

3. Apostrophe ad ipsos Samaritas, qua exprobrat illis summam malitiam, utpote qui ex suis calumniis et fallaciis nullum ipsi fructum caperent; aliis tamen maximum damnum afferrent: *Quid dabit tibi*, obtrectator, *lingua tua fraudulenta? aut quid* lucri *tibi adjiciet?* ita, sc. in bonam partem, verbum יִתֵּן dicitur etiam Gen. 30, 24. Ps. 115, 14. Alii vero in malam partem accipiunt, ut in jurisjurandi formula 1 Sam. 3, 17. 14, 44. Ruth. 1, 17, (quomodo et verbum יִתֵּן Lev. 24, 19. 20. usurpatur), hoc sensu: quantum malorum, quantum damnorum dare et inferre potest lingua dolosa obtrectationibus atque calumniis suis! Retinenda vero explicatio primo loco proposita, quam Chaldaeus quoque expressit his verbis: *quid dabit tibi, o calumniator! aut quid adjiciet tibi, o obtrectator! lingua dolosa?*

4. Pergit populus queri, et, quantum malorum sibi existat ab istis calumniis, describit, comparando eas primo quidem sagittis praeacutis, ab homine robusto et valente jaculatis, quorum idcirco plaga altius in corpus descendit; tum vero carbonibus candentibus. *Sagittae fortis acutae* sunt calumniae! *aeque ac carbones genistarum.* Particula עִם significat h. l. *aeque ac*, ut 106, 6. Coh. 2, 16. 7, 11. Nomine רְתָם ut consona Arabica voce *genista* notatur (vid. libr. nost. *Bibl. Naturgesch.* P. I. p. 121.), quae igni injecta fragore tonat, velut juniperus, quam notam apprime convenire putant animo iracundo et immiti. Sed quum גַּחֲלֵי *carbones* poeta noster ad comparationem adhibeat, apparet, non tam de

fragore ligni ardentis esse cogitandum quam de carbonibus illius fruticis, qui ignem diutius tenent, et, quod consequens est, urunt diutius aut pertinacius. Ita Arabes curas vivacissimas et indignationem vehementem comparant *prunis Gadae*, cujus arboris lignum est valde durum, quod diutissime ignem servat, per quadraginta adeo dies.

5. *Vae mihi, quod commoror* inter *Mesech*, et quod *habito cum tentoriis Kedar.* Verbum גּוּר h. l. non *peregrinari* significat, sed simpliciter *commorari*, ut 5, 5. 15, 1. Jes. 11, 6., et respondet שָׁכַנְתִּי hemistichio altero. גָּרְתִי עִם מֶשֶׁךְ pro גַּרְתִּי מֶשֶׁךְ ut Ps. 5, 5. יָגֻרְךָ pro יָגוּר עִמְּךָ, vid. ibi not. Ita Zach. 2, 11. *vae tibi, Zion*, יוֹשֶׁבֶת בַּת־בָּבֶל *habitans* apud *filiam Babel.* Verba, quae *habitare*, *commorari* significant, construi cum Accusativo nominis ejus, quod *locum*, ubi quis commorari, aut *homines*, inter quos habitare dicitur, observavit Gesenius *Lehrgeb.* p. 808. *Meschech*, nomen filii Japheti, Gen. 10, 2. 1 Chr. 1, 5., quo vix dubium est, quin *Moschi* sint intelligendi, inter Cappadociam, Colchos, Iberiam et Armeniam, ad Phasin fluvium, aut certe in ejus vicinia habitantes; cf. not. ad Gen. 10, 2. Alii vero hoc nomen h. l. non ut proprium, sed ut appellativum accipiunt, quod *longum et diu protractum tempus* significet (a מָשַׁךְ *traxit*, *protraxit*, et, ad tempus translatum, *distulit*, *prorogavit*, ut Ez. 12, 25. 28. Prov. 13, 12. Neh. 9, 30.), quemadmodum Hebraei dicunt בְּמֶשֶׁךְ שָׁנִים *intra spatium decem annorum*, et בְּמֶשֶׁךְ הַזְּמַן *tractu temporis.* Hinc nostra verba sic interpretantur: *commoror longo tempore* (ante מֶשֶׁךְ praefixo subaudito). Alexandrinus: ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη, i. e. גָּרוּתִי מָשַׁךְ *incolatus meus prolongatus est*, ut habet Vulgatus, quos sequuntur Syrus et Arabs. Solus ex veteribus Chaldaeus מֶשֶׁךְ h. l. pro populo accepit, recte, haud dubie; nam quum in altero hemistichio certae cujusdam nationis, *Kedarenorum*, fiat mentio, huic nomini, ut in priore hemistichio alius nationis nomen respondeat, parallelismi membrorum leges postulant. *Kedar*, Ismaelis filius, Gen. 25, 13. 1 Chr. 1, 29., cujus posteri non in civitatibus, sed sub tentoriis vagam et erroneam vitam ducebant, vid. Jes. 42, 11. Jer. 3, 2. Ez. 27, 21. *Moschi* vero et *Kedareni* h. l. non sunt intelligendi proprie, sed omnino gentes inhumanae et barbarae, quibus vates populi sui adversarios hucusque descriptos comparat propter ipsorum asperitatem et saevitiam.

6. רַבַּת *Multum*, i. e. diu nimis, vid. not. ad 62, 3. — לָהּ *Sibi*, est quasi Dativus incommodi, s. patientis, ut Thren. 1, 15. 17. 3, 60.

7. Testatur populus, a se causam inimicitiarum non esse. אֲנִי־שָׁלוֹם pro אֲנִי אִישׁ שָׁלוֹם, *ego* sum *vir pacis*, i. e. pacis amantissimus; ut 1 Sam. 25, 6. *tu* sis *pax*, s. *incolumitas*, i. e. prosper. Cf. Ps. 109, 2. 4. — וְכִי אֲדַבֵּר *Etiamsi loquor* sc. *pa-*

cem, i. e. etiamsi semper auctor et suasor sim pacis, הֵמָּה לַמִּלְחָמָה *illi tamen ad bellum* sc. יֵצְאוּ *prodeunt*, ut haec loquutio integra habetur 1 Reg. 20, 18., s. בָּאִים *veniunt*, parati sunt, ut Num. 31, 21. 32, 6. Illi tamen tantum bella volunt; solum hoc agunt, ut me perdant.

Ps. 121.

Profitetur, se acquiescere in spe et fiducia protectionis divinae, et se a Jova solo et coelitus exspectare opem omnem suam.

Ut Psalmos ceteros omnes, qui communem habent titulum שִׁיר הַמַּעֲלוֹת, ad reditus ex Babylonico exilio tempora referimus; ita hunc quoque Psalmum non dubitamus iisdem illis temporibus assignare. Atque forsan usurpatus fuit ipso sub egressu ex peregrinis terris, quum jam esset concessum exulibus, ut in patriam remigrarent, et nunc in eo essent, ut iter ingrederentur. Non improbanda prorsus, mihi quidem, LACKEMACHERI (*Observatt. philologg.* P. IX. Observ. 3.) videtur conjectura, carmen hoc recitatum fuisse a choris, sive coetibus Levitarum duobus, quorum unus personam sustineret totius populi, alter huic per antiphonam quandam responderet, et priorem quidem chorum Versus cecinisse duos primos, alterum vero reliqua.

1. Observat Kimchi, hic solum לַמַּעֲלוֹת pro הַמַּעֲלוֹת, sive *Lamed* pro *He* articuli, positum esse, ut 2 Reg. 7, 2. *cujus manu* לַמֶּלֶךְ *rex* (pro הַמֶּלֶךְ) *innitebatur*. Cf. GESENII *Lehrgeb.* p. 681. Verba אֶשָּׂא עֵינַי אֶל־הֶהָרִים *Attollo oculos meos ad montes*, nonnulli sic interpretantur: sursum tollo oculos meos, ex alto enim, et desuper, auxilium exspecto; quasi dicatur idem, quod 123, 1., ut sit אל־ההרים *montes versus*, nihil aliud, quam *sursum*, *in coelum*. Minus apte tamen *ad montes oculos attollere* pro eo quod est *ad coelum oculos attollere* dicitur. Alii *montes* de Zionio et Moria interpretantur (coll. 88, 1. et 125, 2.), quasi dicat: respicio ad Zionium, ubi sedem habet Jova, et ubi et unde opem fert invocantibus (3, 5.), et convertebant se Judaei orantes templum versus, vid. 1 Reg. 8, 33. 35. 38. 44. 48. Dan. 6, 11. Nos quidem haud dubitamus cum Tilingio montes intelligere Palaestinae, Zion, Tabor, Carmel, ad quos reduces in ipso itinere constituti, summo cum desiderio oculos attollere dicuntur. Sensus igitur hic erit: euge! tandem adspicio laetissima haec patriae montana. מֵאַיִן יָבוֹא עֶזְרִי *Unde venit auxilium meum?* h. e. quis est iste, cujus auxilio patriam mihi videre contigit? Ad quod sibi ipse respondet Vs. 2. Possint tamen verba מאין יבוא עזרי iis quae praecedunt ita jungi, ut unam continuam sententiam faciant hanc: *ad montes istos attollo oculos meos unde venit mihi auxilium*, quomodo et Lutherus hunc Versum reddidit *(Ich hebe meine Augen auf zu den Bergen, von welchen mir Hülfe kommt)*. Neque enim opus est, ut particulam מֵאַיִן interrogative accipiamus, quum ex loco Jes. 2, 4.

(וְלֹא יָדַעְתִּי מֵאַיִן תָּמָה *ignoro unde venerint*) pateat, posse eam relative accipi. Tunc a montibus Palaestinae auxilium sibi venturum dicet vates, quod inter illos est Zion, in quo Jova, tanquam rex, sedem suam habet, et unde auxilium suis mittit.

3. Quae sequuntur, sacerdotum forsan chorus recitavit, vid. Argum. Neque tamen repugnabimus, si unius haec esse et ejusdem recitatoris omnia malit aliquis, *κατ' ἐναλλαγὴν* personae, ut perinde hoc sit, ac si ipse recitator se confirmaret, atque haec personae mutatio suscepta sit, ut fiat bene precantis confirmatio, quae suggeratur ab altero, quod est *ἐμφατικώτερον*. אַל־יִתֵּן *Nec dabit*, i. c. sinet, permittet, ut 16, 10. 55, 23. 118, 18.; אַל vero h. l. non est *prohibitive*, sed simpliciter *negative* accipiendum, ut 5, 3. Prov. 12, 28. 28, 17. — לַמּוֹט רַגְלֶךָ *Nutare* (alii, quibus מוֹט est nomen formae רוֹם, צוֹם, reddunt *in nutationem*) *pedem tuum*, i. e. sustentabit te, confirmando animum et corpus tuum, ut superes adversa omnia; nam qui casum et lapsum avertit, is sustentat nimirum eum, qui consistit, ut possit consistere. Cf. eandem formulam Deut. 32, 35. Ps. 17, 5. 23, 17. 55, 23. — אַל־יָנוּם שֹׁמְרֶךָ *Non* enim *dormitat qui custodit te*, ergo continenter te sustentabit.

4. Verba לֹא־יָנוּם וְלֹא יִישָׁן *non dormitat*, *nec dormit*, aliqui mutato ordine poni dicunt, quum simpliciter sic esset: neque dormit, neque dormitat. Alii *αὐξητικῶς* hoc dici volunt, ut sit, non dormitat, multo minus dormit. Alii imaginem desumtam putant ab itineratorum catervis *(Karavanen)*, quae antequam se quieti tradant custodes disponere solent, ut ab Arabibus latrocinantibus ferisque se tueantur.

5. Verba צִלְּךָ עַל־יַד יְמִינֶךָ non sunt conjungenda, quasi esset: *umbra tua super manum tuam dexteram* (quomodo Lackemacherus voluit, qui figuram petitam existimat ab umbella, quam, ut fieri solet in regionibus calidioribus, manu quis tenet dextera, ut a radiis solis corpus suum defendat), sed dirimenda potius, ut sit: Deus *umbra*, i. e. protectio tua (ut Num. 14, 9. Ps. 91, 1.), *ad manum dexteram tuam*, sc. *aderit*, i. e. praesto tibi erit, paratus ad te juvandum, si opus sit, cf. Ps. 16, 8. 109, 32.

6. *Interdiu sol non laedet te, et luna noctu* sc. *non laedet te*, ut enim solis aestus gravis in aprico, ita lunae lux noxia creditur sub hac dormientibus, in terris illis calidis. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* T. IV. p. 108. Vulgo *percussionem lunae* de frigore accipiendum existimant nocturno, quod praesertim post noctem mediam, orientis in regionibus, grave et molestum est, unde Jacobus *interdiu aestu*, *noctu vero frigore absumtum se fuisse* queritur Gen. 31, 39., et Jeremias 36, 30. *frigus nocturnum* conjungit cum *aestu nocturno*. Frigus vero nocturnum *lunae* tributum existimant, quod, uti a sole aestus proficiscitur diurnus, ita luna (quod sidus *nocti praeesse* dicitur Gen. 1, 16.) pro fonte et effectrice frigoris nocturni habita fuerit.

8. צֵאתְךָ וּבוֹאֶךָ *Egressum et introitum tuum*, i. e. in tota vita, et omnibus actionibus, ubicunque versaberis, vid. Deut. 28, 6. 31, 2. 2 Sam. 3, 25. 1 Reg. 3, 7.; sicut in vernaculo dicimus, aliquem egredi et ingredi eo in loco, in quo versatur et vitam degit, quomodo 1 Sam. 29, 6. dicit Achis Davidi: *bonus, in conspectu meo, et exitus tuus et introitus tuus mecum est in castris, et non inveni in te quicquam mali*, i. e. inculpate te gessisti apud me in rebus omnibus et tota vita tua. Neque de reditu in domum, confecto bello, neque de egressu e Babylonicis terris, et introitu in Palaestinam h. l. cogitandum esse, docet וְעַד־עוֹלָם quod sequitur.

Ps. 122.

Studium maximum piorum hominum indicatur, Hierosolymam adeundi, quae urbs ab aedificiis, ab hominum frequentia, a religione, a tribunalibus laudatur, optanturque ei fausta et prospera omnia.

Quodsi vere Davidis, aut ejus temporis sit hic Psalmus, ut titulus monet (Alexandrinae tamen interpretationi nullum auctoris nomen est praescriptum); in lactitia consecrati jam Zionii, vel adducta etiam eo arca, vel potius primo conventui, ex tribus solennibus, in Zionio novo, post arcam introductam, et declaratam urbem Hierosolymitanam caput regni et religionis (2 Sam. 6, 1. 1 Chr. 15.), conditus fuerit. Nec repugnat huic sententiae, quod Vs. 5. בֵּית דָּוִד *gentis Davidicae*, mentio fit, neque Davidis ipsius; nam potuit illud בֵּית inscrtum esse ab eo, qui vetustum carmen laetitiae revertentium ex Babylone accommodaret (quod ipsum et Ps. 124. 126. 131—133., quibus itidem vel Davidis, vel Salomonis nomina sunt praescripta, esse factum, observat Tiling p. 87.). Certe carmen, ut nunc legitur, nemo dubitabit esse ita comparatum, ut Judaeis de templo et urbe jamjam restitutis sibi gratulantibus optime congruat. Syriacae interpretationis inscriptio haec est: *Quum praecepit Cyrus, ut redirent exules.*

1. Verba בְּאֹמְרִים לִי aliqui reddunt: *propter illos, qui dicunt mihi*, quomodo בְּ post verbum שָׂמַח nomini praefixum, objectum, ut loquuntur, sive materiam laetitiae indicat, ut 1 Sam. 2, 1. Joel. 2, 23. Ps. 32, 11. Ita Alexandrinus: *εὐφράνθην ἐπὶ τοῖς εἰρηκόσι μοι.* Alii: *inter dicentes mihi*, sive: *una cum dicentibus mihi.* Sed recte haud dubie Syrus: *laetatus sum, quum dicerent mihi*, et Graecus quidam interpres, cujus nomen ignotum: *εὐφράνθην εἰπόντων μοι.* Ita Mal. 1, 12. בֶּאֱמָרְכֶם *dum dicitis.* Hoc tamen loco Participium pro Infinitivo positum.

2. Quum futurum נֵלֵךְ proxime praecesserit, praeteritum עָמְדוֹת הָיוּ itidem pro futuro accipere congruens quibusdam visum, ut saepe alias, ubi futuro subjungitur praeteritum, veluti Job. 19, 27. *Quem ego* אֶחֱזֶה *videbo*, וְעֵינַי רָאוּ *et oculi mei adspicient*; vid. et Job. 5, 19. 20. 17, 34. Jes. 8, 8. Ita hujus Versus

sensus erit hic: in tuis portis, Hierosolyma, erit statio nostra. Sed praestat, hunc Versum in Praesenti interpretari, ut sint voces advcntantium, hoc modo, jam subsistimus intra portas tuas, Hierosolyma!

3. Sequuntur jam laudes Hierosolymitanae urbis, et primo quidem eo celebratur, quod non jam instar vici domunculis hinc inde dispersis, sed connexis et cohaerentibus aedificiis constet, adeoque amplae urbis formam omnino habeat: qui quidem simplicissimus videtur sensus verborum: *Hierosolyma aedificata est ut civitas, quae conjuncta sibi est una*, i. e. quae perpetuis aedibus tota sibi veluti est conjuncta ac cohaerens. כְּ ante עִיר h. l. redundat, ut alias saepe, veluti Num. 11, 1. 1 Sam. 10, 27. Verba שֶׁחֻבְּרָה־לָּהּ יַחְדָּו Syrus ita reddidit: *sicut civitas, quam ambit murus.* Symmachus: *συνάφειαν ἔχουσα ὁμοῦ.* Alexandrinus: *ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό*, et Vulgatus: *cujus participatio ejus in id ipsum.* Sunt qui illum שֶׁחֻבְּרָה legisse censeant, a חֶבֶר *participatio, consociatio.* Agellius vero Vulgati interpretis sensum ita explicat: „laudat urbem Jerusalem ex frequentia maxima populi, quod, cum eo ter in anno universa gens convcniret, videretur metropoli persimilis, ad quam undique ex oppidis castcllisque et circumjacentibus regionibus, fiat concursus, et, ut ipse dicit, *participatio* et associatio.“ Nos in eo, quod supra primo loco dedimus, acquiescendum putamus.

4. שָׁמָּה *Illuc*, tanquam ad domicilium religionis et locum, quem sibi Jova elegit Ex. 20, 21. — עָלוּ *Ascendunt*, ter quotannis in solennibus festis proficiscuntur, Ex. 23, 15 — 17. 34, 23. Deut. 16, 16. *Ascendere* vero dicuntur Hierosolymam proficiscentes utpote in regionem ceteris situ altiorem, cf. Luc. 2, 41. 18, 31. שִׁבְטֵי יָהּ *Tribus Jovae* vocantur tribus Israeliticae ob foedus istud peculiare, quod Jova cum hac gente sanciverat, quam etiam suo sibi servaverat regimini, cf. Deut. 32, 9. Ps. 74, 2. Jes. 63, 17. — עֵדוּת לְיִשְׂרָאֵל *Secundum statutum Israeli* datum, subaudito ante עֵדוּת *Caph*, ut Ps. 68, 14., atque nomine significatione *statuti* accepto, ut Ps. 25, 10. (ubi not. vid.), Deut. 4, 45. 6, 20. Alii עֵדוּת usitati *testimonii* significatione capiunt, ut haec sit sentcntia: cum pergunt tribus Israeliticae Hierosolymam ad celebrandum Jovam, id ipsum eis pro testimonio cst, se esse populum Jovae peculiarem; hoc signo indicatur, ad Jovam illos pertinerc, illius servitutem et cultum suscepisse. Sed prior ratio praeferenda videtur.

5. Tertia laus Hierosolymitanae urbis, quod ea civitas essct, in qua judicandi potestas residcret, ac majestatis regiae sedes collocatae essent. שָׁמָּה *Ibidem*, Hicrosolymis, ut Chaldaeus addidit; ה paragogicum hic non significat terminum ad quem, sed redundat, ut Jer. 18, 2. Ps. 76, 4. Pro יֹשְׁבוּ *sedent*, Chaldaeus recte *collocatae sunt* posuit. כִּסְאוֹת לְמִשְׁפָּט *Sedes ad judicandum*, judicia

excrcenda; *judiciorum* autem mentione regnum significatur, quum haec sit pars regni, et politiae omnis, praecipua.

6. שַׁאֲלוּ שְׁלוֹם יְרוּשָׁלִַם *Rogate pacem Hierosolymorum*, agite, precamini pro salute et prosperitate hujus urbis. Quae sequuntur: יִשְׁלָיוּ אֹהֲבָיִךְ *bene sit eis, qui te diligunt*, non existimo esse formulam votorum, ad quae concipienda verba proxima hortabantur, sed ita potius capienda, ut hoc praemii loco optet bene precantibus, ut ipsis propter hanc pietatem bene sit; contra autem 129, 5. malum precatur, vel exsecratur potius omnes, qui oderunt Zionem.

7. Bene sit ei foris et intus; id enim utrumque significatur nominibus בְּחֵילֵךְ *in antemurali tuo*, ut opus non sit praesidio aut exercitu ad moenia tua ab insultibus hostium tutanda, atque בְּאַרְמְנוֹתַיִךְ *in palatiis tuis*, synecdochice pro tota urbe, ut 48, 4. De חיל vid. not. ad 48, 14. Alexandrinus h. l. ἐν τῇ δυνάμει σου, Vulgatus *in virtute tua*, et Syrus *in robore tuo*, reddidit, quod חיל omnis generis *vim*, *robur* et *virtutem* denotat, e. c. Deut. 33, 11. Ps. 110, 3. בארמנותיך Alexandrinus ἐν ταῖς πυργοβάρεσί σου, Vulgatus *in turribus tuis* interpretati sunt; fortasse turrita intellexerunt palatia; nisi forte mentione *moenium* facta opinati fuerint, *turrium* quoque, moenibus contiguarum rationem haberi debuisse.

8. Tuorum civium causa, quos ego in fratrum et proximorum loco habeo, precor nunc, ac precabor tibi deinceps omnia fausta et prospera. אֲדַבְּרָה־נָּא שָׁלוֹם בָּךְ *Loquor*, i. e. precabor *pacem in te*, *de te*, ut 87, 3., quomodo et h. l. Alexandrinus et Vulgatus. Syrus: *pro te*. Alii בָּךְ ita accipiunt: (pacem) *intra te*, existituram, ut pax sit intra moenia tua. Alii: *dicam: pax in te!* Particula נָּא prorsus redundat, ut 116, 14. Ceterum diversae phrases sunt Gen. 37, 4. de fratribus Josephi, odio eum habentibus: *non poterant* דַּבְּרוֹ לְשָׁלוֹם *alloqui eum pacifice*, et Esth. 10, 3. de Mardochaeo: *quaerebat bonum populo suo*, וְדֹבֵר שָׁלוֹם לְכָל־זַרְעוֹ *et loquutus est pacem omni semini* ejusdem, i. e. consuluit saluti et prosperitati ejusdem.

9. אֲבַקְשָׁה טוֹב לָךְ *Quaeram bonum tibi*, i. e. bene cupio tibi et facere studeo, ut Deut. 23, 6. Esr. 9, 12. Alii vero simpliciter: bene precor tibi, ut sit ἐπεξήγησις coli ultimi Versus praeced., quomodo eadem phrasis capienda Jer. 29, 7. 38, 4.

Ps. 123.

Oppressi et vexati injuriis et exagitationibus profanorum hominum adversus hos irrisores et contemtores suos auxilium Dei implorant his precibus, et hoc se subjectissime et cupidissime exspectare ostendunt.

Referunt Psalmum alii ad captos adhuc et exulantes Babylone, alii ad populum Antiochica tyrannide vexatum. Nos adstipulamur

Tilingio, hoc carmen (ut 120.) referenti ad illud tempus, quo populo, e Babylone recenti, injuriae et contumeliae Samaritanorum tolerandae essent. Syriaca interpretatio inscribitur: *dicitur ex persona Sorobabel, principis exulum, estque oratio supplicationis.*

1. Quia non aliunde mihi adfore auxilium spero, ideo *ad te sustollo oculos meos,* הַיֹּשְׁבִי בַּשָּׁמָיִם *qui habitas in coelis,* praefixum ה h. l. vel est *emphaticum,* certum unicumque designans regem summum, ut Jud. 6, 15. 1 Sam. 9, 21., vel est *relativum,* ut Jer. 27, 3. 1 Sam. 25, 10. *Jod* est *paragogicum,* ut 113, 5. 114, 8.

2. Dissentiunt, quorsum pertineat similitudo *servorum et ancillarum ad manus heri et herarum oculos sustollentium.* Plerique interpretantur de respectu ad defensionem, quam exspectent servi et ancillae ab heris, quando ab externis injuria servi afficiuntur, quum servi ipsi se defendere nequeant; quod tamen, etiam propter herarum mentionem, minus videtur consentaneum. Itaque aliqui de victu et alimonia interpretantur, quam exspectent cupide. Sed videtur potius de officio servorum et ancillarum cogitandum esse, quod heris praestant sollicito studio ad omnes nutus et motus manuum et digitorum, quando his indicant, atque indicando imperant aliquid, etiam propterea, ne vapulent. Terentius *Adelph.* Act. 2. sc. 1. *Caveto nunc jam oculos a meis oculis quoquam dimoveas tuos,* rel. Et infra 130, 6. ab excubitore ducitur non dissimilis huic similitudo, quod exspectet auxilium Dei non minus cupide, quam excubitor diem.

3. רַב Aben-Esra et Kimchi *diu* interpretantur. Sed videtur idem significare, quod femininum רַבַּת *nimium* Vs. 4., coll. Num. 16, 3. 7. 1 Reg. 12, 28. Prov. 26, 10. — שָׂבַעְנוּ בוּז *Saturati sumus contumelia,* tam multa ludibria devorare cogimur, ut toti quasi referti his videamur; metaphora a stomacho ad nauseam usque oppleto, ut Ps. 88, 4. Job. 9, 18. Thr. 3, 15. Syrus: *quia multitudinem contemtus audivimus;* Hebraea praelegentis verba auribus non satis recte percepit, et pro שָׂבַעְנוּ intellexit שָׁמַעְנוּ.

4. De רַבַּת vid. 62, 3. coll. hoc Ps. Vs. 3. — שְׂבְעָה־לָּהּ נַפְשֵׁנוּ *Satiata est sibi anima nostra,* i. e. satiati sumus, illud לָהּ *sibi,* redundat, ut 120, 6. et alias. Obrutos igitur se queruntur esse הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים *subsannatione,* insultationibus *fastuosorum.* שָׁאַן, vel, ut Syri efferunt, שָׁנַן, valet *tranquillum esse,* unde in Pael apud Syros est *tranquillum efficere.* A *tranquillitatis* notione profecta est significatio *securitatis* ab hoste (Jes. 33, 20. 32, 18.), etiam *securitatis,* quae in vitio est, *imprudentis* (Jes. 32, 9. 11. Am. 6, 1.), aut *insolentis* (Jes. 37, 29. et h. l.). Ceterum in dictione השאננים הלעג Aben-Esra et Kimchi judicant desiderari alterum לַעַג absque ה articuli, quippe quod nominibus in statu constructo positis alias non solet praemitti, ut igitur plene sic dicendum fuisset: *saturati sumus* הלעג לעג השאננים *subsannatione, subsannatione* inquam *fastuosorum,* coll. similibus

exemplis Jerem. 32, 12. Jos. 3, 14. Ps. 120, 2. Alii post נַפְשֵׁנוּ distinguunt, hoc sensu: *multum profecto saturata est anima nostra* sc. opprobrio (בּוּז Vs. 3.); *haec ipsa autem insultatio* est *fastuosorum*, *hic ipse contemtus* est *superborum*, i. e. ab his proficiscitur, iis tanquam proprium est, insolenter nobis insultare; quippe sic enunciari solent ea, quae alicui sunt propria, praefixo לְ, quale hic ante הַגֵּאֲיוֹנִים. Hoc modo distinxit quoque Alexandrinus, sed ita, ut posteriorem versiculi partem mala imprecantis vota esse putet; sic enim hebraea reddidit: *ἐπὶ πλεῖον ἐπλήσθη ἡ ψυχὴ ἡμῶν· τὸ ὄνειδος τοῖς εὐθηνοῦσι, καὶ ἡ ἐξουδένωσις τοῖς ὑπερηφάνοις.* Et Vulgatus: *quia multum repleta est anima nostra; opprobrium abundantibus, et despectio superbis.* Syrus vertit: *multitudine satiata est anima nostra, derisione irridentium, et despectu superborum.* גֵּאֲיוֹנִים esse *fastuosos*, a גֵּאוֹן *fastus*, nemo facile in dubium vocaverit, quamvis ea ipsa forma alias non reperiatur. Recte vero monuit Kimchi, a verbo גָּאָה *superbivit*, unde גֵּאֶה *superbus*, ה mutato in י addendo וֹן fieri גֵּאָיוֹן, et in plurali גֵּאֲיוֹנִים, quomodo ex עֶלְיָה fit עֶלְיוֹן *excelsus*, et in plurali עֶלְיוֹנִים. In margine jubemur divisim legere לגאי יונים, quae vocabula Kimchi לְגֵאֵי יוֹנִים efferenda docet; לְגֵאֵי vero exponit *superbos*, nimirum a גֵּאֶה, in plurali constructo גְּאֵי, vocem autem יוֹנִים derivat a יָנָה *opprimere*, ut sit Benoni Cal, *opprimentes*, cf. Zeph. 3, 1. Lev. 25, 17. Ez. 45, 8. Igitur lectionem marginalem si sequaris, sensus erit hic: saturati, obruti sumus insectationibus hominum insolenter opprimentium.

Ps. 124.

Populus, superato magno periculo, agnoscit divinitus se liberatum, et propterea gratias canit Deo liberatori.

Judaeos post regressum de Babylone, cum in eos finitimae gentes infesto impetu incurrissent, Dei ope liberatos hoc carmine usos fuisse, probabilis est complurium interpretum conjectura. Vetus autem aliquod Davidicum carmen illi usui aptatum esse, credibile facit Psalmi inscriptio. Quo vero tempore a Davide conditum sit carmen, nemo nunc facile conjectura assequi poterit. Videntur enim quae propius spectarent illud tempus, cui primum destinatus erat Psalmus, minus vero idonea aliis temporibus essent, resecata esse ab eo, qui carmen reversis ex Babylone accommodaret.

1. Imperfecta est hujus versiculi et sequentis oratio, et pendet ex iis, quae sequuntur. לוּלֵי יְהוָה שֶׁהָיָה לָנוּ *Nisi Jova* scil. is esset, aut fuisset, *qui fuit nobiscum*, absorpsissent nos vivos (Vs. 3.). Praefixum שֶׁ ante הָיָה arguit ellipsin verbi antea subaudiendi. Cf. similem locum 94, 17. Porro verbum הָיָה cum sequente לְ est *alicui adesse*, *stare a partibus alicujus*, ut 46, 8. 12. 56, 10. 118, 6. Quare לָנוּ Kimchi reete per עִמָּנוּ declarat. יֹאמַר־נָא יִשְׂרָאֵל Ita nunc *dicat Israel*, liberatus periculis.

2. Hunc Versum Chaldaeus bene ita reddidit: *Nisi fuisset verbum Domini, quod fuit in auxilium nostrum, quum insurrexit contra nos homo.* קוּם עַל *Insurgere contra* aliquem animo hostili, ut 3, 2. 54, 5. Jud. 9, 18. Nomen אָדָם collective accipiendum esse, docent pluralia, quae sequuntur, *deglutivissent*, ira *ipsorum*, *abripuissent*, Vs. 3. 4.

3. אֲזַי est adverbium temporis אָז, cum Jod paragogico, quomodo tamen nusquam alias occurrit, nisi hoc Ps. 3. 4. 5. — חַיִּים בִּלָּעוּנוּ *Vivos deglutivissent nos*, nondum mortuos, quod saevitiam auget, comparat enim eos feris belluis, quae captam praedam, antequam moriatur, adhuc viventem carpunt ac devorant. Aut, *vivos* idem est, ac si diceret integros, in quo eorum aviditatem expressit. Ita Prov. 1, 12. *deglutiamus eos sicut sepulchrum* חַיִּים *viventes*, וְתָמִימִים *et integros sicut descendentes in foveam.*

4. אֲזַי הַמַּיִם שְׁטָפוּנוּ *Tunc aquae obruissent nos*, qua imagine vel hostium tumor, superbia et petulantia exprimitur, ut Prov. 27, 4. (שֶׁטֶף אָף) Apocal. 12, 15.; vel copiarum hostilium impetus et violentia, quae et Jes. 8, 7. 8. Jer. 47, 2. et alias torrenti rapidissimo, omnia evertenti, et secum abripienti comparatur, imagine Arabibus quoque familiari. נַחְלָה עָבַר עַל־נַפְשֵׁנוּ *Torrens* (ה paragogicum, ut Num. 34, 5.) *transivisset super animam nostram*, nos esset supergressus, cf. similem loquutionem Ps. 69, 1. Alexandrinus: *χείμαῤῥον διῆλθεν ἡ ψυχὴ ἡμῶν*, et Vulgatus: *torrentem pertransivit anima nostra*, coll. Jes. 43, 2. De verbo עָבַר vid. ad Ps. 42, 8.

5. Vid. not. ad 10, 10. Nomen זֵידוֹן, vel potius haec ejus forma, hoc tantummodo loco occurrit, quum alias dicatur זֵד *superbus*; *superbae* vero vocantur undae, quae magno cum strepitu intumescunt omniaque recusant repagula, quomodo 89, 10. simili fere modo dicitur: *tu dominaris* בְּגֵאוּת *superbiae maris.* Cf. Job. 38, 11.

6. Redit ad metaphoram, supra Vs. 3. usurpatam, pingitque hostes, quasi feroces belluas, et fame exasperatas, magnaque rabie in praedam irruentes. נָתַן h. l. *permisit*, ut 16, 10. 55, 23. 121, 3.

7. Nihil infirmius avicula laqueis aucupis innexa atque irretita: neque enim se inde ullo modo potest eripere. Sic nos, inquit, infirmi eramus, et spem paene salutis abjeceramus. Nunc vero contrito laqueo, et insidiis, quas in nos paraverant hostes, liberati sumus, ac periculum evasimus.

8. Fatetur omnem salutem suam in Dei praesidio sitam esse, in cujus manu sint omnia, utpote qui omnia condiderit.

Ps. 125.

Fidos Jovae cultores firmos et immotos permansuros canit in periculis et adversitatibus omnibus, neque metuendum iis esse, ut

impiorum tyrannidi succumbant; perversos vero istos, qui a Jova deficiant, communi cum impiis poena abripiendos et perdendos praenunciat, ut his generibus hominum sublatis pace fruatur Israeliticus populus.

Contra desertores cultus Jovani dirigi Psalmum, manifestum. Posito igitur atque concesso, omnem hunc quindecim Psalmorum, qui communi שִׁיר הַמַּעֲלוֹת titulo inscripti sunt, fasciculum, pertinere ad res Judaeorum ex Babylone reductorum; verisimilis Tilingii est sententia, nostrum Psalmum scriptum esse, postquam Samaritani magnam Judaeorum multitudinem ad sese pellexissent, inprimis proceres quosdam, ut Semajam, argento corruptum, Neh. 6, 12. 13., et nepotem Eliaschibi, pontificis maximi, matrimonii illecebris inescatum, Neh. 13. Hoc igitur praesenti carmine vatem spectasse, ut magis confirmaret eos, qui neque minis hostium, neque blanditiis aut corruptionibus seduci se passi fuerint ad prodendum, impia defectione ad Samaritanos, communem populi Judaici causam.

1. *Qui in Jova confidunt, sicut mons Zion* comparati sunt, qui *non movebitur*, sed *perpetuo manebit*. Ante לֹא־יִמּוֹט vel subaudiendum relativum אֲשֶׁר, vel הַבֹּטְחִים distributive accipiendum: *quicunque Jovae confidit, is sicut mons Zion non movebitur*, sed *perpetuo sedebit*, i. e. firmus ac immotus consistet, sicut mons Zionicus ad tempestates omnes omni tempore. Aliter Hebraea distinxit accepitque Alexandrinus, cujus interpretatio ita sonat: *οἱ πεποιθότες ἐπὶ κύριον ὡς ὄρος Σιών, οὐ σαλευθήσεται εἰς τὸν αἰῶνα ὁ κατοικῶν Ἰερουσαλήμ.* Quae sic reddidit Vulgatus: *qui confidunt in Domino, sicut mons Zion; non commovebitur in aeternum, qui habitat in Jerusalem.* Primum Versus 2. vocabulum ad hunc Versum traxit, et ante יֹשֵׁב subaudiit אשר.

2. Sicut Hierosolymitana urbs montibus est omnibus a partibus, tanquam vallo, cincta et munita, ita Jova praesidio suo, tanquam propugnaculo, munit circumcirca populum suum. Nominativus יְרוּשָׁלַ֫ם vim habet integri membri: *urbem Hierosolymitanam quod attinet, montes circa eam sunt* etc. Cf. 11, 4. 32, 10. Ceterum vix monitu opus, comparationem inesse huic Versui, omissa ante הָרִים *προτάσεως* particula כְּ, et loco *ἀποδοτικῆς* כֵּן ante יְהוָה copulativa ו posita, qualia plura in Proverbiis, vid. 11, 22. 17, 3. 14. 25, 3.

3. Ne iis, quae de praesidio divino modo dixerat, opponat aliquis praesentia mala, ea non diu duratura promittit. Neque enim, inquit, permittet Jova, ut premantur pii perpetuo a potentia tyrannidis impiorum, ne fracti malis tandem ipsi etiam in scelera eadem cum impiis delabantur. לֹא־יָנוּחַ *Non quiescit*, permanebit, ut Gen. 8, 4. Jes. 25, 10. Prov. 14, 33. Alexandrinus et Vulgatus *οὐκ ἀφήσει, non relinquet (virgam improborum)* reddiderunt, ac si יָנִיחַ scriptum esset. שֵׁבֶט *Virga*, h. l. plagae, verbera, ut

Prov. 10, 13., coll. Jes. 9, 3. 14, 5. Zach. 10, 11. Alii *sceptrum*, i. e. vim, potentiam, imperium, ut Gen. 49, 10., interpretantur. Cf. not. ad Ps. 2, 9. — הָרֶשַׁע *Improbitatis*, i. e. impiis, abstracto pro concreto posito, ut Job. 5, 16. Prov. 14, 1., unde Alexandrinus et Vulgatus ἁμαρτολῶν, *peccatorum*, posuerunt. Vel pingitur improbitas velut regina cum sceptro, coll. Zach. 5, 7. 8., cui etiam alias, ut Ps. 24, 20., thronus aut solium tribuitur. גּוֹרָל הַצַּדִּיקִים *Sortem piorum*, h. l. non terram tantummodo, verum res omnes et ipsa corpora piorum significare, res ipsa docet. לְמַעַן לֹא־יִשְׁלְחוּ *Ne extendant pii ad iniquitatem manus suas*, ne malorum gravitate victi, relicta pietate malorum exempla sequantur. *Extendere* namque *manum ad aliquid* est illud aggredi.

4. Orat Deum, ut dignum cuique mercedem persolvat: nam quia dixerat, non commissurum Deum, ut impiorum tyrannide perpetuo premantur pii; ut hos ad rectitudinem confirmet, illos ab improbitate deterreat, consequenter nunc piis bene precatur, impiis mala eventura praedicit. יְשָׁרִים בְּלִבּוֹתָם iidem qui alias יִשְׁרֵי לֵב, ut 7, 11. 11, 2. 32, 11.

5. *Rectis* apte opponuntur הַמַּטִּים עֲקַלְקַלּוֹתָם *declinantes ad tortuositates* a recto tramite verae religionis. המטים aliqui intransitivum faciunt: *qui declinant* ad semitas obliquitatis, vel tortuosas vias suas. Sed apparet formam esse verbi transitivam; quare alii verbum construunt transitivum cum sequenti nomine in Accusativo (ut 2 Sam. 3, 27. 1 Reg. 11, 2. 4.), hoc sensu: *qui declinare faciunt ambages suas*, vel, ut Syrus: *et ii, qui pervertunt semitas suas.* Rectius vero, repetito e Versu 4. nomine לְבוֹתָם, verba hebraea sic reddi videntur: *declinantes corda sua ad tortuosa*, s. *in tortuosis viis suis*, subaudito praefixo ב (ut 2 Reg. 12, 11.). Nomen עֲקַלְקַלּוֹת praeter h. l. tantum occurrit Jud. 5, 6., ubi viarum ambages, sive tramites a recto obliquantes per devia significat. Hoc loco transferri patet ad omnem pravam et perversam vitae rationem, quae a norma praeceptorum divinorum deflectit, praesertim defectionem a vera Jovae religione, quae *via recta* est (cf. not. ad Ps. 25, 4.). Cf. Deut. 32, 5. Jes. 59, 8. A nostro autem notari Judaeorum ex Babylone reversorum omnes eos, quicunque quomodocunque contra rempublicam, aut potius contra religionem fecerunt, recte observavit Tiling. Tales erant matrimonia contrahentes cum mulieribus extraneis, idolorum cultui addictis, Esr. 9. et 10. Neh. 13, 23. sqq. coll. Mal. 2, 11.; tum qui sacrilegio intervertebant decimas, Neh. 13, 10—12. Mal. 3, 8—10.; porro violatores sabbathi, Neh. 13, 15., et multi alii aliis multis criminibus polluti, quos pro indignitate rei acriter castigat Malachias tribus primis capitibus. His ergo annunciat poeta poenam et vindictam divinam: יוֹלִיכֵם יְהוָה אֶת־פֹּעֲלֵי הָאָוֶן *abire*, perire *faciet eos Jova cum operantibus vanitatem*, quibus Tiling falsorum deorum cultores designare existimat, quod אָוֶן nonnun-

quam, veluti Jes. 66, 3., de diis fictitiis usurpatur. Sed quum פֹּעֲלֵי אָוֶן alias, ut Ps. 5, 6. 6, 9. Jes. 21, 2. *facinorosos*, *scelestos* in universum denotet, nec hoc loco aliter capiendum videtur, ut sensus sit hic, eos, qui a cultus Jovani praescriptis recedunt, communi cum ceteris peccatoribus et scelestis poena abripiendos esse. הָלַךְ *Abiit*, *periit*, ut Ps. 58, 9. 78, 39. 109, 23. Hos. 6, 4., hinc in Hiphil *abire*, perire *facere*, i. e. perdere. Impiis vero eversis שָׁלוֹם עַל־יִשְׂרָאֵל *pax* sit s. erit *super Israel*, hic salvus sit et maneat. Eadem clausula 128, 6.

Ps. 126.

Reversi ex Babylone laetitiam hoc carmine produnt, gratulanturque sibi de reditu in patriam, atque Dei beneficentiam admirabilem praedicant; tum vero orant, ut Jova velit et ceteros exules, qui Babylone remanserant, in patriam terram reducere, jam reversos vero defendere contra hostes, opus instaurationis impedientes, et patriae recuperationem eis invidentes, ut flebile principium sequatur fortuna melior, atque inchoata restitutio feliciter consummetur.

1. בְּשׁוּב *In reducere*, i. e. quum reduceret Jova; verbum שׁוּב, quod communiter intransitivum est, *reverti*, quandoque transitive capitur, ut Deut. 30, 3. Job. 42, 10. Ps. 14, 7. — שִׁיבַת צִיּוֹן veteres omnes et recentiorum plerique reddunt *captivitatem*, i. e. captivos *Sionis*, qui ex Zione captivi abducti fuerant, ut שִׁיבָה ejusdem sit significationis cum שְׁבוּת (Vs. 4.) *captivitas*, a שָׁבָה *captivum abduxit*, quemadmodum אִיתוֹן *ingressus*, a verbo אָתָה, exstat Ez. 40, 15., quod analogice אֲתִיוֹן esse debuit. Imo sunt codices, qui et hoc Versu vel שְׁבוּת, vel שְׁבִית exhibeant; cf. Ps. 14, 7. 85, 2. Ez. 16, 53. Hos. 6, 11. Sed Aben-Esra observavit, שִׁיבָה esse nomen a verbo שׁוּב *reverti*, *reducere* deductum, quemadmodum קִימָה *surrectio*, Thr. 3, 63. a קוּם. Metonymice autem שִׁיבָה *reductio* pro *reducibus* esset, ut 2 Sam. 9, 12. *habitatio* pro *incolis*, et Job. 32, 7. *multitudo annorum* pro *hominibus annosis*. Ita שׁוּב שִׁיבָה *reducere reductionem*, esset, homines antehac a sede patria ad loca extera abductos pristinis restituere sedibus, qua ratione Ps. 78, 49. dicitur *misit missionem*. Praeteritum הָיִינוּ aliqui, inter quos Lutherus, pro Futuro positum putant, quod et Vs. 2. verba futura sequantur, et nondum praeteriisse eam, de qua hic sermo liberationem appareat ex Vs. 4., ubi pro ea maturanda funduntur preces. Quae tamen haudquaquam videbimus obstare, quo minus הָיִינוּ notione Praeteriti capiamus. כְּחֹלְמִים *Sicut somniantes*, i. e. adeo laetati sumus, ut somniare nobis videremur, neque satis adhuc nobis ipsis de nostra laetitia crederemus. Laetitiam maximam sentientes dubitare solent, an verum sit, quod percipiunt, et quo potiuntur. Chaldaeus sic reddidit: *fuimus sicut aegroti, qui sanantur*. Cepit חֹלְמִים signi-

ficatione *revalescendi*, Aramaeis non tantum, verum Hebraeis etiam usitata, vid. Jes. 38, 16. Job. 39, 4. Ita sensus hic erit: ab exilio reduces, similes illis exstitimus, qui a gravi et diuturno morbo subito tandem convalescunt. Et certe *reductio* e captivitate quasi a *mortuis revocatio* et resuscitatio quaedam dicitur Jes. 26, 19. Ez. 37, 11. 12. Eodem hoc sensu Alexandrinus: ἐγενήθημεν ὡσεὶ παρακεκλημένοι, quod minus apte Vulgatus *facti fuimus sicut consolati* vertit, quum pro *consolati* rectius *revocati a morte*, s. *ex morbo recreati* posuisset. Utuntur enim Alexandrini verbo παρακαλεῖσθαι ad exprimendum אֻמַּץ Deut. 3, 28., et חָזַק Job. 4, 3., atque הֶעִיז Jes. 10, 31. Et hoc ipsum verbum Graecus interpres Jes. 26, 19. usurpavit. Syrus: *fuimus sicut illi qui laetantur*. Sensum utcunque expressisse satis habuit.

2. Futurum אָז יִמָּלֵא in Praeterito reddendum esse, *tunc repletum fuit*, inde cognoscitur, quod Praeteritum Vs. 1. praecessit. Eodem modo Exod. 15, 1. אָז יָשִׁיר *tunc cecinit* Moses. Quoad phrasin cf. Ps. 71, 8. 40, 4. — אָז יֹאמְרוּ *Tunc dicebant* sc. dicentes, i. e. dicebatur; tertia persona pluralis impersonaliter posita, ut 68, 25. Neh. 2, 7. — עִם־אֵלֶּה *Cum illis*, Israelitis reducibus.

4. Gratulationem sequitur petitio. Non omnes Hebraei simul in patriam ex Babylone rediere; sed alii regnante Cyro, alii Dario, alii Xerxe, Darii filio. Qui igitur primi redierant, petunt reliquos quoque reduci, et sic coeptum beneficium perfici ac compleri. שׁוּבָה אֶת־שְׁבוּתֵנוּ *Reduc* (cf. ad Vs. 1.) *captivitatem nostram*, i. e. ceteros nostrates, qui olim captivi abducti fuerant; שְׁבוּת ut גּוֹלָה *deportatio*, pro deportatis Ezech. 11, 24. 25. — כַּאֲפִיקִים בַּנֶּגֶב *Sicut torrentes in terra arida*, i. e. sicut in locis aestu solis exsiccatis soles alveos arefactos et vacuos aquis pluvialibus replere (cf. Oedmanni *Sammlungen aus der Naturk.* P. V. p. 116. sqq. vers. teut.); ita fac, ut deserta haec terra repleatur iterum atque referta fiat incolis; restitue nos sedibus nostris prioribus, quae adhuc desolatae manserunt. אֲפִיקִים proprie *alvei*, vid. Ps. 18, 16. et ibid. not., tum, per metonymiam subjecti, *torrentes*, ut Job. 6, 15. Ps. 42, 2. — נֶגֶב h. l. prima et propria significatione *sicci*, *siccitatis* est capiendum, qua et Jos. 15, 19. Jud. 1, 15. occurrit, ubi אֶרֶץ הַנֶּגֶב opponitur *scaturiginibus aquae*. A siccitate non solum *terra australis* Judaeae, Jos. 15, 21 — 32. descripta, verum et australis plaga universim nomen accepit. *Ventum australem* h. l. illo nomine significari existimavit Alexandrinus, qui ὡς χειμάῤῥους ἐν τῷ νότῳ reddidit, quod ita explicant: revertantur nostrates magno numero, complentes omnes vias, sicut ripas suas flumina inundantia ad austri flatus; is enim ventus et pluviis gignendis et nive liquefacienda torrentes plurimum auget. Sed recte Chaldaeus: *Sicut convertitur terra, quando scaturiunt scatebrae aquarum in siccitate.* Syrus: *sicuti scaturigines, qui sunt in meridie.*

5. In spem se erigunt laetiorum temporum, quae sequutura sint exilii miserias, vixdum exantlatas, atque difficultates et labores, quibuscum adhuc inter ipsa novae reipublicae initia reversis erat conflictandum (vid. not. ad 120, 1.). Proverbiali vero sententia utitur, qua significatur, tristibus laeta solere succedere, sive, ut Ovidius dicit *Metam.* 7, 518. *flebile principium melior fortuna sequuta est.* Similitudo deprompta est a seminantibus, quibus, dum terrae semina committunt, adversa quaeque occursant, quae lachrymas saepe cient pauperculo agricolae, qui ultra sementem vix quicquam domi retinet, incertumque messis proventum reputat; quas ipsas tamen molestias laetissima messis excipit atque compensat.

6. Idem dicit, quod praecedenti Versu, sed aliis verbis: הָלוֹךְ יֵלֵךְ וּבָכֹה *Vadendo vadit et flendo*, i. e. ambulat flens, s. cum fletu (sc. נֹשֵׂא *portans* etc. quod sequitur); similis loquendi formula, qualis Jer. 50, 4. הָלוֹךְ וּבְכוּ יֵלֵכוּ (coll. 41, 6. הָלַךְ הָלַךְ וּבֹכֶה) et 2 Sam. 3, 16. וַיֵּלֶךְ הָלוֹךְ וּבָכָה. In quibus tamen omnibus Infinitivus adjunctus ad verbi potestatem nihil addit, ut alias, veluti Thr. 1, 10. Jer. 46, 5. (cf. Gesenii *Lehrgeb.* p. 779.); sed ideo tantummodo additus videtur, ut numerosiorem aut sonantiorem orationem efficiat. Velut Ex. 21, 23. *lapidando lapidabitur*, haud profecto plus est, quam Vs. 29. 32. *lapidabitur* solum. Dictionem מֶשֶׁךְ־הַזָּרַע varie interpretantur. Alii: *extractionem*, i. e. *pretiositatem seminis*, i. e. semen pretiosum (coll. Job. 28, 18. ubi מֶשֶׁךְ חָכְמָה *pretium sapientiae* exponunt); sementem magno pretio emtam, ob caritatem annonae, quam נֹשֵׂא *portans* spargit in terram dubio eventu. Hinc Lutherus: *Und tragen edlen Saamen.* Alii: *corium*, i. e. *saccum ex corio*, *in quo seminans semen portat.* Verum quamvis hoc quidem certum sit, *a trahendo*, *detrahendo*, dici *pellem*, quae detrahitur animalibus, itemque *corium*, ex ea paratum, Syris ܡܫܟܐ, Chaldaeis מְשָׁכָא, Arabibus مسك; inde tamen minime consequitur, etiam *saccum ex corio confectum* eo nomine significari; sane nullo testimonio id probari potest. Et licet huic nostro loco *sacci* notio congruat; minime tamen apta illa est loco Amos. 9, 13. *attinget arator messorem*, *et calcans uvas* מֹשֵׁךְ הַזָּרַע *trahentem semen*, i. e. satorem, qui semen e linteo extrahit, tractimque in terram spargit. Ex quo loco cognoscitur, משך־הזרע esse *tractionem seminis* transferendum, i. e. semen e linteo, de collo suspenso, extrahendum, et in agrum projiciendum in longam seriem, juxta fulci ductum. Chaldaeus de verbo fere ad verbum reddidit: *portans tractionem frumenti seminis.* Alexandrinus et Syrus nomen משך vertendo non expresserunt; hic enim habet: *qui portat semen;* ille: *βάλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν*, et hinc Vulgatus: *mittentes semina sua.* Hieronymus: *portans ad seminandum sementem.* Integri Versus sententia haec est: abit aliquando aliquis lachrymans ad sationem, et sementem facit in miseriis et calamitosus, qui idem posthac redit ad agrum

suum gaudens, et reportat inde laetus fasciculos frumentorum suorum de messe uberrima.

Ps. 127.

Docet, nullos hominum labores esse felices, nulla consilia salutaria, nisi Deo adjuvante et prosperante. Id quod ostendit in re familiari et publica, in quibus constituendis, conservandis, augendis atque ornandis omnis hominum labor et cura occupatur.

Habet Psalmus praescriptum nomen Salomonis; et tamen an ab ipso factus sit, controversum faciunt interpretes. Nam hebraeum illud לִשְׁלֹמֹה non *Salomonis*, ut auctoris, sed *Salomoni*, i. e. pro Salomone factum, aliqui interpretantur, existimantque a *Davide* paulo ante mortem praescriptum Salomoni vel ut regulam administrationis totius regiae, vel tum esse conditum, quum templi structuram in animo habuisset, ex vaticinio autem Nathanis (2 Sam. 7, 1. sqq.) per filium demum id futurum cognovisset. (In versione Syriaca huic Psalmo haec praescripta leguntur: *Dictus a Davide de Salomone; dicitur quoque de Haggaeo et Zacharia, qui urgebant structuram templi.* Alexandrina translatio *Salomonis* nomen non habet praescriptum.) Alii vero (inter quos Tilingius), quum in titulis Psalmorum לְ nomini praepositum alias semper auctorem carminis soleat indicare, non dubitant, hanc odam a *Salomone* proficisci. Mihi verissimum videtur Rudingeri judicium: „Quo tempore, aut quibus occasionibus factus sit Psalmus, dici non potest. Atque ne de nostris quidem cantionibus omnibus, et quae hodie fiunt, sciri hoc potest, ut in talibus satis sit sciri, quid dicant, aut doceant. Et sunt sine dubio publicae etiam et ordinariae doctrinae in templo, et ritibus certis, Psalmi facti aliqui. Omnino autem verisimile est, ad dedicationes aedium apud Judaeos solennes hunc Psalmum assumtum fuisse; sive in hunc usum scriptus sit ab auctore, ut esset formula dedicationum, sive ad has aliunde translatus.“

1. Loquutio בָּנוֹת בַּיִת *aedificare domum*, figura hebraea non est tantum aedificium habitationis exstruere, sed etiam familiam, et rem familiarem, instituere, constituere atque augere, vid. Ex. 1, 21. Deut. 25, 9. 1 Sam. 2, 35. 1 Reg. 2, 24. 11, 38. Prov. 14, 1. 11. Ita et Graecis οἶκος non tantum *domus* est, sed etiam *res familiaris*, et Latinis *domus* etiam *familia* est, ut: *Qui genus, unde domo?* Significari autem h. l. utrumque, sequentia ostendunt; nam de opibus, familiae sustentandae causa acquirendis, Versu 2., de liberis Vs. 3. sqq. sermo est. Prioris igitur hemistichii hic est sensus: nisi Deus ope sua adsit domui atque rei familiari constituendae atque augendae; frustra consumitur humana opera, quae suo studio suaque industria hoc se perfectura existimat. In altero hemistichio עִיר *civitas*, πολιτείαν omnis generis significat, hoc sensu: nisi Deus suo praesidio adsit civitati, et custodiat

et conservet eam, adversus incendia, hostium machinationes, aliave incommoda, frustra vigilant excubitores, et inane est studium qui administrant et incolunt eam, universorum.

2. Compellat eos, qui summam diligentiam in eo ostendunt, ut quam citissime de mane surgant, quam tardissime ab opere quiescant, et quam minimum quieti concedant. Vanam autem esse tantam eorum diligentiam et assiduitatem operis, tantumque laborem pronunciat, nisi Deus eorum studiis et laboribus prosperum successum tribuat. שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי־שֶׁבֶת *Vanum*, frustra *vobis* est, *matutinantes surgere*, i. e. qui mane, vel, ut Vulgatus habet, *ante lucem*, surgitis ad opificia, *retardantes sedere*, i. e. quiescere a labore, quietem differentes, i. e. qui ad opus celerrime surgitis, et tardissime cessatis. אָחַר est *retardare*, ut Ex. 22, 28. Deut. 23, 22., שָׁבַת vero (quod h. l. oppositum est τῷ קוּם) *cessare* a labore, *quiescere*, ut Prov. 20, 3. Ps. 139, 2. Thren. 3, 63. Alexandrinus: *εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι τὸ ὀρθρίζειν, ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι*, et Vulgatus: *vanum* est *vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis.* Patet, Alexandrinum vocem מאחרי tanquam adverbium accepisse, sensumque hoc modo fecisse: nihil proderit, statim postquam quieverit, ante lucem e quiete surgere, ita ut vix exiguum quieti concedatis. Ceterum pro *ἐγείρεσθε* Agellius monet legendum *ἐγείρεσθαι*. „Vera editio LXX, inquit, sic habet: *εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι, τὸ ὀρθρίζειν ἐγείρεσθαι*· et sic habet Vaticanus codex antiquissimus.“ אֹכְלֵי לֶחֶם הָעֲצָבִים *Qui comeditis panem dolorum*, i. e. multis laboribus curisque paratum et sumtum. Ita Prov. 4, 17. *panis impietatis* est impie partus. Alii *panem dolorum* dici existimant cibum vilem, ut e contrario Dan. 10, 3. *panis voluptatum*, est cibus delicatus. כֵּן יִתֵּן לִידִידוֹ שֵׁנָא *Ita dabit dilecto suo somnum*, i. e. quemadmodum vos frustra fatigamini, ut vix pauxillum somno et quieti indulgeatis; ita e diverso Deus iis, quos diligit, quiete et sine curis et molestiis dormire concedit. Similitudinis particula כֵּן, hemistichio posteriori praemissa, ante hemistichium prius arguit כ similitudinis subaudiendum esse, ut Jes. 55, 9. *nam* queamadmodum *altiores sunt coeli terra*, *ita altiores sunt viae meae vestris viis.* Job. 7, 9. Sicut *consumitur nubes et abit*, *ita is qui in orcum descendit*, *non ascendet.* Vid. et Ez. 22, 20. Jer. 3, 20. — לִידִידוֹ *Dilecto suo*, collective capiendum esse, res ipsa docet; diligit autem eos, qui colunt ipsum religiose, quorum spes omnis pendet ab ipso. Alii accipiunt כֵּן h. l. pro asseverandi particula, *vere*, *profecto*, et post יתן subaudiunt לחם ex hemistichio proximo, ante שנא autem particulam ב, saepius omissam, ut hic prodeat sensus: *profecto suis victum necessarium concedit in somno*, i. e. sine labore anxio. Hunc sensum Lutherus quoque expressit. Alexandrinus: *ὅταν δῷ τοῖς ἀγαπητοῖς αὐτοῦ ὕπνον*, et Vulgatus: *quum dat dilectis suis somnum.*

3. הִנֵּה נַחֲלַת יְהוָה בָּנִים *Ecce hereditas Jovae*, i. e. a Jova data, peculium a Deo concessum, sunt *liberi*. Genitivus, *Jovae*, hic non *possessorem*, sed *auctorem* indicat, quomodo terra Israelitica Ex. 15, 17. *hereditas Dei*, i. e. peculium Israelitis concessum (vid. Lev. 20, 24. Deut. 3, 18. 12, 9.) dicitur. Significat, non solius vi naturae procreari liberos, sed a Deo potissimum contingere, non secus atque hereditas liberis a parentibus relinquitur absque ullo illorum labore. In altero hemistichio post שָׂכָר est יְהוָה subaudiendum: *Dei merces* s. praemium, i. e. donum est uteri foecunditas. Chaldaeus hunc Versum sic reddidit: *ecce hereditas Domini filii recti: merces operum bonorum fllii ventris.*

4. Quum Dei munus esse dixisset sobolem propagare atque genus porrigere, jam docet, quantum bonum sit, filios fortes strenuosque educasse. *Sicut sagittae in manu fortis, ita filii juventutis*, quibus plerique eos filios, qui homini adhuc juveni nascuntur, intelligendos existimant, ut Gen. 37, 3. בֶּן־זְקֻנִים *filius senectutis*, est filius patri seni natus. *Filius* vero *juventutis* hoc loco ideo volunt commemoratos, tum quod filii in juventute geniti robustiores esse soleant, utpote geniti, quum vis genitalis adhuc fortior et vegetior est; tum quod parentibus grandiorum et provectioris aetatis liberorum opera utilis sit ad propulsanda mala atque incommoda; quum qui filii homini jam seni nascuntur, per aetatem neque consilio, neque opera unquam utiles esse possint. Ego tamen malo adstipulari iis, qui נְעוּרִים non ad parentum, sed ad liberorum aetatem referunt, ut, quemadmodum Ps. 18, 45. בְּנֵי־נֵכָר sunt *extranei*, 72, 4. בְּנֵי־אֶבְיוֹן *egeni*, et Coh. 10, 17. בֶּן־חֹרִים *nobilis*, ita h. l. בְּנֵי הַנְּעוּרִים *filii juventutis* sint adolescentes s. juvenes. Sicut autem in praecedenti Versu בָּנִים *filii*, liberos in genere significant, ita in praesenti *filios*, id est, mares liberos, significari, sequentia ostendunt. Vires autem et robur masculum cum robore sagittarii, proceritatem rectam juvenum viribus valentium cum sagittis sagittarii fortis comparari existimo, tales enim esse sagittas oportet, tanquam hastilia recta et non nodosa. Ceterum eadem haec filiorum cum hastilibus comparatio Arabibus etiam familiaris est. Alexandrinus sic reddidit: *οὕτως οἱ υἱοὶ τῶν ἐκτετιναγμένων*, et Vulgatus: *sicut filii excussorum.* Vocem נְעוּרִים interpres ille pro Participio Paul verbi נָעַר *excussit*, habuit. Intellexit vero haud dubie tales, *qui plurimis aerumnis vexantur* (*οἱ σφόδρα ταλαιπωρούμενοι*, ut Suidas explicat in voce *υἱοὶ θεοῦ*). Verum Symmachus et Theodotion *υἱοὶ νεότητος* reddiderunt. Syrus quoque *filii juventutis* habet.

5. מְאֻשָּׁרִי — מֵהֶם *Beatus ille, qui implevit pharetram suam illis!* O beatum, cujus familiam auget et ornat Deus hoc modo, ut filios tales pulchros et fortes habeat, quibus instruatur domus ejus. מֵהֶם referendum est ad חִצִּים (Vs. 4.) *iis* sagittis, i. e. filiis. *Pharetram* vero vocat domum, quae est eorum receptaculum, in

qua educantur et adservantur donec emitti queant. Inepte Alexandrinus אַשְׁפָּתוֹ *ἐπιθυμίαν αὐτοῦ* reddidit. לֹא־יֵבֹשׁוּ *Non pudefient*, non ad utrosque, parentes et liberos, sed ad liberos solos referendum est, quos non frustretur conatus ipsorum, quando negotium eis erit cum hostibus, ut sequitur. Verba כִּי־יְדַבְּרוּ אֶת־אוֹיְבִים בַּשָּׁעַר vulgo sic transferunt: *quum loquentur cum inimicis in porta*, i. e. in disceptatione forensi, quod judicia apud veteres in *portis* exerceri solebant, ut sensus sit hic: defendentur a natis suis parentes in litibus, quum erit illis de honore aut capite disceptandum in foro, patris causam strenue agent liberi. Sic et Chaldaeus: *quum contenderint in porta domus judicii.* Sensus vero multo aptior prodit, si verbum דָּבַר h. l. *perdendi*, *interficiendi* significatu accipias (vid. not. ad Ps. 18, 48.). Ita igitur verba nostra sunt vertenda: *sed periment hostes in porta*, s. *in portis*, quae ideo commemorantur, quod ad portas pugnari plurimum et periculosissime solet. Atque propugnationem pro patria adversus hostes hic intelligendam esse, suadet etiam allegoriae ratio, quum filii cum *sagittis* comparentur, quae apte dicuntur hostes interficere. Nec obstat, quod verbum יבשו praecessit, quod fortasse minus aptum *sagittis* dicere aliquis possit, quum et alias propria cum tropicis per *κατάχρησιν* misceri videamus; cf. e. c. not. ad 68, 31. Hoc autem videtur dicere voluisse vates: quos Deus dat et procreat ad propugnandum idoneos, eos feliciter propugnare pro patria. Quasi dicat: Deus dat propugnatores, non civitas.

Ps. 128.

Docet, in summa prosperitate vitam acturum, quicunque Deum veretur et colit; talem hominem frustra laboraturum numquam, imo bene suaviterque victurum, eique abundantem liberis fore familiam. Carmen concluditur voto, ut vir pius a Deo fortunetur, fruaturque perpetua tranquillitate, et longam liberorum ac nepotum seriem conspiciat.

Patet, hunc Psalmum factum esse ad imitationem praecedentis, quem explicat et confirmat. Sunt, qui eum formulam esse putent, qua bene precari conjugibus novis solerent. De tempore vero et occasione, quibus primus sit factus, definiri nihil potest. Rebus autem Judaeorum ex Babylone recens reversorum accommodatum esse, credibile facit hoc, quod huic ipsi carminum talium plurium fasciculo insertus est. Quod ipsum forsan hoc consilio factum est, ut vatum praesagia (e. c. Zach. 8, 4. 5. Jerem. 30, 19. 20.) de novae reipublicae civiumque ejus incremento, quasi in compendium redacta exhiberet, atque sic dejecti animi eorum, qui tenuibus rerum suarum initiis diffidebant, ad spem meliorum temporum erigerentur, excitarenturque ad commune bonum fortiter promovendum.

2. Sunt, qui hunc Versum ita vertant: *laborem manuum tuarum quando comedes, eris* hac ratione *felicissimus*, ut כִּי h. l. sit temporis particula. Sed prodit sensus commodior, si particulam כִּי per synchysin trajectam sumamus et initio Versus ponamus hoc sensu: *nam laborem manuum tuarum comedes*, non in cassum laborabis, sed bonis labore tuo partis secure frueris. Quod spectat ad poenam illam, quae Dei timorem abjicientibus definita est Lev. 26, 16. Deut. 28, 33. Cf. Ps. 109, 11. 78, 46. Zach. 8, 10 — 13. Alexandrinus nostra verba sic transtulit: *τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι*, quae in quibusdam exemplaribus versionis Vulgatae hoc modo reddita leguntur: *labores fructuum tuorum manducabis*, in aliis vero pro: *fructuum tuorum* recte *manuum tuarum* exstat. *Καρπὸς* enim, ut Agellius scite notavit, utrumque, et *fructum* significat, et *manum*, s. *palmam*, unde Alex. Prov. 31, 20. vertit: *καρπὸν δὲ ἐξέτεινε πτωχῷ*, *palmas suas extendit ad pauperem.*

3. Alterum hoc est beneficium, quo se timentem Deus donat, ut uxorem habeat et foecundam, et verecundam ac pudicam. בֵּיתֶךָ — אֶשְׁתְּךָ *Uxor tua quasi vitis frugifera in lateribus domus tuae.* אֶשְׁתְּךָ cum *Segol* non nisi h. l. occurrit, notante Masora; alias enim *Chirek* habet, ut Gen. 17, 15. 19. Ita Hos. 14, 9. פְּרִיךְ, pro פְּרִיָךְ, cf. Ez. 25, 4. — פֹּרִיָּה *Fructifera*, ex qua multi ac viridantes palmites atque uvae oriuntur. Similis forma Participii est בּוֹכִיָּה Thr. 1, 16. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 429. Quod additur, בְּיַרְכְּתֵי בֵיתֶךָ, alii ad *vitem pergulanam*, alii vero rectius ad uxorem domi se consinentem (oppositam mulieri in plataeis vaganti, qualis Prov. 7, 11. describitur) referunt, quum יַרְכְּתֵי הַבַּיִת de *penetralibus domus* Amos 6, 10., atque יַרְכְּתֵי הַסְּפִינָה de *interioribus navis* Jon. 1, 5. usurpetur. בָּנֶיךָ כִּשְׁתִלֵי וגו׳ *Filii tui sicut plantae olearum in circuitu mensae tuae*, liberi tui stipabunt mensam tuam confertim, ut *καλλίπαιδα στέφανον*, *pulchram liberorum coronam* dixit Euripides *Hercul. fur.* Vs. 839., et: *τέκνων ἐν οἴκοις γλυκερὸν βλάστημα*, *liberorum in aedibus dulce germen*, *Medea* Vs. 1098. שְׁתִלֵי זֵיתִים dubium est num accipiendum de ramis, qui scatent fructibus, oleae, quos *termites* vocant Latini; an vero de ramis simpliciter, sicut plerique interpretes fecerunt, ut comparetur liberorum multitudo ramosae oleae. Videtur tamen prius magis consentaneum, etiam propter fructuum allusionem, quum *fructus uteri* significentur, ut est in Ps. praeced. Vs. 3.

4. Particulam כִּי plerique redundare existimant, ut etiam 2 Sam. 3, 9. כִּי־כֵן pro simplici כֵּן positum. Alii tamen illam et in interpretatione exprimunt, hac ratione: considerate et attendite! hoc enim modo beat Deus qui ipsum colit; haec praemia rependit pietati.

5. יְבָרֶכְךָ alii in futuro, ut certam spem et promissionem, alii in Optativo vertunt, ut bene precantis voces sint: *Jova bene-*

faciat tibi, quod praestat, quum sequatur Imperativus. יְהוָה מִצִּיּוֹן *Dominus e Sione*, interpretantur aliqui *Dominum Sionicum*, coll. 135, 21., sed rectius alii: benefaciat tibi Jova e Sione, sede sua, unde beneficia sua longe lateque in populum suum largitur, cf. 14, 7. 20, 3. 134, 3. — וּרְאֵה בְטוּב יְרוּשָׁלִָם *Et videas felicitatem Hierosolymitanae urbis*, fruaris prosperitate illa, quam Deus incolis hujus civitatis largitur, eamque semper spectes pace et bonis omnibus florentem. De constructione verbi רָאָה cum ב vid. not. ad 22, 18.

6. וּרְאֵה־בָנִים לְבָנֶיךָ *Videas filios filiis tuis* sc. natos (cf. Gen. 40, 10. 46, 7. Prov. 17, 6.), i. e. verbis Virgilianis (*Aen.* 3, 98.): *adspicies natos natorum, et qui nascentur ab illis.* Non tantum nepotes significari videntur, sed pronepotes etiam et abnepotes, i. e. successio et conservatio familiarum, secundum promissionem praemissam promulgationi Decalogi de tertio et quarto gradu succedentium. Dicit igitur hoc: non tantum tua familia crescet, sed etiam liberorum tuorum. Quae sequuntur: שָׁלוֹם עַל־יִשְׂרָאֵל, aliqui cum praecedentibus connectunt, hoc modo: adspice nepotes, et *pacem super Jerusalem.* Sed quum copula ו ante שָׁלוֹם absit, praestat, haec verba ut votum accipere, quale est clausula Ps. 125.

Ps. 129.

Ne praesentibus malis Israelitae victi animo concidant, et nuper de exilio reversi, ac subinde aliis atque aliis difficultatibus excepti desperent, revocat in memoriam mala, quae olim experti sunt etiam praesentibus graviora, ex quibus quum Dei beneficio sint erepti, desperandum illis haud esse, quin praesentibus quoque sint illius ope liberandi.

1. רַבַּת צָרְרוּנִי מִנְּעוּרָי *Multum*, i. e. graviter, diu ac multifariam, *angustarunt* s. *oppugnarunt me* hostes *inde a pueritia mea*, i. e. a primis meis temporibus, quibus eram in Aegypto. Totum illud spatium, quo Israelitica gens fuit, hominis unius tempori et aetati comparat; hinc superiora illa atque antiquiora tempora, quibus gens illa jam in Aegypto numero aucta velut adoleverat, *juventutem* vocat, ut Jes. 47, 12. 15. Hos. 2, 17. Jer. 2, 2. 22, 21. Ez. 33, 3. sqq. Cf. Flori *Hist. Rom.* Prooem. §. 4. — יֹאמַר־נָא יִשְׂרָאֵל *Sic dicat Israel*, talem prosopopoeiam habet etiam Ps. 124, 1. Sic autem haec facta sunt, ut praeeat ἔξαρχος hanc formulam gratiarum actionis populi, qui eam deinceps toto choro accineret.

2. גַּם לֹא־יָכְלוּ לִי *Etiam non*, ne sic quidem (ut וְגַם לֹא Ez. 16, 25.) *praevaluerunt mihi*, neque tamen opprimere aut delere nos potuerunt. Chaldaeus: *verum non otuerunt malefacere mihi.*

3. עַל־גַּבִּי חָרְשׁוּ חֹרְשִׁים *Supra dorsum meum ararunt aratores;* hostes Israelitae figurate *aratores* appellant, eosque ajunt suum dorsum verberibus, quasi solum aratro proscidisse, h. e. multa mala et plagas sibi inflixisse. Quum addunt הֶאֱרִיכוּ לְמַעֲנוֹתָם *prolongaverunt sulcos suos*, significare volunt, longa et diuturna fuisse sua mala. Haud absimili figura summae contumeliae, quibus quis afficitur, exprimuntur Jes. 51, 23. Sistitur populus Israeliticus imagine servi aut mancipii inde a prima sua juventute male tractati. Alexandrinus: *ἐπὶ τὸν νῶτόν μου ἐτέκταινον οἱ ἁμαρτωλοὶ, ἐμάκρυναν τὴν ἀνομίαν αὐτῶν.* Hinc Vulgatus: *supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Verbum חָרַשׁ Graecus interpres accepit *fabricandi* notione, qua Gen. 4, 22. 1 Reg. 7, 14. occurrit, חֹרְשִׁים vero pro חֹרְשֵׁי אָוֶן, Job. 4, 8., vel pro חֹרְשֵׁי רָעָה, cf. Prov. 3, 29. Porro nomini מַעֲנוֹת (*sulci*, cf. 1 Sam. 14, 14.) tribuerunt significationem nominis עֲוֹנוֹת, Lev. 16, 21. Ps. 130, 3. Ab *arando* vero imaginem h. l. esse depromtam, ostendit Versus, qui sequitur. Quare verbum חרשׁו Aquila et Theodotion recte *ἠροιρίασαν* verterunt. Syrus sensum propriis verbis expressit: *super dorso meo flagellarunt flagellationes, et protraxerunt humiliationem suam.* מַעֲנוֹתָם accepit pro עַנּוֹתָם, ab עַנּוֹת *afflictio.* Sed recte Chaldaeus: *super corpus meum ararunt arantes, prolongarunt arationes suas*, s. *sulcos suos.*

4. *Jova justus* est, *concidit funes impiorum*, i. e. funes in jugis aratorum crudelium illorum, qui arabant tergum nostrum; accommodandum enim hoc est ad mentionem sulcorum et arationis, Vs. 3. Funibus autem, quibus ad juga alligantur, et onera trahunt jumenta, his, inquam, scissis, non potest amplius onus trahi, neque fieri aratio. Cf. Nah. 1, 13. Jer. 5, 5. Alii *funes γενικῶς* explicant de vi et potentia, quibus, quasi vinculis, Israelitae ab hostibus constricti tenebantur. עבות Alexandrinus *αὐχένας*, et Vulgatus *cervices* reddidit. Agellius illos nomine *cervicum* existimat intellexisse superbiam et elationem peccatorum. Recte vero Symmachus *βρόχους*, Theodotion *κλοιούς*, et Chaldaeus *catenas* reddiderunt.

5. Incipit altera pars Psalmi, in qua, exemplo scilicet superiorum liberationum, jubentur Israelitae bene spectari, nec deficere in praesenti periculo: *Confundentur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sionem*, perinde quasi diceret: nunc quoque, speramus, Sion et Jerusalem redibunt in pristinum ac felicem statum, et qui inimicos animos gerunt, erubescent irritis conatibus ac terga vertent. Tilingius in *Disquisit.* p. 135. intelligendos censet Samaritas, nominatim Rechum, consilii Samaritani praesidem, et Simsai, scribam, cum reliquis gentis proceribus, qui falsis criminationibus suis tantum valuerunt in aula Persica, ut regium decretum contra Judaeos emanaret, quo aedificatio templi per aliquod tempus impedita est, vid. Esra 4.

6. Adversarios de medio tollendos significat, antequam quicquam perfecerint, non secus atque herbae, quae nascuntur in tectis (referendum autem hoc ad tecta plana aedificiorum in terris illis, cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 113.): priusquam in aliquam altitudinem assurgant, ardore solis exarescunt. Verba שֶׁקָּדְמַת שְׁלָפָהּ יָבֵשׁ non uno modo vertunt. Aliqui sic: *quod priusquam strinxerit* scil. aliquis falcem, i. e. priusquam maturum sit ad messem, *arescit.* Verbum שָׁלַף enim notum est de gladio stricto dici, vid. e. c. Jud. 8, 20., unde h. l. accommodate ad rem de falcis extractione usurpatum existimant. Melius tamen placet eorum ratio, qui sic faciunt: *priusquam extrahat* quis gramen illud, i. c. ut recte Alexandrinus: πρὸ τοῦ ἐκσπασθῆναι, et Vulgatus: *priusquam evellatur;* nam שָׁלַף *extrahere* in universum notare, patet ex Ruth. 4, 7. 8., ubi de calcei detractione dicitur. Chaldaeus hunc Versum sic transtulit: *erunt sicut gramen tectorum, quod priusquam efflorescat* (teste Theodoreto multi quoque codd. Alex. versionis habuerunt non πρὸ τοῦ ἐκσπασθῆναι, sed ἐξανθῆναι, *priusquam efflorescat*), *venit ventus eurus, evellit ipsum, et arescit.* Syrus: *erunt sicuti herba tecti, quae cum flavit in eam ventus, marcescit et arescit.*

7. *Quo non implet manum suam messor, aut lacertum* s. *sinum, qui manipulos colligit.* Nulli usui est foenum tectorum, itaque ne metitur quidem, neque demessum in manipulos ligatur. Significare vult autem, ut nemo est, qui foenum illud in tectis domorum enatum metit, sic qui hostes curet, et floccifaciat, fore neminem.

8. וְלֹא — אֲלֵיכֶם *Nec dicant praetereuntes: benedictio Jovae vobis.* Mos erat, ut qui per agrum, dum segetes meterentur, transirent, gratularentur et bene precarentur messoribus (vid. Ruth 2, 4.): itaque cum deesse ait viatores, qui foeni in tectis enati messoribus bene precarentur, significare vult, nullos esse ejusmodi foeni messores, ac per hoc, hostium consilia non successura. Precatur igitur, ut omnis spes successus et frugis seu emolumenti semper illos frustretur, ut nihil unquam proficiant adversus populum Israeliticum. בֵּרַכְנוּ אֶתְכֶם בְּשֵׁם יְהוָה *Bene precamur vobis nomine Jovae*, quae non sunt accipienda pro mera repetitione et confirmatione formulae praecedentis, sed pro salutatione mutua, quod et Chaldaeus vidit, qui his verbis haec praemisit: *neque respondent illis*, scil. salutantibus viatoribus messores. Ita enim Ruth 2, 4. *Booz e Bethlehem veniens dixit messoribus: Jova vobiscum, illi vero ei responderunt: Jova te fortunet!* Est autem ἀφέλεια haec amabilis antiquitatis, quales sunt multae Homericae, quod simul tota bene precandi formula refertur et exprimitur, quum satis esset dicere: nemo bene precatur talibus.

Ps. 130.

Preces sunt ardentes ejus, qui haeret in calamitatibus gravissimis, et cum his, tum conscientia peccatorum suorum ita premitur, ut tantum non opprimatur. Et sic tamen veniam et remissionem illorum a Deo sibi petit et pollicetur, liberationemque ab iis malis, in quibus propter illa haeret.

Totius populi sub unius hominis persona preces fieri hoc Psalmo, Versus duo ejus postremi ostendunt. Videtur factus, aut certe adhibitus fuisse in publica illa poenitentia ob peccatum commissum in conjugiis cum gentibus exteris in templo acta, de qua Esr. 9. et 10.

1. מִמַּעֲמַקִּים *Ex profundis* sc. aquarum, cf. Ps. 69, 3. 15. Jes. 51, 10., i. e. mersus malis, quae saepe in Psalmis aquarum voragini comparantur.

3. אִם־עֲוֹנוֹת תִּשְׁמָר־יָהּ *Si servaveris iniquitates, Domine*, i. e. si memoriam peccatorum admissorum retineas (Job. 10, 14. 14, 16. 17.), et eam tua misericordia non aboleas, אֲדֹנָי מִי יַעֲמֹד *Domine quis consistet?* quis non ad extremum interitum ac perniciem perveniet? Aut, quis est, qui coram te judice stare possit, et objectis criminibus respondere, se defendere ac purgare?

4. *Nam tecum*, i. e. apud te *condonatio, ut timearis*, i. e. ut spe veniae hominibus facta ad colendum te perducantur, ut colant te homines ut Deum misericordem. Nisi enim talis esset, coleretur Jova non aliter, quam Vejoves, ne noceret scilicet, non ut commodaret, aut fugeretur etiam prorsus, ut tyrannus. Chaldaeus pro לְמַעַן תִּוָּרֵא habet: *ut videaris*, ac si תֵּרָאֶה legisset. Alexandrinus: *ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου.* Sed quum in latina Vulgata, quae graecam totam refert, ita exstet: *propter legem tuam;* Agellius conjicit Alexandrinum vertisse *ἕνεκεν τοῦ νόμου τοῦ σου*, quod deinceps corruptum sit in *τοῦ ὀνοματός σου.* Et certe magis credibile est, interpretem illum pro תִּוָּרֵא legisse aut intellexisse תּוֹרָה, quam שִׁמְךָ. Sensus vero, secundum Alex. interpretationem, hic erit: ut lex tua, qua te misericordem et clementem esse docuisti, fidelius ac vera comprobaretur.

5. *Exspecto Jovam, exspectat anima mea, et in verbum ejus spero*, spem meam in promissis ejus colloco, spero, ut Jova promissa sua de peccatorum venia sit exsequuturus. *Verbo Jovae*, דְּבָרוֹ, h. l. intelligendae sunt promissiones ejus, ut Ps. 119, 74. Job. 32, 11.

6. נַפְשִׁי לַאדֹנָי מִשֹּׁמְרִים לַבֹּקֶר *Anima mea Dominum* scil. exspectat (quod est repetendum ex Vs. 5. et 7. cf. 33, 20.) *prae custodibus sub auroram*, i. e. ardentius, quam excubitores matutini, qui ultimas noctis s. matutinas vigilias sub diluculum agunt (cf. Ex. 14, 24. Jud. 7, 19.), auroram exspectant. שֹׁמְרִים לַבֹּקֶר nonnulli exponunt: *qui custodias habent sub diluculum.* Ita

Chaldaeus: *anima mea exspectat Dominum magis quam custodes vigiliarum matutinarum, quas observant ad offerendum oblationem matutinam.* Mos enim erat, ut eorum Levitarum, qui templi custodiam noctu agere solebant, unus ad hoc esset constitutus, ut observaret primum aurorae ortum, quo sacrificium juge matutinum rite offerre liceret. Sed simplicius est, post שֹׁמְרִים repetere הוֹחִילוּ *exspectant* matutinum, לַבֹּקֶר. Sunt, qui geminata formula, שמרים לבקר שמרים לבקר *excubitores pervigiles* significari existiment, qui soli, sine successoribus, totam noctem, usque ad diluculum pervigilant, et tanto magis et cupidius lucem expetunt et prospectant. Sed videtur potius haec repetitio affectui poetae tribuenda. Alexandrinus: *ἀπὸ φυλακῆς πρωΐας μέχρι νυκτὸς ἐλπισάτω Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸν κύριον*, et Vulgatus: *a custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino.* Illud: *ad noctem* Alexandrinum de suo addidisse patet, ut his verbis non tam desiderii vehementia, quam spei firmitas et diuturnitas significetur. Praeterea sequentis Versus initium ad hunc trahit. Syrus: *exspectavi Dominum a custodia matutina usque ad custodiam matutinam.* Sensu cum Alexandrino convenit.

7. Non, inquit, vana tua spes erit, neque irrita exspectatio, *nam apud Jovam est misericordia*, illius propria est virtus clementia, וְהַרְבֵּה עִמּוֹ פְדוּת *et multum apud eum redemtionis*, non tantum voluntatem habet, verum etiam facultate pollet te liberandi, neque illi tamquam qui cupiat quidem te a servitute redimere, sed cui desit pretium, quod pro redemtione detur, parum fidendum est.

8. Liberabit populum Israelicum suum a reatu et poenis peccatorum suorum universis, i. e. a malis, quibus nunc opprimitur.

Ps. 131.

Contestatur de animo humili et demisso suo auctor, et quod alienissimus sit ab omni insolentia et elatione, contra potius se totum a Deo penderc, neque a se aut rebus suis ullis.

Qui pro Davidico habent Psalmum, ut inscriptio prodit, fere existimant eum factum adversus calumnias et obtrectationes Sauli et aulicorum ejus, quod regnum malis artibus adspiraret (1 Sam. 24, 10. 26, 19.), a qua ambitione se alienissimum esse testatur. Tum ob Versum ultimum, ubi apostrophe est ad universum populum, Judaeis ex Babylone reducibus accommodatus fuerit ob criminationes a Sanballato sparsas, illos meditari rebellionem contra regem Persarum, ideoque aedificare muros urbis, vid. Neh. 6, 5—7. Nihil tamen impedit, quo minus credamus Psalmum illa ipsa tempestate primum esse conditum, quum satis constet, quantum fidei inscriptionibus sit tribuendum.

1. וְלֹא־רָמוּ עֵינָי *Neque elati sunt oculi mei*, non attollo supercilium, ut facere solent superbi et fastuosi; cf. 18, 28. 101, 5.

Prov. 11, 17. — וְלֹא־הִלַּכְתִּי בִּגְדֹלוֹת *Nec incessi*, s. ambulare, versari consuevi *magnis* rebus, non arrogavi mihi majora, וּבְנִפְלָאוֹת מִמֶּנִּי *et in mirabilius prae me*, quae miris modis supra me essent, rationem conditionis meae excederent. De rebus difficulter exsequendis נִפְלָאוֹת dicitur etiam Gen. 18, 14. Deut. 17, 8. 30, 11.

2. אִם־לֹא שִׁוִּיתִי וְדוֹמַמְתִּי נַפְשִׁי *Si non aequavi et complanavi animum meum*, sc. hoc vel illud mihi Deus faciat (vid. Ruth 1, 17. 1 Sam. 3, 17. 20, 13. Deut. 1, 35. Jes. 5, 9.), i. e. jurans testor, quod compesco et coerceo animum meum, ut sim ab omni elatione et superbia purus. *Animus complanatus* et *aequatus* opponitur tumido, et cupiditatum fluctibus turbato (Jes. 57, 20. Jer. 49, 23.). Quorsum vero pertineat comparatio, quae sequitur, כְּגָמֻל עֲלֵי אִמּוֹ *ut ablactatus erga matrem*, dissentiunt. Aliqui sensum faciunt hunc: animum meum jussi quiescere, nullam sui curam agentem, non secus atque infans a lacte depulsus totus a cura matris pendet de nulla re prorsus sollicitus, tantum absum, ut magna moliar. Alii verba hoc sensu capiunt: tam expers sum omnis fastus et superbiae quam puer recens ablactatus; in ea enim aetate nihil adhuc esse potest *ἐνεργείᾳ* elatum aut superbum, et inprimis ablactionis tempore, quo infantes miserrimi esse solent, quod praeciditur eis prima et propria alimonia ipsorum. Sed videtur potius puer uberibus desuefactus, qui desiderium ubera sugendi deposuit, neque amplius plorans ejulansque illa appetit, h. l. tanquam imago hominis moderati et ab omni cupiditate liberi poni. עֲלֵי אִמּוֹ *Super*, s. *apud* (ut Num. 24, 6. Job. 6, 5.) *matrem suam.* כַּגָּמֻל עֲלֵי נַפְשִׁי *Sicut ablactatus*, inquam, est *apud* s. *intra me anima mea.* כַּגָּמוּל elliptice positum pro כְּנֶפֶשׁ גְּמוּל *sicut anima ablactati.* In comparationibus enim, ubi eadem res bis nominanda, interdum quidem repetitur nomen (ut Jer. 21, 3.), frequentissime autem secundo loco omittitur, ut Ps. 18, 34. 48, 7. 55, 7. Jes. 10, 10. עֲלֵי *Super*, i. e. apud, *intra me*, ut Ps. 42, 5. 7. 142, 4. In Alex. versione hic Versus ita sonat: *εἰ μὴ ἐταπεινοφρόνουν, ἀλλὰ ὕψωσα τὴν ψυχήν μου· ὡς τὸ ἀπογεγαλακτισμένον ἐπὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ, ὡς ἀνταποδώσεις ἐπὶ τὴν ψυχήν μου.* Quae Vulgatus sic reddidit: *si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; sicut ablactatus est super matrem suam, ita retributio in anima mea.* Verbo שִׁוִּיתִי Graecus interpres significari existimavit eum, qui supra ceteros sese non attollit, sed eis, etiamsi humilioribus, sese aequat; pro דוֹמַמְתִּי legit רוֹמַמְתִּי, atque pro כְּגָמֻל עֲלֵי נַפְשִׁי enunciavit כְּגָמֻל עֲלֵי נַפְשִׁי. Igitur secundum Alexandrini interpretationem vates imprecatur sibi vindictam atque supplicium, ni humilem sensum sui habuerit, sed in superbiam et fastum se extulerit. Chaldaeus hunc Versum sic reddidit: *Si non posui manum ad os, et tacere feci animam meam, donec audiret verba legis, sicut ablactatus super*

mammas matris suae, roboratus sum in lege, sicut ablactatus, ita *super me anima mea.* Syrus hebraea verbo verbum expressit.

Ps. 132.

Continet cum confessionem publicam voti Davidici de templo exstruendo a Deo approbati, tum declarationem, templum exstructum sedem Dei et religionis esse debere, tandem repetitionem promissionis divinae per Nathanem Davidi datae de perpetuitate regni ejus.

„Quum David (utor verbis Mosis Amyraldi in *Paraphrasi in Pss.* p. 757.) pro excellenti sua pietate, postquam ad regiam dignitatem pervenerat, semper in animo habuisset aedificare templum, in quo locaretur Arca Domini, quae ad illud usque tempus sub tentorio fuerat, et ex loco in locum migraverat, nullo domicilio fixo; hoc tamen grave peccatum commisit, quod, ut recitatur in historia sacra, populum censeri et dinumerari jussit. Ea de causa Deus misit Angelum, qui horribili pestilentia atque mortalitate erratum illud castigaret, et cum jam septuaginta millia hominum occidisset, et in eo erat, ut Hierosolymae ipsi imminens, horrendam illam stragem edere perseveraret, cohibuit eum efficacitas precum et sacrificiorum, quae David Deo obtulit in area, quam ob Ornano Jebusaeo in eum finem comparaverat. Tanta autem tum fuit Dei erga Davidem bonitas, ut non modo illi peccatum condonaret, et plagam in caede ista sisteret, sed etiam testaretur, sibi magnopere placere desiderium aedificandi Templi, quod semper ille prae se tulerat, et locum in quo sacrificia obtulerat, ei rei dicatum esse significavit, unum hoc reservavit, quod aedem istam sacram construi a Salomone voluit (vid. 1 Chr. 21, 18. 26—30. 22, 1.). Id Salomon postea magnificentissime exsequutus est (2 Chr. 3, 1.), et proxime ad veri similitudinem accedit, hunc Psalmum ab eo illa de causa compositum fuisse, ut ad commemorationem rerum jam praeteritarum, et earum, quas Deus pietati Davidis in tempus futurum spoponderat, solenniter caneretur. Atque Salomonem, non vero Davidem, ut nonnulli ex Hebraeis putant, hocce Canticum composuisse, probabile facit cum occasio, tum etiam id quod Vs. 8. 9. et 10. continetur. Usurpatum enim fuit a Salomone in celebri illa precatione, qua, ut refertur 2 Chr. 6, 41. 42., Templum jam absolutum consecravit.“ Ceterum et in dedicatione templi secundi carmen nostrum usurpatum fuisse, ostendit hoc ipsum, quod 15 illorum carminum, communi שירי המעלות titulo insignitorum fasciculo insertum est.

1. Inducitur primis carminis Vss. universus populus, Deum obtestans, ut declaret se memorem esse Davidis omniumque ejus sollicitudinum in ardore desiderii ingentis sui, quo expetivit templum Jovano cultui sacrum condere. Tribuitur hoc laudis Davidi solum, quod de quaerenda templi sede fuerit sollicitus. Non enim

Davidi per Deum licuit templum exstruere, ut constat ex 2 Sam. 7, 13. 1 Chr. 17, 12. In persona universi populi haec verba dici, illud persuadet, quod inferius Vs. 6. 7. in numero multitudinis dictum est: *audivimus*, *invenimus*, *introibimus*. זְכוֹר לְדָוִד אֵת כָּל־עֻנּוֹתוֹ *Memento Davidi omnis affligi ejus*, i. e. omnem recordare laborem et sollicitudinem, quibus se ipsum adflixit cultus tui paene collapsi restituendi causa, cui etiam omnia bellici sui laborum praemia consecravit 1 Chr. 18, 11. לְדָוִד *Davidi* memento, sc. in bonum; sic verbum cum Dativo personae et Accusativo rei construitur 98, 3. Ex. 31, 13. Lev. 26, 45. — עֻנּוֹת est Infinitivus nominascens Conjugationis Pyhal, quam vide Jes. 53, 4. Ps. 119, 71. coll. ibid. Vs. 50. 61. et 1 Chron. 22, 14. Alexandrinus (*μνήσθητι*) *πάσης τῆς πραότητος αὐτοῦ*, et Vulgatus *memento omnis mansuetudinis ejus* reddidit, quasi עֲנָוָתוֹ pro עֻנּוֹתוֹ legerit. *Mansuetudine* autem pietatem ac religionem Davidis videtur intellexisse. Ceteri vero interpretes omnes *afflictionem* interpretantur.

2. His quatuor Vss. declaratur Davidis pietas et religio, qui jurasset et vovisset, se templi locum, quem scilicet Deus destinarat (Deut. 12, 5.), quaesiturum, donec reperisset. אֲשֶׁר h. l. non *quod*, ut aliqui faciunt, sed *qui* vertendum est: (David) *qui juravit* etc. לַאֲבִיר יַעֲקֹב *Potenti Jacobi*, quem Jacobus omnipotentem suum Deum dixit, e. c. Gen. 49, 24. Jacobi autem potius quam ullius alterius Patriarchae meminit, quia hic erat generis totius et duodecim tribuum proximus auctor.

3. Sequitur jurisjurandi et voti formula. Subaudiendum autem est hujus Versus initio לֵאמֹר, ut infra Vs. 11. 13. — אִם־אָבֹא *Si introiero* scil. sic mihi faxit Deus et sic addat (cf. 1 Sam. 14, 54. et vid. not. ad Ps. 89, 36. et 131, 2.), i. e. non ingrediar. Una sententia tribus hisce Versibus continuatur. Votum autem, quod sequitur, *non ingrediar tabernaculum domus meae* (phrasis ex usu veterum desumta, qui in tentoriis habitarunt, cf. 78, 55.), *neque conscendam spondam*, lectum, *stratorum meorum*, *nec concedam somnum oculis meis*, *aut palpebris meis dormitationem*, *usque dum invenero locum*, non esse ita, ut verba sonant, accipiendum, res ipsa et historia docet. Davidem enim, ex quo decreverit templum aedificare, numquam domum suam introisse, numquam obdormisse, nemo facile crediderit; nec voti ejusmodi verbis conceptis in historia fit mentio, imo historia habet, cum jam habitaret in domo sua cedrina (vid. 2 Sam. 7, 2.), de condenda aede Jovae Davidem cogitasse. Significatur vero illa hyperbole nihil aliud, quam hoc: prorsus non acquiescam. Talia sunt in vernaculo: non deponam molliter caput meum, et similia; et quae exercent aliquem, ea non sinunt cum quiescere, etiam quum quiescit. Sic Prov. 6, 4. sapiens homini sponsione obligato suadet, ut eo nexu quantum cura et sollicitudine niti potest, se expedire curet: *ne dederis*, inquit, *somnum oculis tuis*, *neque dormitent*

palpebrae tuae. Non enim praecipit, ne omnino dormiat, sed illud consulit, ut omni studio e laqueis sponsionis quam primum se curet exsolvere. Quando autem Davidi fuerit exstruendi templi cura et sollicitudo, intelligitur ex his ejus verbis ad Nathanem, prophetam, 2 Sam. 7, 3. *videsne, quod ego habitem in domo cedrina, et arca Dei posita sit in medio pellium?*

4. In versione Alexandrina Versus nostri interpretatio legitur haec: *εἰ δώσω ὕπνον τοῖς ὀφθαλμοῖς μου, καὶ τοῖς βλεφάροις μου νυσταγμὸν, καὶ ἀνάπαυσιν τοῖς κροτάφοις μου.* Quae in Vulgata sic reddita sunt: *si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis.* „Sed illa verba: *et requiem temporibus meis*, ex Theodotionis interpretatione sunt, idemque explicant, quod praecedentia, *et palpebris meis dormitationem*, ideoque in editione LXX, quae habebatur in Octaplis, obelo confossa erant.“ AGELLIUS.

5. Verba עַד־אֶמְצָא מָקוֹם לַיהוָה Chaldaeus recte sic explicavit: *usque dum invenero locum ad aedificandam domum Sanctuarii Domini.* Pluralis מִשְׁכְּנוֹת *habitationes* ponitur pro singulari, per enallagen, unum enim fuit et tabernaculum et templum, ut 2 Chr. 16, 4. שִׁבְטֵי *tribus* Benjamin, ut Gen. 28, 11. *filios*, i. e. Isaacum.

6. Difficilis locus, qui interpretes multum exercuit. Atque primo quidem dissentiunt, quo pertineat pronomen feminei generis verbis שְׁמַעְנָהּ et מְצָאנֶהָ affixum. Jarchius subaudiendum censet שְׁמֻעָה טוֹבָה *nuntium bonum*, Kimchius שְׁכִינַת הַכָּבוֹד *Schechinam gloriae*, s. gloriosam Jovae super arca praesentiam. Alii אָרוֹן *arcam*, quod nomen, etsi saepius masculinum, interdum tamen femininum est, ut 1 Sam. 4, 17. 2 Chron. 8, 11. Alii rectius ad מִשְׁכְּנוֹת referendum putant, non obstante numeri diversitate, dum ad sensum in constructione respicitur, quemadmodum Hos. 10, 5. עָלָיו *super eo*, vitulo suo, quamvis עֶגְלוֹת praecesserit. Sed majorem difficultatem creat locorum אֶפְרָתָה atque שְׂדֵי־יָעַר mentio. Nam אפרתה quamvis notum sit esse nomen *Bethlehemi* (vid. Gen. 35, 16. 19. coll. 48, 7. Ruth. 4, 11. Mich. 5, 1.), tamen quo sensu noster dicat: *audivimus illud* sc. tabernaculum *Ephratae* s. Bethlehemi esse, obscurum est, quum nusquam in V. T. libris historicis memoriae sit proditum, arcam sive tabernaculum sacrum Bethlehemi unquam collocatum fuisse. Kimchius existimavit referri hic per mimesin verba Davidis, quibus de reperto, quem quaesierat, loco sibi gratulatus fuerit. *Ecce*, inquiebat, *audivimus* olim ex majoribus natu *in Ephrata*, urbe patria, futurum esse, ut locus eligatur, quo Jovae sacrarium perpetuo sit mansurum; ecce nunc tandem *invenimus* illum in *campis sylvae*, h. e. in area Ornanis, Jebusaei, sylvoso loco. Alii אפרתה interpretantur *Ephrataeam*, i. e. Ephraimiticam regionem (ut Elkana, pater Samuelis, Levita genere, sed patria *Ephraimita* dicitur אֶפְרָתִי 1 Sam. 1, 1., uti et

Jeroboamus rex, ex tribu Ephraim oriundus, 1 Reg. 11, 26.), in qua Silo urbs sita fuit, ubi arca substiterat 349 annis (vid. Jud. 18, 31. 21, 19. 1 Sam. 1, 3.); nomine שְׂדֵי־יַעַר autem indicari putant urbem a locis sylvosis dictam קִרְיַת־יְעָרִים, quo loco arca per 20 annos morata fuit, 1 Sam. 6, 21. 7, 1. 2. Horum igitur plerique sensum faciunt hunc in modum: quum percontabamur olim, ubinam esset Sacrarium Jovae, audiebamus, illud esse in Ephraimitica regione, i. e. Silunte, ubi autem ex eo loco translata fuit, quum eam alias quaesivimus, reperimus eam in Kiriath-Jearim, et sic e loco in locum migrare cogebamur, ut Jovae debitum cultum ex illius praescripto adhiberemus. Nunc autem, postquam illius domicilium firmiter constitutum est, *accedamus* pie et religiose *ad tabernacula Domini*, cet. Vs. 7. TILINGIUS in *Disquisit.* p. 158. sqq. nomine *Ephraimitidis* designari censet regionem, ubi post infelix proelium cum Philisthaeis arca capta et amissa est (1 Sam. 4, 3 — 18.), *campis sylvae* vero agrum *Kiriath-Jearim* inter et *Beth-Semes* interjectum, nobilitatum strage aliquot millium hominum, irreverenter ad arcam affluentium (1 Sam. 6, 18. 19.); indeque Kiriath-Jearim deducta est. „Exsultat autem vates in sui temporis felicitate, qua populus fruebatur, quod arca non amplius huc illuc vagaretur, sed stabilem tandem sortita esset locum, quem populus sine mortis formidine accedere potuit. Huc enim vatem digitum intendisse patet, quia meminit non ipsarum arcae mansionum sive stationum, non Siluntis, sed regionis Ephratae, ubi Israel adverso praelio victus et arca capta fuerat; non ipsius urbis *Jearim*, i. e. nemorum, sed agri nemorum, illius nempe, ubi Deus, ob irreverenter inspectam sacrosanctam arcam, tot myriadum stragem ediderat. Sicque res tristes tegit verbis concisis et tenuioribus, animos locorum tantum notatione ad eas revocans. Hoc igitur dicit populus: quanto nunc sumus feliciores, quam quidem antea, duris illis et calamitosis temporibus! Olim *audiebamus illam* (arcam) amissam in Ephraimitide, et reductam *inveniebamus* prope Kiriath-Jearim, in *planitie illa nemorosa*, et utrobique non sine severo Dei in populum judicio. Quam flebilis erat temporum illorum conditio! quam dehonestata religionis facies! cum arca foederis huc illuc vagaretur, imo ab hostibus caperetur. Nunc vero Deus tandem sibi elegit locum perpetuo habitandum; nunc parta nobis est accedendi et libertas et fiducia.“ VENEMA Israelitas, qui in hoc Versu loquentes inducantur, hoc dicere putat, votum illud Davidis, quod inde a Versu 2. allatum fuerat, Salomonem implevisse: *audivimus*, *invenimus*, inquiunt, scilicet id, quod David se inventurum voverat. Feminini enim generis pronomen verbis affixum, vel pro neutro positum esse, ut saepe alias, vel ad מִשְׁכְּנוֹת referri (vid. supra). Verbum *audiendi* respicere ad nuntios a Salomone missos ad convocandos Israelitas ad illam solennitatem 2 Chr. 5, 2. *Ubi* vero haec perceperant? In *Ephrata* et *agris sylvae*, h. e. in locis propinquis et remotis, cultis et incultis.

Ephratam s. Bethlehemum poni *vel* pro locis vicinis, *vel* pro fertilibus (significat enim אפרתה *summam fertilitatem*), in oppositione ad *agros sylvae*, quibus regiones incultae, praesertim Libani, sint intelligendae. Hoc forsan Chaldaeus voluit, qui alterum hujus Versus hemistichium sic reddidit: *Invenimus eam in agro sylvarum Libani, ubi orabant patres antiqui.* Nobis quidem ceteris omnibus Tilingii praeferenda videtur hujus loci interpretatio supra allata.

7. נָבוֹאָה *Eamus ergo.* Exhortantur se invicem Israelitae ad solennem loci sacri, jam divinitus definiti, frequentationem, ut Jes. 2, 3. Zach. 8, 21. Alii indicative: *adibimus* itaque et *intrabimus*, ut spem sibi mutuo faciant Israelitae, venturos se in posterum esse ad locum certum et fixum, in quo cultus Jovae sit celebrandus. נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו *Adorabimus ad scabellum pedum ejus*, i. e. coram arca sacra, cui pedes imponere videtur is, qui insidet alis Cherubinorum, super arca expansa, vid Ps. 99, 5. 1 Chr. 28, 2. Jes. 60, 13. Alii *templum* scabellum pedum Jovae appellari existimant, respectu coelestis solii, cui Deus insidet.

8. קוּמָה יְהוָה לְמְנוּחָתֶךָ *Surge, Jova, ad locum quietis tuae* occupandum. Mutavit formulam Mosaicam evocationis Num. 10, 35., quum non ad migrationem, sed ad sedem fixam et stabilem arcam evocet ex eo loco, in quo dum templum conderetur, interea substitit. Hunc et duos Versus, qui sequuntur, Salomon solenni illi precatione, quam in dedicatione Templi, post illatam illuc arcam adhibuit, totidem fere verbis inseruit, vid. 2 Chr. 6, 41. אֲרוֹן עֻזֶּךָ *Arca roboris tui*, i. e. potentiae et majestatis tuae symbolum. Hoc nominis nusquam alias arcae tribuitur, nisi loco ex nostro Psalmo desumto 2 Chr. 6, 41.; alias communiter dicitur *arca foederis*, *arca Dei*, et semel *arca sanctitatis*, 2 Chr. 35, 3. Cf. Ps. 96, 6. Alexandrinus nostro loco ἡ κιβωτὸς τοῦ ἁγιάσματός σου, et Vulgatus *arcam sanctificationis tuae*, sed 2 Chr. 6, 61. ἡ κιβωτὸς τῆς ἰσχύος σου posuit.

9. כֹּהֲנֶיךָ יִלְבְּשׁוּ־צֶדֶק *Sacerdotes tui induant justitiam.* Sacerdotes et Levitae portarunt arcam, qui affuerunt tum cum ornatu suo. His igitur precatur verum et internum ornatum, ut caste religioseque praesint sacris Jovae in nova aede Sionica. Sequens autem hemistichium, וַחֲסִידֶיךָ יְרַנֵּנוּ *et pii tui jubilent*, toti populo bene precari videtur, ut piorum sacerdotum sit populus pius, qui gaudeat et laetetur pio cultu, et fructus hujus percipiat. Sunt enim חֲסִידֵי יְהוָה ii, quos benignitate sua complectitur, et beneficiis suis afficit. Cf. 30, 5. 149, 1. 9. Alii tamen de solis Levitis, quorum erat cantare et psallere, *piorum nomen* capiunt, Chaldaeo auctore, qui sic reddidit: *et Levitae sancti tui laudes canant super oblationibus.*

10. *Propter Davidem, servum* s. cultorem *tuum ne avertas faciem uncti tui*, ne averseris preces Salomonis, cui regnum com-

misisti, propter Davidem, quem tantis promissionibus ornare dignatus es, cf. Vs. 11. et 2 Reg. 8, 19. *Avertere faciem alicujus* est alicujus vota precesque non admittere, non dare, quod postulat, ut 1 Reg. 2, 20., ubi Bathseba ad Salomonem: petitionem unam parvam peto a te, אַל תָּשֵׁב אֶת־פָּנָי, vid. ibid. Vs. 16. 17. Nam qui impetrare nequit, erubescens et adspectu averso discedit. *Uncto Jovae* autem neque Davidem, neque Messiam esse intelligendum, sed Salomonem, jam vidit Chaldaeus: *propter justitiam Davidis, servi tui, dum intrat arca per medium portarum, ne avertas faciem Salomonis uncti tui.* Eodem modo et Jarchi exponit: ne avertas faciem Salomonis, arcam illuc, in locum exstruendo templo a Davide destinatum inferentis. Pro successore Davidis preces fieri, inde apparet, quod Vs. sq. promissionis de successoribus admonetur Jova.

11. נִשְׁבַּע־יְהוָה לְדָוִד אֱמֶת *Juravit Jova Davidi veritatem*, jusjurandum verum, fidele et firmum. Subaudiendum est vel nomen verbale שְׁבוּעַת אֱמֶת, quod nomen femininum videtur innuere affixum femininum in מִמֶּנָּה, vel praefixum ב, *juravit* בֶּאֱמֶת *in veritate*, veraciter. *Jurare* vero h. l. *promittere* est, et respicitur promissio Davidi per Nathanem facta 2 Sam. 7, 12. sqq. Cf. 1 Reg. 8, 25. Ps. 89, 50. Observant praeterea, respicere haec ad Vs. 2., ut Davidi, qui Deo juraverat, juraverit rursus Deus ipse, adeoque paria quasi reddiderit. לֹא יָשׁוּב מִמֶּנָּה *Non recedet ab ea* promissione; fidem dedit, quam nunquam violabit, cf. Jes. 45, 23. Alii: *non poenitebit eum* promissionis, s. jurisjurandi sui, eadem sententia, quae Ps. 110, 4. coll. Num. 23, 19. 1 Sam. 15, 29. Ps. 89, 29. Ante verba, quae sequuntur, subaudiendum est לֵאמֹר, ut supra Vs. 2. et infra Vs. 13. מִפְּרִי־בִטְנְךָ Unum *de fructu ventris tui*, de natis tuis, Deut. 7, 13. 28, 53. Ps. 127, 3. אָשִׁית לְכִסֵּא־לָךְ *Collocabo in solium tibi*, i. e. successorem largiar. In *solio* regio *collocari* s. sedere idem est, ac regem esse, cf. Prov. 20, 8. Ps. 89, 30. 37.

12. אִם־יִשְׁמְרוּ בָנֶיךָ בְּרִיתִי *Si custodient filii tui foedus meum*, si sincere observent conditiones sibi a me praescriptas. וְעֵדֹתַי *Et testimonia*, praecepta (cf. ad 25, 9.) *mea*, combinantur, extra ordinem, nomen pluralis numeri et suffixum, quomodo alias nominibus singularis numeri addi solet, nam ex praescripto regulae עֵדַתַי esse debuit. Ita Deut. 28, 59. מַכֹּתֶךָ, pro מַכֹּתֶיךָ *plagas tuas*. Hebraei haec distributive accipienda opinantur, q. d. unumquodque *testimoniorum meorum*; unamquamque *plagarum tuarum*. Sed imitati sunt, qui puncta vocalia illis nominibus subjecerunt, Syros, quibus eodem modo pluralia nominum femininorum cum eorundem singularibus coincidunt. Pronomen demonstrativum זוֹ h. l. vim relativi habet, ut 9, 16. 17, 9. 104, 8. יֵשְׁבוּ לְכִסֵּא־לָךְ *Sedebunt super thronum tibi*, i. e. tuum, ut Vs. 11. Aliqui: *propter te.* Procul dubio includitur honor, in Davidem, stemmatis regii primam originem, redundans.

13. כִּי h. l. nonnulli *certe* vertunt. Alii *quoniam*, ut sequatur ratio jurisjurandi divini Vs. 11. 12. enarrati. Aliis est adverbium temporis: *quum* Deus Sionem elegit etc. Nobis probatur eorum ratio, qui haec connectunt cum adhortatione Vs. 7. hoc modo: accedamus igitur nunc ad sanctum ejus templum, ut eum reverenter adoremus; *etenim* Deus Sionem elegit, ut sit gloriae ipsius domicilium. Nomine *Sionis* h. l. Moria mons, ei contiguus, seu potius pars ejus, comprehenditur. Cf. 78, 68. 87, 2.

14. זֹאת־מְנוּחָתִי *Haec* est *requies mea*, respicit ad Vs. 8., cf. Jes. 66, 1. — עֲדֵי־עַד *In perpetuum*, vid. Vs. 12. et cf. 1 Reg. 8, 13. — פֹּה אֵשֵׁב *Hic*, inquam, in hoc monte, *habitabo*, Ps. 68, 17., nec inde discedam, ut ex Silunte, quam repudiavi, 78, 60. — כִּי אִוִּתִיהָ *Quia eam* elegi et *desideravi*, Vs. 13.

15. Promittit Sionicis civibus victus etiam et alimoniae abundantiam. צֵידָהּ בָּרֵךְ אֲבָרֵךְ *Escam ejus benedicens benedicam.* צַיִד non *victum* tantum *ex venatione*, ut Gen. 27, 3. 18. Job. 38, 14., verum et *viaticum*, ut Gen 42, 25. Jos. 9, 15. (haud dubie quia antiquitus et in regionibus, quibus nulla sunt diversoria, iter ingressi arcu suo et venatione sibi de commeatu prospicere coacti erant), imo quamvis *escam*, ut Ps. 78, 25. Neh. 13, 15. significat. In versionis Graecae Alexandrinae codice Vaticano hebraeum צֵידָהּ *τὴν θήραν αὐτῆς* redditum legitur, pro quo in cod. Alexandrino *τὴν χήραν αὐτῆς* exstat, manifesto errore, sed vetusto, nam et Vulgatus *viduam ejus* habet, et Arabicus in Polyglottis editus Aethiopicusque interpretes idem exhibent. Alexandrinus autem h. l. *θήραν* posuit, ut non frumenta modo, verum etiam omne genus obsonii et avium, et ferarum, et piscium abundaturum significaret.

16. וְכֹהֲנֶיהָ אַלְבִּישׁ יֶשַׁע *Et sacerdotes ejus salute induam*, i. e. salvos eos praestabo. Kimchi: „loco ejus, quod sacerdotes propter me induunt *vestes justitiae* (Vs. 9.), induam vicissim ipsos *salute*, ut per me sint semper salvi.“ Alii significari putant apertam et manifestam salutem, quae omnibus patcat.

17. שָׁם אַצְמִיחַ קֶרֶן לְדָוִד *Ibi* Sione *germinare faciam cornu Davidi*, faciam, ut floreat et emineat potentia et praestantia regni Davidici, cf. 1 Sam. 2, 10. Metaphora sumta ab iis animantibus, quae potissimum robur in cornibus habent, vid. Deut. 33, 17. Zach. 2, 1. Hinc *cornu* symbolum est regiae potentiae, hostes prosternentis, Dan. 7, 20. 8, 5. 6. Verbum הַצְמִיחַ, quod de plantis e terra germinantibus proprie dicitur, hic jungitur cum *cornu*, per catachresin, qualis et Ex. 5, 21., ubi *odor* et *oculis* nectitur, et Ex. 20, 18., ubi visus vocibus jungitur. Eadem vero haec nostra phrasis occurrit etiam Ez. 29, 21. *die illa germinare faciam cornu domui Israelis.* עָרַכְתִּי נֵר לִמְשִׁיחִי *Parabo lucernam*, i. e. splendorem atque decus, longe lateque conspicuum (cf. 1 Reg. 11, 36. 15, 4. 2 Reg. 8, 19. Job. 18, 6. et ad eum loc. not.) *uncto meo*

Davidi, docente parallelismo. Praeteritum עָרַכְתִּי pro futuro est capiendum, quum verbum ejus temporis praeeesserit.

18. אוֹיְבָיו אַלְבִּישׁ בֹּשֶׁת *Hostes ejus induam pudore*, ignominia eos obruam, ut frustrentur omnes ipsorum conatus, quibus opprimere aut exscindere regem a me constitutum ejusque familiam molientur. Cf. similes figuras Ez. 26, 16. Ps. 35, 26. 109, 29. — וְעָלָיו יָצִיץ נִזְרוֹ *Imo super eo*, uncto meo, *emicabit diadema ipsius*, i. e. diadema regium, post hostes bello superatos illustriore cum splendore super Davidis capite prominebit; decus regium in ipso gloriose splendescet. Verbum יָצִיץ h. l., ubi de *diademate* res est, magis commode *micabit*, quam *florebit* redditur. Nomen נֵזֶר Alexandrinus ἁγίασμα, Vulgatus *sanctificationem* vertit, ut et 2 Reg. 11, 12., quia נָזַר *separavit*, a communi usu segregavit, significat.

Ps. 133.

Concordiae fraternae commendatio. Quodsi Davidicum sit hoc carmen, ut inscriptio dicit, non improbanda eorum conjectura, qui vel a Davide ipso, vel ab alio ejus temporis poeta illud tunc editum putant, quum post civilia octo ferme annorum bella omnes tribus ad cum ungendum regem convenissent (2 Sam. 5. et 1 Chr. 40.), ut in laetitia illa publica ad deponenda omnia odia et mutuis officiis colendam amicitiam illos hortaretur. Alii Psalmum opinantur scriptum a Davide post victorias ab Absalomo et Seba reportatas. Alii conjiciunt hoc et sequens carmen a Davide ad hunc usum conscriptum, ut quoties ad solennia festa populus Israeliticus Hierosolyma in templum conveniret, decantarentur. — Primis post reditum ex Babylonia temporibus apte Psalmus accommodari potuit, quum sublato vetere illo tribuum regni Israelitici et Judaici discidio, quod multarum cladium et bellorum causa fuerat, reversi in patrium solum ex omnibus tribubus unis legibus unisque sacris conjuncti degerent, quae concordia laudatur Neh. 8, 1.

1. Quam suavis et jucunda res est, fratres inter se concordes vivere et habitare! *Fratrum* nomine h. l. significari omnes, qui non solum sanguinis vinculo, sed etiam religionis, legum, civitatis, officiorum communitate aliquo modo conjuncti societatem inter se constituunt, vix monitu opus. In verbis מַה־טּוֹב וּמַה־נָּעִים שֶׁבֶת אַחִים גַּם־יָחַד *quam jucundum habitare fratres etiam una*, particula גַּם nexus indicatur debitus inter eos, qui, ut consanguinitatis aut religionis vinculo conjuncti sunt, animis etiam cohaerere debent.

2. כַּשֶּׁמֶן הַטּוֹב *Sicut oleum*, vel *unguentum* illud *eximium*, pretiosum et fragrantissimum; duplex enim He demonstrativum significat notum illud unguentum, quo Pontifex unctus fuit, ut mox diserte additur, quod non fuit oleum olivae gregarium, sed unguentum odorum et pretiosum quatuor aromatibus compositum,

vid. Ex. 30, 23. sqq. — עַל רֹאשׁ Chaldaeus recte *quod effusum est super caput* explicavit. יֹרֵד עַל הַזָּקָן זְקַן־אַהֲרֹן *Descendit in barbam barbam Aaronis*, q. d. de pilo in pilum, in barbam totam, anadiplosis, qualis 122, 4. 124, 5. *Aaronis* nomine significantur Pontifices maximi in genere, sicut a primo Caesare omnes successores sunt Caesares appellati, nam Davidis tempore Aaron nullus fuit. Videtur autem hac similitudine non tantum pretiosa fragrantia et suavitas significari, sed pervasione defluentis unguenti et penetrantis omnia, usus etiam et efficacia concordiae indicari, et commendatur haec Vs. 1. non tantum ut suavis res et jucunda (נָעִים), sed etiam ut salutaris et commoda (טוֹב), neque enim delectat tantum, sed juvat etiam, et non singulos tantum, sed totas communitates. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 117. In verbis quae sequuntur, שֶׁיֹּרֵד עַל־פִּי מִדּוֹתָיו, pron. rel. verbo praemissum multi referunt ad שֶׁמֶן *oleum*, quod descendat ad oram extremam vestimentorum Pontificis, pervadens manando, et quasi perrepens omnia, ut extrema etiam vestis unguentum hoc redoleat. Sed videtur illud שֶׁ referendum potius ad *barbam*, cujus proxime antea mentio est facta: *quae barba descendit*, s. promissa est; ita ut unguentum super capite effusum in barbam, haec autem in vestem descendere dicatur. Verba על־פי מדותיו Chaldaeus recte: *super oram* (propr. *agnum*, quod antiquitus orae vestimentorum, tam superiores, quam inferiores ovinis pellibus muniri solebant, ne attererentur) *vestimentorum ejus.* Nec aliter Alexandrinus: ἐπὶ τὴν ὥραν τοῦ ἐνδύματος αὐτοῦ. Nam et Graecis ὦα et pellis ovina est, ab ὄϊς *ovis*, et fimbria, sive villus vestis. פִּי h. l. significat *oram* s. fimbriam, qua vestimentum sacerdotale collo adstringebatur, vid. Ex. 28, 32. 39, 23. Quod ad nomen מִדּוֹת forma haec feminina nusquam alias occurrit significatu *vestimentorum*, sed *mensuras* denotat, ut Num. 13, 32. Jer. 22, 14., h. l. vero docet res ipsa, non diversum esse a masculino מַד et מַדִּים, *vestimenta*, vid. Lev. 6, 3. Ps. 109, 18.

3. Nova imagine concordiae suavitas comparatur *rori*, suaviter, absque omni impetu, aliter ac solent procellosi nimbi, descendenti, herbis ceterisque terrae nascentibus summe proficuo; cf. similem imaginem Prov. 19, 12. Mich. 5, 6. — כְּטַל־חֶרְמוֹן שֶׁיֹּרֵד עַל־הָרְרֵי צִיּוֹן *Sicut ros Hermonis*, sicut ros, *qui descendit super montana Sion*, nam ante שירד repetendum כטל, neque relativum שֶׁ ad *rorem Hermonis* est referendum, quum ros, qui in Hermone cadebat, numquam descendere potuerit aut derivari in Sionem, quippe quod neque ratio locorum valde invicem dissitorum, neque natura roris ipsa permittit, ros siquidem a monte uno numquam ita descendit, ut in alterum montem rursus adscendat. Cf. et *d. a. u. n. Morgenl.* P. IV. p. 118. sqq. הָרְרֵי צִיּוֹן *Montes Sion* significare videtur eos montes, qui circa Hierosolyma sunt conspicui. Unicus namque est mons Sion, qui, quum arce

emineret regia, alios montes sibi velut subditos aut apparitores hic nanciscitur. Cf. 125, 1. *Roris* autem *montium* fit mentio, quia quum sint propter altitudinem sicciores, major eis roris est necessitas commoditasque. כִּי שָׁם צִוָּה יְהוָה אֶת־הַבְּרָכָה *Nam illic mandavit Jova beneficentiam*, i. e. mandavit et curavit, ut illic, ubi fraternus amor vigeret, omnes sua beneficentia fruerentur. Cf. 42, 9. Adverbium שָׁם non est ad Sionem referendum; sed ratio redditur praedicatae Versu 1. bonitatis, nimirum *quia illic*, ubi homines concordiam inter se studiose colunt, Jova prosperitatem omnigenam adesse jubet. צִוָּה *Mandat*, quasi sistendam se jubet, ut 68, 29. 111, 9. Ante חַיִּים subaudiendum est Vav; asyndeton, qualia plura in his carminibus.

Ps. 134.

Hortatio ad preces faciendas et Jovam celebrandum, incertum, num ad universos Dei cultores directa, an vero ad solos Levitas et sacerdotes eos, quibus erat, nocturnas excubias in templo agere. Aliqui eorum, quibus posterior sententia placet, dramaticum volunt esse hoc carmen; nam in duobus primis Versibus Levitarum, qui excubias templi adirent, digniorem ceteros suos socios hortari, ut, dum excubias agant, laudes Dei celebrent, atque orent, neque se defungi officio putent, si in templo sive ad templum pervigiles stent; in postremo autem Versu ceteros respondere, eique fausta omnia a Deo precari, qui se officii admoneat. Tilingius hoc Psalmo contineri existimat laetam acclamationem ad sacerdotes et Levitas, jam rursus, post restitutum cum templo cultum, munia sua obeuntes, et excitationem, ut rite sancteque illis fungantur; cf. Neh. 12, 44 — 47. Quae quidem sententia videtur carminum reliquorum 15, quorum hoc ultimum est, argumentis et usibus optime convenire.

1. הִנֵּה h. l. non esse particulam attentionis, sed exhortationis, res ostendit. בָּרְכוּ אֶת־יְהוָה *Benedicite Jovae*, i. e. laudibus et gratiarum actionibus eum celebrate, 66, 8. 68, 27. 96, 2. — כָּל־עַבְדֵי יְהוָה *Omnes famuli Jovae*, i. e. Levitae et sacerdotalis generis viri. Quamquam enim עבדי יהוה nomine alias universos Jovae cultores nuncupari constat, hoc tamen loco illud ad solos eos, qui prae ceteris divino cultui erant addicti et consecrati, et templi ministerio fungebantur, restringendum esse (ut 135, 1. 2.), inde cognoscitur, quod additum est: הָעֹמְדִים בְּבֵית יְהוָה בַּלֵּילוֹת *qui statis in domo Jovae noctu*, quibus verbis aperte significantur Levitae, quorum munus erat, in templo etiam noctu, per vices scilicet, excubare, cf. Lev. 8, 35. 1 Sam. 3, 3. — הָעֹמְדִים *Qui stantes estis*, i. e. ministratis; usurpatur enim verbum עָמַד tam de satellitibus et apparitoribus regiis, coram rege ad jussa excipienda promte adstantibus, vid. 1 Reg. 1, 2. 4. 15. 10, 8. coll. Prov. 22, 29., quam de officiis sacris, ut Deut. 10, 8, ubi expresse

dicitur, separasse sibi Jovam tribum Levi לַעֲמֹד *ut staret coram Jova ad ministrandum ei*, item Deut. 18, 7. 2 Reg. 5, 16. 1 Chr. 23, 30. (ut *starent* singulis matutinis ad celebrandum et laudandum Dominum), 2 Chr. 29, 11. Sic Latinis *stare ad pedes alicujus* dicuntur, qui alicui ministrant. Alexandrinus, eumque sequutus Vulgatus, בלילות traxit ad Vs. sq., huic vero post interpretationem verborum בבית יהוה addit *in atriis domus Dei nostri*, quod est accersitum ex Vs. 2. Psalmi sequentis.

2. שְׂאוּ־יְדֵיכֶם קֹדֶשׁ *Tollite manus vestras ad sanctum*, subaudienda est ante קֹדֶשׁ particula אֶל, expressa in loco simili 28, 2., quare et Alexandrinus h. l. *εἰς ἅγια*. Ita et Syrus. Obverterunt autem precantes semper sese ad sacrarium sanctissimum, ubi erat arca, ubicunque locorum essent, in templo autem multo magis, cf. 99, 5.

3. E diverso Jova יְבָרֶכְךָ *tibi benedicat*, spectat enim ad ברכו Vs. 2. Affixum singularis numeri videtur poni distributive, ita ut cuivis laudantium Jovam promittatur prosperitas divinitus conferenda. מִצִּיּוֹן *E Sione*, e loco cultus sacri publico, quem ut adorantes externo gestu tenebantur venerari ob peculiarem in eo Jovae praesentiam, ita ex eodem etiam petita ac beneficia omnis generis videbantur reportari. עֹשֵׂה שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Qui fecit coelum et terram*, ideoque nihil non potest tibi facere, nihil non boni in te conferre.

Ps. 135.

Hic Psalmus non tantum, ut is qui proxime praecessit, sacerdotes et Levitas, sed totum omnino populum exhortatur ad celebranda beneficia, majoribus ipsius a Deo exhibita, quibus ostenderit potentiam suam, et se verum ac unicum Deum esse, hacque occasione utens ex antithesi exagitat et insectatur idola gentium exterarum et cultum horum, atque superstitionem illorum universam, quorum nugacia numina et nihil sint, et nihil possint simile. Tempus et occasio Psalmi conditi nequit definiri.

2. Cf. not. ad 134, 1. — בַּחֲצֵרוֹת בֵּית אֱלֹהֵינוּ *In atriis domus Dei nostri*, in atriis templum ambientibus, duplex enim atrium fuit, sacerdotum unum, alterum populi, vid. 2 Chr. 4, 9. Quare, quum hic *atriorum* mentio fiat, posterius hemistichium populum universum hortari videtur, cf. infra Vs. 19. 20., quibus similiter et universus populus, et Levitae ac sacerdotes seorsim compellantur. Quomodo si capiendus sit hic Versus, ante בחצרות repetendum שֶׁעֹמְדִים erit.

3. כִּי נָעִים *Nam jucundum est* scil. Jovam celebrare, coll. 147, 1. Alii pro Jovae epitheto habent, hoc sensu: psalmos canite in laudem gratiosissimi nominis illius. De Jovae *gratia* et *benignitate* נעם dicitur 90, 17.

4. יַעֲקֹב *Jacobum*, i. e. Jacobi posteros, vel populum ex Jacobi filiis oriundum, metonymia causae, qualis Gen. 9, 27., cf. Ps. 14, 7. 79, 7. — בָּחַר לוֹ *Elegit sibi* in peculium, ut intelligitur ex hemistichio altero. יִשְׂרָאֵל *Israelem; ἐπιμονὴ* manifesta, qua mutatis verbis res geminatur eadem; notum enim, *Jacobi* et *Israelis* nomine eundem designari virum, qui ipse tamen h. l., ut jam monitum est, metonymice pro posteris usurpatur; cf. locos similes 105, 23. 114, 1. 147, 9.

5. Nova Jovae laudes celebrandi causa: sicut Vs. 4. argumenti loco afferebatur Dei erga Israeliticum populum peculiaris benignitas, ita nunc magnitudo ejus et majestas incomparabilis producitur. כִּי אֲנִי יָדַעְתִּי *Quia ego cognovi*, q. d. ideo hortor vos, ut illum laudetis, quoniam ex ejus operibus magnum esse intellexi.

7. Probatur sententia superioris Versus ex pluviis, fulguribus et ventis. מַעֲלֶה נְשִׂיאִים מִקְצֵה הָאָרֶץ *Qui ascendere facit nubes ab extremitate terrae*, quod aliqui sic intelligunt: e mari, quo terrae fines ambiuntur, coll. Am. 5, 8. 1 Reg. 18, 44. Sed accommodatus est sermo ad oculorum judicium, quippe cum horizontem eminus contemplemur, videntur ex ultimis illis terrae partibus, ubi visus noster terminatur, nubes elevari et adduci. Totus hic locus exstat quoque Jer. 10, 13. 51, 16. בְּרָקִים לַמָּטָר עָשָׂה *Fulgura cum pluvia facit*, sunt enim in terris istis pluviae plerumque cum fulguribus conjunctae. לְ h. l. pro עִם, ut Gen. 46, 26. Ps. 89, 4. 119, 56. 98. Alexandrinus: *ἀστραπὰς εἰς ὑετόν*, et Vulgatus: *fulgura in pluviam fecit*, quod mirum est, ut fulgura, quum igneam naturam habeant, et aquis contraria qualitate pollcant, simul cum pluvia deferantur. — מוֹצֵא רוּחַ מֵאוֹצְרוֹתָיו *Educens ventos e thesauris suis*, i. e. e specubus et locis abditis, ubi venti delitescunt, quasi res in thesauris. Simili imagine Graeci Latinique poetae Aeolum e montis sui claustris ventos fabulantur emittere.

8. Ab operibus Jovae generalibus venit ad illa specialia, quae ad Israelitas pertinebant. Vid. Ex. 13, 15.

9. Suffixum הֵ nomini בְּתוֹךְ additum est cum adjecto Jod (יְ) more Aramaeorum, ut 103, 3. 4. 116, 7. — עַבְדֵי פַרְעֹה h. l. non sunt mancipia, aut servi proprie dicti Pharaonis, sed ministri ejus aulici et proceres, ut Ex. 5, 21. 7, 10.

10. 11. לְסִיחוֹן *Sichonem*, qui commeatum denegabat Israelitis, bello eosdem simul lacessens, Num. 21, 21. 23. Deut. 2, 30. Praefixum לְ h. l. accusativi signum est, quum הָרַג alias post se habere soleat אֵת, accusativi notam, Jud. 9, 24. 35. 1 Reg. 19, 1. Sic 2 Sam. 3, 30. הָרְגוּ לְאַבְנֵר. Sichonis autem et Ogi meminit, utpote inter debellatos primorum, ut patet ex Jos. 12. et Num. 21, 33. 34., itemque ceteris potentiorum cf. Am. 2, 9.

12. Nomen נַחֲלָה repetitur per anadiplosin, qualis 122, 2 — 4. 133, 2.

13. יְהוָה שִׁמְךָ לְעוֹלָם Ideo, *o Jova, nomen tuum*, i. e. nominis tui fama et gloria manebit *in aeternum.*

14. Particula כִּי videtur h. l. mere expletiva esse, et tantummodo subnectere posteriora prioribus. Alii tamen illam *quia* vertendam putant, nexumque hoc modo faciendum: Jovae laudes perpetuo sunt celebrandae, quia יָדִין עַמּוֹ *causam sui populi agere solet*; דּוּן s. דִּין enim, quod proprie *judicare* significat, quandoque speciatim est, caussam oppressi alicujus agere contra adversarios, ut 54, 3. et cf. ibi not. וְעַל־עֲבָדָיו יִתְנֶחָם *Et propter servos suos poenitet eum*, i. e. miseretur cultorum suorum, ab indignatione ac in clementiam ad animum mitiorem sese convertit, commiserando afflictorum, opemque ferendo, *Poenitentia duci* Deus dicitur, quoties sententiam et factum mutat, agitque quod homines agere solent, quum eos facti alicujus poenitet, quando aliter cum hominibus agere incipit, quam egerat prius. Chaldaeus: *convertitur in miserationes.* Desumtus est hic locus ex Deut. 32, 36.

15—18. Iidem hi Versus aderant 115, 4. sqq.

17. Pro eo, quod est 115, 6. אַף לָהֶם וְלֹא יְרִיחוּן *nares habent, nec odorantur*, nostro loco ponitur אַף אֵין־יֶשׁ־רוּחַ בְּפִיהֶם, ubi dubium est, אַף sitne pro nomine *nasum* significante, an pro particula *etiam* capiendum. Prius qui volunt, verba sic interpretantur: *nasus* sc. eis est; *nullus* vero *spiritus in eorum ore*, i. e. adeo non loquuntur, ut etiam spiritu et halitu illo, qui mutis animantibus communis est, perque os et nares e corde exeat, careant.

19. Cf. 115, 10—12.

21. בָּרוּךְ יְהוָה מִצִּיּוֹן *Laudatus sit Jova ex Sione*, ex Sione, loco ad cultum suum electo, longe lateque personent Jovae laudes. Cf. 128, 5. 134, 3.

Ps. 136.

Ejusdem est argumenti cum praecedente. Laudat Jovam propter bonitatem suam, quam demonstravit partim in creatione totius hujus universi, partim beneficiis, quae in populum Israeliticum contulit. Non dubito, eorum adstipulari sententiae, qui existimant, hunc Psalmum in fundatione templi secundi usurpatum fuisse, quod maxime ex Esr. 3, 11. colligunt, ubi narratur, reduces alternis choris Jovam laudasse, quod bonus sit, aeternaque in Israelitas benignitate. Quae ipsa formula est, in qua singuli hujus Psalmi Versus desinunt, qua respondebatur alteri choro, prius hemistichium accinenti.

5. בִּתְבוּנָה *Cum intelligentia*, i. e. sapienter et ingeniose. Cf. Prov. 3, 19. Ps. 104, 24. Jer. 10, 12. 51, 15. Jovae virtutes ex operibus ejus demonstrare hic incipit.

6. לָרוֹקַע *Ei, qui diduxit* s. *expandit*, cf. not. ad Gen. 1, 6., et verbum in Piel Ex. 39, 3. Jes. 40, 19. Similis forma Participii exstat Ps. 94, 9. — עַל־הַמָּיִם *Supra aquas*, i. e. qui terram aquis tanquam fundamento superstruxit, vid. Ps. 24, 2. cf. 18, 16.

13. לְגֹזָרִים *In segmenta* sc. duo (ut Gen. 15, 17.), ut instar muri aquae utrinque consisterent, et transeuntium latera stiparent. Ex. 14, 22.

15. נִעֵר *Excussit*, prostravit fluctibusque obruit, Ex. 14, 27. 15, 19.

23. שֶׁבִּשְׁפְלֵנוּ זָכַר לָנוּ *Qui in humiliatione nostra*, quum jaceremus oppressi, *memor fuit nostri*, ל est nota objecti, ut Vs. 19. 20. 2 Sam. 3, 30. Videntur autem haec verba ad antiquas calamitates populi referenda esse, non ad ejus temporis, quo carmen factum est, ut respondeant praecedentibus.

Ps. 137.

Testantur musici et cantores templi suam constantiam, quam in exilio inter hostes olim suos, postulantes cantica et modos ipsorum, praestiterint, et quam libere recusaverint profanationem sacrorum carminum, addita imprecatione, quam usurpaverint tum adversus eos, qui talem profanationem ab ipsis postulare ausi fuere. Carmen non ipso durantis exilii tempore, sed postea, quum dimissi essent, et conditione tali, qua possent organis musicis suis jam recte uti, editum esse, ostendit et res ipsa, et verborum temporis praeteriti usus in Versibus prioribus.

1. עַל־נַהֲרוֹת בָּבֶל *Ad flumina Babylonis*, non urbis, sed regni, per quod dispersi vivebant. Flumina igitur illa sunt Euphrates et Tigris, item Chaboras Ez. 1, 3. 3, 15., et Eulaeus Dan. 8, 2. Fluminum mentio forsan eo pertinet, quod synagogae apud flumina condi solerent, quia Judaei obstricti erant ad manus suas ante preces abluendas, illa vero puriores aquas subministrant, quam alia aquarum receptacula. Cf. *das a. u. n. Morgenl.* P. VI. p. 26. sqq. Unde et prophetis in exilio degentibus visiones ad flumina obvenisse legimus locis ante laudatis. Alii exsules ad Euphratem, occidentalem Babyloniae terminum, consedisse putant, vultu ad patriae terrae, cujus desiderio tenebantur, plagas converso. *Sionis* mentio ostendit, non tam de patria, Palaestina, etsi de hac etiam, quam de cultu et loco cultus divini doluisse exules pios illos musicos, praesertim fani Sionici.

2. Quod *citharas suas ad* vicinas fluminibus istis *salices* se ajunt *suspendisse*, significant suspensum musicae usum: organa musica, Deo consecrata, otiosa pendebant, nec de more ad ea cancre potuimus, sed tristem vitam in luctuoso silentio transigere coacti fuimus. בְּתוֹכָהּ *In medio ejus* sc. אֶרֶץ בָּבֶל, pro simplici בָּהּ *in ea*. *Citharārum*, כִּנּוֹרוֹת, alias in solemnioribus gaudiis

usus erat, Gen. 31, 27. 1 Sam. 10, 5. 2 Sam. 6, 5.; unde earum cessatio ingentem et publicum luctum indicat, ut Jes. 24, 8. Ez. 27, 13. Job. 30, 31. Thren. 5, 15. Hoc tamen loco citharārum mentio haud dubie est *συνεκδοχικὴ*, pro organis musicis omnibus musicorum sacrorum, quae ex his verbis apparet eos secum in exilium, ut supellectilem artis suae, asportasse.

3. כִּי שָׁם שְׁאֵלוּנוּ *Quum ibi petierunt nos.* Particulam כִּי multi *quia* transferunt, quasi ratio reddatur, cur sacra instrumenta e manibus deposuerunt, hac sententia: suspendebamus organa ista nostra, ne necesse haberemus increpare ea, aut quisquam nos ad hoc urgeret. Sed sic etiam averti hoc non potuit. Praestat igitur, כִּי h. l. pro *quum*, *quando*, capere, ut Ex. 3, 21. Num. 22, 22. 2 Chr. 6, 28. locisque aliis pluribus. Ita tamen haec dicuntur, ut appareat, occasione organorum musicorum, quae sic otiosa pendere viderent, Babylonios postulasse, ut illa increparent, et accinerent aliquid, etiam curiositate aliqui, ut audirent externam musicam. תּוֹלָלֵינוּ sensu convenire cum שׁוֹבֵינוּ, *qui captivos nos abduxerant*, dubium esse nequit, sed quid proprie illa vox significet variae sunt variorum sententiae. Jarchi ab הָלַל *insanivit*, חוֹלְלִים eos *qui insanirent*, qui insanorum more sese haberent erga Israelitas notare existimat. Alii a וָלַל, *qui nos ululare fecerint*, ululatus nostri auctores. Alii a תֵּל *tumulus*, *cumulus* (Jos. 8, 28. Jer. 49, 2.), *contumulatores nostri*, i. e. qui urbes nostras in תִּלִּים *cumulos* et *acervos* lapidum redegerant. Alii radicem תּוּל esse putant ejusdem significationis cum טוּל (literis ת et ט permutatis), Arab. طول *longus*, *remotus fuit*, in Conjug. 2. et 4. *elongavit*. Quod idem forsan spectavit Alexandrinus, qui οἱ ἀπαγαγόντες ἡμᾶς reddidit, quem sequutus Vulgatus, *qui abduxerunt nos*, itemque Syrus. Certe hoc ipsum voci שׁוֹבֵינוּ, quod praecessit, optime congruit. שִׂמְחָה *Laetitiam*, i. c. laetum aliquod carmen sibi accini postulabant a nobis, qui exclusa omni penitus laetitia nihil potcramus aliud, quam fletui vacare, et in lacrymis vitam degere. Verbis, quae sequuntur, Chaldaeus recte *dicentes* praemisit, atque מִשִּׁירֵי צִיּוֹן bene reddidit: unum *de illis canticis*, *quae in Sione dixistis*, sc. qualia in templo cantare solebant (Am. 8, 3.). Postularunt Babylonii sacrum aliquod carmen, ex veteribus illis Sionicis; quod ostendit exulum responsio, Versu proximo.

4. Tum (pendet enim hic Vs. a כִּי *quum*, *quando* Vs. 3.) nos sic contra: quomodo exules nos et caneremus, et consecrata Jovae carmina accineremus in terra peregrina, ad externos, et a cultu Dei nostri alienos? עַל אַדְמַת נֵכָר *In terra alienigeni* sc. populi, vel *peregrini* sc. Dei, coll. Gen. 35, 2. Jer. 8, 19.

5. *Si oblitus fuero tui*, *o Jerusalem*, תִּשְׁכַּח יְמִינִי, quae vocc. Alexandrinus reddidit: ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου, Vulgatus: *oblivioni detur dextera mea.* Legisse videntur תִּשָּׁכַח in Niph., aut sensum expresserunt. Rectius Syrus reddidisse videtur: *si*

obliviscar tui, Hierosolyma, obliviscatur mei dextera mea, i. e. non amplius muncre suo fungatur, luxetur, aut torpore corripietur. Ita ad תשכח subaud. suffixum primae personae ex proximo יְמִינִי, quae ipsa ellipsis et 139, 1., cujus exempla plura vid. in GESENII *Lehrg.* p. 734.; et verbo cum suffixo אֶשְׁכָּחֵךְ in priori hemistichio omnino respondere debet in altero simile תִּשְׁכָּחֵנִי. Bene quoque sic huic Versui congruit Versus 6. Similis imprecationis formula est Job. 31, 22. *scapula mea ab humero decidat, et brachium meum a canna decidat.* Sunt, qui omissum opinentur nominativum נַפְשִׁי, ut Ps. 16, 2., hoc sensu: *obliviscetur* anima mea *dexterae meae*, h. e. obliviscar ejus. Eodem modo nostra verba videtur Chaldaeus accepisse: *obliviscar dexterae meae.* Sed תִּשְׁכַּח in tertia persona, sine nominis cllipsi, capiendum esse, docet תִּדְבַּק Vs. sq., cujus eadem ratio est ac hujus.

6. אֶזְכָּרֵכִי — תִּדְבַּק *Adhaerescat palatui meo lingua mea*, ne fari possit, multo minus canere, *ni meminero tui*, si, dum hic captus sum, desiderium tui in me desinat. Affixum secundae personae ad אֶזְכָּרֵכִי Chaldaico more cum י paragogico, ut 103, 3. 116, 7. — אִם־לֹא אַעֲלֶה אֶת־יְרוּשָׁלַם עַל רֹאשׁ שִׂמְחָתִי *Si non Hierosolymam adscendere fecero supra caput laetitiae meae*, i. e. supra omnem laetitiam meam, s. pro laetitia mea maxima et nobilissima (cf. Cant. 4, 14. רָאשֵׁי בְשָׂמִים *capita*, i. e. praestantissima *aromatum*); si non pluris fecero recordationem urbis patriae, quamvis eversae, quam summa, quae mihi in exilio obtingere possint, gaudia. Alexandrinus: ἐὰν μὴ προανατάξωμαι τὴν Ἰερουσαλὴμ ὡς ἐν ἀρχῇ τῆς εὐφροσύνης μου, et Vulgatus: *si non praeposuero Jerusalem in principio laetitiae meae.*

7. Ex commemoratione indignitatis exstitit imprecatio Edomitis perfidis, et Chaldaeis victoribus. זְכֹר יְהוָה לִבְנֵי אֱדוֹם אֵת יוֹם יְרוּשָׁלַם *Memento, Jova, filiis Edom* sc. in ira tua; ut ulciscaris in eis (ut 74, 22.) *diem Jerusalem*, i. e. quo urbs ea diruta fuit. יוֹם h. l. *dies* fatalis s. exitii, ut Obad. Vs. 12. Ps. 37, 13. Job. 18, 20. Erant autem Edomitae consanguinei Judaeorum, quum essent Esavo oriundi, qua de causa et parci eis Jova jussit, quum occuparent terram Canaan Israelitae; et hi tamen cum Chaldaeis non tantum se conjunxcrunt adversus consanguineos suos, sed etiam incitarunt eos acclamationibus suis, non socii et administri, sed tubae instigatorcsque crudelitatis, vid. Ez. 25, 12—14. Obad. 10. sqq. Jer. 49, 7—22. Am. 1, 11. 12. Sequuntur crudcles illae voces, quas Edomitae usurparunt: הָאֹמְרִים עָרוּ עָרוּ עַד הַיְסוֹד בָּהּ *Dicentes: nudate, nudate! usque ad fundamentum* (sc. quod est) *in ea*, sc. urbe; omnia diruite usque ad fundamenta, ut solum nudum relinquatur. Est enim עָרוּ Imperativus *Piel*, ab עָרָה *nudavit*, estque posterius, ut Aben-Esra monet, *Milel*, i. c. accentum habet in penultima, ob pausam, ut כָּלוּ, Ps. 37, 20., unde et prius necessario fit penacutum. Alexandrinus: ἐκκενοῦτε, ἐκκενοῦτε.

Vulgatus: *exinanite*, *exinanite*. Chaldaeus: *vastate*, *vastate*. Syrus: *retegite*, *retegite*.

8. Babyloniis exitium imprecatur ita, ut bene precetur ei, qui sententiam decreti divini in eis perdendis sit exsequuturus. בַּת בָּבֶל *O filia Babel*, i. e. Babelis incolae, quippe urbes et incolae sunt natalis soli velut *filiae* aut *alumni*, patria vero, s. locus nativitatis veluti *mater*, coll. Jes. 47, 3. Jer. 46, 11. 51, 33. Zach. 9, 9. Frequenter phrasis illa ita usurpatur, ut significetur urbes et regiones ipsae, quae hisce nominibus nuncupantur, et Num. 21, 25. Ez. 16, 31. 46. 26, 6. Vocem הַשְּׁדוּדָה plerique interpretes passive capiunt pro Participio Paul, vertuntque *vastanda*, i. e. devastationi devota, ut saepius verbum praeteritum pro certo futuro ponitur, veluti Jud. 5, 27. Jes. 13, 19. Jer. 4, 30., et participia Ex. 11, 5. (הַיֹּשֵׁב *qui sedebit*), Jon. 1, 3. (בָּאָה *venturum*). Quod idem spectasse Alexandrinus videtur, qui ἡ ταλαίπωρος reddidit, et hinc Vulgatus, *misera*. Sed recte Chaldaeus active vertit: *depraedatrix*, *vastatrix*, Syrus: *spoliatrix*, et Symmachus: ἡ λῃστρίς. Estque nomen formae Chaldaicae. Chaldaei enim et Syri nomina actoris formant a Benoni Kal interponendo Vau inter secundam et tertiam radicalem; a Benoni אָכֵל formant אָכוֹל *esor*, a דָּבֵר *ducens*, דָּבוּר *ductor*, sic a שֹׁדֵד *vastans*, שָׁדוּד *vastator*, femin. שְׁדוּדָה *vastatrix*. De verbo גָּמַל vid. not. ad Ps. 116, 7.

9. Bene sit ei, qui abreptos parvulos tuos illidet petrae! Eadem imprecatio adversus Babylonios Jes. 13, 16. 18. Cf. de hac victorum in devictos immanitate 2 Reg. 8, 12. Hos. 14, 1. Nah. 3, 10. Hom. *Iliad.* 22, 63. 24, 732. sqq.

Ps. 138.

Summis laudibus extollit Dei erga se beneficia, quippe qui sibi opem ejus imploranti numquam defuit, sed semper invictum animi robur suppeditavit; hortaturque orbis terrarum reges, ut et ipsi Jovae laudem tribuant, ejus facta ac immensam gloriam praedicantes. Postremo concipit certam spem ac fiduciam in Deo adversus quaecunque discrimina, precaturque Deum, ut pro sua perpetua benignitate se fovere ac curare numquam desinat.

Quum Davidi inscriptio hoc carmen tribuat, conjectura est interpretum non contemnenda, edidisse regem illud, postquam, superatis multis aerumnis ac periculis, Sauleque mortuo, ad regiae dignitatis fastigium esset evectus.

1. נֶגֶד אֱלֹהִים plures interpretantur *coram diis*, i. e. coelitibus, s. spiritibus superis, cf. ad 29, 1. Alii: *coram diis* scil. aliarum gentium, quod explicant: invitis diis falsis omnibus. Alii: *coram magnatibus*, s. omnibus regibus orbis terrarum (eadem sententia, quae Vs. 4.), quum אלהים et de magistratibus, deque dignitate praestantibus viris usurpari constat, cf. not. ad 82, 1.

Sed praestat, אלהים h. l. consueto *Dei* significatu capere, et sacrarium, vel *arcam sacram* intelligere, quae per metonymiam *Deus* appelletur, quod eum repraesentaret, coll. Ex. 16, 33. 34. 1 Sam. 2, 18. Cui convenit proximus Versus.

2. אֶשְׁתַּחֲוֶה אֶל־הֵיכַל קָדְשֶׁךָ. Quodsi vocem הֵיכָל Davides usurpavit, eum grandiore verbo usum esse apparet, quum tabernaculum tum esset tantum, sive Sionicum, sive Cariathiearimicum. Sensus est: supplex faciam prcces tabernaculum tuum versus, in quo arca tum fuit, ut 5, 8. coll. 1 Reg. 8, 48. Ps. 99, 5. Alii *coelum* intelligendum existimant, quod *palatii sanctitatis Jovanae* nomine Ps. 11, 4. et 18, 7. nuncupatur. Verba כִּי־הִגְדַּלְתָּ עַל־כָּל־שִׁמְךָ אִמְרָתֶךָ non unam ferunt interpretationem. Kimchi putat hic esse synchysin s. transpositionem, ac dici: *magnificasti super omne nomen tuum eloquium tuum*, pro: *magnificasti super omne eloquium tuum nomen tuum*, i. e. celebre reddidisti apud omnes gentes nominis tui famam, praestando quicquid dixeras ac promiseras. Alii particulam עַל *secundum*, *pro ratione*, ut Exod. 28, 21. Jos. 22, 9. interpretandam putant, hoc integri versiculi sensu: laudes tuas celebrabo propter gratiam et veracitatem tuam, quae ipsa inde inprimis elucescit, *quod magnificaveris dictum tuum*, i. e. amplissime promissa praestiteris, *secundum omne nomen tuum*, i. e. pro ratione celeberrimae tuae famae. Simplicissimum videtur, verba haec, quae ad verbum ita sonant: *magnificasti super omne nomen tuum verbum tuum*, hoc sensu capere: multo plura, quam quae pro nominis tui fama exspectare poteramus, tu nobis praestitisti. Chaldaeus: *nam multiplicasti super omne nomen tuum verba laudis tuae.* Alexandrini interpretatio in libris plerisque ita sonat: ὅτι ἐμεγάλυνας ἐπὶ πᾶν τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου, indeque Vulgatus: *quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.* Recte vero Agellius observavit, quum אִמְרָה Alexandrini τὸ λόγιον soleant transferre, de mendo suspectum esse hunc locum, ne pro τὸ λόγιόν σου factum sit τὸ ἅγιόν σου. Syrus: *quoniam magnificasti super omnia nomen eloquii tui;* omisit suffixum in שִׁמְךָ.

3. בְּיוֹם קָרָאתִי *Die* quo *clamavi*, ellipsis relativi אשר, ut 44, 2. 49, 13. — וַתַּעֲנֵנִי *Tunc exaudivisti me*, nam particula ו h. l. non conversiva, sed copulativa, eo, quo fecimus, modo exprimenda est, ut saepe alias, veluti Jud. 4, 8. Jer. 5, 1. In verbis תַּרְהִיבֵנִי בְנַפְשִׁי עֹז verbi רָהַב interpretatio est dubia. Quum illi *insolescendi*, *ferociendique* notio insit (Jes. 3, 5. Prov. 6, 3.), plerique recte sic vertunt: *fecisti me alacrem*, *animosum*, et quodammodo *superbum* (רָהָב enim et *fastum*, *superbiam* indicat, cf. Ps. 40, 5.), dum עֹז, *robur* animi corporisque a te collatum בְּנַפְשִׁי *in anima mea*, i. e. in me deprehendi, vel: *alacrem me fecisti robore in anima mea.* Veteres fere omnes *multiplicandi* significatu ceperunt, putantes, רָהָב idem esse, quod רוּב, literarum

Vav et He permutatione. Alexandrinus: *πολυωρήσεις με ἐν ψυχῇ μου δυνάμει σου.* Vulgatus: *multiplicabis in anima mea virtutem.* Syrus: *multiplicasti robur animae meae.* Chaldaeus: *auxisti me in anima mea robore.*

4. יוֹדוּךָ כָּל־מַלְכֵי־אֶרֶץ *Celebrabunt,* vel hortative, *celebrent te omnes reges terrae,* quod aliqui restringunt ad reges vicinos, Hiramum, regem Tyri (2 Sam. 5, 11.), Toum, regem Hamathae (2 Sam. 8, 10.), et alios, qui Davidi ad regnum evecto sunt gratulati. Kimchi refert ad omnes reges eos, qui Davidem norunt, citatque locum 1 Chr. 14, 17. Sed potuit, ut poeta, universos orbis terrarum reges alloqui; regum vero meminit, quia et ipse talis erat, eosque hortatur, ut celebrent Jovam, כִּי־שָׁמְעוּ אִמְרֵי־פִיךָ *quando audiverint verba oris tui,* i. e. quae promisisti Davidi, et quanta fide ea praestiteris illi; ubi audierint, promissis tuis rem ipsam per omnia respondere.

5. וְיָשִׁירוּ בִּדְרָכֵי יְהוָה aliqui reddunt *cantabunt,* s. *cantent in viis Jovae,* quod explicant vel: modo vivendi, divinitus praescripto; vel: *cantate* vos, qui *in viis Jovae* ambulatis, i. e. pii. Magis congrue tamen videtur, sic reddere: *cantent de viis Domini,* i. e. de iis, quae gessit et effecit; ב h. l. ita capiendum, ut 87, 3. *praeclara dicuntur* בָּךְ *de te.* Sic et Chaldaeus: *laudes canant de viis Domini,* eodemque sensu Syrus.

6. כִּי רָם יְהוָה וְשָׁפָל יִרְאֶה *Nam excelsus Jova, et humilem respicit,* etiamsi excelso loco sedet Jova, tamen humilis habet rationem, tamen humilis sibi est cura; similis sententia Jes. 66, 1. 2. Chaldaeus hebraeum יִרְאֶה bene vertit *respicit in bonum,* i. e. clementer. Si de se David haec dicit, oblique suum animum a fastu et tumore alienum (שְׁפַל רוּחַ 2 Sam. 6, 22. Prov. 16, 18.) indicat, eousque Jovae gratum, ut e pastore ovium Regem fecerit. Alterum hemistichium, וְגָבוֹהַּ מִמֶּרְחָק יְיֵדָע, sunt, qui sic vertant: *et* quamvis *altus* sit Jova, tamen *e* tanta *longinquitate noscit,* sc. humilem (שָׁפָל), ut hoc sit *σαφήνισμος* membri praecedentis. Plura tamen ita sunt inserenda, quae non sunt expressa, et tautologia potius est, quam parallelismus. Quare rectius haud dubie illi faciunt, qui גָּבוֹהַּ oppositum putant *humili,* שפל, ut significetur *fastuosus,* גְּבַהּ־לֵב Prov. 16, 5. vel גְּבַהּ־עֵינַיִם Ps. 101, 5., ut sit *ἀντίθεσις,* et opponatur colo praecedenti, tali quidem sententia: cos, qui sunt animis submissis, Jova, etsi sublimis est, respicit tamen et amat; elatum vero et superbum etiam e longo intervallo agnoscit, et in eum animadvertit; nam יָדַע vi oppositionis notitiam judicis, qui, quos reos cognovit, poenis promeritis plectit, significat, ut Jer. 29, 23. Recte Chaldaeus: *elatum e coelis longinquis deprimit.* יְיֵדָע *ἀνομαλῶς* pro יֵדַע. Alii Piel esse volunt, pro יְיַדַּע *penitus cognoscit, pernoscit.* Aliis est Hiphil, ut יְיֵטִיב (pro יֵיטִיב) *benefacit* Job. 24, 21.; יְיֵלִיל (pro יֵילִיל) *ululat* Jes. 15, 2. 3. 16, 7. Sic h. l. sensus exiret: *improbum*

notum facit procul, per *exempla poenarum* in eum edita, videlicet. Pro Hiphil habuit quoque Kimchi, qui sic explicavit: e coelis, qui longe a terra sunt remoti, vias hominum cognoscit, ut sciant, quod ipse videat eos. Alii ex Hebraeis: *cognoscentem facit*, i. e. castigat et plectit (erudit, *παιδεύει*). Praeferenda tamen eorum sententia, qui intransitive vertunt, ut melius congruat τῷ יְרָאֶה, hemistichio priore; etsi rationem anomaliae non valeam explicare. Cf. Gesenii *Lehrg.* p. 390., cui puncta vocalia in יְיֻדַּע Chaldaismum sapere videntur.

7. עַל אַף אֹיְבַי תִּשְׁלַח יָדֶךָ *Super iram hostium meorum*, i. e. in hostes meos furiosos (quomodo *captivitas populi* 126, 4. est populus captivus) *extendisti manum tuam*, i. e. in eosdem animadvertisti graviter, hujusmodi enim severitatis symbolum solet esse *manus extensio*, vid. 1 Sam. 24, 7. Ps. 10, 12. Job. 1, 12. Quare Chaldaeus addit: *ut destruat eos*, vel, ut iram eorum, quam maxime furit, cohibeas et coerceas, cf. Ex. 15, 12. Sunt, qui אַף, *nasum*, synecdochice pro *vultu* capiant, hoc sensu: in faciem hostium meorum manum tuam extendisti, ut eam percutias, eadem sententia, quae Ps. 3, 8. Quod sequitur, וְתוֹשִׁיעֵנִי, aliqui post Alexandrinum et Vulgatum, pro tertia feminini persona (ut 44, 7.) habent, ut vertendum sit: *salvum me facit dextera tua.* Verum concinnior videtur secunda masculini persona, ita ut tria haec verba, quae in hoc Versu ponuntur (תִּשְׁלַח, תְּחַיֵּנִי, תּוֹשִׁיעֵנִי), eodem etiam sensu capiantur. Ita vero ante יְמִינֶךָ subaudiendum est ב, sive ablativi nota, ut Ps. 60, 7. 108, 7. 118, 36.

8. יְהוָה יִגְמֹר בַּעֲדִי *Jova perficiet pro me*, quicquid scilicet boni perficiendum restat, circa, aut pro me. Cf. ad 57, 3. Alexandrinus verbum גָּמַר h. l. iterum, ut loco modo indicato, accepit significatu verbi גָּמַל, s. *retribuendi* notione: *ἀνταποδώσει ὑπὲρ ἐμοῦ*, Vulgatus: *retribuet pro me.* מַעֲשֵׂי יָדֶיךָ *Opera manuum tuarum*, i. e. beneficia tua, quae hactenus larga mihi concessisti manu ut 92, 5. Neque enim generatim hic sermonem esse de operibus Dei quibuslibet, ut 8, 7., verum de iis, quae in vatis gratiam perfecit, res docet et scopus poetae. אַל־תֶּרֶף *Ne deseras*, i. e. imperfecta relinquas vel destituas, ut Deut. 4, 13. Ps. 37, 8., sed quemadmodum coepisti, ita illa absolvas et perficias.

Ps. 139.

Omnia nostra a Deo cognosci pronunciat, neque ullis artibus nos illius vim omnia cernentis fallere posse; nec mirum, quum ille nos etiam antequam nascceremur probe norit, et rudem adhuc informemque in utero matris foetum accurate perspexerit. Quum igitur eum, qui sit conditor noster, nihil possit latere quicquam rerum, actionum, cogitationum nostrarum, neque culpae, neque innocentiae nostrae; petit vates, ut Deus exploret ipsum et innocentiam suam, atque propter hanc conservet ipsum, tollat vero

impios, atque divinae majestatis contemtores, qui simul sint sui hostes.

Longe maxima carminis pars quamvis in omniscientia atque omnipraesentia divina celebranda versetur, in eo tamen non esse primarium poetae consilium, quo animus ejus ad canendum unice fuerit impulsus, ex clausula carminis apparet. Quod vidit jam RUDINGERUS, qui, secundum hebraeam inscriptionem, Davidi hoc carmen tribuit, atque Absalonicae seditionis tempore editum conjicit, vidit, inquam, jam ille, hanc contestationem, Deum scire omnia, et non tantum actiones, sed consilia etiam, et motus animi in homine universos, dirigi videri a Davide ad probandam innocentiam suam Deo et hominibus, quod nihil adversus populum et patriam struat aut moliatur, et se vacare omni culpa criminis ejus, quo eum gravabant seditiosi. Addit tamen, considerandum esse, annon, etiam propter Versus 19. et sequentes, Psalmus referri possit ad id temporis, quo cum sua cohorte, cum rege Achi, in castra Philisthaeorum concedere necesse habuit, ad expeditionem horum contra Saulem et populum Judaicum: illi enim tempori sane etiam congruere talem contestationem de innocentia animi, et pietate vera. Aliis autem propter Chaldaicas et Syriacas quorundam verborum formas et significationes (vid. Vs. 2. 3. 7. 20.) non est verisimile, hoc carmen a Davide editum esse.

1. Propositio, quae sequentibus Versibus elegantissime exornatur. חָקַרְתַּנִי וַתֵּדָע *Scrutatus es me, adeoque cognoscis me* penitus, ita plane me, et quicquid in animo meo est, cognitum habes, ut rem cognoscit, qui eam diu et diligenter investigavit. Ad תֵּדַע primae personae suffixum e voce, quae proxime praecedit, est repetendum, ut 137, 5. in וַתְּשַׁכֵּח יְמִינִי. Verbum חָקַר, quod de rei abditae et occultae pervestigatione proprie dicitur, de indagatione animi et affectuum usurpatur quoque 1 Sam. 20, 12. Jer. 17, 10.

2. Pron. אַתָּה secundae verbi personae non sine emphasi praepositum est. Dicit scilicet hoc: tu solus, et praeter te nemo, me penitus cognitum habes. Verba שִׁבְתִּי וְקוּמִי plurimi vertunt: *sedere meum et surgere meum*, i. e. latine: *sessionem et statum meum*, ac si illud שֶׁבֶת esset Infinitivus verbi יָשַׁב *sedere;* quo pacto Hieronymus etiam *sessionem* h. l. vertit. Nec improbandum est, si ita τὸ שֶׁבֶת caperc libuerit; nam et ita veteres plerique interpretes. Sed videtur hoc loco שבת potius ad verbum שָׁבַת *quiescere*, referendum: *tu nosti quietem meam*, nocturnam; *quiescere meum et surgere.* Certe ita שֶׁבֶת sumendum esse, clarissime constat ex 127, 2., ubi מַשְׁכִּימֵי־קוּם et מְאַחֲרֵי־שָׁבֶת *matutine surgentes*, et *sera nocte somno se dantes* exponendum esse, ipsa ratio docet. *Quiescendi* autem verba ad recreationem, quae ex somno capitur, proprie usurpari, in omnibus fere linguis receptum est. Ipsum verbum שָׁבַת Arabibus de *quiete somni* cele-

bratur; et nomen proprie *somni* dicitur *quies*. Ad verbum שֵׁנָה nostrum שִׁבְתִּי referendum monuit jam AGELLIUS, qui שֵׁנָה, inquit, „idem est, quod *ἀργεία*, *cessatio*, vacatio seu ab ambulatione, seu ab opere. Erit ergo sensus: *tu nosti quietem meam*, cum ab operibus cesso, neque aliquid exterius operor; tu nosti item *resurrectionem meam*, cum ad operandum, seu ad iter agendum accingor; tibi et otii mei et negotii ratio constat, per quae duo tota vita nostra ducitur; aut enim quieti sumus, aut negotii aliquid agimus.“ Verba בַּנְתָּה לְרֵעִי Alexandrinus reddidit σὺ συνῆκας τοὺς διαλογισμούς μου, Vulgatus: *intellexisti cogitationes meas*, nec aliter Syrus. Nomen רֵעַ illos interpretes apparet significatione *cogitationis* accepisse, ex Chaldaismo, quo רְעָה *cogitavit*, *voluit*, denotat; nam sicut alias Chaldaei Hebraeorum צ in ע mutare solent, ita et pro רָצָה *voluit* usurpant רְעָא. Hebraeorum quoque philologi nostrum רֵעַ explicant *voluntatem et cogitationem*. Sic infra Vs. 17. hoc ipsum redit nomen. Similis significatus secundum quorundam sententiam, sub alia licet forma, deprehenditur in voce רַעְיוֹן et רְעוּת, Coh. 1, 14. 17. Chaldaeus tamen, quod mireris, nostrum רֵעַ cepit *amici*, *sodalis* significatu, quo in V. T. frequentissime occurrit. Vertit enim: *nosti societatem meam in ecclesia tua*. Quod alii sequuti, nostra verba sic exponunt: *nosti amicum meum*, s. sodalem *e longinquo*. Sed *cogitationis* notionem h. l. melius congruere, quam *amici*, nemo non videt. לְ nomini רֵעִי praepositum est accusativi nota, ut 2 Sam. 3, 30. Ps. 135, 11. — מֵרָחוֹק *A longinquo*, duobus modis potest intelligi, ut *longinquitas* vel *temporis* sit, quod longe ante cogitata nostra Deus intelligat, quam animo versare coeperimus (cf. Jes. 25, 1.); vel *loci*, i. e. de excelso coelorum habitaculo, ut significetur, intentissimam oculorum Dei aciem nullo spatio aut loci intervallo hebetari, sed omnia intelligere ac intueri, tanquam si proxima essent, et ante oculos versarentur: quae ipsa sententia Ps. 33, 13—15. pluribus expressa est. Quare et Syrus h. l. *ab excelso* vertit.

3. Vocem אָרְחִי, *semitam meam*, Aben-Esra recte *ire* s. *ambulare meum* exposuit, cui opponitur רִבְעִי *accubitum meum*, est enim pro רִבְצִי, iterum Chaldaeorum more, quibus רְבַע pro Hebraeo רָבַץ est *accubuit*, unde Chaldaeus *recubitum meum* vertit, et Hieronymus: *accubationem meam*. Alexandrinus vero τὴν σχοῖνόν μου reddidit, quod Vulgatus *funiculum meum* vertit. Observat autem AGELLIUS, σχοῖνον h. l. significare *semitam* seu angustiorem viam, et quidem rectam, ex eo, quod funiculis extentis duci soleat, maxime in agris. Syrus etiam hebraea אָרְחִי וְרִבְעִי *viam meam et semitas*, reddidit. Rationem vero hujus interpretationis fateor me ignorare. Verbum זָרִיתָ varie explicant. Quum זָרָה alias denotet *spargere*, *ventilare*, *ventilando hinc illinc disjicere*, ut Prov. 15, 7. 20, 8.; nostrum locum bene multi sic interpretantur: tu iter et accubitum meum *exacte ventilas*, i. e.

disquiris, investigas. Ita Alexandrinus: ἐξιχνίασας, *investigas*. Magis tamen probandi, qui a זֵר *limbus*, *corona*, rem aliquam undique ambiens, nostrum זֵרִיתָ vertunt *cingis*, *circumdas*, ita ut Deus undique dicatur euntes decumbentesque nos *ambire*, inclusosque veluti tenere, ut nihil effugiat ejusdem intuitum notitiamque. Similiter Arabes suum احاط *cingere*, frequentissime pro *cognoscere* usurpant, maxime cum prorsus in rei notitiam penetramus, quod inprimis Deo convenit. Sic in Corani Sur. 8, 49. *Deus ea, quae faciunt, cingit*, i. e. prorsus perspicit. Et Sur. 2, 18. *Deus cingit*, cognitos habet *impios*. Possit etiam Arabicum دری *scivit*, *cognovit*, cum Hebraeo זָרָה convenire; quamquam enim ut plurimum Arabum د respondet Hebraeorum ז, tamen non desunt exempla convenientiae Arabici د et Hebr. ז. Sensum recte expressit Syrus: *nosti*. כָּל־דְּרָכַי הַסְכַּנְתָּה *Omnibus viis*, i. e. studiis et actionibus meis (cf. Ps. 1, 1. Job. 31, 4.) *adsuevisti*, veluti per longam consuetudinem notas habes et exploratissimas, quo significatu hocce הַסְכִּין legitur Num. 22, 30. *numquid adsuevi sic facere tibi?* Alexandrinus προοῖδες, Vulgatus *praevidisti*, Syrus *investigasti*.

4. כִּי אֵין מִלָּה בִּלְשׁוֹנִי הֵן יְהוָה יָדַעְתָּ כֻּלָּהּ *Nam*, sive, ut alii faciunt, *quum nondum* est *sermo in lingua mea, en!* tu *Jova, nosti omnem illum*; nondum sermo in lingua mea natus est, tamen quicquid cogito dicere, plane perspectum habes. Ipsas voces omnes, antequam a me lingua exprimantur, probe tenes. Ita Chaldaeus etiam, prouti quidem in Bibliis Buxtorfianis legitur: *quumque non est sermo in lingua mea, ecce*, Jova, *cognovisti cogitationes cordis mei omnes*. Chaldaica vero in Polyglottis Antverpiensibus interpretatio ita sonat: *nam non est* מַמְלַל דְּשִׁקָּר *verbum mendacii in lingua mea; tu, verbum Domini, nosti omne corpus meum*. In qua versione memorabile est illud, quod ממלל דשקר, quibus verbis hebraeum מִלָּה explicatur, congruit cum Alexandrino ἄδικος λόγος, vel, ut in aliis codicibus legitur, δόλος, ut appareat esse hoc dictionis מִלָּה interpretamentum satis vetustum, quod veterum plerique sequuti sunt. Vaticanus quoque codex ille probatissimus, etiamsi λόγον habet, tamen cum adjectione habet: λόγον ἄδικον, *sermonem iniquum*. Agellius suspicatur, eos interpretes, qui transtulerunt δόλον, pro מִלָּה legisse עִוָּלָה. „Certe hoc loquendi modo usus est Job semel et iterum, ut 6, 30. 27, 4. Igitur etiam λόγον legamus, tamen puto *dolosum sermonem*, seu iniquum, seu mendacem, accipi oportere, ut sit sensus: absit enim a me, ut aliter, quam est, loquar; unde Symmachus: οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ ἑτερολογία.“ Cum Symmacho consonat Syrus, qui hunc Versum ita reddidit: *Si est mutatio in lingua mea, tu, Domine, cognoscis*.

5. אָחוֹר וָקֶדֶם צַרְתָּנִי *Retro et ante obsides me*, ab omni parte obsessum et constrictum me tenes, ita ut ex tuis manibus,

quibus inclusus teneor, effugere nullo modo possim, neque prorsum ire, neque retrorsum ire queam. Sunt, qui צרתני vertant *formasti me*, significatione petita a verbo יָצַר, quum quiescentia mediae radicalis Vau et primae radicalis Jod significationes a se invicem haud raro mutuari soleant, cf. Ex. 32, 4. 1 Reg. 7, 15. Ita et Alexandrinus: *σὺ ἔπλασάς με*, Vulgatus et Syrus: *tu formasti me.* Sed quum de formatione embryonis in utero infra demum Vs. 13—16. sermo sit, praeferenda omnino usitata verbi צור significatio, quam et Chaldaeus expressit: *coarctasti me.* Ceterum Alexandrinus, et qui eum sequuntur, non tantum postrema Versus 4. vocabula cum hoc conjungunt, verum etiam voces אחור וקדם significatione plane alia, quam Hebraei, accipiunt. Sic enim vertunt: *ἰδοὺ, κύριε, σὺ ἔγνως πάντα τὰ ἔσχατα καὶ τὰ ἀρχαῖα, ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua.* Posterius Versus hujus hemistichium Chaldaeus sic reddidit: *excitasti contra me percussionem manus tuae*, ac si תָּשֶׁת עָלַי כַּפֶּכָה idem sit, quod תִּכְבַּד עָלַי יָדֶךָ Ps. 32, 4. Nostram tamen formulam potius hunc sensum habere: praesentia ita tua me ambis, et manu veluti tua constrictum tenes, ut effugere eam prorsus nequeam, sermonis contextus clarissime docet.

6. פְּלִיאָה דַעַת מִמֶּנִּי *Mirabilis scientia* tua *prae me*, haec tua scientia, per quam omnia, et me inter cetera intime nosti, adeo mirabilis est, atque difficilis cognitu, ut ad eam pertingere non possim. Bene Symmachus: *ὑπερβάλλει με ἡ γνῶσίς σου.* Nam דַּעַת pro דַּעְתְּךָ positum, ut Ps. 119, 128. פִּקּוּדֶיךָ pro פִּקּוּדֶיךָ; Jer. 31, 17. בָּנִים pro בָּנֶיךָ; cf. Ps. 30, 13. et ibi not. פְּלִיאָה *Mirabilis*, pro re difficili ad intelligendum dicitur, ut Deut. 30, 11. *praeceptum hoc non est* נִפְלָאת *mirabile prae te*, i. e. non excedit captum. Et Prov. 30, 18. *tria sunt mirabilia prae me*, *imo quatuor ignoro.* In פלאיה a Masorethis varia notatur lectio, nam secundum puncta vocalia legendum est פְּלִיאָה, ad formam תְּמִימָה, secundum literas vero פְּלָאָיָה vel פְּלָאִיָּה, quod est a פֶּלֶא *mirabilis*, quod Jud. 13, 18. exstat, eodem modo, ut ab עִבְרִי descendit עִבְרִיָּה. — נִשְׂגְּבָה לֹא־אוּכַל לָהּ *Elata est, non possum eam* sc. לַהַשִּׂיג *apprehendere*, quod Kimchius subaudiendum recte monet, est enim elliptica loquutio, qualis Ps. 21, 12. ubi cf. not. Alii: *non possum praevalere illi*, quum verbum יכל cum ל constructum alias *praevalere* significet, vid. Gen. 32, 26. Jer. 20, 10., vel: *nihil possum ad illam*, coll. Job. 31, 23., plane impar sum ei capiendae.

8. Verba וְאַצִּיעָה שְׁאוֹל reddi possunt vel, subaudita ante שאול particula ב, *et* si *in inferno stratum facerem*, vel, nomine illo in accusativo accepto, *si infernum strati locum facerem* mihi, coll. Jes. 58, 5. *ut saccum cineremque* יַצִּיעַ *sternat.* Nomine שאול h. l. neque inferi, neque sepulchrum significantur, sed tantum loca infera, quae coelo opponuntur; sensus: in ima terrae loca si descenderem.

9. כַּנְפֵי־שָׁחַר *Alis aurorae* maxima designatur velocitas; nihil enim velocius diluculi radiis, qui momento temporis universum hemisphaerium ab oriente ad occidentem pervadunt, ut haec sit hujus Versus sententia: si aurorae alis instructus, pari cum radiis solis celeritate per aërem avolarem, ab orientis plaga ad ultimum usque occidentem.

10. גַּם־שָׁם יָדְךָ תַנְחֵנִי *Etiam ibi* in extrema orbis terrarum plaga *manus tua duceret me*, quod intelligendum esse apparet de eo ductu, quo captivi ducuntur, ne effugere possint, non de comitatu. Respondet in altero hemistichio תֹּאחֲזֵנִי apprehensum *me teneret*. Similis sententia est Amos 9, 2.

11. Si aliam ineam rationem, et me posse tenebris occulere putem, illisque tectum Dei oculos vitare, tamen haec quoque ratio vana erit; neque enim tenebrae ipsae adeo obscurae erunt, ut tuam aciem obscurent. וָאֹמַר אַךְ־חֶשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי *Si dicerem: tamen caligo me obscurabit;* accedo enim illis interpretibus, qui verbo שׁוּף h. l. *caligandi*, *obscurandi* significatum tribuunt, a voce נֶשֶׁף *crepusculum*, sicuti et alia verba mediae radicalis Vau, et primae radicalis Nun, quae vero ceteras duas radicales literas easdem habent, significationibus conveniunt; ita מוּל et נָמַל *circumcidere*, דּוּחַ et נָדַח *impellere*, הוּם et נָהַם *fremere*, זוּל et נָזַל *fluere*, פּוּחַ et נָפַח *spirare*, פּוּץ et נָפַץ *discutere*, *dispergere*, קוּט et נָקַט *fastidire*. Alii aliter, quum verbum שׁוּף praeter hunc locum bis tantummodo occurrat, Gen. 3, 15. et Job. 9, 17., quibus locis tamen diversis notionibus capiendum esse apparet. Verbum שׁוּף proprie notavit *fricare*, *terere*, uti constat ex dialecto Aramaea. A notione *terendi* est illa *obterendi*, *conterendive*, quae locum habet Job. 9, 17. *in turbine conteret me.* Deinde verbum שׁוּף *fricare* Aramaei, et Arabes inprimis, adhibuerunt pro *fricando illinere*, *affricare*, eximie *picem* camelis, atque adeo *pice* eos *oblinere* s. incrustare, obtegere. Indeque noster locus interpretandus est: *sin dixerim*, אַךְ חֶשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי *certe tenebrae incrustabunt me; tum vel ipsa nox* אוֹר בַּעֲדֵנִי *lux circum me.* Inter veteres optime Symmachus: ἐὰν εἴπω, ἴσως σκότος περισκεπάσει με, ἀλλὰ καὶ ἡ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ. Sensu plane diverso hunc Versum exhibet Alexandrinus: καὶ εἶπα, ἄρα σκότος καταπατήσει με, καὶ νὺξ φωτισμὸς ἐν τῇ τρυφῇ μου, quae Vulgatus sic reddidit: *et dixi*, *forsitan tenebrae conculcabunt me*, *et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Verbum שׁוּף interpres ille cepit *conculcandi* significatione, et pro בַּעֲדֵנִי legit בְּעֶדְנִי, a nomine עֶדֶן *deliciae.* Recte vero AGELLIUS monuit, per *noctem* et *conculcationem* illum aerumnas et calamitates significari putasse, atque hanc esse ex ejus interpretatione hujus commatis sententiam: si quando cogitantem metus incesserat, ne malorum et aerumnarum tenebris obruerer, et tanquam redigerer in pulverem, ipsa tamen vel densissima nox tuo favore atque potentia mihi in lucem verte-

batur, adeo ut vel mala atque incommoda mihi summae laetitiae causa fierent. Sed quo consilio poeta numinis divini ubique locorum praesentiam declaret, jam monuimus.

12. גַּם־חֹשֶׁךְ לֹא־יַחְשִׁיךְ *Etiam caligo non obscurum facit* sc. quicquam eorum, quae facio aut cogito, ut Aben-Esra explicat, quum verbum sit intransitivum, ut 105, 28. Alii: *tenebras facit* i. e. obscura fit. Ita Alexandrinus: ὅτι σκότος οὐ σκοτισθήσεται ἀπὸ σοῦ. Cf. quae proxime de verbo יֵאִיר monebimus. מִמֶּךָּ *A te*, i. e. quin tu pervideas. Eadem sententia Jer. 23, 24. Job. 34, 23. — יָאִיר plerique transitive capiunt: *illuminabit* sc. me latentem, et occulta mea omnia, quem transitivum sensum habet Ps. 19, 9. Prov. 29, 13. Sed potest et intransitive sumi, ut Ez. 43, 2. *terra* הֵאִירָה *lucebat a splendore ejus.* Sic Alexandrinus: καὶ νὺξ ὡς ἡμέρα φωτισθήσεται, et Vulgatus: *et nox sicut dies illuminabitur.* Verba חֲשֵׁיכָה כָּאוֹרָה Chaldaeus recte vertit: *et tenebrae et lux aequales sunt* sc. tibi, nullo a te discrimine habentur. Duplex כְּ *exaequationis* est, cf. not. ad Ps. 58, 10. Alexandrinus vertit: ὡς τὸ σκότος αὐτῆς, οὕτως καὶ τὸ Φῶς αὐτῆς, legit utrumque nomen cum He mappicato, כַּחֲשֵׁיכָהּ כָּאוֹרָהּ.

13. Nec mirum, si nihil te lateat mei, quum secretissimae corporis mei partes tuae sint, et tuum opus. Verbum קָנָה, quum plerisque quibus occurrit locis *acquirere*, *emere*, *possidere* significet, nostrum locum haud pauci sic explicant: *possides renes meos*, i. e. imperium habes plenum in ea, quae intra me penitus latent, etiam in abstrusissima mea. Sed illis notionibus *parandi* quoque, *creandique* significatio addenda est, qua adscita non hoc tantummodo loco, verum et Gen. 14, 19. 20. Deut. 32, 6. sensus magis idoneus enascitur. Videntur in hebraeo קָנָה duorum verborum Arabicorum קני *acquisivit sibi*, *possedit*, et קאן *formavit*, *concinnavit* significationes coaluisse. Quare et Gen. 4, 1. nomen קַיִן ad קָנָה refertur. Vertendum igitur cum Syro: *quia tu parasti*, *formasti renes meos*, quibus notum est Hebraeis significari affectuum et cogitationum fontem et officinam (vid. Ps. 7, 10. 26, 2. Prov. 23, 16.), quae quum Dei sit opus, non est mirum, ipsi intima hominis cognita esse. Hemistichium posterius, תְּסֻכֵּנִי בְּבֶטֶן אִמִּי *obtexisti*, contexisti *me in utero matris meae*, non intelligendum est de protectione et defensione Dei, quum sermo sit de mira formatione foetus in utero materno, sed sententia est eadem, quae Job. 10, 11. *cute et carne vestivisti me*, *ossibus ac nervis* תְּשַׂכְּכֵנִי *contexuisti me*, tanquam structuram elaboratissimam. Recte nostra verba Chaldaeus reddidit: *texuisti me in ventre matris meae*, q. d. tu mirifice in ventre matris, sicut textor telam (est enim chald. מַשְׁתְּיָא *tela textum*), membra mea mixtim artificiose texuisti et composuisti. *Protegendi*, tuendive significatu verbum סָכַךְ cepit Alexandrinus, qui ἀντελάβου μου ἐκ γαστρὸς μητρός μου vertit, et hinc Vulgatus, atque Syrus: *suscepisti me*

de utero matris meae, i. e. me de utero matris egredientem adjuvisti ac defendisti.

14. אוֹדְךָ עַל כִּי נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי *Celebrabo te propterea quod miris modis* (pro נוֹרָאוֹת עֲלִילוֹת, recte notante Aben-Esra, qui simile adjectivi pluralis adverbiascentis exemplum adfert Gen. 42, 7. קָשׁוֹת *duriter*, duris verbis) *mirabilis sum formatus*, i. e. quod modo valde mirabili formatus sum, vid. ad Ps. 87, 3. Alii, propriam verbi פָּלָא *separandi* notionem exprimentes (vid. Ex. 33, 16. Ps. 4, 4.), vertunt: *separatus sum* a reliqua materia sanguinis materni. Alexandrinus vertit in secunda persona: *φοβερῶς ἐθαυμαστώθης*, et Vulgatus *terribiliter magnificatus es.* Sed primam personam Chaldaeus expressit: *quod mirificis modis mirifice factus sum.* נִפְלָאִים מַעֲשֶׂיךָ וְנַפְשִׁי יֹדַעַת מְאֹד *Mirabilia* sunt *facta tua, et anima mea agnoscit valde*, i. e. agnoscit hoc animus meus prorsus, esse scilicet admirabilia opera; neque enim de perceptione sapientiae divinae, quae superat captum nostrum, hoc interpretandum, sed de judicio intelligentiae ejus, quod sit ea admirabilis et incxplicabilis. Alii per anastrophen particulam מְאֹד referunt ad נפלאים, non ad verbum ידעת, hoc sensu: *agnoscit animus meus, esse valde mirabilia opera tua.*

15. עַצְמִי interpretes veteres fere omnes, ne Chaldaeo quidem excepto, vertunt *os meum*, quasi esset עַצְמִי, ut 102, 6., quum tamen sit cum *Camez-chatuph*, ab עֹצֶם *robur*, quod ipsum bis adhuc legitur, Deut. 8, 17. et Job. 30, 21., quo utroque loco עֹצֶם יָד est *robur manus.* Ita ex veteribus solus Symmachus: *ἡ κραταίωσίς μου.* Significari aliqui putant corroborationem illius materiae mollis et infirmae, quae tum fit, quum ossiculis sustineri ac erigi incipit. Videtur potius natura substantiaque corporis tota et pars ejus quaelibet intelligenda esse, quarum nulla Deum latuit. אֲשֶׁר *Quum, quando*, ut 41, 9. 147, 9. — עֻשֵּׂיתִי Kimchi capiendum censet *comprimendi, compingendi* significatu (perinde ac si esset עֻסֵּיתִי), ut Ez. 23, 3. 8., explicatque: cum compactus sum, et tanquam caseus manibus conformatus atque compressus, juxta illud Job. 10, 10. *nonne sicut lac emulsisti me, et sicut caseum me coagulasti?* Rectius tamen Aben-Esra communem retinet significatum, ut sit Pyal verbi עָשָׂה, et vertendum: *factus* s. *conformatus sum.* בַּסֵּתֶר *In abscondito*, i. e. in utero matris, coll. Vs. 13. Verbum רֻקַּמְתִּי insignem in se continet imaginem ab *opere ac artificio phrygionico* traductum, quod Hebraeis רִקְמָה dicitur, ut Ps. 45, 15, ubi vid. not. Formationis corporis humani opificium, quod nervis, ossibus, carne, cute, consistit, *artificio* confert *phrygionico*, quod magna constat varietate, filisque ac juncturis sibi invicem intertextis. Piscator: *verbum* רקם *significat proprie acu pingere, seu intexere variorum colorum fila, quod Itali verbo ex voce Hebraea deducto vocant* recamare. *Est igitur hic elegans metaphora: nam ut phrygio diversorum*

colorum fila scite in tela contexit; ita Deus ex diversis membris corpus hominis scite atque artificiose compegit. Imo non corpus tantum ex membris, sed membra etiam singula ex particulis variis et variantibus, quasi opus quoddam variegatum, contexuit. Alexandrinus, qui pro רֻקַּמְתִּי ἡ ὑπόστασίς μου posuit, *substantia mea*, ut Vulgatus reddidit, legit וְקָמְתִּי, a radice קוּם, quae ab interpretibus illis aliquando redditur *υφίστημι*. תַּחְתִּיּוֹת אָרֶץ *Inferiora terrae* appellari h. l. uterum maternum, quod sit ille tenebrosus, perinde ut sunt terrae cavernae et secessus, res ipsa ostendit. Ita et Chaldaeus: *formatus sum in utero matris.* Alii accipiunt hoc ut sonat, hoc sensu: quum hic inferne in terris efformarer, tu e coelis videbas, nihilque te latebat. Sed prius praeferendum suadet hemistichiorum parallelismus, quum תחתיות ארץ respondeat *τῷ* סתר.

16. גָּלְמִי רָאוּ עֵינֶיךָ. Nomen גּוֹלֶם praeter hunc locum non occurrit in V. T. Neque verbum גָּלַם plus quam semel exstat, scilicet 2 Reg. 2, 8., quo loco de Eliae pallio dicitur: וַיִּקַּח אֵלִיָּהוּ אֶת־אַדַּרְתּוֹ וַיִּגְלֹם, ubi interpretes veteres in *convolvendi* significatione consentiunt; unde et nomen גְּלוֹמִים Ez. 27, 24. *involucra* vestium aut mercium complicatarum, quum alio deferuntur, significare plerique putant. Certe Chaldaeis גְּלַם et גּוּלְמָא est *toga, stola, involucrum,* cui homo involvitur, et quod etiam *convolvitur* ac *complicatur.* Quibus ipsis Chaldaeis, ut et Rabbinis, גּוֹלֶם designat *massam* seu *materiam informem*, unde quid elaboratur, veluti lignum, item metallum fusile, unde fiunt vasa. Hinc et nostro loco nomine hebraeo plerique existimant significari *embryonem*, informem illam *involutam* quasi vel *conglomeratam* massam, antequam vis *πλαστικὴ* ad membrorum formationem assurgeret. Ita Alexandrinus et Aquila, *ἀκατέργαστόν μου, imperfectum meum,* ut Vulgatus reddidit, et Symmachus *ἀμορφωτόν με*, quibus verbis eos interpretes apparet significasse rudem illum et in utero adhuc informem foetum. Epiphanias hebraicae linguae peritus, ex Judaeis inque ipsa Palaestina natus, *Libro I. adversus Ebionem* §. 31. vocem hebraeam גּוֹלֶם significare dicit *grumum, aut simile granum, nondum in panem coactum aut subactum, sed tamquam e putamine tritici divisum grumum; aut farinae globulum, aut minutum calculum, qui e simila fit.* Quae explicatio sese probavit J. D. Michaeli, qui in *Supplemm. ad Lexx.* p. 315. Wrisbergium, anatomiae peritissimum, ipsum docuisse perhibet primum, quod post impraegnationem oculis cerni in utero possit, vesicam semipellucidam esse prope rotundam, *chondro similem.* Sensus igitur erit: quum rudis adhuc massa atque informis essem, unde nasciturus eram, tu jam nosti me. וְעַל־סִפְרְךָ כֻּלָּם יִכָּתֵבוּ *In libro tuo omnia ea scribuntur*, vel, per enallagen temporum, *scripta sunt.* Eadem similitudo ad exprimendam accuratissimam Dei notitiam Ps. 56, 9. Mal. 3, 16. Affixum masculinum pluralis numeri

in גֹּלֶם neutralem hic habet significatum, referendumque est ad ea omnia, quae in Versibus, quae proxime praecedunt, dicta sunt de hominis in utero formatione. Nam ad nomen יָמִים, quod sequitur, affixum illud referre vetat intercedens accentus distinctivus, Merca compositum, qui ipse sensum absolvit. Alii referunt ad גָּלְמִי *massam meam*, quod collective capiendum volunt. Kimchi e sermonis contextu subaudit האברים *membra*, quae formanda adhuc erant. Qui hanc rationem sequuntur, sensum esse putant huuc: omnia illa, quae postmodum admirabili ordine composita sunt, et collocata quaeque locis idoneis ad usus, quibus a te destinabantur, quum primum digerebantur, et tamen indigesta adhuc erant, non minus perfecte tibi perspecta fuerunt, quam si in libro tuo sigillatim et ad unum diligentissime perscripta exstitissent. Verba יָמִים יֻצָּרוּ varie interpretantur. Aliqui: *per dies formabantur* sc. membra mea, q. d. non uno momento, sed progressu temporis, de die in diem, formabantur ista membra mea ex informe mole (גּוֹלֶם); ut indicetur omne illud temporis spatium, quo partus in utero gestatur. Eodem modo יָמִים simpliciter capiendum Gen. 21, 34. *commoratus est Abraham in terra Philisthaeorum* יָמִים *per multos dies.* Cap. 27, 44. *habita cum eo* יָמִים *dies aliquot;* Cap. 37, 34. *luxit filium* יָמִים *per plures dies.* Alii: *dies* etiam scripti fuerunt, quibus *formata sunt* membra mea, subaudito pronomine relativo. Mihi vero verbum יָצַר, quod alias *formavit* significat, quam notionem communem habet cum Arab. צאר (pro צַוַר) (quemadmodum טוב et יָטַב *bonus fuit*, רוּע et יָרַע *malus fuit*, שׁוּע et יָשַׁע *laxus fuit*, notionibus non differunt), hoc loco eadem significatione videtur accipi, quam verbum illud Arab. obtinet in Conj. 5., *concepta illi fuit, et ob animum versata res, imaginatus fuit rem, formam ejus concepit;* quomodo יֻצָּרוּ melius respondebit verbo יֻכְתְּבוּ, quod praecessit. Simile duci videtur ex architectonicis, ubi initio forma aedificii in charta depingitur, et ipsum illud verbum Arab. in Conj. 2. *effigiavit, pinxit* denotat. יָמִים pro יָמַי, *dies mei*, positum, quemadmodum et alias affixa non exprimuntur, ubi e contextu subaudiri facile possunt, veluti תְּהִלָּה pro תְּהִלָּתוֹ Ps. 33, 1. 147, 1. וְלֹא אֶחָד בָּהֶם *Quum nondum ullum ex eis* scil. diebus (alii: *membris*) exstaret. אֶחָד בָּהֶם h. l. *unum ex eis* reddendum, ut Ex. 14, 28. *non relictus est.* . . . . . בָּהֶם עַד־אֶחָד *ex iis ad unum*, i. e. Aegyptiorum ullus; et Lev. 26, 36. *qui remanserint* בָּכֶם *ex vobis.* Pro וְלֹא in libris plerisque editis in margine praecipitur legendum וְלוֹ, quod tamen mera est scribendi diversitas (quemadmodum Jes. 63, 9. Prov. 26, 9.); ita ut utrumque, לֹא et לוֹ *non* significet, adeoque ambo non magis differant, quam similes voculae, quae sub diversa orthographia significando coincidunt, veluti פֹּא et פּוֹ *heic;* אָפוֹא et אָפוֹ *igitur*, Job. 38, 11. Gen. 27, 33. Job. 19, 33. In dialecto Syriaca eadem negativa particula *non*, itidem ordinarie quidem לא, aliquando tamen et לו scribitur. Omnes etiam veteres interpretes

expresserunt negandi particulam, etsi ceterum in hujus Versus interpretatione inter se diversi. Attulisse h. l. sufficiat Alexandrinum, qui sic reddidit: *Ἀκατέργαστόν μου εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου, καὶ ἐπὶ τὸ βιβλίον σου πάντες γραφήσονται· ἡμέρας πλασθήσονται καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς*, quod sequutus Vulgatus: *imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, et nemo in eis.* „Quibus in verbis, inquit AGELLIUS, hic mihi sensus esse videtur: *imperfectum meum*, i. e. me quasi nondum ad opus perductum, me adhuc rudem *viderunt oculi tui*, nec mirum, quum *in libro tuo omnes* homines *scribantur*, quamvis per plures dies formandi adhuc sint, *et nemo in eis*, h. e. ne unus quidem in eis omnibus est, qui non sit scriptus, intellige. Vult autem indicare, perfectam hominum apud Deum esse notitiam, quamvis adhuc illi perfecti non sint, et explicatas apud illum esse omnium rationes. Aut sic etiam possit intelligi: in libro tuo omnes homines scribuntur, tamquam si jam formati essent, quum tamen plures dies ad eorum formationem sint necessarii, et ne unus quidem ex eis sit.“

17. Verba וְלִי מַה־יִּקְרוּ רֵעֶיךָ plures sic interpretantur: *itaque mihi quam pretiosae sunt cogitationes tuae*, i. e. consilia tua, quae in his sapientiae tuae documentis, quale est corporis humani opificium, adeo inculenter sunt conspicua, quam magni aestimantur, quam eximia! Sed rectius מַה־יִּקְרוּ explicatur *quam difficiles sunt* ad investigandum ac percipiendum, capi nequeunt, coll. Dan. 2, 11. מִלְּתָא יַקִּירָה *res illa*, quam rex postulat, est nimium *gravis*, s. *difficilis*. Quod enim quae *gravia* sunt difficulter sustinentur et portantur, hinc et *difficilia* denotant. Eadem sententia 92, 6. מְאֹד עָמְקוּ *valde profundae sunt cogitationes tuae.* Nomen רֵעִים, quod nos eadem qua supra Vs. 2. significatione capiendum censemus, veteres interpretes omnes frequentiore *sociorum*, *amicorum* notione ceperunt, hoc sensu: *quam cari mihi sunt, o Deus, amici tui!* Minus bene tamen ita quadrant, quae de *copia* proxime sequuntur, altero hemistichio et Versu sequente; satis vero idonea sunt, si de divinis consiliis ac rationibus intelliguntur. מַה־עָצְמוּ רָאשֵׁיהֶם *Quam invaluerunt summae eorum!* i. e. quam multa sunt cogitata tua! Verbum עָצַם *validus fuit*, saepius de magna copia dicitur, ut 40, 13. Jer. 15, 8. — רֹאשׁ *Summa*, ut Ex. 30, 10. Num. 1, 2. 4, 2. 22., h. l. ea significatione praeter morem in multitudinis numero usurpatur ad exprimendam copiam infinitis quasi librorum foliis colligendam.

18. אֲסַפְּרֵם *Numerabo ea*, i. e. si ea numerarem, subaudienda particula conditionalis אִם, ut 39, 12. 40, 6. 91, 17. 104, 28. 29. 32. — מֵחוֹל יִרְבּוּן *Prae arena erunt multa*, s. *essent*, ipsam arenam maris sua multitudine ac varietate superarent, cf. Gen. 22, 17. Jes. 10, 22. Job. 6, 3. 26, 14. — הֱקִיצוֹתִי וְעוֹדִי עִמָּךְ *Si evigilavero, tum adhuc ago tecum*, meditatione mea in istam sa-

pientiae, potentiae ac bonitatis tuae infinitae considerationem et admirationem totus defixus. Dormiens de te somnio, vigilans cogito: meditantem somnus obruit, evigilantem mox tui meditatio subit. Eadem fere sententia Ps. 63, 7.

19. Altera pars carminis, in qua male imprecatur sceleratis istis hominibus, qui existimant se Deum latere, quasi ipse aliquid nesciat. Utinam, inquit, male perdas sceleratos et exitio dignos homines! אִם h. l. pro *utinam*, vid. ad 81, 9. רָשָׁע hic collective capiendum de improborum turba. אַנְשֵׁי דָמִים *Viri sanguinarii!* Ps. 5, 7. 26, 9. 55, 24. Subita apostrophe, qualis 6, 9. 119, 115. — סוּרוּ מֶנִּי *Recedite a me.*

20. אֲשֶׁר יֹמְרוּךָ Eos dico, *qui loquuntur contra te*, sive *quod*, quia (quomodo אשר 31, 8.) loquuntur contra te, rebelles, qui tibi refragantur. Redit per iteratam apostrophen ad Deum, a quo ad impios se verterat Vs. 19. — יֹמְרוּךָ pro יֹמְרוּ עָלֶיךָ vel בָּךְ. Ceterum יֹמְרוּ scriptum pro יֹאמְרוּ, elisa prima radicali א, ut 2 Sam. 19, 14. *Amasae* תֹּמְרוּ *dicetis;* ita תֹּסַף Ps. 104, 29., תֹּהַז 2 Sam. 20, 9., et Jes. 13, 20. יֶהֱלֹ, ubi not. cf. לְמִזְמָה *Scelerate*, ut Ps. 24, 4. לְמִרְמָה *fraudulenter*. מִזְמָה, quod alias *cogitationem* in universum denotat, h. l. in malam partem, ut 21, 12., capiendum, quemadmodum et cognatum זִמָּה Ez. 22, 9. Hos. 6, 9. *scelus* significat. Versus hic in Graeco varie legitur. Impressi codices plerique habent ὅτι ἐριστὰί ἐστὲ εἰς διαλογισμούς, *quia contentiosi estis in cogitationes.* [De lectionis in Graecis varietate plura ex Agellio attulimus in Commentario uberiori.] Ex Agellii sententia Alexandrinus verbum יֹמְרוּךָ retulit ad מָרָה, quod verbum solet vertere ἐρίζειν, *contendere* s. *irritare.* Sensum autem Alexandrinum fecisse hunc: „Quia optaverat impiorum interitum, cum diceret: *utinam occidas, Deus, peccatores*, idque inhumanum et ferum videbatur, affert nunc causam, cur juste mortem eorum et interitum expetat: *quia*, inquit, *irritant*, seu *offendunt Deum in cogitatione*, scu *in cogitationem;* nam Vaticanus codex habet εἰς διαλογισμόν, h. e. ut suam cogitationem perficiant, et opere compleant. Significat autem cogitationem illam perversissimam et scelestissimam verum Deum deserendi, et falsos Deos colendi. Rebellant a te, atque deficiunt in cogitatione atque opinione sua mala, illum non esse Deum, aut haec humana non curare existimantes.“ Chaldaeus: *Quia jurant per nomen tuum dolose:* accepit affixum verbi יֹמְרוּךָ accusandi casu, *loquuntur te*, i. e. usurpant tuum nomen, efferunt illud. Sed quomodo ad perjurii mentionem h. l. delapsus fuerit vates, non adeo liquet. Hinc alii sensu paullo latiore: *dicunt te*, h. e. nomen tuum in ore habent ad tegendum suum astum. Alterum hujus Versus hemistichium, נָשׂוּא לַשָּׁוְא עָרֶיךָ, varie construunt et explicant interpretes. Difficultas sita est in voce prima et tertia. Hanc enim alii *hostes* reddunt ex Chaldaismo, ubi Hebraeorum צ mutatur in ע (cf. not.

ad Vs. 2.), adeoque ex צָר *hostis* fit עָר, quomodo עָר occurrit 1 Sam. 28, 16., vel quod proprie *ferventes tui*, i. e. odio in te ferventes notat (ex Arab. צאר *odio ira ferbuit*, cf. ad Ps. 73, 20.); alii usitatiore *urbium* significatione capiunt (eadem ἀμφιβολία, quae Ps. 9, 7.); illam vero, נָשׂוּא, quidam pro Participio Paul, idque regulariter, alii pro tertia Praeteriti persona habent, transposita vel elisa tertia radicali א, ut Jer. 8, 11. Ez. 39, 26. Zach. 5, 9. Ps. 55, 16., et addito in fine א paragogico, ut Jos. 10, 24. Jes. 28, 12. Quodsi pro Participio Paul נָשׂוּא habeas, et עָרֶיךָ *inimicos tuos* vertas; sensus erit hic: *elatus in vanitatem hostes tui*, i. e. hostium tuorum unusquisque, numeri discrepantia eodem modo resolvenda, quo Gen. 47, 3. רֹעֵה צֹאן עֲבָדֶיךָ *pastor ovium* sunt *servi tui*, i. e. quisque servorum tuorum. שָׁוְא non modo *vanitatis*, verum etiam *nequitiae*, *impietatis* notionem habere, ut Job. 11, 11. Jes. 5, 18. Ps. 119, 37., notum. Ut igitur in priore hemistichio לְמִזְמָה est *scelerate*, ita hic לַשָּׁוְא *nequiter*, *impie*, quomodo ea ipsa vox Jer. 18, 15. accipi potest, כִּי־שָׁכְחַנִי עַמִּי לַשָּׁוְא *nam oblitus est mei populus meus impie*. Quos igitur priore hemistichio notaverat, homines ita tumidos fastu et insolentia, ut, nullo summi numinis metu, ne maledictis quidem et contumeliis in ipsum abstineant, eosdem altero disticho verbis paullo aliis describit. Veterum omnium optime Symmachus: ἐπήρθησαν ματαίως οἱ ἐναντίοι σου. Aliae hujus loci explicationes minus probabiles nobis videntur. Sic e. c. haud pauci eorum, qui נָשׂוּא pro tertia Praeteriti persona habent, subaudito אוֹתְךָ, *te*, aut שִׁמְךָ, *nomen tuum*, haec verba ita vertunt: *usurpant contemtim nomen tuum adversarii tui*, quod de perjurio intelligunt, coll. Ex. 20, 7. Deut. 5, 11. (cf. not. ad Ps. 24, 4.). Ita Chaldaeus, accommodate ad suam hemistichii prioris interpretationem supra adductam. Alii: *qui extollunt* sc. ad honores et dignitates *vane*, i. e. studio profano, *hostes tuos*, iisque patrocinantur. Alii aliter. Aliqui eorum, qui עָרֶיךָ *urbes tuas* vertunt, integrum hemistichium sic explicant: *extulerunt ad vanum civitates tuas*, i. e. civitates tuas totas in eo quod vanum est, sperare et confidere docent, et ad falsos deos civium animos sublevant, atque adeo a te tuoque cultu alienant; collato pro stabilienda hac explicatione Hos. 4, 8. אֶל־עֲוֹנָם יִשְׂאוּ נַפְשׁוֹ. Sed hoc frustra, quum phraseos ab Hosea usurpatae rationem prorsus aliam esse appareat. Alexandrinus: λήψονται εἰς ματαιότητα τὰς πόλεις σου, Vulgatus: *accipient in vanitate civitates tuas*, quod Arabicus interpres recte: *rapiunt urbes tuas injuste* explicasse videtur.

21. Ut se longissime abesse ab hominum istorum scelere ostendat, se illis infensum esse, qui Deum odissent, affirmat, adeo ut illius inimicos sibi etiam esse inimicos dicat. Interrogandi formula, qualis hic usurpatur, הֲלֹא־מְשַׂנְאֶיךָ אֶשְׂנָא *nonne odi, qui te oderunt?* pro affirmatione, ut Prov. 14, 22. 22, 20. —

וּבְתִקּוֹמְמֶיךָ *Et contra adversarios tuos.* Haec hujus vocis forma nusquam alias in V. T. occurrit; non tamen dubium est, convenire eum מִתְקוֹמֵם *hostiliter insurgens contra* (עַל vel בְּ) alium, Ps. 17, 7. 59, 2. Hoc loco prima litera מ per syncopen elisa est, idque, ut videtur, ne quatuor literae serviles ab initio thematis concurrant. אֶתְקוֹטָט *fastidio affectus sum*, abominor, aversor eos. Alii: *ira excandui* (cognatum verbum Arab. denotat *ferbuit*). Ita Syrus: *et in eos, qui surgunt contra te, excandui.* Alexandrinus: καὶ ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς σου ἐξετηκόμην, Vulgatus: *et super inimicos tuos tabescebam*, ita illos detestabar, ut paene consumerer. Chaldaeus: *et cum insurgunt contra te, ego contendo*, ex Chaldaici קָטַט notione, vid. 119, 158.

22. תַּכְלִית שִׂנְאָה *Consummatione odii*, i. e. consummato odio, cui nihil addi possit, odi eos. Prius substantivum adjectivi vices gerit, ut 14, 7. 23, 6. 85, 2. Chaldaeus: *usque ad absolutionem odii*, odio absolutissimo, odi eos. לְאוֹיְבִים הָיוּ לִי *Pro inimicis sunt mihi;* הָיָה sequente לְ gemino *habere aliquem* vel *aliquid pro hoc aut illo*, vid. Jud. 17, 10. Jes. 19, 20. 22, 21.

23. Postquam in sceleratos et impios invectus est, ipse se Deo examinandum ac puniendum sistit, si quid irreligionis, aut impietatis vel mente unquam conceperit. Perscrutare, inquit, animum meum, an ita sit; examina me, et cognosce, quid cogitem, quid sentiam.

24. דֶּרֶךְ עִצָּב quid significet, dissentiunt. Nomen עִצָּב quum aliis duobus quibus occurrit V. T. locis, Jes. 14, 3. 1 Chr. 4, 9., indubitate *dolorem* denotet (quemadmodum cognata nomina עָצָב Ps. 127, 2. et מַעֲצֵבָה Jes. 50, 11.); nostram dictionem plerique *viam doloris*, i. e. eam, quae non nisi dolorem pariat, quae in dolorem ac tristitiam tandem desinat, explicant. Ita דֶּרֶךְ עִצָּב eadem esset via, quae Jer. 21, 8. דֶּרֶךְ הַמָּוֶת, cui ibid. דֶּרֶךְ הַחַיִּים opponitur. Mallem tamen nostrum vocabulum h. l. *simulachri, idoli* significatione (a *formandi* notione Job. 10, 8.) capere, quomodo non solum cognatum nomen עֶצֶב Ps. 135, 15. 106, 38. Zach. 13, 2., verum et ipsum nostrum עִצָּב Jes. 48, 5. usurpatur, quo postremo loco nominibus פֶּסֶל et נֶסֶךְ de falsorum deorum simulachris usurpatum, ut συνώνυμον jungitur. Jam vero, quemadmodum דֶּרֶךְ יְהוָה est *Jovae religio* (vid. ad Ps. 25, 4.), atque *via Bersebae* Am. 8, 14. *cultus* s. religio *Bersebae* (cf. Act. 19, 23. 22, 4.); ita et h. l. דֶּרֶךְ עִצָּב *simulachrorum cultus*, defectio a religione Jovae. Quod ipsum spectasse videntur veteres. Nam Alexandrinus ὁδὸς ἀνομίας, Vulgatus *via iniquitatis*, Syrus *via mendacii*, Chaldaeus *via errantium.* Neque minus dissentiunt, quae sit דֶּרֶךְ עוֹלָם, in altero Versus hemistichio. Vulgo vertunt: *via aeternitatis*, i. e. quae ad aeternam beatitudinem ducit. Sed עולם veteribus Hebraeis *aeternitatem beatam* significasse, sine argumento sumitur. Quare alii עלם adverbialiter pro לְעוֹלָם *semper*,

perpetuo, capiunt, et ad דֶּרֶךְ subaudiunt suffixum secundae personae, a Syro quoque expressum *(duc me in via tua quae est in aeternum)*, unde vertunt: *deduc me semper in via tua.* Verum quum דרך עולם manifeste respondeat דרך עצב, apparet, utrobique duo haec nomina in statu regiminis poni, ut Grammatici loquuntur, ita ut posterius, s. rectum, adjectivi locum teneat; quemadmodum Jer. 51, 39. שְׁנַת־עוֹלָם *somnus perpetuitatis*, i. e. perpetuus. In duobus Jeremiae locis, 6, 16. *ita dicit Jova: state ad vias, et videte ac interrogate* לִנְתִיבוֹת עוֹלָם *de viis seculi, et videte, quae sit via bona, atque in ea ambulate;* et 18, 15. *impingere eos fecerunt* בִּדַרְכֵיהֶם שְׁבִילֵי עוֹלָם *in viis eorum, in viis seculi, ut ingrederentur semitas viae minime stratae;* non est dubium significari *vias a longo retro tempore calcatas*, quemadmodum עוֹלָם *longissimi retro temporis*, s. *vetustissimi* notionem aperte habet in hoc Prov. 22, 28. *ne removeas* גְּבוּל־עוֹלָם *terminum antiquitatis, quem posuerunt majores tui.* Ita Jes. 58, 12. 61, 4. חָרְבוֹת עוֹלָם sunt *ruinae vetustissimae*, et Ps. 143, 3. מֵתֵי עוֹלָם *jam dudum mortui.* Quemadmodum vero utroque illo Jeremiae loco per *vias antiquas*, quae deviis et minime stratis opponuntur, *religionis avitae* s. ejus, quem majores coluerunt, dei *observantia* significatur; ita et nostrum vatem vix dubium esse potest Deum orare, velit eum religionis suae via ducere, quam pii illi gentis Hebraeae auctores, Abrahamus, Isaaeus, Jacobus, tenuere, neque umquam concederc, ut ab ipso ad alienum cultum deficiat. Quem ipsum sensum forsitan Chaldaeus expressit, qui verba nostra sic reddidit: *et deduc me in via piorum seculi*, prisci intellige.

Ps. 140.

Conqueritur de hostium malitia, calumniis et insidiis, et implorat auxilium divinum contra eas. Solatur se spe et fiducia, quam in Deo ponit, qui non solum ipsum defendat, sed etiam hostes perdat. Communis fere est interpretum sententia, carmen directum esse contra Doëgum, Siphaeos, aliosque, qui Davidem apud Saulum, regem, falsorum criminum insimulabant, 1 Sam. 22, 9. sqq. 23, 19. sqq. Rudingerus in fuga Absalonica contra seditiosos ejus temporis, praesertim Ahitophelem, carmen editum suspicatur. Nos quidem in hoc Psalmo, ut in 120. et 131., populum Hebraeum e Babylonicis terris in patriam restitutum, sub singuli hominis persona, de Samaritanorum atque populorum confinium invidia et calumniis queri, et contra eos Dei opem implorare arbitramur.

2. Singularis numeri dictiones, אָדָם רַע et אִישׁ חֲמָסִים (cf. 18, 49.), collcetive esse capienda, docent verba pluralia Vs. 3. — תִּנְצְרֵנִי pro תִּצְּרֵנִי (12, 8.); נ *Schvatum* in hoc verbo et 61, 8. Prov. 2, 11. 5, 2. servatur, ut in simili תִּנְּשֵׂא, Jes. 58, 3.

3. כָּל־יוֹם non *tota die*, sed *omni die*, s. per omnes dies est vertendum, ut significet, nullas inducias hoc bellum habere, quod adversum se susceperunt. יָגוּרוּ, adscita *congregandi* notione (vid. ad 56, 7.), alii vertunt *congregant* s. cumulant bella, coll. Hab. 1, 15., alii, *congregant se ad bella*, intellecto אֶל ante sequens nomen, ut Ps. 5, 8. coll. 2 Sam. 11, 11. Sed גּוּר h. l. significatione cum גָּרָה *concitavit* convenit (ut verba alia plura tertia radicali ה et secunda quiescente significationes communes habent), ut vertendum sit: *excitant bella*, quae ipsa phrasis Deut. 2, 5. 9. Prov. 15, 18. Dan. 11, 25. exstat. Ita Chaldaeus: *concitant bella;* nec aliter Syrus. Alexandrinus suo παρετάσσοντο, et Vulgatus *constituebant*, sensum, non propriam verbi vim, expresserunt. מִלְחָמוֹת *Bella*, s. *proelia*, i. e. continua dissidia, quibus me exagitari et obruere tandem conantur; eodem sensu idem nomen Ps. 120, 7. Syrus *contentionem*, jurgium, reddidit.

4. שָׁנְנוּ לְשׁוֹנָם *Acuunt linguam suam* ad maledicendum, instar sagittae acutae, coll. 120, 4. — כְּמוֹ נָחָשׁ *Instar serpentis*, cujus lingua valde tenuis est et mobilis, ita ut veloci et crebra agitatione, praesertim quum vult mordere, eandem acuere videatur. Vid. Bochart *Hieroz.* T. III. p. 242. De עַכְשׁוּב *aspide*, vid. eund. libr. T. III. p. 154. Ceterum cf. Ps. 10, 7. 55, 22. 58, 5.

5. חָשְׁבוּ לְדַחוֹת פְּעָמָי *Cogitarunt impellere gressus meos.* De verbo דָּחָה vid. not. ad 35, 5.

6. מַעְגַּל — טָמְנוּ *Abdiderunt mihi laqueos et funes, expanderunt rete juxta viam.* Similitudines caedem Ps. 9, 16. 31, 5. 58, 7. 64, 6. — חֲבָלִים alii in Accusativo *funes* reddunt, alii vero, subaudito ב, *funibus*, quibus retc super volucres contrahitur. לְיַד propr. *ad manum* (אֶל־יַד 2 Sam. 14, 30.), i. e. *ad latus*, *juxta*, ut Prov. 8, 3. לְיַד־שְׁעָרִים *juxta portas.* מַעְגַּל *Orbitae*, qua eundum est mihi, Ps. 23, 3. Prov. 4, 26. Kimchi: Secus eum locum, per quem solebam iter facere, et caute ingredi; spectat verba Sauli, regis, ad Siphenses (1 Sam. 23, 22.): *Ite, quaeso, parate omnia, et cognoscite, et animadvertite locum ejus, in quo sit pes ejus, quis viderit eum ibi.*

7. Sed in mediis hisce periculis constitutus magna cum fiducia אָמַרְתִּי לַיהוָה *Dixi ad Dominum.* Kimchi: postquam audivi, eos mihi omnibus in locis insidiari. אֵלִי אָתָּה *Deus meus tu* es, et nullae mihi vires, vel ad fugiendum, vel ad resistendum, nisi in te solo, suppetunt.

8. עֹז יְשׁוּעָתִי *Robur salutis meae*, recte Syrus *salvator meus fortissimus* reddidit. סַכּוֹתָה *Texisti*, s. *protector fuisti*, cf. Ps. 5, 12. 91, 4. Ex praeteritis bene sperat et argumentatur. לְרֹאשִׁי *Capiti meo*, galeae instar, περικεφαλαία τοῦ σωτηρίου, Ephes. 6, 17. 1 Thessal. 5, 8. — בְּיוֹם נָשֶׁק *In die armorum*, Alexandrinus recte ἐν ἡμέρᾳ πολέμου, et Chaldaeus *in die belli* vertit.

9. אַל־תִּתֵּן מַאֲוַיֵּי רָשָׁע *Ne* igitur nunc etiam *des*, i. e. *concedas desideria impiorum*, ne permittas, ut cupito potiantur, i. c. ut me capiant, et desiderium suum, quod meum exitium spectat, expleant. Verbum נָתַן h. l. *permittendi*, *concedendi* notionem habet, ut 16, 10. 55, 23. 121, 3. — מַאֲוַיֵּי etsi hoc solo loco occurrat, non tamen dubium est communem habere significationem cum תַּאֲוָה *desiderium*, 10, 3. 112, 10. Singularis esset מַאֲוִיָּה, ita ut tertia radicalis ה transierit in Jod mobile, et quidem dagessatum, ut נ in שַׁמַּנִּי Gen. 27, 28., Kimchio monente. Alexandrinus, qui haec verba sic vertit: *μὴ παραδῷς με, Κύριε, ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας μου ἁμαρτωλῷ*, legit מַאֲוָתִי. רָשָׁע collective hic iterum ponitur, ut Vs. 5., unde plurale verbum sequitur, יָרוּמוּ. זִמָּמוֹ recte Chaldaeus *cogitationem ejus* reddidit; convenit enim hoc nomen haud dubie significatione cum זְמָה et מְזִמָּה *meditatio*, *machinatio*, praesertim rei noxiae, Ps. 31, 14. 37, 12. Alexandrinus: *διελογίσαντο κατ᾽ ἐμοῦ*, ac si זְמָמוּ עָלַי legerit. אַל־תָּפֵק *Ne exire facias*, i. e. ne ad exitum perducas, ne sinas exire in rem. Verbum פוּק h. l. convenit cum נָפַק *exiit* (plura alia hujusmodi exempla vid. not. ad 139, 11.), ut Ps. 144, 13. Prov. 3, 13. 8, 35. Alexandrinus sensum latius expressit dum *μὴ ἐγκαταλίπῃς με* vertit. Chaldaeus: *cogitationi ejus ne satisfacias*. Ante יָרוּמוּ repetendum est אַל, ut 35, 19. 38, 2. 75, 6. Ita Alexandrinus: *μήποτε ὑψωθῶσι*, et Symmachus: *ἵνα μὴ ἐπαρθῶσι*. Jarchi: *nam efferent sese*. Nec aliter Kimchi: evenerit secundum cogitata ipsorum, יָרוּמוּ, *efferentur*, et extollent capita sua, tum ipse (Saul), tum socii ejus. Qua ratione non opus esset repetitione particula אַל, sed consequens solum denegatae exauditionis poneretur: *si concesseris consiliorum successum*, יָרוּמוּ *efferent se*, *sie möchten sich erheben*, ut Lutherus vertit.

10. Quadrifariam hunc Versum interpretantur, pro diversa significatione nominis רֹאשׁ. Id enim quum 1) proprie *caput* denotet; sunt, qui hebraea sic vertant: (quod attinet) *caput circumdantium me*, *labor* s. *opus labiorum ipsorum obruat eos*, i. e. in corum caput recidat quicquid contra me decreverunt, ac labiis suis, ut mihi inferrent, loquuti sunt. Eadem sententia Ps. 7, 17. יָשׁוּב עֲמָלוֹ בְרֹאשׁוֹ. Alii adscisa 2) metaphorica *ducis* significatione (qualis Num. 14, 4.), ducem intelligunt adversariorum Davidis, quem vel Doëgum, vel ipsum Saulum accipiunt, hoc sensu; *principem* ac ducem *eorum qui me circumdant*, s. mihi insidias struunt, *labor labiorum ipsorum operiat*, et quicquid in me parant et decernunt mali, in ipsos recidat auctores. 3) Alii porro nomini רֹאשׁ h. l. *agminis*, *turmae* significatum tribuendum censent, quem Jud. 7, 16. Job. 1, 17. 1 Sam. 11, 11. obtinet, unde hic prodibit sensus: agmina eorum, qui mihi insidias struunt, obruat quicquid contra me moliuntur. 4) Aliqui denique capiunt רֹאשׁ *veneni* significatione, ut Ps. 69, 22. (ubi not. cf.), ut ita verba hebraea sint

transferenda: *venenum circumvenientium me*, *opus*, inquam, *labiorum ipsorum ipsos operiat*, i. e. in ipsos recidant calumniae, quibus exitium mihi struunt. Quem sensum commendat illud, quod superius Vs. 4. mentio praecessit veneni aspidum. Praeterea ita commodissime praedicatum, ut loquuntur, alterius hemistichii, יְכַסֵּמוֹ, copulabitur cum hoc subjecto: *venenum circumdantium me*, s. malum mihi structum, *operiat ipsosmet* circumdantes. Quem sensum inter veteres Symmachus expressit: ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν πομασάτω αὐτούς. — מְסֹבְבַי si ad nomen מָסָב *circuitus* (1 Reg. 6, 29. 2 Reg. 23, 5. Cant. 1, 12.) refertur, sensum commodum vix dabit. Quare habendum est pro plurali Participii Hiphil, מַסֵּב, quod ipsum Jer. 21, 4. exstat, licet significatu transitivo, quem Conjugatio Hiphil verbi סָבַב ceteris omnibus, quibus occurrit, locis habet, scilicet ut non *circumdare*, sed *circumire facere*, *circumducere*, *convertere* denotet. Verum ut verba alia plura, quae in prima Conjugatione significationem intransitivam habent, eandem etiam in Hiphil servant, e. c. הֵמַר *moerore affecit* (Job. 27, 2.), sed Zach. 12, 10. *moeret* (propr. *facit moerere se*); ita et nostrum מְסֹבְבַי proprie *circumagentes sese circa me* valet h. l. Unde recte Kimchi hanc vocem sic exposuit: *qui me circumdant, ut capiant.* עָמָל שְׂפָתֵימוֹ *Labor labiorum suorum*, i. e. calumniae, quas contra me effutiunt. Alii interpretantur *molestiam labiorum suorum*, coll. Prov. 24, 2. *devastationem meditatur cor eorum*, וְעָמָל שְׂפָתֵיהֶם תְּדַבֵּרְנָה *et molestiam*, quam aliis facessunt, *labia eorum eloquuntur.* יְכַסֵּימוֹ *Obtegat eos*, instar grandis alicujus oneris recidat in caput auctoris, eumque comminuat. In textu exstat יכסומו, ex prisca orthographia, a radice כָּסַם, ejusdem juris cum כָּסַי, pro quo utroque vulgare כָּסָה. Ita et in paucis aliis hujusmodi verbis Vau mobile retinctur, ut in שַׁלַּוְתִּי Job. 3, 25., et in אֲרַוֶּךָּ *inebriabo te* (Jes. 16, 9.), a רָוַי *rigatus fuit.*

11. Dira et extrema hostibus suis supplicia imprecari pergit. יִמּוֹטוּ עֲלֵיהֶם *Movebuntur*, i. e. demittantur *super eos*. Verbum מוֹט, quod alias *nutare*, *moveri* significat, quam notionem etiam in Niphal retinet (vid. Prov. 10, 30. 12, 3.), h. l. pro ratione contextus idem est, ac *demitti* ex alto instar grandinis, aut lapidum fulmineorum. Secundum consona legendum esset in Hiphil יָמִיטוּ *movebunt*, sc. moventes, quod impersonaliter intelligendum *movebuntur*, s. demittantur (vid. not. ad Ps. 46, 3.). Alii tamen consona s. τὸ כְּתִיב existimant rectius יְמִיטוּ pronunciari, quod pro Niphal verbi מִיט, ejusdem cum מוֹט notionis, habent, quemadmodum נְזִיד *coctum jusculum*, Gen. 25, 20. 34., sit Participium Niphal a זִיד *ferbuit cum tumore.* גֶּחָלִים *Carbones igniti*, cf. Ps. 18, 13. 14. Chaldaeus: *veniant super eos prunae e coelo.* בְּאֵשׁ יִפְּלֵם *In ignem ruere ipsos faciat* sc. is, ad quem pertinet, de impiis supplicium sumere, i. e. Deus, Vs. 9. nominatus. Chal-

daeus: *in ignem Gehennae eos dejiciat.* Aben-Esra בָּאֵשׁ non *in ignem*, sed *per ignem*, i. e. lapide ignito subito interficiente, interpretatur. Ita Alexandrinus: *ἐν πυρὶ καταβαλεῖ αὐτοὺς*, *igne*, i. e. fulmine, *dejiciet eos*; nec non Lutherus: *er wird sie mit Feuer tief in die Erde schlagen.* Quod sane melius videtur congruere iis, quae praecesserunt: *prunas in eos demittet.* בְּמַהֲמוֹרוֹת, vocabulum *ἅπαξ λεγόμενον*, philologi ex Hebraeis unanimi consensu שׁוּחוֹת עֲמֻקוֹת *foveas profundas* exponunt. Ex nostratibus certiora primus dedit J. H. Michaelis in *Annotatt. uberr.* ad h. l. „Collato synonymo מַדְחֵפֹת Versu seq., et Arabico המר *impulit*, vel *effudit aquam*, item *fluxit aqua*, *diruit*, *versavit*, *invertitque rem*, et nominibus Arabicis, quae *pluviae* vehementem *effusionem*, aut nubem pluviam eum impetu effundentem denotant, verti poterit: *multo cum impetu*, aut *imbrium* et *torrentis instar* eos prosternat, *ita ut non resurgere possint.*“ Alii sic vertunt: *in gurgites aquarum rapidissimos*, i. e. in summas calamitates, vel etiam ipsam mortem, quae *aquarum vorticibus* non Arabibus tantum, verum Graecis etiam poetis frequenter assimilatur. J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 559. duplicem proponit explicationem, ab Arabico המר oblatam, unam, ab *impellendi* notione, *in impulsionibus non consistent*, i. e. ita impellentur, ut consistere nequeant; alteram, a significatione *pluendi*, unde המרה *una pluviae effusio*, *unus imber*, nempe et vehementiore pluvia ab impellendo dicta, ut sensus sit: *effusis imbribus non consistent.* Quod posterius Michaelis existimat praeferendum, quod manifestum est, gravem tempestatem describi; praecesserat *fulmen* et *ignis*, sequitur nunc *diluvium* et inundatio. Alexandrinus *ἐν ταλαιπωρίαις* vertit. Michaelis in *Supplemm.* l. c. suspicatur, eum nostram vocem ad radicem מָרַר *amarus fuit*, ejusdemque Conjugationem Hiphil retulisse. Syrus vocem hebraeam in sua versione non expressit.

12. אִישׁ לָשׁוֹן *Vir linguae* scil. malae, i. e. maledicus et calumniator, cujus lingua maledicentiae et calumniis dedita est. Cf. Job. 11, 2. *num* אִישׁ־שְׂפָתַיִם *justus erit?* Chaldaeus: *Vir, qui narrat lingua tertia*, i. e. qui calumniatur, cf. ad Ps. 101, 5. Calumniatorem aliqui h. l. Doëgum, calumniatorem Davidis intelligunt; sed malim in universum delatorum et calumniatorum genus communiter dici. בַּל־יִכּוֹן בָּאָרֶץ *Non stabilietur in terra*, non firmo erit et stabili gradu, non firmas habebit sedes, sed de hominum coetu et urbibus pelletur. Cf. 101, 7. 102, 29. — אִישׁ־חָמָס רָע יְצוֹדֶנּוּ *Virum violentiae* quod attinet, *malum*, infortunium s. malum, quod ipsemet commisit, *venabitur eum*, sicuti in retia et laqueos aves ac ferae territatione venatorum et aucupum eoguntur, ita calumniator insectatione hominum propelletur, ut iisdem artibus, quibus adversus alios usus erat, capiatur et pereat. Sunt, qui רָע non pro nominativo habeant, sed pro epitheto nominis אִישׁ *(vir violentus et improbus)*; tum verbum יצודנו impersonaliter

est capiendum, *venabuntur eum.* לַמַּדְחֵפוֹת *Ad impulsiones*, i. e. ab uno malo in alterum, donec vehementissime exagitatus ad interitum praecipitetur. Alexandrinus: εἰς καταφθοράν, Vulgatus: *in interitum;* nec aliter Syrus.

13. Certum habeo, Deum, tanquam justum judicem, numquam commissurum; quin hominem inopem, justum et innocentem defendat. Quod ergo ille in universum facit, idem in mea causa facturum spero.

14. יֵשְׁבוּ יְשָׁרִים אֶת־פָּנֶיךָ *Sedebunt*, habitabunt *recti*, *coram facie tua*, ante oculos tuos versabuntur, sub te protectore erunt. Similitudo a patrefamilias petita videtur, in cujus conspectu assidue versantur liberi, quos educat, tuetur, nutrit. Vocula אֵת h. l. propinquitatem denotat, ut Esth. I, 10. *Eunuchi ministrabant*, אֶת־פְּנֵי הַמֶּלֶךְ *coram facie regis*; item 1 Sam. 2, 11. Ps. 16, 11. 21, 7.

Ps. 141.

Precatur Deum, ut sic linguam et animum componat ac moderetur, nihil ut quicquam per impatientiam in Deum aut adversarios temere effutiat, neque peccet, allectus hostium, quorum ingenium et mores describit, societate et consuetudine. Postremo petit se servari et defendi ab hostium insidiis, quos optat suis ipsorum artibus perire, se salvo et incolumi.

In periculis quidem, et insidiarum metu, Psalmum scriptum esse, manifestum; sed quae illa pericula, et quae insidiae fuerint, non item. Aliqui tamen, antequam exularet Davides, et dum adhuc in aula Saulis esset, inter malevolos et impios assentatores regis, scriptum existimant. Alii vero in exilio, et ab exule factum docent. Ex Kimchii sententia eadem occasione hic Psalmus editus est, qua praecedens, quum David exul et in fuga esset coram Saule. Aliqui vero, qui tempus accurratius definire tentant, carmen eo referunt, quum David in spelunca Engediana ad interficiendum Saulum a comitibus instigatus fuisset, 1 Sam. 24, 1, 5. sqq. (quo ipso tempore Psalmum eum, qui proxime hunc sequitur, conditum esse, illius titulus adfirmat); atque Versum 6. hujus odae respicere ad ea verba, quibus Saulem alloquutus est, postquam ei, in caverna deprehenso, tanquam *uncto Domini* reverenter pepercit. Ita hic Psalmus exprimeret quae priusquam pallii Saulis oram abscidisset, apud se cogitasset Davides; quod tamen vix est credibile. Magis verisimilis est Rudingeri conjectura, ad exilium Mispahicum esse Psalmum referendum, quando cedens terra Israelica ex Adollamico specu ad Moabitas concessit, et in munitione horum Mispehae exulavit, 1 Sam. 22, 1 — 4. Inter cetera autem, quae a Moabitis illis Mispehensibus pertulit, Rudingerus putat illi gravissimum fuisse, quod religioni verae ejus illuserint, et ab hac eum abducere tentasse videantur. „Quodsi haec conjectura recipitur, concipienda

historia sic est, ut initio blanditiis assentarint Davidem Moabitae, et spem ei fecerint praemiorum et dignitatis, ut suae eum idololatriae conciliarent, postea vero, quum nihil ad eum talibus proficerent, insultasse pietati ejus, eumque odiis et insectationibus persequutos fuisse. Sic autem petet a Deo duo, primum, ne corrumpatur ab impiis hostibus suis, ullis illecebris et blanditiis horum, neve dicat aut faciat aliquid quod illi expetunt, atque omnino ne quid cum his commune habeat, ulla in re cum iis communicando, in quo et castigationes bonorum invocat, quibus ab his abstrahatur, qualem a Gado percepisse videtur Mispahico tempore (1 Sam. 22, 5.). Postea, ut liberetur etiam ab isto genere, et periculis eripiatur, quae ei struuntur ab insidiis hujus, et salvus ab hoc discedere migrareque posset."

2. Ante nomina קְטֹרֶת et מִנְחַת־עֶרֶב intelligendum esse comparationis notam, כ, ut 11, 1. 68, 14. et saepe alias, res docet, et expressit illam Chaldaeus, qui hunc Vs. bene reddidit: *dirigatur*, disponatur, *oratio mea sicut suffitus aromatum coram te; elatio manuum mearum in oratione* sit *instar oblationis jucundae, quae vesperi offertur.* Verbum תִּכּוֹן aliqui *dirigatur* vertunt, et simpliciter de directo ascensu, tanquam θυμιάματος, interpretantur, hoc sensu: largire successum hunc orationi meae, ut recta ad te ascendat, et perveniat tanquam thymiama. Ita Amyraldus: *instar suffitus, qui tibi in tabernaculo oblatus recta dirigitur ac fertur in conspectum tuum, nec, veluti fumus, a vento in aere dissipetur.* Alii faciunt: *sit stabilis* (qua notione verbum כּוּן 140, 12. aderat), i. e. valeat et proficiat aliquid oratio mea apud te. Alii: *statuatur*, ut grata sit, atque accepta fiat. Erat autem in lege de utroque thymiamate et sacrificio, quod singulis diebus, mane et vesperi offerretur, Ex. 29. et 30. — *Sublatione manuum*, מַשְׂאַת כַּפַּי, preces et supplicatio significantur, a signo res signata, vid. not. Ps. 28, 2. coll. 44, 21. 1 Reg. 8, 22. Secundum parallelismum תְּפִלָּתִי ac מַשְׂאַת כַּפַּי sibi invicem respondent. Sicut *oblatio vespertina*, quae ex simila s. puriori farina constabat (Lev. 2, 1. 2.), et jugi sacrificio matutino ac vespertino adjungebatur, Ex. 29, 38—42. Num. 28, 3. sqq. Quia *vespertinae* tantummodo *oblationis* mentio fit, suspicati sunt aliqui, vesperi has preces Davidem fecisse ad Deum. Alii vero de matutino simul sacrificio interpretantur συνεκδοχικῶς.

3. שָׁמְרָה Aben-Esra habet pro Imperativo, ut Ps. 25, 20., atque ad שִׁיתָה subaudit nomen מַחְסוֹם, ut ita sit vertendum, *pone capistrum et custodi* illud *ori meo*, coll. 39, 2. אֶשְׁמְרָה לְפִי מַחְסוֹם. Commodior tamen sensus exoritur, si pro nomine *custodiam* significante capiamus, formae עֻצְמָה, חָכְמָה. Ita Chaldaeus, nec non Alexandrinus: θοῦ, κύριε, φυλακὴν τῷ στόματί μου, et Vulgatus: *pone, Domine, custodiam ori meo*, ne quid impatienter aut temere adversus te et homines effutiam. Syrus ܫܡܪܗ *custodem*

reddidit. נְצָרָה aliqui pro nomine habent, *retinaculum* designante; ita repetendum esset שִׂיחָה. Malim tamen, post Aben-Esram et Kimchium, pro Imperativo Cal cum ה paragogico (ut שְׁכְבָה Gen. 39, 12., מְכְרָה Gen. 25, 31.) atque Dagesch euphonico capere, ut נְצָרָה *custodi eam*, Prov. 4, 13. Plura hujus Dagesch euphonici exempla vid. in GESENII *Lehrg.* p. 87. Cf. eundem in *Commentar. ad Jes.* T. I. p. 892. not. Nomen דַּל h. l. incertae est significationis. Nam *pauperis* notio, quam alias obtinet (vid. ad 41, 2.), commodum sensum vix dabit. Aben-Esra et Kimchi tribuunt nomini דַּל h. l. notionem τοῦ θύρα *janua*, *fores*. Quamvis minus idonea dictio videri possit *janua labiorum meorum*, quum labia sint fores oris, labia autem non habeant fores; tamen similis loquutio Mich. 7, 5. שְׁמֹר פְּתָחֵי־פִיךָ *custodi ostia oris tui*. Et Job. 41, 6. דַּלְתֵי פָנָיו *fores faciei ejus* designant *os*. Sic ἐν πύλαις στόματος dixit Euripides in *Hippol.* Vs. 882., et Aristophanes in *Ranis* Vs. 861. στόμα ἀπύλωτον de *lingua effreni*. Alexandrinus quoque h. l. θύραν vertit. Inde sententia satis apta: custodi fores labiorum meorum, ne quid dicam tibi contrarium, aut incogitanter. Alii alias conjecturas afferunt, sed minus idoneas. Syrus vocem דַּל non expressit, sensum tantummodo reddere contentus, dum *et custodem labiis meis* sc. pone, transtulit. Alexandrinus: καὶ θύραν περιοχῆς περὶ τὰ χείλη μου, ac Vulgatus: *et ostium circumstantiae labiis meis*. Haud improbabilis est SCHARFENBERGII conjectura, in not. ad Cappelli *Crit. S.* ed. Hal. p. 684.. Alexandrinum lapsum esse in cruenda origine vocis נְצָרָה, quae deducenda est a verbo נָצַר, et quemadmodum Ps. 32, 7. תִּצְּרֵנִי *custodies me*, male reddidit τῆς περιεχούσης με, et Ez. 6, 12. הַנָּצוּר בָּרָעָב *qui conservatus est*, s. qui non periit *fame*, ὁ περιεχόμενος ἐν λίμῳ, ita h. l. illum confudisse verba נָצַר *custodire*, et צוּר s. צָרַר *cingere*, *circumdare*.

4. Ne inclinare sinas (אַל־תַּט), propensum fieri permittas animum meum לְדָבָר רָע, quod Chaldacus *verbum malum*, Alexandrinus et Vulgatus εἰς λόγους πονηρίας, *in verba malitiae* reddiderunt; alii tamen rectius *ad rem malam*, coll. 1 Sam. 22, 15. 2 Sam. 11, 27. Coh. 1, 8. 10. interpretantur; nam sicut praecedente Versu contra verborum, ita hoc Versu contra facinorum impietatem preces facit. לְהִתְעוֹלֵל עֲלִלוֹת בְּרֶשַׁע אֶת־אִישִׁים פֹּעֲלֵי־אָוֶן *Ad patrandum facinora in impietate*, i. e. impie, *cum viris facientibus scelus*, ne eo me delabi sinas, ut quid mali facinoris suscipiam, et cum impiis me in facinore conjungam. Chaldacus haec verba de *cogitationibus* accepit, quum לאתעולל עלולות ברשע verterit *ad cogitandum cogitationes in improbitate*. Alexandrinus: τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις, *ad excusationes in peccatis*, ut Vulgatus reddidit, i. e. ut praetextus falsos praetexam ad scelera admittenda. Recte Syrus: *et faciam opera iniquitatis*. הִתְעוֹלֵל enim *patrandi* significatione, ut Ex. 10, 2. (coll. Piel

Thr. 1, 12. 22. 2, 20.) capiendum, et עֲלִילוֹת *facinora* denotat, ut Deut. 22, 14. 17. Ps. 14, 1. 99, 8. In verbis, quae sequuntur, nomen מַנְעַמֶּיהם, etsi hoc solo loco occurrat, vix tamen dubium esse potest notare *delicias*, quum verbo נָעַם, et voci נְעִים *suavis*, *jucundi*, *dulcis* notionem inesse constet. Vertendum igitur hoc modo: *ne* permittas, ut *comedam aliquid eorum, quibus ipsi delectantur*, i. e. ne fruar cum ipsis deliciis ipsorum, aut mensa communi. Id quod aut simpliciter, aut allegorice accipi potest. Si simpliciter accipitur, significabuntur, quae Paulus appellat εἰδωλόθυτα, quorum sane multa occasio fuit Davidi, dum exul inter vicinos populos degeret. Sin figurate, possit esse *comedere*, sicut usurpatur Gen. 31, 15. וַיֹּאכַל אֶת־כַּסְפֵּנוּ *comedit argentum nostrum*, i. e. usus est eo ad sua commoda, cf. Gen. 45, 18. Jes. 1, 19. Esr. 9, 12., et sic fiet sententia hujus coli talis: neque communicem utendo, fruendo, usurpando quicquid eorum, quae ipsis placent, et quae me facere expetunt. Aliqui vero *comedere* interpretantur suaviter frui, et sic erit: ne inescent me deliciae eorum, ut corrumpar. Significabuntur autem deliciae eae, quae ipsos beant, et per quas florere se putant, quae sunt impia et mala facinora; et dicet hoc vates: ne ut mihi bene sit, etiam ego faciam aliquid impie. Alexandrinus ex lectione codicis Alexandrini: καὶ οὐ μὴ συνδυάσω μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν, et sic quoque Vulgatus: *et non communicabo cum electis eorum.* In Vaticano autem codice pro συνδυάσω legitur συνδοιάσω, „quin etiam, inquit Agellius, Latini codices veteres *combinabor* habent, ut Gallicanus et Romanus.“ Clarius vero Symmachus: μηδὲ συμφάγοιμι τὰ ἡδέα αὐτῶν.

5. יֶהֱלְמֵנִי צַדִּיק חֶסֶד *Tundat* (cf. ad 74, 6.), i. e. castiget *me justus*, *caritas*, benignitas sc. mihi hoc erit, beneficii loco hoc sum habiturus; וְיוֹכִיחֵנִי שֶׁמֶן רֹאשׁ *et reprehendat me*, *oleum capitis* erit, instar olei capiti infusi, quo ejus infirmitati medeatur, talem castigationem habebo; אַל־יָנִי רֹאשִׁי כִּי־עוֹד *ne renuat*, absit ut renuat *caput meum*, *si* etiam *iterum*, nec repetitis castigationibus irritarer. וּתְפִלָּתִי בְּרָעוֹתֵיהֶם *Sed* nunc, cum contrarium experior, *preces meae contra malitiam eorum*, qua me insectantur. יָנִי pro יָנִיא (quomodo in 36 codd. Kennicotti scriptum), tertia radicali omissa, ut הֶחְטֵי 2 Reg. 13, 6. pro הֶחְטִיא. Est verbi נוּא Futur. Hiphil, quod alias *removit*, hic intransitive *renuit*, se cohibuit, denotat. ב ante רעותיהם valet *contra*, ut 74, 1. 78, 19. 80, 5. Alias hujus Vs. interpretatt. attulimus in Comment. uberiori. Hic graecam Alexandrinam interpretationem retulisse sufficiat: παιδεύσει με δίκαιος ἐν ἐλέει καὶ ἐλέγξει με, ἔλαιον δὲ ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλήν μου, ὅτι ἔτι καὶ ἡ προσευχή μου ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν. Quae sic reddidit Vulgatus: *corripiet me justus in misericordia, et increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, quoniam adhuc et oratio mea*

in beneplacitis eorum. Cujus interprctationis sensum ita exposuit AGELLIUS: „Si me justus asperitate verborum corripuerit, id misericordiae et bencvolentiae deputabo, benigneque mecum agi existimabo, contraque blanda peccatoris verba, et oleo molliora, quae tamen quibusvis sagittis ac jaculis perniciosius vulnerant, avertat Deus, ut meum caput impinguent ac perfundant. Aut in modum optantis, malim, inquit, a justo homine per misericordiam ac benevolentiam caedi, quam ab impio oleo verborum ungi. Sic Prov. 27, 6. *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Et Eccl. 7, 5. *melius est, a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum*, i. e. tantum abest, ut mihi displiceant fidelia ac utilia vcrbera, mihi a justis hominibus inflicta, ut etiam pro beneplacitis eorum vota faciam, et Deo supplicem, ut illis optata concedat; nam collective dixit superius: *corripiet me justus*, i. e. justi homines, ideoque nunc quasi de pluribus, non de uno dixerit, subjungit numero multitudinis: *in beneplacitis eorum.* Aut, si Chrysostomum sequamur, non solum, inquit, non placent illorum molliora unguentis vcrba, et justorum potius castigationes amplector, verum etiam omni studio precor, ut ab eorum *beneplacitis*, desideriis, cupiditatibus, longissime absim.“ רַעֲוֹתֵיהֶם graecum interpretem patet accepisse in significatione Chaldaici רְעָה, *velle, delectari re aliqua*, idem quod Hebraeum רָצָה, vid. not. ad Ps. 139, 2. Quod autem pro שֶׁמֶן רֹאשׁ Alexandrinus ἔλαιον ἁμαρτωλοῦ posuit, non inde factum quod שֶׁמֶן רָשָׁע in suo codice legit, ut conjecit J. D. MICHAELIS in *Biblioth. Orient.* P. XIX. p. 161., sed explicationis causa. Nam sunt etiam ex Hebraeis interpretes, qui *unguentum impiorum* explicent. Porro דָּנִי accepit significatione Arabici دَنِيَ *pinguis evasit*, unde دَنًى *adeps*, et دَنِيّ *pinguedo.*

6. נִשְׁמְטוּ בִידֵי־סֶלַע שֹׁפְטֵיהֶם *Dimissi sunt*, i. e. libere se diffundunt *per latera petrae*, s. *petrarum* per loca petrosa, ut me persequantur, *judices*, principes (ut 2, 10. 148, 11.) *eorum.* וְשָׁמְעוּ אֲמָרַי כִּי נָעֲמוּ *Et* tamen quamvis *audiverunt verba mea, quod jucunda fuerint*, bonitatis et observantiae erga ipsos plenissima, nec quicquam violenti aut injurii significantia.

7. כְּמוֹ פֹלֵחַ וּבוֹקֵעַ בָּאָרֶץ *Sicut findens ac secans in terra.* Dissentiunt, similitudo num desumta sit a lignorum sectione, an de terrae in aratione proscissione, qua terra vulneratur quasi et laceratur, ac effossa jacet tanquam lacera et exaggerata. Id quidem Chaldaeus: *sicut vir, qui secat et findit aratro in terra, sic dispersa sunt ossa nostra ad os sepulchri.* Eodem sensu Syrus: *sicuti vomer, qui dissecat terram, dispersa sunt ossa eorum ad os inferni.* Sed quum similitudo ad dispersionis comparationem dirigatur, in aratione autem nihil de solo spargitur, aut dispergitur, puto de lignorum sectione interpretandam esse similitudinem.

בֹּקְעַ *findens* sc. ligna, coll. Coh. 10, 9. (בֹּקֵעַ עֵצִים). בָּאָרֶץ *In terra*, quando videlicet truncus, vel lignum findendum in terra firme est repositum, ita ut frusta et fragmina longe lateque in solo dissiliant. נְפֻזְרוּ עַצְמֵינוּ לְפִי שְׁאוֹל Ita *dispersa sunt ossa nostra ad os sepulchri*, quod aliqui *ostium*, s. ingressum interpretantur, quomodo Jos. 10, 18. 22. פִּי הַמְּעָרָה est *ingressus cavernae*, ut Prov. 8, 3. פִּי קָרֶת *ostium urbis;* alii *os mortis devoraturae*, sicuti gladio consumenti saepissime *os* tribuitur, ut Gen. 34, 36. Ex. 17, 13. Num. 21, 24. Utitur Pronomine suffixo plurali, quod socios, qui in fuga ipsum comitabantur, includit.

8. כִּי אֵלֶיךָ עֵינַי *Quia* tamen *ad te oculi mei* sc. directi sunt, cf. 25, 15. 121, 1.; non redditur hic ratio antecedentium, sed subsequentium: quia auxilium a te exspecto, et בְּכָה חָסִיתִי *in te* (ה paragogicum, ut Jes. 3, 6. Jer. 29, 25.) *refugium meum quaero*, ideo אַל־תְּעֵר נַפְשִׁי *ne effundas*, sc. לַמָּוֶת *ad mortem* (coll. Jes. 53, 12.) *vitam meam*, noli permittere, ut eorum manibus sanguis meus, in quo anima et vita consistere putatur (Lev. 17, 11. 14. Deut. 12, 23.), effundatur, et sic illi trucibus et immanibus animi sui cogitatis potiantur. Alii: ne praesidio tuo nudatam destituas animam meam, a *nudandi* significatione, quam verbum עָרָה nonnumquam obtinet.

10. יִפְּלוּ בְמִכְמֹרָיו *Incidant in retia*, quisque *sua*, quae mihi expanderunt. Affixum in במכמריו distributive capiendum est, ut 66, 3. 119, 137. 125, 2. Eadem fere sententia Ps. 7, 6. Vocem יַחַד alii ad ea, quae praecesserunt, referunt, hoc sensu: *cadant una* omnes impii isti in retia, quae ipsi pararunt; alii vero cum אָנֹכִי quod proxime sequitur nectunt, hac sententia: *ego una* sc. cum sociis meis (ut aliqui Ps. 4, 9. יַחְדָּו capiunt), solet enim *plurium* associatio et exaequatio hac voce indicari, vid. 33, 15. 40, 15. 49, 3. 133, 1. — עַד־אֶעֱבוֹר *Donec transiero*, s. dum transeam salvus et incolumis retia ipsorum mihi exposita, imo et ipsos in retia sua delapsos. Suis ipsorum dolis et insidiis capiantur hostes mei, interim dum mihi illaeso transire liceat.

Ps. 142.

Preces ardentissimae destituti prorsus ac desperantis ab omni humana ope, et solo Deo nitentis. Titulus habet, in specu hunc Psalmum a Davide factum. Quum autem et in Adullamico et Engeddino specu latuerit (vid. ad Ps. 57, 1.); non explicatur hac inscriptione, in utro specu factus sit, neque hoc aliquis facile definiverit. Etsi enim aliqui hanc oden rectius ad speluncam Adullamicam (1 Sam. 22, 1.) referri censent, quod in specu Engeddino Saul potius, quam David in periculo vitae fuerit; nihilominus tamen etiam ipse David in summo vitae discrimine illic haerebat, actumque tunc de illo erat, si quo pacto deprehensus fuisset, quum ante speluncam Engeddinam exercitum haberet trium millium Sau-

lus, atque ita ibi tanquam obsideretur Davides. Parum autem refert ad intelligendum Psalmum, ad hanc, an ad illam historiam referas.

3. אָשִׂפֹּךְ לְפָנָיו שִׂיחִי *Effundo coram eo*, Deo, *meditationem meam*, sensus et cogitationes animi mei. Cf. not. ad 42, 5.

4. בְּהִתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי *Quum involvitur apud me spiritus meus*, sc. tristitia ac moerore, dum obrutus aegritudine spiritus meus perturbatissimus paene deficit, cf. not. ad 61, 3. 107, 5. — וְאַתָּה יָדַעְתָּ נְתִיבָתִי *Tu vero nosti semitam meam*, non uno modo explicant. Quum enim *via* utrumque significet, et cursum vitae metaphorice, et viam, qua ambulatur, simpliciter; ideo aliqui haec illi, aliqui alteri significationi accommodant. Qui *viam* metaphorice capiunt, sensum sic faciunt: tu nosti causam meam, quod adversarii mei innocentem me persequuntur, ac necem meam injuste quaerunt. Qui *viam* proprie intelligunt, interpretantur vel de via et ratione evadendi, ut sensus sit: tu solus scis, quo tramite ex hoc periculo me possim eripere; vel sic: tu nosti, quot et quantis periculis sit circumsepta semita mea, quod optime congruit hemistichio, quod sequitur, בְּאֹרַח־זוּ אַהֲלֵךְ טָמְנוּ פַח לִי *in via, qua ambulabo, absconderunt laqueum mihi*, undique hostes mihi insidias struunt, explorantes omnia mea itinera. De זוּ cf. not. ad 9, 16. Verbum טָמְנוּ impersonaliter positum, nam subaudiendus est nominativus Participii, *abscondentes*.

5. הַבִּיט יָמִין וּרְאֵה aliqui vertunt: *adspice déxteram et vide* sc. o Deus! quod sic explicant: considera et vide, quam destitutus sim omni auxilio, vide, num dexterae meae adjutor aliquis adsit, nam *a dextra alicujus esse* significat alicui auxilio esse, vid. 16, 8. 109, 31. 121, 5. Ita optabit David, ut Deus recognoscere accuratius quasi velit conditionem suam extreme periculosam. Aben-Esra et Kimchi tamen non pro Imperativis, sed pro Infinitivis habent verba הַבִּיט et רְאֵה (id quidem ad formam הֱיֵה Ez. 21, 15.), cum subaudiendo verbo finito primae personae, ut plene sit: הַשֵּׂג הַשִּׂיג הַבִּיט אַבִּיט יָמִין וּרְאֵה אֶרְאֶה (ut 1 Sam. 30, 8. וְהַצֵּל הַצִּיל) *respicio ad dexteram et video*, dexteram autem solam commemoravit, sinistra practermissa, brevitatis causa, quum ex re potiore altera minus nobilis intelligatur (cf. 91, 7.), hoc sensu: in omnes partes oculos converto, num aliquis auxilio mihi veniat. In hoc sensu, qui sane aptissimus videtur, consentiunt veteres omnes. וְאֵין־לִי מַכִּיר *Sed nullus est mihi agnoscens*, qui pro suo me agnoscat, ac me salutis ullam rationem habeat. אָבַד מָנוֹס מִמֶּנִּי *Periit fuga* s. *effugium a me*, omnis spes et facultas evadendi mihi erepta est, quo fugiam non habeo; eadem loquutio Jer. 25, 35. Am. 2, 14. — אֵין דּוֹרֵשׁ לְנַפְשִׁי *Non est qui requirat animam meam*, i. e. qui me curet, cui vita mea curae sit. Sunt, qui vertant: *non est, qui requirat animae meae* sc. טוֹב, ut Esth. 10, 3. דֹּרֵשׁ טוֹב לְעַמּוֹ *quaerens bonum populo suo*, i. e. studens commodis populi sui. Nihil tamen obstat, quo minus

simpliciter vertas: *non est, qui quaerat de anima mea*, ut לְ latine *de* sit exprimendum, ut 2 Sam. 11, 3. *quaesivit* לְאִשָּׁה *de muliere illa*, et Jer. 30, 17. דֹּרֵשׁ אֵין לָהּ *non est, qui quaerat de ea.*

6. Haec cum iis, quae praecesserunt, ita sunt connectenda: quum humanae opis nihil se offerat, זָעַקְתִּי אֵלֶיךָ *clamavi ad te* etc. חֶלְקִי בְּאֶרֶץ הַחַיִּים *Portio mea in terra viventium*, a te solo exspectandum mihi est auxilium, praeter te, quo nitar aut confidam, in terris habeo neminem. Eadem figura 73, 26. cf. Num. 18, 20. De אֶרֶץ חַיִּים cf. ad Ps. 27, 13.

7. רִנָּתִי *Vociferatio mea*, cf. not. ad 33, 1. — דַּלּוֹתִי מְאֹד *Attritus*, attenuatus *sum valde*, exhaustus animo et corpore, ad extrema redactus, 79, 8. 116, 6. — אֵמְצוּ מִמֶּנִּי *Praevalent mihi*, longe valentiores ac robustiores sunt me, ita ut ab eis opprimar prorsus; neque enim hoc solum dicere voluit, se esse robore et potentia inferiorem Saule, quod nemo nesciebat.

8. מַסְגֵּר *Claustrum*, *carcerem* dictum plerique putant speluncam illam, in qua se David inclusus continebat hostibus undique septus. Alii metaphorice et *γενικῶς* de calamitatibus et angustiis exilii, quibus circumstrictus erat, interpretantur. בִּי יַכְתִּרוּ צַדִּיקִים כִּי תִגְמֹל עָלָי *Cingent me pii, quum retribueris mihi*, i. e. quum mihi beneficium, quod rogo, tribueris, tum omnes religiosi homines ad me confluent, seque mihi tuarum laudum praecones adjungent. Alexandrinus verbum יכתרו reddidit ὑπομενοῦσι, et Vulgatus *exspectant*, ex significatione Aramaei כְּתַר, qua verbum Job. 37, 2. usurpatur. Ita sensus esset: pii meam liberationem sollicite exspectant. Aptiorem tamen sensum h. l. *cingendi* significatio praebet, et locis Jud. 20, 43. Hab. 1, 4. Ps. 22, 13. unice apta, unde et *corona* כֶּתֶר Hebraeis dicta, quod caput *cingat*. Chaldaeus: *propter me facient tibi coronam laudis justi*, quod sequutus Jarchi: propter me te coronabunt pii, et gratias tibi agent, quod conserves eos, qui timent te. גָּמַל h. l. significat, priorem beneficium conferre, cf. not. ad Ps. 116, 7.

Ps. 143.

Orat, ut sibi in extremum jam discrimen adducto Deus opem ferat, et in se sperantem e periculis eruat. Alexandrinae versioni et Latinae vulgatae praescriptum est, in seditione Absalonica et ejus temporis exilio hunc Psalmum a Davide conditum esse. Alii eum referunt ad eadem illa pericula, quibus Psalmorum, qui proxime praecesserunt, preces sunt effusae. Nec desunt, qui in persona totius populi Psalmum cani putent, cum abductus esset in servitutem, et pleraque figurate translateque dici ad moerorem indicandum. Certe eo consilio, ut harum precum in publicis calamitatibus usus esset, lugubrem hanc odam inter carmina ad publicum cultum destinata adscitam fuisse, minime dubium esse potest.

1. בֶּאֱמֻנָתֶךָ *In veritate tua*, i. e. pro tua fide, quae nunquam fallere potest; vel: propter veritatem promissorum tuorum. עֲנֵנִי בְּצִדְקָתֶךָ *Exaudi me pro justitia tua*, qua misere oppressis succurrere, et superbe elatos reprimere soles. Cf. 31, 2. Aben-Esra vult, בצדקתך hic significare, ita ut conspiciatur tua justitia. Simile esse observat illud 118, 5. עָנָנִי בַמֶּרְחָב *exaudivit me in latitudine*, i. e. ita ut positus fuerim in amplo et spatiso loco.

2. אַל־תָּבוֹא בְמִשְׁפָּט אֶת־עַבְדֶּךָ *Ne intres in judicium cum servo tuo*, q. d. nunc, quum in extremis malis et periculis versor, noli, quaeso, summo jure mecum agere. Si deliqui, aut peccavi, ne, quaeso, de me servo tuo hoc tempore poenas sumito. כִּי לֹא־יִצְדַּק לְפָנֶיךָ כָל־חָי *Nam non erit justus in conspectu tuo omnis*, ullus (vid. Ex. 12, 16.) *vivens*, nemo coram te et tribunali tuo est innocens, ut in judicio tuo absolvi possit aut mereatur.

3. דִּכָּא לָאָרֶץ חַיָּתִי *Contrivit ad terram* usque *vitam meam*, me prostratum in pulverem paene redegit; cf. 74, 19. — הוֹשִׁיבַנִי בְמַחֲשַׁכִּים כְּמֵתֵי עוֹלָם *Sedere me facit*, habitare me cogit *in tenebris*, in locis tenebricosis, veluti sepulchro aut carcere, *tanquam mortuos seculi*, i. e. dudum mortuos, quorum ipsa quoque memoria longitudine temporis evanuit, qui non amplius curantur (142, 5.), cf. 88, 6., ubi eadem sententia, sed paullo aliter expressa. Nostra verba exstant quoque Thr. 3, 6. De significatione nominis עוֹלָם, quae hic locum habet, vid. not. ad 139, 24.

4. וַתִּתְעַטֵּף עָלַי רוּחִי Cf. 142, 4. — יְשֹׁתֵם לִבִּי *Stupet*, stupore quasi perculsum et consternatum est *cor meum*. Ingens animi consternatio ac moeror describitur, ubi spes omnis ac fiducia uno velut ictu prostrata jacet.

5. זָכַרְתִּי יָמִים מִקֶּדֶם *Recordatus* tamen *sum*, in memoriam mihi revocavi *dies ab antiquo*, i. e. anteacta tempora, quibus non solum majores nostros, verum me ipsum etiam ex angustiis liberasti. בְּמַעֲשֵׂה יָדֶיךָ *De factis manuum tuarum*, i. e. potentiae et bonitatis documentis meditor.

6. כְּאֶרֶץ־עֲיֵפָה *Sicut terra lassa*, i. e. deficiens siccitate et aestu (Jes. 32, 2. Prov. 25, 5.) pluviam avidissime expetit, ita לָךְ *ad te* sc. sitit anima mea, coll. Ps. 63, 2. 42, 3.

7. אַל־תַּסְתֵּר פָּנֶיךָ מִמֶּנִּי *Ne occultes vultum tuum*, respectum tuum *a me*, cf. 27, 9. — וְנִמְשַׁלְתִּי עִם יֹרְדֵי בוֹר *Nam similis redditus sum*, vel, ut alii, repetita negandi particula, *ne similis reddar descendentibus in foveam sepulchri*, 30, 4. 88, 5.

8. הַשְׁמִיעֵנִי *Audire*, i. e. sentire, experire *me fac*, ut 51, 10. — בַּבֹּקֶר *Mane*, i. e. cito: matura opem tuam, cf. 46, 6. — הוֹדִיעֵנִי דֶּרֶךְ־זוּ אֵלֵךְ *Notam mihi fac viam, qua eam*, doce me, quid faciam, de me et meis, ut pericula evitem, cf. infra Vs. 10. Alii: ut vitae meae cursum recte et tuis praeceptis congrue instituam, coll. 32, 8. — כִּי־אֵלֶיךָ נָשָׂאתִי נַפְשִׁי Cf. not. ad 25, 1. 86, 4.

9. אֵלֶיךָ כִסִּתִי *Apud te occultavi*, secreto ab hominibus apud te exposui aerumnas meas omnemque causam meam, quoniam tu solus opem mihi ferre potes; tibi in occulto revelavi, quod homines celavi. Loquendi formula, quam *praegnantem* Grammatici dicere solent (vid. ad 32, 8.), et plene sic expressit Kimchi: אֵלֶיךָ צָעַקְתִּי בְּסֵתֶר וּבְמִכְסֶה מִבְּנֵי אָדָם *clamavi ad te ex occulto et absondite ab hominibus.* J. D. Michaelis in *Supplemm.* p. 1317. „Constructum, inquit, cum אֶל hoc verbum contrariam quodammodo notionem adsciscere videri possit, *revelandi*, sed facilem expeditu: *tibi texi*, i. c. tibi clanculum et soli dixi. Sic plane Arabes a שר *arcanum*, faciunt אשר *tanquam arcanum aliquid alicui credidit*, id vero est, revelavit, dixit, sed sub fide arcani.“ Similis est Aben-Esrae ad h. l. observatio, quemadmodum contraria constructione, per particulam מ, Gen. 18, 17. הֲמְכַסֶּה אֲנִי מֵאַבְרָהָם sit: *num celem Abrahamum?* ita h. l. ex diversa constructione, scilicet per אֶל, diversam etiam et contrariam oriri significationem. Eadem de causa verbum לָקַח *sumere*, *accipere*, Ex. 35, 5. vertendum esse *dare*, et סוּר *recedere*, Jud. 4, 18. idem esse quod *accedere*. Alexandrinus, qui πρός σὲ κατέφυγον, *ad te confugi*, reddidit, כִּסִּיתִי, ut sono non admodum diversum a חָסִיתִי, ita et significatu cum eodem convenire putavit. Sed verbum חָסָה cum ב, ubicunque occurrit, construi solet, vid. Ps. 7, 2. 16, 1. 25, 20. 31, 2. al.

10. לַמְּדֵנִי לַעֲשׂוֹת רְצוֹנֶךָ *Doce me facere voluntatem tuam*, suggere mihi, ut faciam, quod tu vis, et tibi probatur. Haec verba non videntur de auxilio divino ad vitam probe et recte instituendam intelligenda, nam Versu 9. et 11. de defensione ab hostibus est sermo. Orat igitur Deum, velit ipsi rationem et modum revelare, qua ex his periculis possit evadere. רוּחֲךָ טוֹבָה *Spiritus tuus bonus*, cf. Neh. 9, 20. et Jes. 63, 14. (רוּחַ יְהוָה תְּנִיחֶנּוּ). — בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר *In terra planitei*, i. e. in via recta, in qua non offendam. Cf. Ps. 26, 12. 27, 11. 5, 9. Ubi humana consilia salutem expedire mihi non possunt, te duce opus habeo.

11. לְמַעַן־שִׁמְךָ *Propter nomen tuum*, ut hoc celebretur, i. e. tuae gloriae causa, quo argumento saepius utitur, vid. 25, 11. 31, 4. 79, 9. — תְּחַיֵּנִי *Vivifica me*, vitam instaura paene mortuo mihi, Vs. 3. 7.

12. כִּי אֲנִי עַבְדֶּךָ *Nam ego* sum *servus tuus*, pars familiae tuae, et in clientela tua, hinc a te opem exspecto, nullam aliunde. Cf. 116, 16. 86, 16.

Ps. 144.

Initium Psalmi celebrat gloriose beneficia, quae Deus auctori, ut regi (Vs. 1. 2. 10.), peculiariter ad illud tempus usque contulit, virtutem bellicam, scientiam rei militaris, salutis conservationem in praeliis, victorias, cetera, quae tanta esse significat, ut miretur

simul magnitudinem eorum, et quod Deus in ipsum et genus humanum tam sit beneficus, quum tamen nihil sit in homine, quod tantam beneficentiam mereatur, aut ea dignum sit, quippe qui conditione tam sit caduca et misera. Hanc celebrationem beneficiorum Dei praemittit precibus suis ardentibus, quibus implorat opem potentiae divinae adversus hostes, a quorum apparatu et irruptione periculum tum fuerit: quod beneficium si ei denuo contingat, laudem a se et celebrationem novam promittit Deo benefactori suo, quam tum ei sit praestiturus, et simul bona quaedam pacis commemorat, quibus ut potiatur populus, vehementer orat, ut quietem populo conciliare velit Jova, et hostium irruptionem et conatus avertere.

Quodsi hocce carmen, ut titulus asserit, vere est Davidicum, non improbanda Kimchii conjectura, editum esse adversus gentium exterarum, quae undique bella contra Davidem movebant, molimina, postquam, regno potitus, et Israelitas universos imperio suo subjectos haberet, et Philisthaeos, qui in ejus ditionem irruerant, secundo proelio repulisset (vid. 2 Sam. 5.). Victoriam de Goliatho reportatam a Davide hoc Psalmo celebrari, ut nunc legitur in versionis Alexandrinae libris editis, et non paucis manu exaratis, vana est conjectura (quae forsan ex Chaldaica paraphrasi Versus 10. originem duxit, vid. ibi not.), quae ipsa Psalmi consideratione refellitur; nam latius patet argumentum ejus, quam ut ad singulare certamen unius cum uno restringi recte possit. Neque magis eorum probari potest sententia, qui hunc Psalmum vel adversus Abnerum (2 Sam. 2, 13. sqq.), vel adversus Absalonem et seditiosos ejus conatus factum putant. Theodoretus hoc carmen in persona Judaeorum dici existimat, quos jam de Babylone reversos gentes vicinae aggressae sunt, ac bellis atque armis opprimere conatae. Est et alius Graecus auctor, Agellio commemoratus, qui Psalmum ad Maccabaica tempora refert. Certe et his et illis temporibus carmen facile poterat accommodari.

1. Sit laus ei, qui me instruit virtute et scientia bellica! Vid. not. ad 18, 35.

2. חַסְדִּי *Benignitas mea* Chaldaeus bene *faciens benignitatem*, et Kimchi *Deus gratiae meae* (quod exstat 59, 11. 18.), i. e. benefactor meus, explicavit. Sic Deus 109, 1. אֱלֹהֵי תְהִלָּתִי, sed Jer. 17, 14. תְּהִלָּתִי (cf. Deut. 10, 21.) simpliciter nuncupatur. וּמְצוּדָתִי *Et arx mea*, propugnaculum meum inexpugnabile, cf. 18, 3. 31, 3. — מִשְׂגַּבִּי *Excelsum meum munimentum*, ad quod hostes pertingere non possunt. וּמְפַלְטִי־לִי *Et liberator meus mihi*, quasi proprius et peculiaris. Kimchi: „לִי vel pleonastice additur, majoris declarationis causa, vel Jod Participio additum est paragogicum, qualia 113, 5. 6. 123, 1.“ הָרֹדֵד עַמִּי תַּחְתָּי *Qui subdit populum meum sub me.* הָרֹדֵד alii ex arab. רדד *reduxit*, vertunt: *qui reduxit* sc. compositis dissensionibus *popu-*

lum meum sub me, sub meum imperium; alii, qui verba רָדַד et רָדָה, uti literis sibi invicem cognata, ita significationibus etiam congruere existimant, sic vertunt: *qui calcat* s. calcavit *populum meum sub me*, i. e. qui mihi imperium in populum meum contulit. *Calcandi* figura autem *subigendi*, *dominio* alicujus *subjiciendi* notio significatur et reliquis verbis, *calcandi* gerentibus significatum, veluti בּוּס, vid. 44, 6. 60, 14. 108, 14., porro דּוּשׁ (Jes. 25, 10. Mich. 4, 13.), דָּרַךְ (Deut. 33, 29. Jes. 63, 3.). Ceterum pro עַמִּי legendum esse עַמִּים, hodie haud pauci statuunt interpretes, non uno ducti argumento, primo quidem, quod verbum רָדַד, cui subjugandi domandique cum violentia quadam notio inest, minus aptum sit imperio Davidis in Israelitas; tum, quod Ps. 18, 48. Davides eadem fere sententia וַיְדַבֵּר עַמִּים תַּחְתָּי dicit, denique, quod magna codicum a Kennicotto et de Rossio inspectorum copia h. l. עַמִּים pro עַמִּי habet. Sed notatum est jamdudum a Masorethis ad 2 Sam. 22, 44., nostrum עַמִּי (vid. ad 18, 44.) unum esse ex סְבִירִין, i. e. *opinione ambiguis*, quae primo intuitu lector opinetur debere vel posse aliter legi, quum vel sensus videatur sic postulare, vel quod alibi sic legantur, nec tamen aliter legenda sunt, quum ista lectio sit genuina. Sunt, quibus עַמִּי est nomen singularis עַם cum suffixo primae personae; atque nostro quidem loco Davidem omnes homines sibi subjectos, licet ex variis nationibus constarent, *populi sui* (עַמִּי) nomine, complecti existimant, quo eodem usu collectivo idem nomen et Job. 12, 24. Jes. 42, 5. legitur. Ego quidem et ipse nomen עַם collectivo sensu capiendum censeo, sed additum *Jod* habeo pro paragogico, ut in דְּבָרְתִּי 110, 4., in הַיּוֹשְׁבִי 123, 1. aliisque pluribus in notis ad ea loca enumeratis. Notandum, et Alexandrinum in suo codice legisse עַמִּי, vertit enim: ὁ ὑποτάσσων τὸν λαόν μου ὑπ' ἐμέ. Non sunt audiendi, qui עַמִּי peculiarem pluralis numeri formam, litera ם decurtatam, dicunt.

3. וַתְּדָעֵהוּ *Quod agnoscis eum*, sc. ut ei benefacias; *nosse* h. l. prospicere et curam alicujus gerere, ut Ps. 31, 8. Hos. 13, 5. Similem praefixi ו usum cf. Ps. 78, 44. 105, 28. — וַתְּחַשְּׁבֵהוּ *Quod reputas*, aestimas, *eum*, ejus rationem habes, ut Jes. 53, 3. Ceterum cf. Ps. 8, 5.

4. *Homo vanitati similis est, dies ejus sunt quasi umbra praeteriens*, quae puncto temporis evanescit. Cf. 39, 7. 102, 12. Job. 8, 9. 14, 2. Coh. 6, 12. הֶבֶל propr. *vanum*, Kimchi recte observat h. l. significare *halitum oris*, qui momento evanescit et dissipatur, ut Jes. 57, 13., ubi cum רוּחַ componitur. Cf. Ps. 39, 6.

5. הַט־שָׁמֶיךָ וְתֵרֵד *Inclina coelos tuos, et descende!* Coelum inclinari dicitur, quando nubes deorsum vergunt, ut, sicut in magnis fieri solet tempestatibus, terrae valde sint propinquae, turresque aut montes paulo altiores videantur contingere; cf. 18, 10. Evocat igitur Deum e coelo, et, ut possit expedite descendere atque adesse, jubet eum coelos suos dimittere inclinando, ne de tam arduo

descensu mora longior objiciatur, atque ita impediatur aut differatur auxilium. Omnis haec imago adventantis Dei et in hostes animadvertentis deprompta est a terribili tempestate ac terrae motu, ut 18, 10. sqq. Alii respici putant ad Jovae in montem Sinai descensum, Ex. 19. passim, praesertim Vs. 18. — גַּע בֶּהָרִים וְיֶעֱשָׁנוּ *Tange montes, ut fumo abeant*, i. e. igne consumantur. Pertinent haec ad scenae, a vate instructae, ornatum, neque in talibus ad vivum resecanda sunt omnia ac singula.

6. Cf. 18, 15.

7. Pro יָדֶיךָ codices plures a Kennicotto et de Rossio commemorati in singulari legunt יָדְךָ, quod ipsum et versiones veteres omnes exprimunt. Et Ps. 138, 7. legitur תִּשְׁלַח יָדְךָ; cf. 80, 18. 119, 173. Nonnulli literam י insertam putant tanquam matrem lectionis. וְהַצִּילֵנִי מִמַּיִם רַבִּים Chaldaeus sic exposuit: *eripe me a populis, qui similes sunt aquis multis.* Et Kimchius מים רבים interpretatur *hostes*, eosdemque intelligendos monet quos vates statim בְּנֵי נֵכָר vocat. Quem sensum et Amyraldus paraphrasi expressit: serva me ex eluvione et inundatione hominum istorum, qui more ingentium aquarum ex multitudine sua intumuerunt; cf. Jes. 17, 12. Ps. 18, 17. 124, 3—5. Alii in universum pericula aquis profundis et rapidis similia significari existimant; coll. Ps. 32, 6. 69, 2. 3. 16. — בְּנֵי נֵכָר Syrus *improbos*, et Arabs *invisos*, *iniquos* reddiderunt. Sed retinenda Alexandrini et Vulgati interpretatio *υἱῶν ἀλλοτρίων*, *filiorum alienorum*, i. e. alienigenarum, exterorum, qui eodem nomine 18, 45. 46. Neh. 9, 2. nuncupantur; *barbaris* vero, s. iis, qui peregrinae sunt nationis, linguae et religionis, omnes in genere hostes significantur, qui ideo, quod nihil cum republica Israelitica commune habent, implacabile in nos odium fovent et alunt. Cf. not. ad 54, 5.

8. Verba אֲשֶׁר פִּיהֶם דִּבֶּר־שָׁוְא *quorum os* (cf. ad 33, 12.) *loquutum est*, s. loquitur *vanum*, plerique interpretantur de vana virium ostentatione, de minis inanibus et vanis, et quorum nihil sit eventurum, ut hic sit sensus: animadverte in barbaras istas atque immanitate efferatas gentes, quae post tantas acceptas clades verba grandia et superba proferre audent, quae tamen, quum ventum erit ad rem, vana et inania reperientur. Sed quum דבר־שוא aliis locis de *sermonibus mendacibus fallacibusque* usurpetur, vid. 12, 3. 41, 7. Prov. 30, 8., nos h. l. illis, *quorum os vana loquitur*, gentes *perfidas* ac *foedifragas* notari existimamus, quod praeterea suadet alterum hemistichium: וִימִינָם יְמִין שֶׁקֶר *dextra eorum dextra mendacii.* Aben-Esra et Kimchi aliique interpretes *dextram* hic de *robore* et *potentia*, ut alibi saepe, explicant. At rectius Hebraeorum alii ad jusjurandum *dextram* hic referunt, hoc sensu: *falso jurant, extendentes ad jurandum dextram.* Arabibus יָמִין *dextra* est et *jusjurandum.*

9. שִׁיר חָדָשׁ *Canticum novum* ob nova a te accepta beneficia; vel: exquisitum, vid. 33, 3. 40, 4. 96, 1.

10. Canam Deo illi, qui Davidem, cultorem suum, ab exitio, quod ab hostibus imminuit, liberavit. Enallage personae eademque constructio, quae Jes. 28, 16. 54, 1. Ez. 21, 30. — מֵחֶרֶב רָעָה Chaldaeus interpretatus est: *a gladio malo Goliathi.* Sed non est dubium, intelligenda esse omnia in universum pericula a gladiis adversariorum.

12. Sunt, qui hoc Versu, et duobus, qui proxime sequuntur, barbarorum illorum Vs. 7. 8. commemoratorum sermones jactabundos existiment relatos, quibus res suas florentissimas praedicent. Quod si sumas, post אֲשֶׁר erit אֹמְרִים s. לֵאמֹר subaudiendum. Ita Alexandrinus: *ὧν οἱ υἱοὶ ὡς νεόφυτα κ. τ. λ.* Alii אֲשֶׁר vertunt *eo quod, quia*, ut Gen. 31, 49. Lev. 20, 9. Coh. 4, 9., sive *quandoquidem*, ut Jos. 22, 31. Neh. 2, 3., atque hacc de hactenus acto tempore interpretantur, ut petat, ne interrumpatur ab illatione calamitatis novae ab hostibus pristina et hactenus communicata felicitas, q. d. nam res nostrae alioquin belle se habent, ac restat tantum, ut nos afferas e manibus istorum extraneorum. Nos vero sensum magis idoneum nasci putamus, si לְמַעַן אֲשֶׁר pro אֲשֶׁר *ut, quo*, capiatur (ut Deut. 4, 40. אֲשֶׁר יִיטַב לְךָ וּלְבָנֶיךָ *ut bene sit tibi et filiis tuis*, porro Gen. 11, 7. Num. 23, 13. al.), ut petat rex, velit se Deus e periculis praesentibus eripere, et adversus molitiones hostium custodire, ut parta per ipsum pace res Israeliticae crescant et floreant. Vertendum igitur, *ut* sint *filii nostri sicut plantae* sc. adolescentes, vividae. Cf. 128, 3. מְגַדְּלִים dubium est, ad נְטָעִים refcrendum sit, an vero ad בָּנִים, nam verbum גָּדַל dicitur non tantum de liberis, ut Jes. 1, 2. Hos. 9, 12., verum de plantis quoque, vid. Jes. 44, 14. Jon. 4, 10. Ad *plantas* retulit Alexandrinus, qui *ὡς νεόφυτα ἱδρυμένα* vertit, vel, ut in aliis codicibus legitur: *ὡς νεόφυτα ἱδρυμένα.* Videtur tamen praeferendum alterum ob proximum nomen aetatis, בִּנְעוּרֵיהֶם, quod hominum est, non plantarum. Chaldaeus: *in doctrina legis inde a pueritia sua educati.* — זָוִיּוֹת plerique *angulares columnas* interpretantur. Hoc certum, nomen זָוִיּוֹת Zach. 9, 15. de *angulis* altaris dici. *Columnarum* similitudinem vero spectare existimant ad proceritatem rectam, sicut poeta 127, 4. sagittarum rectae proceritati comparat filios, et Cant. 3, 6. puella procera assimilatur תִּימְרוֹת עָשָׁן *elationibus fumi*, s. fumo columnae instar in altum ascendenti. Ego tamen hoc loco propter additum מְחֻטָּבוֹת, i. e. *artificiose dolatae*, similitudinem rectius puto ad formam et speciem, egregiumque membrorum commensum referri, hoc sensu: crescant filiae nostrae pulchre et speciose, ut similes sint columnis angulorum, quae exquisito opere claboratae in acdificiis magnificis collocari solent. Alexandrinus *κεκαλλωπισμέναι* vertit, exque eo Vulgatus *ornatae*, Syrusque *ut sponsae ornatae.* A quibus non multum Chaldaeus discrepat, qui *splendidae* reddidit. Qui omnes vocis Hebraeae explicationem peticrunt ex Chaldaico זִיו *splendor, fulgor*, et Arabico زوى *ornavit.*

13. מְזָוֵינוּ *Anguli nostri*, i. e. anguli aedium nostrarum, s. horrea, promtuaria nostra, ut veteres omnes reddiderunt. מְלֵאִים *Pleni* sint, omni sc. genere bonorum, ut Deut. 6, 11. Neh. 9, 25. וּבָתִּים מְלֵאִים כָּל־טוּב. — מְפִיקִים *Exire facientes* (de verbo פוּק cf. ad 140, 9.), i. e. proferentes, effundentes, suppeditantes omnis generis opes. Non male Alexandrinus ἐξερευγόμενα (scil. ταμεῖα), Vulgatus *eructantia*, Hieronymus *supereffundentia*. מִזַּן אֶל־זַן *A specie ad speciem*, i. e. unum genus edulium post alterum, summa varietate et copia. Similem constructionem, quae abundantiam et continuitatem infert, vid. 84, 8. 96, 2. Jer. 9, 2. זַן *speciem* notare videtur, ut Aramaeum זַן et זִן. Alii ad זוּן *alere, cibare* referunt, ut זַן idem significet quod מָזוֹן *alimentum*, Gen. 45, 23. 2 Chr. 11, 23. Sed tum eum Camez, זָן, scribendum fuisset. Veteres interpretes זַן putabant idem esse, quod זֶה *hic*, fere ut Chaldaei ex זֶה Hebraeorum, Zain in Daleth mutato, et Jod adjecto, דֵּן faciunt. Hinc Alexandrinus: ἐξερευγόμενα ἐκ τούτου εἰς τοῦτο. Vulgatus: *eructantia ex hoc in illud*; Syrus: *effusa unum in alterum*; hi omnes ita dictum intelligentes, ut unius promtuarii opes in alterum sint transferendae propter abundantiam. צֹאנֵנוּ מַאֲלִיפוֹת *Oves nostrae* s. greges ovilli (cf. ad 8, 8.) sint *millefícantes*, i. e. recte explicante Jarchio, *per chiliades foedificantes*. *Mille* synecdochice pro multis, ut Ps. 50, 10. 91, 7. — מְרֻבָּבוֹת Imo *in myriades auctae*, vel multiplicatae. Cf. nomen Ps. 3, 7. 91, 7. — בְּחוּצוֹתֵינוּ *In vicis* s. plateis *nostris*, ut, eum egrediuntur vel ingrediuntur, plateae illis refertae sint. Cf. Deut. 28, 4. 30, 9.

14. In vocis מְסֻבָּלִים explicatione discrepant interpretes. Quum סָבַל *portare, bajulare* onus significet (ut Gen. 49, 15. Jes. 53, 4. 11.), non pauci *onustos* sc. carne et pinguedine intellexerunt. Ita Alexandrinus, qui παχεῖς, Hieronymus, qui *pingues*, et Vulgatus, qui *crassos* vertit. Alii ad fortitudinem boum retulerunt, bajulare onera aptorum. Recte Bochartus in *Hieroz.* T. II. p. 295. nostrum מְסֻבָּלִים *onus uteri gestantes*, i. e. foetas, gravidas, explicavit, quemadmodum Arabum حمل *ferre, portare*, et *in utero gestare* significat. Romanis quoque gravidae boves *fordae* a *ferendo* dictae. אַלּוּפִים, ex eorum nominum, quae Grammatici *epicoena* dicunt, numero, ut plura alia animalium nomina, hic ut ad feminam referatur, locus postulat, ut Deut. 7, 13. שְׁגַר אֲלָפֶיךָ est *foetus vaccarum tuarum*. Proxime antea noster rogaverat, ut oves millecuplis foetibus augerentur, nunc etiam armentis exoptat eandem foecunditatem. Verbo אֵין פֶּרֶץ Kimchius sic interpretatur: *In nobis et in pecudibus nostris nulla sit orba; nam* פֶּרֶץ *significat orbitatem*. Id vero probat ex eo, quod Uzae orbatio, seu elades פֶּרֶץ vocatur 2 Sam. 6, 8. Eundem sensum forsan spectavit Syrus: *nec* sit *in eis sterilis*. Aliqui פֶּרֶץ de caularum *ruptura* interpretantur, ita ut feris bestiis et furibus aditus pateat

ad armenta. Ita Alexandrinus: *οὐκ ἔστι κατάπτωμα φραγμοῦ*, et Vulgatus: *non est ruina maceriae.* Aben-Esra *rupturam* in muris urbium h. l. putat significari, de qua nomen פֶּרֶץ 1 Reg. 11, 27. Alii in universum rupturae nomine *infortunium* intelligendum putant, quo felicitatis integritas laceretur. Alii aliter. Nos quidem cum Aben-Esra פֶּרֶץ de percussis urbium moenibus censemus intelligendum, et verba וְאֵין יוֹצֵאת ita interpretanda: *neque exiens* sit sc. נֶפֶשׁ (saepius subaudiendum, ut 2 Sam. 12, 39. Ps. 16, 2.) *anima* ulla, i. e. ne sit ullus, qui aut fugam capessere coactus, aut captivus ab hostibus abductus ex urbe migret; vel, יוֹצֵאת sensu neutro accepto: *nihil exeat*, sc. direptum ab hostibus; cui sententiae optime congruunt verba postrema: וְאֵין צְוָחָה בִּרְחֹבֹתֵינוּ *et nullus clamor* sc. luctuosus *in plateis nostris.* Deprecaturus igitur belli calamitates, petit, ne urbis ab hostibus expugnatae mala horrifiea experiantur, cum rupto urbis muro, et portis effractis hostes in urbem ingressi omnia caede rapinisque complent, ululatuque et clamore omnia misceentur. Alii post יוֹצֵאת subaudiunt רָעָה (coll. Jer. 25, 32. רָעָה יֹצֵאת מִגּוֹי אֶל-גּוֹי), ut sensus sit: nullum exoriatur malum, infortunium. Exemplum omissi nominis רָעָה afferunt Job. 4, 5. coll. 2, 11. Ez. 7, 10. Et Chaldaeus אֵין יוֹצֵאת reddidit *nec exitus* s. prodiens sit *malum.*

15. O beatum populum, cujus res eo statu sunt! Quam felix est ea natio, cujus Jova Deus est! Ille enim solus omnia ista bona suppeditare potest.

Ps. 145.

Celebrat gloriam et potentiam Dei, quae in omnibus operibus ejus elucet, sed inprimis benignitatem, quam exhibet generi humano universo, et eximiam eis, qui colunt eum, et ad eum confugiunt: hos sustentat, alit, exaudit, conservat. Singuli hujus carminis Versus literis primoribus elementorum Hebraicorum ordinem repraesentant, ut in Psalmis aliis pluribus factum est, vid. Argum. Ps. 25. In nostro Psalmo autem desideratur is Versus, qui a litera *Nun* erat incipiendus post Vs. 13. Exstitisse quidem aliquis putare possit, Versum istum in eo codice, e quo Alexandrinus Graecus interpres suam translationem concinnavit. Nam post Vs. 13. in Alexandrina versione haec leguntur: *πιστὸς ὁ Κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ.* Quae ipsa et in Latinam Vulgatam, Syriacam, Arabicam, et Aethiopicam versionem translata sunt. Sed manifestum est, ista levi duarum tantummodo dictionum mutatione, et prima in subsidium ex Deut. 7, 9. arcessita, penitus ex Vs. 17. hujus ipsius Psalmi desumta esse, et hebraice ita sonarent: נֶאֱמָן יְהוָה בְּכָל-דְּבָרָיו וְחָסִיד בְּכָל-מַעֲשָׂיו. Obelo proinde Graecum illum Versum merito notavit Scholion Graecum codicis Vaticani, nec eum agnovit Hieronymus, nec Aquila, nec Theodotion, nec Chaldaeus, nec Masorethae,

nec interprctes Hebraei. Neque probabile est, vel casu hunc Versum excidisse, vel studio expunctum esse. *Casu* fieri non potuit, quia error ob interruptam seriem Alphabeti nimis manifestus et facile deprehensus fuisset. *Studio* cur expunctus esset, quum nihil in eo sit, quod Judaeos offendere, vel ad eum eradendum permovere potuisset? Cf. Argum. Ps. 25.

3. וְלִגְדֻלָּתוֹ אֵין חֵקֶר *Et magnitudini ejus nulla est scrutatio*, quanta sit ejus potentia, nemo investigando exquirere, nedum verbis eloqui potest.

6. Praefixum ו hujus Versus initio causali significatione est capiendum, ut 49, 10. 144, 3. al., cui respondet alterum ו ante וְגִדֻלָּתְךָ, *ideo* vertendum. Hoc enim fine se canere res gestas Dei significat, ut propagetur ad posteritatem memoria illarum: *ut virtutem*, vim incredibilem *terribilium* sc. factorum *tuorum celebrent*, *ideo* ego, eos incitandi causa, *maxima facta tua* enarrabo.

7. Sic זֵכֶר רַב־טוּבְךָ *memoriam multitudinis bonitatis tuae*, i. e. ingentem tuam bonitatem. Nomen רַב Kimchi recte observat esse h. l. non adjectivum sed substantivum, ut Jes. 63, 7. Ps. 31, 20. — יַבִּיעוּ *Ebullient*, quasi perpetuo fluxu orationis edisserent, sicut scaturigo, jugiter ebulliens, perpetuo novas effundit aquas. נָבַע (de quo vid. 59, 8.) h. l. ut 19, 3.

8. אֶרֶךְ אַפַּיִם וּגְדוֹל־חָסֶד *Tardus ad irascendum*, et *promtae* facilisque *misericordiae*, cf. 86, 15. 103, 8.

9. Verba וְרַחֲמָיו עַל־כָּל־מַעֲשָׂיו non sunt comparative intelligenda, quasi diceret, superare misericordiam omnia opera ejus, sed hoc sensu: misericordiam effundit super omnia ab ipso creata, erga universas res creatas exercet.

15. בְּעִתּוֹ Kimchius explicat *cuivis in tempore suo*, i. e. ἐν εὐκαιρίᾳ, *in tempore opportuno*, ut Alexandrinus et Vulgatus verterunt, quod aliqui eo referunt, quod alia animantia de nocte sibi cibum parant, alia interdiu. Cf. 104, 20 — 23. Alii vero suffixum referunt ad אָכְלָם *cibum ipsorum*, justo tempore paratum, et intelligunt, quod suo quaeque tempore fruges maturescant, et adolescant herbae, quibus aluntur.

16. Tu, tanquam benignissimus et liberalissimus moderator ac rector, non restricta manu, sed aperta largiter illis qui indigent tribuis, et satias omne animal eo cibo, quem quodque cupit, et illi jucundus est; id enim significat רָצוֹן, quod Kimchi bene sic explicavit: *singulis pro desiderio suo*. „Ut Vs. 19. רְצוֹן יְרֵאָיו sunt *desideria piorum*, sic in hisce verbis *desideria animalium*, sunt victus, quem optant, et quo delectantur.“ Dathius.

18. קָרוֹב *Prope*, propinquus *est Deus omnibus*, *qui eum invocant*, i. e. exaudit, voces ad se clamantis et invocantis accipit; nam apud nos ex longinquitate fieri solet, ut minus audiamus; qui ergo audit, is prope est. Cf. 75, 2. coll. 34, 19. Jes. 55, 6.

Ps. 146.

Non in terrenorum regum ac principum, sed in Dei regis potentia spem esse collocandam, cujus et potentiam ac vires, fidem et clementiam, praesentem in afflictis rebus opem, et regnandi justitiam celebrat. Graecae Alexandrinae hujus Psalmi versioni, ceterisque, quae ex illa sunt factae, praescribitur nomen *Haggaei* et *Zachariae*, sicut et Psalmis duobus, qui proxime sequuntur. Certe quae Vs. 7. et 8. hujus carminis habentur, optime congruebant reversis ex Babylone, ut non absurde dicatur, vel ab illis hominibus Psalmum ad occasionem praesentis temporis decantatum, vel ad horum hominum personam apte compositum. Videntur autem omnino Psalmi hi quinque postremi initiis consecrati templi secundi usurpati fuisse. Habent pleraque haec carmina ἀπεκδοχὰς frequentes ex Davidicis, quorum aliqua paene centones haberi possunt.

2. בְּעוֹדִי *In duratione mei*, i. c. dum ero, i. q. בְּחַיָּי hemistichio priore. Ita Gen. 48, 15. מֵעוֹדִי *a duratione mei* est a quo tempore exstiti.

4. Ante תֵּצֵא subaud. אָם, ut 91, 7., ubi not. cf. Quando exhalatur anima, quando migrat e corpore spirtus hominis, in pulverem et terram redigitur corpus ejus, unde exstitit (Gen. 3, 19. Coh. 12, 7.), simulque tum pereunt consilia ipsius, et quae instituit universa. Quid igitur in his esse potest, quo fidat aut nitatur quicquam? עֶשְׁתֹּנוֹת hoc tantummodo loco obvium, ejusdem haud dubie significatus ac עַשְׁתּוֹת Job. 12, 5. *cogitationes* (nam עָשַׁת Aramaeis et Hebraeis est *cogitavit*, vid. Dan. 6, 4. et Chaldaicam versionem Jer. 18, 12.), i. e. consilia, molimina et proposita.

5. אַשְׁרֵי *Beatitates* sc. istius hominis sunt (cf. 1, 1. 40, 5.), similis ellipsis qualis 65, 5. — שֶׁאֵל יַעֲקֹב בְּעֶזְרוֹ *Cujus in auxilio*, vel *cui in auxilio* est *Deus Jacobi*, cujus adjutor est ille Deus, quem Jacobus colebat, vel, ut Jarchi explicat: qui Jacobo promisit: *ego adero tibi, et custodiam te*, Gen. 28, 15. Ad constructionem cf. Ex. 18, 4. et not. ad Ps. 54, 6.

8. פֹּקֵחַ עִוְרִים *Aperiens coecos*, i. e. oculos coecorum, coecis visum reddit. Aliqui *coecos* h. l. intelligunt in carceris tenebris et squalore detentos, ut Jes. 59, 9. 10. Et כְּפוּפִים *incurvatos*, i. e. malis afflictos et dejectos, alii vinctos in carcere dictos existimant, qui compedibus curvati, stare non possunt, hos igitur compedibus solutis, erigit.

9. Jova tutela sua protegit אֶת־גֵּרִים *peregrinos*, qui solent injuriis et insultibus peti, cf. not. ad 39, 13. — יָתוֹם וְאַלְמָנָה יְעוֹדֵד *Orphanum et viduam statuminat* (cf. 20, 9.), eorum conditionem alioqui labantem stabilit, ne contemtu superborum, et violentorum injuriis corruant. וְדֶרֶךְ רְשָׁעִים יְעַוֵּת *At viam improborum distorquet* s. invertit, vel *errantem facit* (cf. not. ad

31, 11.), i. e. efficit, ut eorum cogitata et consilia aut nullum exitum habeant, aut longe diversum, quam ipsi cogitarunt, ut in ruinam et perniciem suam praecipites ferantur.

10. Ante dixerat (Vs. 3. 4.), non esse in principibus fiduciam ponendam, quod illorum potestas et consilia morte ipsa evertantur; nunc idcirco ait Jovae regnum sempiternum fore, quo probet, bene in illo spem collocari, qui sit aeternus rex, atque adeo perpetuo possit juvare. Hemistichio altero *Sionem*, h. e. Sionios compellans jubet esse securos, quippe qui pro Deo habeant Jovam aeternum regnaturum.

Ps. 147.

Hic etiam Psalmus celebrat, et alios hortatur ad celebrandum, gratiam et beneficentiam Dei, praesertim erga populum Judaicum, ita tamen, ut excurrat ad beneficiorum communium commemorationem, quae potentia et benignitas ejus praestat tam omnibus animantibus, quam hominibus, confirmando perturbatos, erigendo prostratos, pascendo anni provento, tempestate bona, pacem conservando terris, custodiendo politiam et civitatem. Suadet Versus secundus, reversis e Babylonia exulibus, carmen esse conditum, et quum jam otium illis esset a vicinis gentibus, portaeque ac muri essent restituti, ut ex Versu 13. et 14. constare potest. Cf. Argum. Ps. 146.

1. זַמְּרָה אֱלֹהֵינוּ *Psallere Deo nostro*, vel *Deum nostrum*, ut illum, circa quem cantus occupatur. זַמְּרָה Infinitivus *Piel*, cum ה paragogico, ut Lev. 26, 18. Verbum autem sine sequente *Lamed* etiam construitur Ps. 47, 7. 66, 2. 68, 5. 33. al. — נָאוָה *Decens*, Aben-Esra monet esse Participium Niphal formae נַעֲשָׂה Lev. 7, 9.

2. נִדְחֵי יִשְׂרָאֵל *Dispersos*, i. e. exules, ex suis sedibus et patria expulsos *Israelitas*, ut Jes. 11, 12. 56, 8. Cf. not. ad Ps. 35, 5.

3. שִׁבוּרֵי לֵב *Contriti corde*, appellantur ii, qui in magno aliquo cruciatu et angore animi versantur, quorum cor et animus dolore intimo vulneratus est et fractus. Tales autem h. l. exules et in exilium abducti vocantur, ut Jes. 61, 1.

4. Potuit Deus facile hinc inde dispersos Israelitas congregare, quem nihil fugit, adeo ut stellas universas toto superiore orbe dispersas nullo negotio numeret, vel ipsas nominatim ciens. Cf. Jes. 40, 26. 43, 1. 45, 3. 4.

8. Celebrandi Dei argumentum, ut Job. 5, 9. 10. 37, 6., ponitur pluvia, quippe cujus beneficio, si tempestiva est, animantibus victus paratur, quo pertinet Versus proximus. הָרִים in *montibus*, siccis alioquin et aridis, et qui fluminibus nulla arte irrigari possunt. In Graeca Alexandrina atque Latina Vulgata versione

additum legitur: *καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων, et herbam servituti hominum.* Huc translatum ex Ps. 104, 14.

9. בְּנֵי עֹרֵב *Filiis corvorum* plerique *pullos corvorum* intelligendos putant, et interpretantur de mirifico quodam pastu, qui eis divinitus curetur, quando deseruntur a parentibus, post יִקְרָאוּ autem subaudiunt אֵלָיו, *ad eum* scil. Deum, ut sensus hic sit: cibum procurat pullis corvorum eum invocantibus. Sic et Job. 38, 41. (al. 39, 3.): *Quis praeparat corvo escam suam, quum pulli ejus ad Deum clamant, et vagantur huc atque illuc absque cibo?* Recte observavit Bochartus *Hieroz.* T. II. p. 798. seq., tam nostrum, quam Jobi locum eo spectare, quod corvus pullos jam enutritos, et ad volatum habiles, nido pellit, ut in posterum sibi prospiciant. Tum igitur, quum nondum sint plenis viribus, nec in perfecto vigore aetatis, neque dum ad victum proprio labore atque industria sibi comparandum adsueverint, consilii inopes magna voce crocitant (יִקְרָאוּ), et aërem querulis clamoribus implent. In quibus angustiis Deus illis succurrit et victum suppeditat.

10. Exemplis divinae providentiae propositis ostensum est, Deum illis quoque animantibus opem ferre et necessaria suppeditare, quibus nullum sit aliud auxilium; deprimit jam eorum confidentiam, qui viribus suis aut copiarum subsidio freti a Deo salutem non requirunt. Summa hujus et proximi Versus, Deum non favere iis hominibus, qui viribus suis nituntur, sed piis et religiosis, qui et ipsum verentur, et sola ejus clementia pendere volunt. לֹא בִגְבוּרַת הַסּוּס יֶחְפָּץ Chaldaeus bene sic reddidit: *non delectatur fortitudine eorum, qui equitant in equis.* Kimchi: *non delectatur homine, qui in robore equi fiduciam ponit.* Cf. 20, 8. 33, 16. 17. Hemistichium alterum, לֹא בְשׁוֹקֵי הָאִישׁ יִרְצֶה *non in cruribus viri oblectatur*, aliqui de cruribus vel ad inscendendum et agitandum equum agilibus, vel ad cursum et fugam ab hostibus expeditis interpretantur, coll. Am. 2, 15. *velox pedibus non salvabitur, et adscensor equi non salvabit vitam suam.* Et notus est ille *πόδας ὠκὺς* Achilles Homeri. Ego tamen accedere malo iis interpretibus, qui haec verba capiunt de pedestri exercitu ex fortissimis viris collecto. Conjunguntur enim duo praesidia, quibus reges et populi maxime confidere solent, exercitus cum equestres, tum pedestres.

12. Cum hoc Versu Alexandrina versio, et, quae ex ea sunt factae, incipiunt novum Psalmum, ut congruat deinceps numeratio Psalmorum cum hebraeis, quae discrepare ab his coepit supra Ps. 9. (cf. Prolegg. p. 10.). Res tamen ostendit, non esse hoc novi carminis initium, sed cum praecedentibus cohaererc, et de iis dependere. Nam praemissa simili exhortatione, qualis Vs. 1. 2., ad laudandum Deum ob instaurationem urbis et reipublicae, redit iterum ad celebrationem beneficiorum, quae Deus in universum genus humanum conferre solet.

13. כִּי־חִזַּק בְּרִיחֵי שְׁעָרֶיךָ *Quoniam roboravit vectes*, repagula *portarum tuarum*, te egregie munivit adversus hostium insultus. Ex his verbis maxime editum constat hoc carmen Nehemiae temporibus, aut post Nehemiae tempora. Primus enim Nehemias muris urbis portas imposuit, vid. Neh. 3. — בֵּרַךְ בָּנֶיךָ *Bene precatus est filiis tuis*, i. e. civibus tuis, qui mirum in modum numero et opibus augentur, et bene ac fortunate vivunt. בְּקִרְבֵּךְ *Intra te*, intra muros tuos.

14. הַשָּׂם־גְּבוּלֵךְ שָׁלוֹם *Qui posuit*, constituit *terminum tuum*, fines tuos *pacem*, s. in finibus ac terminis, quasi praesidium quoddam ac stationem pacem ipsam collocavit, quae, ne bellum atque hostis propius ad muros audeat accedere, in ipsis finibus advenienti occurrat, eumque longissime arceat. Nam personae fictione utitur, et pacem tanquam praesidiarium militem facit. Simili figura, atque de eadem civitate Hierosolymitana instaurata dicitur Jes. 60, 17. שַׂמְתִּי פְקֻדָּתֵךְ שָׁלוֹם. Igitur sensus nostri loci: pacata confinia tua fecit, ut hostes ad limites tuos accedere non audeant. חֵלֶב חִטִּים יַשְׂבִּיעֵךְ *Adipe tritici*, optimo ac selectissimo frumento (cf. Num. 18, 12. Deut. 32, 14. et ibi nott.) *satiat te.* Effectus pacis. Cf. Lev. 26, 6.

15. Aliud celebrandi Dei argumentum, ex eo ductum, quod statim, atque aliquid in terris fieri Deus praecipit, uno momento, et quam celerrime ejus mandatum, quo opus est, perferatur ac perficiatur illico; id quod exemplis in iis, qui proxime sequuntur, Versibus confirmat. הַשֹּׁלֵחַ אִמְרָתוֹ אָרֶץ *Emittit eloquium suum in terram*, i. e. edicit, imperat: ante אָרֶץ subaud. אֶל, vel לְ, ut 1 Sam. 13, 20. Ps. 60, 11. — עַד־מְהֵרָה *Usque ad velocitatem*, i. e. quam citissime. יָרוּץ דְּבָרוֹ *Currit verbum ejus;* sic ejus voluntati omnia parent, ut statim, atque eam nutu vel verbo significavit, tanta velocitate fiat id, quod ore pronunciavit, ut servi, qui ad jussa herorum suorum perficienda, quanta possunt celeritate currunt, non soleant esse perniciores.

16. הַנֹּתֵן שֶׁלֶג כַּצָּמֶר *Qui dat nivem sicut lanam*, quacum albedinis ratione comparatur. Kimchius: *dans nivem sicut lanam*, i. e. *nivem*, quae alba est, ut lana; subaud. לָבָן, ut Jes. 1, 18. *erunt*, *instar lanae*, subaudi *albae.*

17. מַשְׁלִיךְ קַרְחוֹ כְפִתִּים *Projicit glaciem suam instar frustulorum*, non dubium esse potest, significari glacialem grandinem, quae frustulatim in terram decidit. לִפְנֵי קָרָתוֹ מִי יַעֲמֹד *Coram frigore ejus*, i. e. ab ipso misso, *quis consistet?* Bene Amyraldus: „quum ventum aquilonem a septentrionum carceribus emittit, ut aërem percurrat, quis adeo algoris patiens est, ut vim frigoris illius perferre possit? Tum ingentia flumina, quorum aquae pontes indignari videntur, constricta gelu consistunt, et tanquam freno aliquo coercentur.“ Cf. Job. 37, 9. 10.

18. Deus est, qui nivem, pruinam, grandinem, et conglaciatas aquas in terram demittit, et rursum, ubi visum est, inducto atque excitato vento, aut pluvia, in aquas fluentes dissolvit. Ante יִשְׁלַח subaud. אִם, ut 146, 4. Si *mittit* דְּבָרוֹ *verbum*, mandatum *suum*, quo frigus discedere atque dissolvi jubet. Chaldaeus: *Mittit eurum caloris sui.* Kimchi: *solis ardorem et pluviam.* וימסם *Et liquefacit ea*, nivem, pruinam, grandinem. יַשֵּׁב רוּחוֹ יִזְלוּ־ מָיִם Si *spirare facit* s. jubet *ventum suum*, *fluunt* iterum *aquae*, lenioris aurae tepore laxatae ad pristinam fluendi naturam revertuntur.

19. Commemoraverat effecta providentiae divinae generalis, per quam hoc universum gubernat, quaeque ad omnes ejus partes aequabiliter pertinent. At populum suum Jova singularibus beneficiis adfecit, quae hoc et proximo Versu celebrat.

20. Cf. Deut. 4, 7. 8. 32—34.

Ps. 148.

Evocantur res creatae universae ad celebrandas Dei laudes. Ita autem suum hoc carmen poeta distribuit, ut primum (usque ad Vs. 7.) ea, quae in coelo sunt, deinde quae in terra, compellet, et omnes ordines, aetates et conditiones hominum. Clausula vero celebrat beneficia collata populo Israelitico, qui Deum prae omnibus hac de causa laudare debeat.

1. *Laudate Jovam* מִן־הַשָּׁמַיִם *e coelis*, i. e. vos coelites, s. quaecunque in coelis estis. הַלְלוּהוּ בַּמְּרוֹמִים *Laudate eum* vos qui estis *in excelsis*, in summis coelis. Bene Chaldaeus: *omnis exercitus angelorum excelsi*, in quo quasi domicilium vestrum constitutum est.

2. כָּל־צְבָאָיו *Omnis exercitus ejus.* Aben-Esra *stellas* interpretatur, sed de iis Vs. 3., unde commodius h. l. tanquam angelorum synonymum accipitur, coll. 1 Reg. 22, 19. Ps. 103, 21.

3. כּוֹכְבֵי אוֹר *Stellae lucis* Kimchio sunt *planetae*, terrae propinquiores, nobisque adeo lucidiores ac fixae stellae. Sed nihil impedit, quo minus stellas in universum omnes, aut coelestia sidera, luce sua noctem ejusque tenebras illuminantia intelligamus; cf. Jes. 13, 10. Ez. 32, 8. Alexandrinus, qui *πάντα τὰ ἄστρα καὶ τὸ φῶς* reddidit, י pluralis in כוכבי perperam pro ו accepit.

4. שְׁמֵי הַשָּׁמַיִם *Coeli coelorum*, i. c. altissimi coeli, s. ingentes et vastissimae sphaerae coelestes, quae tot vasta siderum corpora spatiosissimo ambitu suo continent. Progreditur enim nunc poeta ad ipsos orbes coelestes, summos et infimos, cf. Deut. 10, 14. 1 Reg. 8, 27. 2 Chron. 2, 5. — הַמַּיִם אֲשֶׁר מֵעַל הַשָּׁמָיִם *Aquis quae supra coelum* sunt, alii aquas *supracoelestes*, alii rectius *nubes* intelligunt. Quia nubes fiunt in sublimi, in ea regione, quae *coelum* solet appellari, illas cum sole, et luna et

reliquis sideribus connumerat. Kimchi: *coelum* etiam *cor* vocatur, coll. Gen. 1, 20. 26. 30. 2, 19. 6, 7. 11, 4.

5. כִּי הוּא צִוָּה וְנִבְרָאוּ *Nam ipse praecepit, et creata sunt* omnia illa coelestia. Addit ita rationem sive argumentum laudis. Respicit vero ad historiam orationis Gen. 1., in qua omnia verbo Dei facta fuisse narrantur. Alexandrinus: ὅτι αὐτὸς εἶπε καὶ ἐγενήθησαν, αὐτὸς ἐνετείλατο καὶ ἐκτίσθησαν, comma posterius ex Ps. 33, 9. additum est.

6. חָק־נָתַן וְלֹא יַעֲבוֹר *Statutum dedit* eis, certum ordinem eis praescripsit, *et non praeteribit*, s. peribit, i. e. servantur leges illis praescriptae; ita enim durant leges, et non pereunt, si servantur, et non violantur.

7. Jam descendit ad inferiora elementa, et quae in iis fiunt et continentur. מִן־הָאָרֶץ *Qui estis de terra*, i. e. omnia terrestria, ut supra Vs 1. מִן־הַשָּׁמַיִם. Cf. not. ad 80, 14. Terrestribus vero accenset quoque belluas aquatiles; aqua enim, recte monente Aben-Esra, unum globum constituit. וְכָל־תְּהֹמוֹת *Et omnes abyssi*, ceu latibula, in quibus monstra illa (תַּנִּינִים) habitant.

8. אֵשׁ *Ignis* qui in aëre gignitur ex sulphureis vaporibus, qui in sublime feruntur, i. e. fulmina ac fulgura. קִיטוֹר *Vapor*, nebula. Kimchi: haec omnia, etsi in aëre nata, ex terra tamen oriuntur. רוּחַ סְעָרָה עֹשָׂה דְבָרוֹ *Ventum procellae*, i. e. procellosum *faciens verbum ejus*, i. e. exsequentem jussa ejus. Cf. 104, 4.

9. אֲרָזִים *Cedrorum* nomine sylvestres arbores in universum significantur; utpote nobilissimae illarum, opponuntur enim h. l. fructiferis.

11. Postremo compellat *homines*, quos ita munere et dignitate (Vs. 11.), sexu et aetate (Vs. 12.) distinguit, ut omnes tamen indiscriminatim et universe cohortetur (Vs. 13.). Kimchi: *hominis* ultimo loco meminit, sicut is ultimus in creatione fuit.

14. וַיָּרֶם קֶרֶן לְעַמּוֹ *Evehit cornu populo suo*, i. e. auget gloriam et potentiam populi sui. קֶרֶן Chaldaeus bene *gloriam* reddidit. Cf. Ps. 75, 5. 89, 18. 25. Verba תְּהִלָּה לְכָל־חֲסִידָיו aliqui praecedentibus nectunt, hoc sensu: *laudem*, i. e. gloriani *piis suis* scil. evehit, s. auget ob tot ipsis collata beneficia. Alii: *laus* scil. Jovae *omnibus piis erga ipsum* scil. convenit, decet; par est, ut omnes, qui ipsum colunt, et in quos tot et tanta beneficia confert, laudibus eum extollant. *Israelitis*, עַם קְרֹבוֹ *populo propinquo sibi*, i. e. quibuscum foedere se conjunxit, et quos prae ceteris populis sibi consecratos et dicatos esse voluit, Ex. 19, 5. Cf. Deut. 4, 7. Sic et veteres. Alexandrinus: λαῷ ἐγγίζοντι αὐτῷ, Chaldaeus: *populo, qui propinquus ei*, itemque Syrus.

Ps. 149.

Laudibus extollit Jovam ob beneficia in Israeliticum populum collata. Sunt, qui carmen initiis regni Davidis editum censeant, quum arcem Sionis cepisset, et hostes omnes vel subegisset vel profligasset, atque in magnificam spem futuri temporis erectus esset. Alii reipublicae instauratae beneficium, post exilium Babylonicum, celebrari existimant. Alii denique ad temporum Maccabaicorum victorias carmen pertinere conjiciunt. Certas tamen notas temporis, quo editum est carmen, frustra quaeras.

2. יִשְׂמַח יִשְׂרָאֵל בְּעֹשָׂיו *Laetetur*, exsultet *Israel* de *fundatore suo*. Non argutandum est in numero plurali nominis עֹשָׂיו, quasi eo innuatur Trinitatis mysterium. Nam Pluralis numerus quandoque ponitur pro singulari ad denotandam magnitudinem et excellentiam, ut יְשׁוּעוֹת 42, 6. 12. 43, 5., שִׂמְחוֹת 45, 16. 49, 4., גְּבוּרוֹת 90, 10. Ita Jes. 54, 5. בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ יְהוָה, Job. 35, 10. אֱלוֹהַּ עֹשָׂי, Coh. 12, 1. בּוֹרְאֶיךָ. In quibus omnibus respicitur nomen אֱלֹהִים. Cf. אֲדֹנִים קָשֶׁה Jes. 19, 4. et not. ad eum loc. Respondet h. l. nomini מַלְכָּהּ in altero hemistichio, et utroque nomine Deus significatur, qui et alias, ut Ps. 59, 6. Jes. 44, 2. 51, 13. עֹשֶׂה *fundator* populi Israelitici vocatur, quod ejus politiam instituit.

3. בְּמָחוֹל *In chorea*, ut Alexandrinus reddidit. Alii: *cum fistula*, s. *tibia*, ut מָחוֹל idem sit quod חָלִיל (1 Sam. 10, 5. Jes. 5, 12.), ut Exod. 15, 20. Jud. 11, 34. 21, 21. Sed denotatur chorus laetus et solennis, in quo carmina et numeros adhibuerunt, ad quos moderante tympano (בְּתֹף) incederent et saltarent.

4. יְפַאֵר עֲנָוִים *Exornabit miseros*, i. e. qui deformes erant aerumnis multifariis, et miseri jacuerunt, ex miseriarum squalore extrahit, decoros et prae aliis conspicuos reddit, gloriam et salutem eis confert.

5. *Exsultabunt pii* בְּכָבוֹד *in gloria*, i. e. gloriose, excellenti modo. Cf. 73, 24. — *Jubilabunt* עַל מִשְׁכְּבוֹתָם *super cubilibus suis;* significatur gaudium publicum, quod ad privatas cujusque res, atque ita in lectum uniuscujusque pertinet, sicut et mala publica. Aliqui de intestino gaudio, et quod quasi in sinu gaudetur. Alii: *cantabunt etiam in cubilibus suis*, id est, noctes etiam, et in lectulis suis, atque ita dies noctesque, continuo. Cf. not. ad 4, 4.

6. רוֹמְמוֹת אֵל *Exaltationes Dei*, i. e. laudes, quibus eum extollunt; cf. verbum 99, 5. 9. 30, 2. al. Alii subaudiunt שִׁירוֹת, ut significet proprie *cantus exaltantes* sc. Deum. חֶרֶב פִּיפִיּוֹת *Gladius gemini oris* (διστομος Hebr. 4, 12.), i. e. utrinque acutus, atque ad mordendum absumendumque velut aptus. Ita Jud. 3, 16. Ehud narratur gestasse חֶרֶב וְלָהּ שְׁנֵי פִיּוֹת *gladium oris dupli-*

cis, et Prov. 5, 4. verba meretricis blandientia dicuntur acuta כְּחֶרֶב פִּיּוֹת. Hoc loco prima syllaba geminatur, sicut in קִיקָלוֹן *ignominia*, Hab. 3, 16., cf. Ps. 35, 6. Tales gladios utrinque scindentes h. l. dicuntur gestare Israelitae, quibus ultionem exerceant adversus gentes hostiles, ut sequitur Vs. 7.

9. לַעֲשׂוֹת בָּהֶם מִשְׁפָּט כָּתוּב *Ad faciendum cum iis judicium scriptum*, scil. in libro legis, ubi Deus populi sui hostes internecione delcri jubet, vid. Deut. 7, 2. 31, 3. 5. 32, 41. coll. Ez. 38. et 39.

Ps. 150.

Exhortatio ad celebrandum Deum omni genere musices, vocis et carminum, et chirurgica universa, quae fuit usitata illis temporibus. Sicuti Psalmus 148. universitatem rerum excitat ad Jovae laudes celebrandas, ita hic musicam templi et ceteram omnem evocat.

1. *Laudate Jovam* בְּקָדְשׁוֹ *in sanctuario*, i. e. templo *ejus*, et בִּרְקִיעַ *in expanso* sc. coeli (Gen. 1, 6. Ps. 19, 2. Jes. 42, 5.), i. e. vos angeli et coelites. Significatur igitur, terrenam, in Sanctuario, et coelestem in coelis sedem Jovae, laudes ipsius personare. Expansum s. coelum עֻזּוֹ *roboris ejus*, i. e. in quo potentiam suam et virtutem divinam luculenter ostendit. Cf. Ps. 8, 4.

2. בִּגְבוּרֹתָיו *Propter potentissima facta ejus*, propter admirabilia facta potentiae et virtutis ejus. כְּרֹב גֻּדְלוֹ *Secundum multitudinem magnitudinis ejus*, omnem magnitudinem et majestatem ipsi tribuite (Deut. 32, 3.), prout meretur infinita ejus majestas. Cf. Deut. 3, 24. 5, 21.

4. De בְּתֹף וּמָחוֹל vid. ad 149, 3., et מְנִים *chordis*, *fidibus canoris* (cf. ad 45, 9.) vid. Pfeifferum *de arte musica Hebraeor.* p. 33.; de עֻגָב cf. not. ad 33, 2.

5. צִלְצְלֵי־שָׁמַע et צִלְצְלֵי תְרוּעָה *cymbala auditus* et *cymbala clangoris*, per posteriora Kimchi *tubas* intelligit; priora vulgo sumunt de cymbalis, quae procul audiuntur; at ea potius essent τῆς תְּרוּעָה; nam majus hoc, quam שֶׁמַע. Arabice שָׁמַע, *auditio*, aliquando sumitur pro *cantu* et *musica*. Sint ergo צלצלי־שמע *cymbala musicalia*, vel etiam, *ad quae cani possit*, differentia a צלצלי תרועה, quae majorem ciebant sonum. צלצלים Alexandrinus recte *κύμβαλα* videtur reddidisse, cf. 2 Sam. 6, 5. Nam Arabice צלל significat *sonuit cum tinnitu ferrum.* Pfeifferus l. c. p. 54. putat significari illud organon musicum, quod Arabibus hodie *Sandsch* vocatur, quod Golius *Lexic. Arabic.* p. 1383. his verbis describit: *crembala*, i. c. duo cuprea crepitacula, quae inter se concussa suavi *personant tinnitu*. *Arabibus*

familiare instrumentum. NIEBUHR in *Itinerar. (Reisebeschreib. nach Arabien)* P. I. p. 181. illa *discos* vocat *(Castagnettes)*, quorum duplex genus esse ait, unum, minoris formae, quo saltatrices inter saltandum utuntur, alterum, majoris formae, quo hodie utuntur milites in musica castrensi; hos majores discos Pfeifferus hebraice צלצלי תרועה, minores illos צלצלי-שמע opinatur.

6. כֹּל הַנְּשָׁמָה *Omnis anima*, quicquid vivit, quicquid spirat, quasi dicat: non tantum organa musica, omnis generis, sed etiam omnes homines, qui vivunt, et animantia universa, Jovam extollant laudibus.

CORRIGENDA.

Pag. 38.	lin. 2.	ab im.	leg. plus
- 43.	- 8.	leg.	Ps. 2, 1.
- 69.	- 22.	-	68. pro 58.
- 71.	- 27.	-	constructio
- 80.	- 8.	-	124, 5.
- 95.	- 13.	-	commoretur
- 221.	- 8.	-	Ps. 106, 13.
- 384.	- 3.	-	119, 18.

BS1145 .R815 1828 v.3
scholia in Vetus Testamentum in
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00066 3544